

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL  
GRANADA

Sala: B  
Estante: 5  
Número: 96

6-18 7-1 1/2

PERILLVSTRIS  
DOMINI PETRI  
FRANCISCI  
DE TONDVTI  
SANLEGERII

*Quæstiones & Resolutiones Canonicae  
& Ciuiles.*

LIBRI DVO.



16904862

PERILLVSTRIS  
DOMINI PETRI  
FRANCISCI  
DE TONDVTI  
SANTALGERII

Questiones & Resolutiones Canonice  
& Civiles

LIBRI DVQ.

Es de el D<sup>o</sup>. Don Jacinto de Aluarez R. 13829

QVÆSTIONVM,  
*del Colegio Catalino* ET *libro J n<sup>o</sup>. 4*  
**RESOLVTIONVM**  
**LEGALIVM**  
**LIBRI DVO.**

Quorum Prior in duas Partes diuisus continet  
**RESOLVTIONES BENEFICIALES,**  
CANONICAS ET REGVLARES.

Secundus **CONTROVERSIAS CIVILES** determinat;

*Auctore Perillustri Domino Petro*

**FRANCISCO DE TONDVTI, SANLEGERII**  
Toparcha; Auenionensi I. C. & Sancti Officij Consultore.



**L V G D V N I,**  
Sumpt. Hæred. PETRI PROST, PHILIP  
& LAVRENTII ARNAVD.



**M. DC. XLIX.**

CVM PERMISSV SVPERIORVM.

DE LA LIBRERIA  
DEL REAL COLEGIO MAYOR  
Reunido de Santa Cruz, y  
Santa Catalina.  
E. 3<sup>o</sup>. C. 63 N. 10.

*Bel. Biblio. Catalinae. ET. Ann. 1. vol. 1.*

RESOLUTIONVM  
LEGALIVM  
LIBRI DVO.

Quorum Pars in duas Partes diuisa continet  
RESOLUTIONES BENEFICIALES  
CANONICAS ET REGVLARES  
Secundum CONTROUERSIAS CIVILES et criminales

Auctor Philippus Pons Paris

FRANCISCO DE TONDUTI SANLEGERI  
Typographeo Francienſi C. deſervit. Officij Conditor



LVCIVM  
Super Henr. Petri Prost, Philippi Borde  
& Laurentii Annard.

M DC XLIX

CON. RE. BIBL. CATALINAE





AD SACRATISSIMAM

ET

Gloriosissimam semper Virginem

M A R I A M

M A T R E M D E I,

R E G I N A M C O E L I

E T T E R R Æ.

*Dominam & Patronam meam  
colendissimam.*

**N**ON exquisitis verborum fucis, aut linguæ politioris vtor pigmentis; sed in prostrata deuoti cordis simplicitate, librum hunc, quem iure quinquagenarij publicæ lucis tyrocinijs opus nuncupare possum, offero Regiæ Maiestati tuæ, Virgo Gloriosissima; non humanis innixum subsidijs, nec perituris Mœcenatum huius sæculi patrocinijs suffultum; quibus licèt se non destitutum esse agnoscat, ad solam tamen, & vnicam gratiæ tuæ potentissimam protectionem recurrit. Quidquid sublunare est, lubricum, incertum, infinitis-

que mutationibus obnoxium esse, vel ipsâ teste  
experientiâ, non ignorans. Caduca hæc & pereun-  
tia, inferiora sunt animo, iam ex multiplici euen-  
tuum huius vitæ confusâque variatione fatigato,  
& ad æterna ac nunquam intermorigura properan-  
te. Tu sola mihi Principum omnium instar es, quæ  
illum genuisti qui aufert spiritum Principum, &  
terribilis est apud Reges Terræ. Immò Tu mihi lō-  
gè supra omnes **ô MARIA!** quæ Cœli Terræ-  
que post Deum, obtines Principatum. Cuius ab  
ineunte ætate ad postremos hosce vitæ meæ annos,  
præsentissima expertus sum, méque in futurum ex-  
perturum credo, in prosperis præsidia, in aduersis  
solatia, in periculis auxilia. Tu sola, **ô MARIA**  
**Virgo sanctissima!** è tot millibus electa, è tot my-  
riadibus ab æterno destinata, quæ virginitati ma-  
ternitatem adiungeres, & sub incomprehensibili  
atque incomparabili **DEI MATRIS** titu-  
lo nodus esses sacrosancti diuinæ cum humana na-  
tura commercij, & ex plenis gratiæ tuæ fontibus,  
cœlestium donorum riuulos in homines deriuans,  
suauissimæ pacis osculo, iustitiam cum misericor-  
dia æternique fœderis inuiolabili nexu copulares.  
Hoc igitur vnum à pietatis tuæ liberalitate sup-  
plex, flexisque cordis & corporis genibus, pro illa  
quæ Tibi peculiaris est in eos, qui se Tibi addictos  
profitentur bonitate, postulare non verebor, vt sicut  
oblatum hocce munus, qualecūque illud est (per-  
petui tamen mei erga Maiestatem tuam, homagij

& seruitutis testimonium) Tibi non ingratum fore confido; ita & portiunculam aliquã amoris & gratiæ tuæ, offerenti liberaliter elargiri minimè dedigneris; quã Deũ in Te, Teque ipsam in Deo diligēs, colens, & adorans, vtrique viuens, vtrique moriens tandēmq; vitæ solutus legibus, & Filio & Matri, æterno atque indissolubili inter electos vinculo charitatis iungi, atque inhærere possim.

Datum Auenione hac die 11. Iunij, qua Sancta Ecclesia Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti memoriam singulari veneratione colit, Anni 1648.

Vestræ Diuinæ Maiestatis

Abiectissimus & indignissimus seruus.  
PETRVS FRANCISCVS DE  
TONDVTI SANLEGERIVS.




PERILLVSTRI  
 ET EXCELLENTISSIMO DOMINO  
 DOMINO PETRO  
 FRANCISCO DE TONDVTI  
 DOMINO DE SAINCT LEGIER,  
 I. C. Celeberrimo & Patruo amantissimo.



VM Tibi de variis artem experientia rebus,  
 Fecerit, & certis exemplis, inuia nulla,  
 Sit via, qua iusti fit regula Iudicis, & dum  
 Assiduus responsa petit consultor, ab ortu  
 Solis ad occasum, dubio cui iura resoluis  
 Contenta his libris; scio, nescio, num magis istud  
 Soluere sit potius, quàm iura resoluerè; non est  
 Soluere, nihil etenim debes; sed debitor ipse est  
 Qui responsa petit consultor: fallor, vtrumque est.  
 Debitor, atque simul fis creditor: & Tibi debet  
 Alma Themis, satagis quod Iura resoluerè, Túque  
 Et mundo & prælo debes, quæ iura resoluis.

I. Bapt. DE TONDVTI Dominus de  
 Blauuac, ex fratre germano nepos.



Perillustri & Excellentissimo Domino  
 DOMINO PETRO  
 FRANCISCO DE TONDVTI  
 DOMINO LOCI SANCTI LEODEGARII  
 IN COMITATV VENAYSSINO.

In suum quem Beatissimæ Virgini Deiparæ consecrat Varia-  
 rum Resolutionum librum.




RÆPONANT alij libris sacra nomina Regum,  
 Aut minio Romæ deuota volumina iactent,  
 Vel tenuem captent auram fallacis amici;  
 Tu nihil humanum cœlesti mente reuoluis,  
 Non terrena sapis, nec quæ peritura momento

Digna viro reputas, æterna ad gaudia nato.  
 Docta ideo nobis cum bina volumina pandis  
 Cunctorumque bono dum nostra & publica reddis,  
 Susplicimus primum \* (hoc est quod Præuentio fecit)  
 Numinis æterni signatum nomine sancto.  
 Istud, Virgo Dei Mater, supremaque Cœli  
 Princeps, totiúsque Orbis Regina, potenti  
 Nomine, tutatur. Nihil est quod, Zoile, rodas:  
 Ista tuos fugiunt dentes: Sed causa dicandi  
 Non fuit hæc; similes morsus, doctrina sublimis  
 Quæ micat hîc, fatis eludit, nec tegmine tanto  
 Indiget, inuidiæ liuorem vt rideat omnem.  
 Æternum quæris: non est mortale quod optas,  
 Sed meritò speras, vt quorum nomina, libris  
 Præficias, illi, æterna tuum per sæcula nomen  
 Viuere, téque omni faciant ex parte beatum,  
 Et diuina tibi in Cœlis consortia reddant.

\* *Authoris de  
 Præuentione  
 iudiciali tra-  
 ctatus hic signi-  
 ficatur Deo di-  
 catum.*

Hieronim. de SAINCT REME  
 I. C. Auenionensis aggregatus.



ILLVSTRISSIMO DOMINO,  
 DOMINO PETRO  
 FRANCISCO DE TONDVTI  
 DOMINO DE SAINCT LEGIER,


*Anagramma.*

PETRVS FRANCISCVS DE TONDVTI  
 FORTVNA TV PRVDENS ES DICTIS.

**F**ORTVNA, DICTIS PRVDENS TV ES, maximè Legum  
 Interpres, libro doctus & ipse tuo.  
 Doctrinæ variis orta est prudentia campis,  
 Doctrina assiduo parta labore venit.  
 Qui vult Prudentis nomen, Doctique referre  
 Euoluat librum sapius ipse tuum.

Adam. HVGVES Iuris Vtriusque Doctor.

PER



Perillustri Domino , Domino Petro

FRANCISCO DE TONDVTI

DOMINO LOCI DE SAINCT LEGIER,

I. C. CELEBERRIMO.



rerum miranda fides ! Prudentia iuris  
Innumeris olim sparsa voluminibus  
Cogitur in se se , librúmque refertur in vnum,  
Ut vigeat post hac , Fortior alma Themis.

Condidit hic leges. Exposuit alter. Et ille

Commentis auxit ; Consuluitque alius.

Is tractatum edit , casus variósque resoluit,

Decidit nodos at Rota difficiles.

Diuersúsque labor similem est ferè nactus honorem

Nam retulit laudis præmia quisque suæ.


Omnia sed si vis collecta volumine in vno,

TONDVTI hunc librum perlege , doctus eris.

At quidnam Authori referes pro munere tanto ?

Non dicam ; Liber hoc dicet , & efficiet.

D. HONORATI, V. I. D. Auenionensis.



Perillustri & Excellentissimo Domino

DOMINO PETRO

FRANCISCO DE TONDVTI

SANLEGERII DOMINO,

*Anagramma.*

PETRVS FRANCISCVS DE TONDVTI  
FACTIS VT ORE PRVDENS VINCET,



VRIS Sacerdos , & Senator Astreæ  
Æuo futuro , sæculóque non vni  
Domuisse quisquis voce masculâ primum  
E pulpito sublimiore , mox chartis  
Seu barbararum , quidquid efferum est vsquam

In iure legum gloriatur : hic frustra


Spectat triumphos , iuris vnus est Mauors

Qui præpotenti Cæsaris manu pugnans

Deberrat hostes Cæsaris , manens Cæsar

Vbique , PRVDENS ORE VINCET, VT FACTIS.

Francisc. VEIRIER. I. V. D. & Adu.



ILLVSTRISSIMO DOMINO,  
 DOMINO PETRO  
 FRANCISCO DE TONDVTI  
 DOMINO DE SAINCT LEGIER,


*Anagramma.*

PËTRVS FRÂNCISCVS DE TONDVTI  
 FONS AVCTVS PRVDENTER DICTIS.



Værit inexhaustum transfossus cuspide fontem  
 Ceruus, vt extremam temperet vnda sitim.  
 Actor, inexhaustum quæris? FONS AVCTVS in omni  
 PRVDENTER DICTIS, iure perennis adest.

Ioachim. LE VIEVX Doctor Medicus.



OS adscripti, ex Societate IESV, Theologiæ Professores, legimus li-  
 brum, cui titulus, *Questionum Beneficialium, Canoniarum & Regularium Li-  
 ber Primus*, à Perillustri Domino PETRO FRANCISCO DE TONDVTI  
 Sanlegerij Domino I. C. celeberrimo elaboratum: in quo fœcundi-  
 tate ingenij, vbertate doctrinæ, & soliditate iudicij, illustres controuersias,  
 in Canonico Iure decidit; difficiles in re beneficiaria nodos, eximiâ dexteritate  
 euoluit; implexa Ecclesiarum, & Asceteriorum Iura, subtiliter expedit; multa  
 denique dispersim in variis materiis perobscura, summâ eruditione dilucidat.  
 Hoc proinde opus, (in quo nihil à fide Catholica alienum, nihil sacris Cano-  
 nibus, aut bonis moribus dissonum est,) luce dignissimum iudicamus; & vtriuf-  
 que Fori Iudicibus, ac mystis omnibus tam sæcularibus, quàm regularibus vti-  
 lissimum. In quorum fidem subscripsimus Auenione, 23. Octobris. 1647.

IOANNES ALBI.

IOANNES VIGNIER.

Appro

Approbationes Doctorum.

**B**ENEFICIUM fecit Eruditissimus D. D. Petrus Franciscus Sanlegerius qui Beneficiales simul Canonicas & Regulares has Quæstiones in duos Libros congescit, & soluit: vtilissimas enim, verè Canonicas & Orthodoxas illas omnes iudicauimus, & probauimus Nos infra scripti Theologiæ Parisiensis Doctores, die 19. Nouembris 1648.

F. STEPHANVS MOLIN Carmelita.

F. PAVLVS LOMBARD Carmelita.

**V**ISA à Nobis authenticâ approbatione RR. PP. Doctorum in facultate Parisiensi Sacræ Theologiæ super doctrinam Quæstionum harum Canonicarum & Ciuiliū *Auctore Petro Francisco Sanlegerio*, quam orthodoxam iudicarunt; Nos in eorum sententiam euntes Prælo dandam quoque censemus. Lugduni 20. Nouembris 1648.

DE-VILLE Prouicar. Gen.

CONSENSVS PROCVRATORIS REGII.


**V**ISA Doctorum approbatione non impedio ex parte Regis Christianissimi quominus Liber cui titulus est *Quæstiones & Resolutiones Canonica & Ciuiles*, in lucem edatur & prælo mandetur ab Hæredibus Prost, Philippo borde & Laurentio Arnaud, cum prohibitionibus in simili casu requisitis & consuetis. Datum Lugduni 21. Nouembris 1648.

LORIN.





INDEX CAPITVM  
LIBRI PRIMI  
QVÆSTIONVM BENEFICIALIVM,  
CANONICARVM ET REGVLARIVM.



CAP. I.

**D**E autoritate Capituli, & Canonico-  
rum in Beneficiatos, cu-  
ram animarum nomine Capi-  
tuli ex statuto, vel fundacione  
exercentes. p.1

CAPVT II. De Virginibus congregatio-  
nis sanctæ Vrsulæ, vtrum sint capaces suc-  
cessionis in Gallia. p.3

CAPVT III. De ætate ad obtinendos  
prioratus non conuenticales in Gallia re-  
quisita. p.3

CAPVT IV. An filij hereticorum sint ca-  
paces beneficiorum. p.4

CAPVT V. De prohibitionem facta per fun-  
datorē in ipso fundacionis limine, nec alius  
Superior præter Episcopum beneficiū Ec-  
clesiasticum conferre possit. pag.4

CAPVT VI. De pensione anteriori, in no-  
uæ pensionis concessione exprimenda. p.5

CAPVT VII. De appellatione interposita  
à beneficij collatione facta per Episcopū. p.6

CAPVT VIII. De dispensatione cum il-  
legitimis. p.6

CAPVT IX. De qualitatibus in prouisione  
beneficij exprimendis, & obseruandis; Et  
quando status vltimus sit attendendus. p.7

CAPVT X. De incompatibilitate officio-  
rum Procuratoris Generalis & Prouincia-  
lis apud Regulares. p.7

CAPVT XI. Vtrum Episcopus possit co-  
gere Canonicos ad assistendum cum cap-  
pis, aliis canonicis aut dignitatibus diuinū  
officium facientibus: Et vtrum Canonici  
ab hoc grauamine appellare possint. p.8

CAPVT XII. Parochus Ecclesiæ per ali-  
quot miliaria distantis, an possit lucrari  
distributiones, anniuersaria, & missas fun-  
dadas deseruendo saltē per substitutum. p.9

CAPVT XIII. De tempore intra quod ca-  
pi debet in Gallia possessio beneficij, & de  
præuia Ordinarij approbatione necessaria.  
pag.10

CAPVT XIV. De tacita professione, &  
de dote moniali non professæ è Monaste-  
rio exeunti restituenda. p.12

CAPVT XV. De concursu plurium Exe-

cutorum ad puellas dotandas testamento  
deputatorū: Et quis ex illis præferendus sit,  
in nominatione puellarū dotandarum. p.13

CAPVT XVI. Quando distributio lega-  
ti pij faciendā est in certum opus; residua  
verò Hospitali soluendū: si contingat lega-  
tum diminui aliquo casu postea succedēte,  
an omnia legata pia pro rata debeant mi-  
nui; an verò illud quod de residuo præstari  
debet. p.14

CAPVT XVII. De interpretatione ordi-  
nationis Regiæ circa præbendas præcepto-  
riales. Et ad quē spectet electio, seu deputa-  
tio magistri scholarū de iure communi. p.15

CAPVT XVIII. Vtrum Commissarius  
Generalis ad infideles habeat vocem passiuam  
in electione Prouincialis sui ordinis  
Regularis. p.16

CAPVT XIX. De requisitis ad probatio-  
nem simoniæ, nempe tractatu præcedenti:  
& quòd in illius executionem pecunia, vel  
alia res tēporalis data fuerit. Et vtrum possit  
dari alteri pecunia pro expensis factis circa  
beneficium, vel ad redimendam vexatio-  
nem. p.17

CAPVT XX. An moniales cogi possint  
præsertim in Gallia ad obseruationē clau-  
suræ, non obstante consuetudine in contra-  
rium cuius initij memoria non extat. p.18

CAPVT XXI. An solus Superior Regu-  
laris possit dare licentiam monialibus, in  
casibus licitis à Monasterio egrediendi; an  
verò etiam Episcopi licentia requiratur. Et  
vtrum Confessarius monialium, qui non  
impedit talē egressum, puniendus sit pœnis  
contentis in Bulla Pij V. Et quid circa hoc  
obseruetur in Gallia, & Hispania. p.19

CAPVT XXII. Mortuo pensionario, vtrū  
pensiones non exactæ, transeant ad eius  
hæredes. Et vtrum nondū maturatæ trans-  
mittantur ad ipsos pro rata temporis. Et  
quomodò huius ratæ computatio fieri de-  
beat. p.21

CAPVT XXIII. De nouorū Monasterio-  
rum ædificatione, & antiquorū translatione;  
& quorum ad id authoritas requiratur. p.22

CAPVT



# Index Capitulorum Libri Primi.

- CAPVT XXIV. Receptio monialium ad professionem ad quem spectet, vtrum ad Episcopum, vel ad ordinis Generalem, Abbatissam, vel Monasterium seu Capitulum: & quæ pro huius professionis validitate requirantur. p.24
- CAPVT XXV. Quando, & cuius expensis adiutor seu secundarius Parocho deputari debeat. Quænam Ecclesiæ teneantur contribuere in expensis visitationis Episcopi. Et quid pro illis expensis Episcopus exigere possit. Quid possit Episcopus statuere circa pias defunctorum voluntates, campanas priuatorum Oratoriorum, & processiones. Denique vtrum hospitalia in Gallia subiacent visitationi Episcopi. p.25
- CAPVT XXVI. Quando, & quomodo procurator constitutus ad resignandum beneficium possit reuocari, & quæ requirantur vt talis reuocatio sit valida: quibus & quomodo sit notificanda: & in quibus casibus res dicatur integra, ad hoc vt reuocatio sortiatur effectum, tam de iure communi, quàm de iure Gallico. Et quod reuocans mandatum ad resignandum, teneatur ad interesse & expensas: & quomodo taxari debeant. Item de executione simplicis signaturæ in Gallia, & de regressu ob non solutionem pensionis. p.27
- CAPVT XXVII. De beneficiorum vacatione ipso iure. De homicidio, & assassinio, an & quando ex illis oriatur priuatio ipso iure. De beneficij impetratione sub falso nomine. De exprimenda accusatione in rescripto: Et de beneficio habente curam habitu. De beneficiis incompatilibus. Publicatione in impetratione certo modo non esse necessariam. Vtrum obtinens nouum titulum teneatur noua capere possessionem, si titulus sit confirmatorius primi. p.31
- CAPVT XXVIII. Quæ sit subrogationis praxis in Gallia. p.36
- CAPVT XXIX. De nullitate impetrationis, ex eo quod non fuit expressum ius ad rem, quod impetranti super alio beneficio competebat. p.36
- CAPVT XXX. De immunitate clericorum à collectis tam pro bonis Ecclesiæ, quàm pro patrimonialibus, & in quibus casibus, ac quomodo collectari possit per laicos. p.37
- CAPVT XXXI. An & quando capellania requirat prouisum esse actu celebrantem, aut aptum ad celebrandum: & quando, & ex quibus possideri queat per simplicem clericum. Vbi nota quod decisio Rotæ 65. part. 3 recent. allegata in fine huius capituli in 2. & 3. conclusione forsan procedere posset in capellaniis & aliis simplicibus beneficiis, ex traditis per Rebuff. in prax. cap. forma & declaratio nouæ prouisionis, in verb. nec non omnia beneficia. n.19. Sed tamen quod residentia qualitas semper fit exprimenda, tradit Parif. lib. 10. de resign. q.2. n.29. Lotter. de re benefic. lib. 3. qu.27. num 25. p.38
- CAPVT XXXII. De iure patronatus hereditario, gentilitio, & mixto; Et quomodo voces patronorum debeant computari, quando fit presentatio. p.40
- CAPVT XXXIII. De collatione beneficij per Episcopum proprio, vel resignantis nepoti, vel consanguineo facta. De impetratione beneficij viuentis. De Episcopo dicente se contulisse beneficium quod non contulerat, quomodo puniatur ratione mendacij. Denique an & quando per primam collationem nullam, aut quæ effectum non fuit sortita, possit Episcopus iterum conferre. p.42
- CAPVT XXXIV. De sententia suspensionis cum condemnatione ad pœnam pecuniariam per Episcopum lata contra Theologum; qui dum publice prædicaret, propositionem hæreticam, vel de hæresi suspectam pronuntiauit. p.44
- CAPVT XXXV. Vtrum extinctio pensionis beneficiariæ fieri possit in præiudicium creditorum pensionarij. Et vtrum dicti creditores possint obtinere inhibitiones de extinguendo pensionem. Et de præcepto facto contra Capitulum de soluendo pensiones dictis creditoribus pensionarij: Et quomodo Capitulum teneatur ad solutionem pensionum impositarum super canonicatu. p.45
- CAPVT XXXVI. Quod Episcopus non possit in beneficiis non annexis, seu vnitis, vicarium perpetuum constituere, vt sic beneficium curatum reducat in simplex. In vnitis verò, quomodo & quando vicarium perpetuum, vel amouibilem deputare queat. p.46
- CAPVT XXXVII. Quæ requirantur ad validitatem vnionis tam de iure communi, quàm de iure Gallico: & quibus remediis vnio impugnari queat. Et vtrum longi temporis præscriptio hac in re sufficiat, tam in beneficiis principalibus vnitis, quàm illorum accessoriis. p.47
- CAPVT XXXVIII. Vtrum forenses domicilium habentes, vel non habentes, in aliquo loco, teneantur ad Ecclesiæ constructionem, & reparationem. Et ad constructionem vel reparationem campanarum. Et vtrum Prior, vel Parocho ad tales expensas teneatur. Et quid in hoc obseruetur, secundum consuetudinem Gallia, & Comitatus Venaisini. p.49
- CAPVT XXXIX. De quadam transactione inita inter Parochum, & populum; tam

# Index Capitulorum Libri Primi.

- tam super solutione decimæ, quàm super reparatione Ecclesiæ, cereis, luminaribus, ornamentis Ecclesiæ, sumptibus Prædicatoris, epulis quas defructus vocant, & aliis similibus expensis. p. 50
- CAPVT XL.** Ex quibus probetur beneficium esse regulare. Electiua beneficia quædam collatiua, alia confirmatiua, quædam simpliciter electiua; & quis inde resultet effectus. De consensu collatorum præstito ex interuallo. De possessione non capitulariter capta. Non esse adhibendas processuras in forma dignum in prouisionibus ordinariorum. Religiosi quando curam animarum per se ipsos exercere possint. p. 52
- CAPVT XLI.** Quomodo procedendum sit in causis criminalibus contra religiosos. Quis sit eorum iudex competens. Quando in forma iudicij procedendum sit. Et utrùm religiosus possit ab Abbate Generali ad loca remota citari: Et alia multa referuntur quæ modum procedendi inter religiosos respiciunt. p. 54
- CAPVT XLII.** De iurisdictione Episcopi erga Regulares curam animarum exercentes. Et quibus pœnis plectatur Parochus absens sine licentia per Episcopum in scriptis data. Quomodo contra Parochum non residentem procedendum sit; & an requiratur trina monitio, an verò statim Episcopus aduersus Parochum non residentem procedere possit ad pœnam priuationis. p. 56
- CAPVT XLIII.** Confraternitates laicorum in Ecclesiis fundatæ, possunt liberè ab illis Ecclesiis recedere, & ad alias se transferre: vel ipsi etiam confratres ad aliam confraternitatem, priori ad libitum relictæ: quæ prior confraternitas non potest ad funus confratris recedentis venire, inuitis maxime hæredibus. Translatæ autem confraternitate quid fiet de elemosinis, & foundationibus consuetis. p. 58
- CAPVT XLIV.** Accusatus in sancto inquisitionis officio, utrùm habeat vocem actiuam, & passiuam in electione Prouincialis sui ordinis. Quid dicendum sit, de eo qui condemnatus fuit ad abiurandum de leui, vel de vehementi. Et quomodo admittendæ sint in actu electionis voces eorum, de quorum potestate eligendi dubitatur. Et quid in officiis sæcularium statuendum sit, utrùm videlicet pendente officio accusatus ab illius exercitio suspendi possit. p. 60
- CAPVT XLV.** De validitate legati per patrem liberis facti cum ea conditione, quòd si ante 25. ætatis annum exirent è Societate IESV, maiori summâ potirentur; utrùm sit contra bonos mores; an verò sit validum. Et de legato factò maioris summæ liberis manentibus in sæculo, quàm Præ-
- biteris, vel Religiosis. p. 61
- CAPVT XLVI.** De dimidio laudemio de nouennio in nouennium soluendo: Cuius temporis æstimatio respici debeat, & quomodo fiat. Utrùm debeat à Monasterio non expectatâ morte naturali religiosi, tam de iure communi, quàm de iure Gallico. p. 63
- CAPVT XLVII.** De iure cappæ quod soluitur in receptione Canonicorum. Et de validitate statuti quo ius istud solui mandatur. Et utrùm valida sit consuetudo soluendi aliquid Officiariis Capituli, in ingressu. Quid si duo adsint collitigantes, quorum vnus tantum capitulariter receptus sit, utrùm duplex ius cappæ debeat. Obligatio fideiussoris pro soluendo iure cappæ, an sit valida. Et utrùm lite pendente feruens vni beneficio per se, alteri per substitutum ex decreto, vtriusque beneficij fructus lucretur, si soluendi possessio illi adiudicata sit. p. 65
- CAPVT XLVIII.** Utrùm Iudæi compelli possint domus parietes taperibus ornare, sicut faciunt Christiani, quando Sanctissima Eucharistia defertur processionaliter per ciuitatem, transeundo ante domos quas Iudæi inhabitant. Et incidenter agitur de liberis Iudæorum, an inuito patre, matre, auo, aut vno ipsorum baptisari possint. Quibus in casibus cogi possint Iudæi ad faciendâ ea, ex quibus honor Religioni Christiane inferri potest. Denique utrùm hodie Iudæi dare possint suis vxoribus libellum repudij. p. 68
- CAPVT XLIX.** Utrùm licentia prædicandi religioso data sub ea conditione, vt ante susceptum Subdiaconatus ordinem, prædicare non possit: de iure sit valida. Quibus in casibus actus qui purè fieri possunt, fieri valeant sub conditione. Et ex quibus actus dicatur conditionalis, vel modalis. p. 70
- CAPVT L.** Quomodo, & quando minor aduersus beneficij resignationem, ex causa læsionis in integrum restitui debeat, tam de iure communi, quàm ex supremorum Galliarum tribunalium decretis: & quomodo proberur læsio, aut circumuentio hoc casu. De resignatione factâ in fauorem præceptoris, aut alterius erga minorem habentis auctoritatem. Utrùm minor restituatur aduersus regulam de triennali. Et de resignatione in fauorem factâ coram Legato in Gallia non recipienda. p. 71
- CAPVT LI.** De quadruplici personarum differentia apud Religiosos Societatis IESV: inter quas illi qui Scholastici nuncupantur, post emissâ simplicia vota biennij, quamuis verè religiosi sint, & votum paupertatis emiserint, possunt tamen bona, beneficia & pœsiones Ecclesiasticas retinere; & de bonis suis disponere: Limitatè tamen ad volunta-

# Index Capitulorum Libri Primi.

- tem, seu licentiam superiorum: Et quid obseruetur hodie in Gallia. Quid ante Henrici IV. constitutionem. Quid denique statuentum sit quoad bona per eos in Principatu Auaricensi possessa, tam de iure Communi, quam ex Sereniss. Principis constitutionibus. p. 73
- CAPUT LII. Vtrum non obstante consuetudine immemoriali cuiusdam insignis Ecclesie, quod canonici assistere duntaxat certis horis teneantur; veluti horis matutinis, & vespertinis magni officij, & Missae; Episcopus cogere illos possit ad assistendum omnibus officiis tam maioribus, quam minoribus, & omnibus horis canonicalibus. p. 76
- CAPUT LIII. De nullitate susceptionis ordinum ab eo, qui alias non sanæ mentis fuerat. Super quo defectu Episcopus ad ordinum susceptionem dispensare non potest, sed solus Papa. De differentia inter nullitatis declarationem, & dispensationem super ordinibus susceptis. Quando maritus iuuenis facit votum continentiae, vtrum vxor validè profiteri possit: Et declarata nullâ pro marito ordinum susceptione, vtrum professio religionis facta per coniugatam reuocari possit; aut saltem, marito præmortuo, vxor ad religionem, quam professâ fuit, redire cogatur. p. 78
- CAPUT LIV. De fundatore laico beneficii cum reservatione iuris patronatus, & facultatis de illo disponendi pro libito suæ voluntatis; & liberè tam inter viuos, quam causâ mortis; vtrum vigore huius reservationis potuerit disponere in fauorem laici sine licentia, & approbatione Episcopi; Et an posterior donatio eiusdem iuris patronatus facta in fauorem Ecclesie, vel loci pii, etiam sine approbatione Episcopi, præuolare debeat priori donationi. p. 80
- CAPUT LV. De casibus in quibus puella, vel sponsa, aut vxor, sequestrari possit. quomodò, quibus ex causis, & quibus obseruatis sequestratio fieri possit, & apud quos: Et vtrum talis sequestratio duret vsque ad sententiam, & illius executionem; an verò, & quando etiam per latam sententiam. Et quid statuendum sit de muliere agente ad Thori separationem, vel ad illam in ius vocata, instante marito. p. 82
- CAPUT LVI. Ecclesiam Cathedralis, quæ proprie matrix dici potest, totius diocesis esse parochiam: & fundatam habere intentionem in Ecclesiis auxiliatricibus, quas succursales vocant: ibique non esse cogendam vicarium perpetuum constituere; præsertim si sit in immemoriali consuetudine præbiteros amouibiles, & salarios deputandi. p. 85
- CAPUT LVII. De interpretatione ordinationis Regie, qua cauetur deuolutarios omnes teneri cauere idoneè, antequam in iudicio recipiantur. Vtrum cautio hæc post litem contestatam peti possit. Vtrum parte non petente. Quis sit effectus denegationis audientiae. Vtrum danda sit cautio, quamuis ante annum possessor impeditus fuerit. Et vtrum Graduati Nominati, vel Indultarij ad hanc cautionem adstringi possint. p. 86
- CAPUT LVIII. De congrua portione vicario assignanda quæ in ea computentur: & quanta esse debeat. Vtrum in illius computatione debeat haberi ratio incertarum obventionum. Et vtrum acceptans portionem tenuem, sibi debeat imputare. Quando, & quomodò aduersus talè acceptationem in integrum restituendus sit. p. 88
- CAPUT LIX. De appellatione interposita in examine ad Parochialem inter concurrentes facta. Et vtrum Episcopus minus idoneum, omisso magis idoneo, in concursu eligere possit. Quæ requirantur vt peti possit nouus concursus. Quæ circumstantiæ considerandæ sint in examine ad parochiales per concursum. Et quæ sint necessaria, vt quis dicatur intrusus. p. 90
- CAPUT LX. Monasterium ex quibus probetur esse exemptum ab omnimoda Episcopi iurisdictione, & immediatè subiectum sedi Apostolicæ. Et quomodò possit prætere iurisdictionem quasi Episcopalem, in omnibus causis tam matrimonialibus, quam criminalibus. Et vtrum huic iurisdictioni fiat præiudiciû per actus contrarios factos à Religiosis, contra formam priuilegiorum Apostolicorum. p. 91
- CAPUT LXI. An & quando, & in quibus casibus Episcopus teneatur sibi assumere duos adiunctos ex Capitulo, dum procedere vult contra Capitulares, vel contra ipsum Capitulum in casum delicti. Et quando Capitulum dicatur præscriptione acquisuisse ius cognoscendi de causis suorum Capitularium, priuatiuè ad Episcopum. Vtrum priuatio distributionum aduersus negligentes, vel delinquentes, sit actus iurisdictionalis. Et vtrum mala fides authoris noceat successoribus in beneficiis. Denique de scientia, & patientia aduersarij in præscriptione, in certis casibus non requisita. Et de actibus factis post completam præscriptionem. p. 93
- CAPUT LXII. De eadem materia iurisdictionis, per Capitulum aduersus Episcopum, per transactionem, aut præscriptionem acquisitam; in causis personas capitulares concernentibus. De confirmatione Summi Pontificis; an & quando dicatur facta ex certa scientia. Quod non obstantibus exemptionibus, Episcopus per modum visitationis

# Index Capitum Libri Primi.

- nis habeat morum correctionem. Cui competat ius conuocandi Capitulum, & priuandi absentes, aut delinquentes distributionibus. p. 95
- CAPVT LXIII.** Vtrum confratres capellæ intra limites parochiæ nouiter erectæ, possint petere se manuteneri in quasi possessione vsus campanarum aduersus Parochum prohibentem. Et ad quem spectent oblationes quæ fiunt in illa capella. De custodia clauis Ecclesiæ Diuo Petro consecratæ: & eleemosinæ quæ dantur ob applicationem ferri candentis iis, qui laborant morfu canis rabidi. Et vtrum noua capella possit ædificari in præiudicium Ecclesiæ parochialis. Et in quo consistant iura parochialia, tam circa sepulturas, quàm alia; ad explicationem clausulæ *saluâ iustitiâ Ecclesiæ parochialis.* p. 98
- CAPVT LXIV.** De professione monialis fraudulenta facta in articulo mortis, eo animo vt bona ad Monasterium deuoerentur, in præiudicium substitutorum, vel venientium ab intestato. In quibus casibus professio in articulo mortis sit valida; finito vel non finito anno nouitiatus. Et de variis coniecturis fraudis in hac materia concurrentibus. p. 100
- CAPVT LXV.** De translatione monialium ad aliud monasterium. Vtrum translata personâ, transferantur etiam bona. Proponitur peculiari constitutio, seu consuetudo in ordine sancti Dominici. Quid verò in aliis ordinibus statuendum sit. Cuius conuētus religiosus dicatur filius: Et vtrum affiliatio transferri possit ad aliud monasterium. De triplici forma professionis, & de diuersitate affiliationum. Dos religiosæ, soluto matrimonio spirituali penes quem remanere debeat. De alimentis Religiosæ translatae præstandis. De forme executionis translationis quæ sit vigore Bullarum Apostolicarum. Vtrum in ea requiratur noua professio, & vtrum delegatus executor Bullarum possit subdelegare. p. 102
- CAPVT LXVI.** Quibus in casibus successor in Prælatura, vel beneficio, teneatur stare locationi factæ per antecessorem: Et quândo dicatur locatio utilis Ecclesiæ. Quid si conductor fecerit expensas in re conductâ ab Ecclesia: Et vtrum interim lite pendente conductor manutenendus sit. De locatione rerum Ecclesiæ ultra trienniū non concedenda: Et quomodò hoc triennium intelligatur. De successore in beneficio per obitum, vel per renuntiationem simpliciter factam, vel in fauorem; quæstio plenè examinatur: Et concluditur indistinctè successorem non teneri stare locationi. Quid autem super hac re obseruetur, & iudicetur in Gallia. Denique An & quando solutio anticipata liberet colonum, seu conductorem rerum Ecclesiæ. p. 105
- CAPVT LXVII.** De decimis animalium soluendis, an valeat consuetudo illam soluendi in minutioribus totius gregis animalibus. Quo tempore soluenda sit, & quomodò numeranda animalia tam Domini, quàm pastoris. Et quid si sub eodem baiulo siue pastore plures & diuersi sint animalium domini, vtrum singulorum animalia separatim numerari debeant. Et vtrum animalia vnus anni, possint facere numerum pro supputatione decimæ elterius anni. p. 109
- CAPVT LXVIII.** Quando numerus canonicorum Ecclesiæ Collegiatæ augetur mediante noua fundatione, vtrum Canonici antiquæ foundationis cogantur nouos admittere, cum iisdem conditionibus in noua fundatione contentis; an verò alias adicere possint. in quibus participare debeant Canonici nouæ foundationis cum antiquis, & in quibus non participant. Canonici eiusdem foundationis de nouo recepti, in quibus iuribus & emolumentis Capituli concurrant cum antiquis, veluti in laudemis, & distributionibus non antea diuisis, mortuariis & similibus. p. 111
- CAPVT LXIX.** Vtrum assequenti beneficium incompatibile, quod postea euincitur, liceat redire ad primum beneficium dimissum, vel animo pinguius obtinendi simpliciter resignatum. Regressus quândo, & qua de causa concedi soleat in beneficiis Galliæ. Quândo datur regressus, vtrum liceat illum exercere propria authoritate. Quæ sit differentia inter dimissionem, & resignationem. De duplici simonia, nempe vera, & interpretatiua: Et de vtriusque effectu. Permutatione non sortitâ effectum, vtrum liceat maximè in Gallia redire ad priora beneficia sine noua collatione. Et quomodò probetur facta collatio: Et quando res non dicatur integra hoc casu. p. 113
- CAPVT LXX.** Quòd summus Pontifex, aut Legatus, seu Vicelegatus Auenionensis in mensibus Ordinarij concurrat cum eo in collatione beneficiorum. Et quòd in dubio præferendus sit, qui prius possessionem adeptus est. Datam Legationis ex libro Datarij desumptam, fidem facere: non item eam, quæ per Secretarium Episcopalem in prouisionibus Ordinarij apposta est, in præiudicium prouisi Apostolici. p. 117
- CAPVT LXXI.** De nullitate matrimonij in Gallia contracti inter Catholicum, & hæreticam; nullis præiis denuntiationibus: nec proprio Catholici Parocho assistente; & non adhibito patris consensu, iuxta con-

# Index Capitulorum Libri Primi.

- stitutiones Regias, requisito. Et utrū matrimonium nulliter contractum, per subsequentem cohabitationem ratificari possit. p.119
- CAPUT LXXII. Utrū exemptio à solutione decimarum acquiri possit per incolam alicuius loci contra Ecclesiam; siue ex consuetudine, siue ex præscriptione: Et quæ sit in hac materia præscriptionis, & consuetudinis differentia: quis utriusque effectus. De exemptione à decimis tam à toto, quam à quanto. Utrū & quando decimæ sint de iure diuino: Et an sufficiat loco decimæ census annuum, aut quid aliud simile, in recognitionem Ecclesiæ præstari. p.120
- CAPUT LXXIII. Quomodo acquiratur ius capellæ, vel sepulturæ in Ecclesiis regularium, in quibus laici ius patronatus obtinere nequeunt ad effectum præsentandi; sed tantum ad effectus honorificos. De iure sepulturæ, an transeat ad hæredes sanguinis, vel ad extraneos hæredes. Utrū finitâ familiâ; ius sepulturæ, aut ius apponendi arma, & insignia, possit alteri concedi in præiudicium memoriæ fundatoris. Arma, insignia, inscriptiones, & similia sculpta, vel dumtaxat depicta, utrū in capella aut Ecclesia per fundatores, aut benefactores quando & quomodo apponi, vel auferri possint. Et quæ requirantur ad hoc ut benefactoris arma de consensu regularium apponi queant in ipsorum Ecclesiis, remanentibus semper insignibus, & inscriptione facta in honorem memoriæ fundatoris. p.123
- CAPUT LXXIV. De alienationibus factis per Collegia Auenionensia: Quod in eis requirantur solemnitates necessariæ in alienationibus bonorum Ecclesiæ: quæ tamen non sunt adhibendæ in concessione officiorum Graffariatus à Collegio dependentis, quando solita sunt concedi ad vitam possessoris: Et quando constare dicitur de consuetudine concedendi ad vitam. Et de effectu harum clausularum, *ad beneplacitum*, vel *quandiu benefeceris*, & similibus quæ non officiant perpetuitati concessionis. Denique utrū resignatarius officij in casum euictionis, habeat regressum pro restitutione pretij contra resignantem. p.125
- CAPUT LXXV. De resignatione mutua duorum beneficiorum, quæ tamen in effectu mera est permutatio: utrū sit illicita, dum partes non exprimunt id fieri animo permutandi, quamuis inter se de permutacione tractauerint. Et quod resignatio sit valida eâ intentione facta, ut alicui putâ amico, vel alteri beneficium conferatur, etiam si talis amicus Episcopo nominetur, aut alteri collatori; dummodo nulla apponatur clausula, vel conditio necessitatem collationis importans. p.126
- CAPUT LXXVI. De notis & stigmatibus in corpore personarum beneficio accusatarum repertis, utrū sola faciant indicium ad torturam; & quibus indicij concurrentibus: Et utrū sufficiat ad condensationem. p.127
- CAPUT LXXVII. Sententia declaratoria nullitatis professionis fieri debet per Ordinarium, unâ cum Superiore conventus, in quo facta fuit professio: adeo ut commissio huiusmodi negotij non possit dari alteri, quam Superiori principali, nempe Priori, vel Guardiano: nec sufficiat si in hac causa processerit Subprior, etiam uti à Priore deputatus: cum Subpriors, vel Vicarij Guardianorum non sint in Ecclesiastica dignitate constituti. Quod R. P. D. Vicegerens non habeat iurisdictionem in similibus causis. Sententia super nullitate professionis lata non potest transire in rem iudicatam. Nouitiatus annus quamuis debeat esse continuus, & non interruptus; tamen potest compleri ante decimum quintum annum ætatis nouitij finitum: si tamen nouitiatus integer non fuerit; nulla est professio ipso iure: adeo ut non sit opus sententia declaratoria. p.129
- CAPUT LXXVIII. Confirmatur materia capituli præcedentis de nullitate professionis, propter annum nouitiatus interruptum: & agitur de professione emissa ex causa metus reuerentialis. De tacita professionis ratificatione. De reclamacione intra quinquennium. Et utrū liceat propriâ autoritate recedere, quando professio est nulla; & sic matrimonium postea contractum sit validum. Quid si professus admisus fuerit ad religionem in alio conventu, postquam reiectus fuerat à Capitulo conventus illius loci, in quo nouitium fecerat; utrū talis professio nulla sit. p.131
- CAPUT LXXIX. Utrū concedenda sit sequestratio vxoris ad domum mariti traductæ, quæ post triennium cohabitationis allegat mariti impotentiam, quam tamen maritus negat: Et utrū hoc casu, vxor marito restituenda sit, tam quoad thorum, quam quoad cohabitationem: Et an ad hoc cogi possit, & quibus remediis. Triennium experimenti super impotentia faciendi, ex veriori sententia numerandum esse non à die tentatæ consummationis matrimonij, sed à die decreti, quo iudex Ecclesiasticus experimentum fieri mandauit. p.134
- CAPUT LXXX. De Canonicis regularibus in quibus differant à monachis, & an possint disponere de bonis suis: Et an & quando Episcopi, & alij regulares sint capaces beneficiorum sæcularium cum cura, vel sine cura: Et an sufficiat sola dispensatio Abbatibus cum collatione per Episcopum facta; an verò desideretur etiam dispensatio pontificia:

# Index Capitulorum Libri Primi.

- tificia: Et quibus circumstantiis concurrentibus illa concedi soleat, & debeat. p.135
- CAPVT LXXXI. Vtrum religiosi reformati ingredientes in conuentum mitigatorum, seu non reformatorum, debeant eundem præcedentiæ gradû tenere, quem antea habebant non reformati: an verò iuxta ordinem suæ receptionis in Ciuitate. p.136
- CAPVT LXXXII. De modo procedendi inter regulares in electionibus, quando propter aliquem casum non præuisum, Capitulum ad duos electores redactum est. pag. 138
- CAPVT LXXXIII. De donatione facta ex causa foundationis monasterij construendi sub modo, vel conditione, vtrum ob non adimplementum modi sit locus rescissioni illius. Quomodo designatio loci in quo monasterium construendum est censeatur facta demonstratiuè, aut taxatiuè. An necessaria sit in tali donatione Episcopi autoritas. Et vtrum per secundam donationem ad eandem causam factam, censeatur reuocata, vel nouata prima cum extinctione hypothecarum. p.139
- CAPVT LXXXIV. Continens votum, & rationes quibus motus fuit iudex ad decernendam hypothecam, & validitatem primæ foundationis, de qua in præcedenti capite; non obstantibus impugnationibus in contrarium propositis. p.141
- CAPVT LXXXV. De annali, triennali & decennali possessore beneficij, & regulis Cancellariæ desuper editis. Quæ sit vis & effectus diuturnæ possessionis, & quæ inter regulas de annali, & triennali, differentia; tam inter se, quàm cum vulgata illa & celebri allegatione Lapi 89. quam sæpius Rota Romana sequuta est. Plurimæque difficultates circa praxim dictarum regularum Cancellariæ proponuntur, & resoluuntur. p.144
- CAPVT LXXXVI. De electione nulliter facta tempore pestis per tres canonicos Ecclesiæ Collegiatæ, cui ius eligendi competeat, intra ciuitatem peste infectam: ad quam propterea absentes tutum accessum non habebant. Et obiter multa de peste quoad residentiam, administrationem Sacramentorum, & alia spiritualia. p.148
- CAPVT LXXXVII. De concursu prouisionis Apostolicæ, cum prouisione Ordinarij facta ad Patroni laici præsentationem, quando prouisus Apostolicus non fuit præsentatus à Patrono, quamuis beneficium esset alioquin reservatum. Et quòd prouiso ab Ordinario dentur remedia possessoria, cessante videlicet reservatione in beneficio, quod est de iure patronatus laicali. Item quòd vocatio dicatur consumpta,
- & cesset reservatio ad effectum vt Ordinarius possit conferre, quando prouisio Apostolica facta fuit; licet inutiliter, ob defectum potestatis: vel quando collatio non est nulla, sed annullanda. p.150
- CAPVT LXXXVIII. De priuilegio ordinis Prædicatorû Sancti Dominici, super immunitate à solutione quartæ funerariæ, & nominatim de cereis, qui deferuntur in manibus religiosorum. Et vtrum aduersus hæc priuilegia opponi possit non vsus, aut contrarius vsus, aut res iudicata ab aliquo, qui sit summo Pontifice inferior. p.152
- CAPVT LXXXIX. Quorum beneficium nominatio spectet ad Regem Galliæ: & quæ ad eam requirantur. De ætate requisita, & alijs ad prouisionem prioratuum conuentualium. Intra quod tempus fieri debeat nominatio: Et vtrum nominatio locum habeat in Episcopatibus, & prioratibus vacantibus in Curia. Confidentiam in Gallia esse prohibitam, nec per spatium decem annorum purgari, si sit continua. p.154
- CAPVT XC. Legatum factum Capitulo de certa quantitate tritici soluenda ex reliquis annuarum solutionum testatori debitis; vtrum soluendum sit per hæredes fauore piæ causæ, licet nulla reliqua, siue arragaria debeantur. p.156
- CAPVT XCI. De iure patronatus per fundatorem in vltima voluntate relicto. Quòd legatum, & fundatio transeat in naturam dispositionis inter viuos, quando testator fundationem cum autoritate Episcopi, viuens, executioni demandauit: Et in omnem euentum, vltima illa voluntas sit irreuocabilis, etiam in præiudicium eius cui ius patronatus relicto est. Ius patronatus vtrum Consulibus, vel etiam toti Communitati relicto censeatur. p.157
- CAPVT XCII. Vtrum Vicelegatus Auenionensis, qui ex facultatibus Legationis potest religiosos dispensare, vt transeant ad laxiorem regulam, eodem modo possit dispensare super quarto voto, quod sit per RR. Patres ordinis Minorû sancti Francisci de Paula, circa abstinentiam ab esu carniû. p.158
- CAPVT XCIII. De Graduatis, & Nominatis, quoad beneficia Galliæ. Quomodo differant Graduati simplices, à Graduatis nominatis. De conditionibus requisitis ad hoc, vt quis gaudeat priuilegio grad<sup>o</sup>, vel nominationis. De Attestatorijs studij, & nobilitatis, quæ ad illas requiruntur. De tẽpore requisito ad gradum obtinendû, vel Baccalaureatum in quacumque facultate. Præcipua quæstionum & dubiorum capita materiã Graduatorum, & Nominatorum ac insinuationis per eos faciendæ concernentia resoluuntur.



# Index Capitulorum Libri Primi.

- tur. Tandem concluditur summum Pontificem posse vti præuentione in præiudicium Graduatorum quorumcumque. De Legato, verò, aut Vicelegato, vtrum possit derogare regulæ de 20. diebus, in præiudicium gradus, vel nominationis; Concluditur affirmatiuè. p.159
- CAPVT XCIV. De dispensatione super corpore vitiatas, vtrum & quando ab Episcopo concedi possit; & quomodo concedi soleat in Curia Romana. Vtrum qui ita claudus est, vt sine baculo incedere non possit, adè irregularis sit, vt egeat Pontificia dispensatione tam ad sacros ordines, quàm ad primam tonsuram. Vtrum irregularis priuetur beneficiis tam obtinendis, quàm obtentis: Et an sit capax pensionum Ecclesiasticarum. p.162
- CAPVT XCV. Quomodo succedatur in bonis monachi, tam in Terris Ecclesiæ immediatè subiectis, quàm in Gallia. Quid si bona partim sint in Gallia, partim in terris Monarchiæ Pontificiæ immediatè subiectis. In spoliis monachorum, quis debeat succedere; Et quòd si monachi decedant extra claustra vel illicitam exerceant negotiationem, quòd R. Camera succedat. Quid veniat sub nomine negotiationis illicitæ, & vtrum per eam clericus amittat sua beneficia. p.164
- CAPVT XCVI. Religiosum nihil proprium habere posse. Quomodo intelligendum sit quod dicitur, religiosum proprietarium decedentem, sepulturâ Ecclesiasticâ priuandum. Professum testari non posse; bona tamen sua inter liberos æqualiter, vel inæqualiter diuidere posse; relictâ filiis saltem legitimâ, monasterio verò sua portione, & quæ illa sit. Transactio super nullitate professionis, promissâ pecuniâ intuitu bonorum dimissorum, an sit simoniaca. Legatum factum monacho eâ conditione vt monasterio non quærat, an sit validum: Et si legatum factum fuerit religioso pro suis necessitatibus, vtrum cessante necessitate debeat. p.166
- CAPVT XCVII. De publicis & non publicis concubinariis, quomodo aduersus illos procedendum sit; siue clerici sint, siue laici. De clericis adulterium, aut alia incontinentiæ peccata committentibus. De simonia per tertium cõmissa in beneficio, vtrum possessor beneficii simoniam ignorans priuandus sit illo beneficio. Vtrum propter simoniam, omnia alia beneficia vacent. De homicidio, percussione cum effusione sanguinis, aut membri mutilatione. Denique vtrum Doctor Iuris Canonici possit admitti ad præbendam Theologalem. p.169
- CAPVT XCVIII. De nullitate alienationis bonorum ad capellanas spectantium, sub solius Vicarij auctoritate, absque assensu Apostolico. Et quomodo sit verum quod dicitur, alienationem præsumi factam cum beneplacito Apostolico, & aliis solemnitatibus, ob temporis diuturnitatem. Et de effectu sententiæ declarantis alienationem bonorum Ecclesiæ inuvalidam, cum clausula *alio non apparente*. p.172
- CAPVT XCIX. De ætate requisita ad obtinendam Præposituram in Ecclesiâ Metropolitana. Et quòd dispensatio post collationem obtenta, non præiudicet antea impetranti. De viribus, & defectu gratiæ *si neutri*: Et de beneficiis electiuis quæ confirmatione indigent: Et vtrum beneficia simpliciter electiua possint resignari. p.173
- CAPVT C. De legato factò Ecclesiæ regulari pro fundatione Missarum, vtrum spatio quadraginta annorum præscribatur, si non constet de acceptatione illius. Quid si legatum factum fuerit de viginti salmatis, vel vigoribus terræ ex prædio maioris quantitatis, & prædium impetu fluminis fuerit pro parte corrosus; vtrum Ecclesia legataria partis quantitatiuæ debeat in totum, vel pro parte sentire damnû illud; & vtrum stari debeat iuramento Superioris, vel Guardiani asserentis missas fuisse iuxta fundatoris voluntatem celebratas. p.175
- CAPVT CI. Vtrum Episcopi habeant suam intentionem fundatam in quarta decimali aduersus Parochos. Et vtrum Parochi excepti soluant quartam Episcopo de prædiis postea acquisitis, & de noualibus. Et vtrum translatio super decimis comprehendat etiam prædia in futurum acquirenda. Et vtrum debeant Episcopi quartam accipere de manibus Parochi. Denique vtrum aduersus illam quartam opponi possit præscriptio: Et quæ hoc casu ad illam acquirantur. p.177
- CAPVT CII. An, & quomodo infirmi & senes, qui non possunt interesse diuinis officiis, vel anniuersariis illorum, aut missarum stipendia lucrentur. Vtrum distributiones contineantur sub nomine fructuum beneficii. Quid dicendum sit de absentibus causa studij Theologiæ, vel iuris Ciuilis, aut Canonici, vel etiam Grammaticæ. An & quando percipere possint distributiones quotidianas. Cuius ad hoc licentia requiratur. De absentibus pro seruitio Episcopi, vel eundo eius nomine ad limina Apostolorum; vel eum associando ad limina eundo aut redeundo. Et vtrum Capitulum possit, statuere, vt absentes lucrentur distributiones quotidianas. p.179
- CAPVT CIII. De potestate, & auctoritate Definitorum inter religiosos. Et vtrum Superiores



# Index Capitum Libri Primi.

- Superiores illorum opinionem petere, & sequi teneantur. Et vtrum ad antiquos Definitores, an verò ad novos spectet facere regulamenta, & definitiones generales, totius ordinis statum & viuendi normam cōcernentes, p.183
- CAPVT CIV.** De iure decimandi prætenso per Ecclesiasticos in aliena parochia. Quid debeat probari per prætendentē tale ius. Quomodò probetur possessio immemorialis; & ex quibus talis probatio elidatur. Dandum esse potiùs mandatum de manutenendo Parocho in paritate probationum. Et quis foueat meliora iura in petitorio. p.184
- CAPVT CV.** Vtrum Canonici Ecclesiæ Collegiatæ possint nouam formam anniuersariorum constituere in præiudicium antiquæ foundationis, reducendo formam solutionis ipsorum ad formam distributionum quotidianarum pro augendo cultu diuino. Quòd hoc fieri debeat cum auctoritate Episcopi, & seruando formam antiquam, ac proportionem solitam: ita vt qui plus lucratur, plus amittat; & portiones absentium acquirantur præsentibus, quando certa massa vel portio esset assignata anniuersariis, distincta à massa capitulari. p.185
- CAPVT CVI.** Vtrum permutatio loci Collegialis monachalis fieri possit cum Sacrista eiusdem ordinis: Et an hæc præstimoniam, seu portiones sint beneficia; an verò quid temporale. Beneficia quamuis manualia, & regularia permutari posse cum officiis monachalibus, vel beneficiis perpetuis, aut resignari etiam coram Papa in fauorem certæ personæ. Et ex quibus inducatur tacita professio. Quid circa tacitas professiones obseruetur in Gallia. p.187
- CAPVT CVII.** De contractibus factis per aliquot moniales, per modum hospitij in aliqua ciuitate degentes, ante actualem monasterij erectionem. Et quòd antea non dicatur contractus capitulariter gestus, & moniales ibidem remaneant, & contrahant vt particulares, non vt monasterium. pagin. 189
- CAPVT CVIII.** De declaratione factâ per moribundum pro exoneratione conscientiæ, quòd læsio ultra dimidium iusti pretij interuenerat in contractu per eum aliàs celebrato; Vtrum talis confessio præiudicet hæredi, vel filio legitimam petenti: Et de vi, ac efficacia similium declarationum, in articulo mortis pro exoneratione conscientiæ factarum; vtrum gaudeant priuilegio piæ causæ: Et de contractu sine solemnitate statuti facti per mulierē, aut minorem ad exonerationem conscientiæ: Et vtrum confessio illa sit reuocabilis. p.190
- CAPVT CIX.** Vtrum Episcopus ex ordine regulari ad Episcopatum assumptus possit insimul cum Episcopatu Præposituram in Ecclesia Cathedrali suæ diæceseos sæcularem obtinere. Episcopus qui simul habet ex consuetudine Episcopatū & præbendam canonicalem, quem ordinem in Ecclesia & Capitulo debeat obtinere. Quid de eo qui simul & Vicarius est, & Canonicus. Regula de infirmis resignantibus an locum habeat in prouisionibus per obitum coram Ordinario factis: Et quid circa hoc obseruetur in Gallia: Et vtrum illa regula locum habeat in beneficiis reseruatis, vel vacantibus in mense reseruato. Quid in permutationibus vel resignationibus factis in fauorem certæ personæ: quid in prouisis Apostolicis. p.192
- CAPVT CX.** De iure optandi: Vtrum de iure, vel tantum ex Ecclesiarum consuetudine competat. Vtrum consuetudo illa sit contra, vel præter ius. Intra cuius temporis spatium hæc consuetudo inducatur. Quomodò, & intra quod tempus optio fieri debeat. In quibus beneficiis optio locus sit: Et in quo vacationis modo quis possit iuri optandi derogare. Coadiuto optante, vtrum ius acquiratur coadiutori. Et quæ dicantur præbendæ, vel prædia canonicatui annexa, quæ distincta: & multa alia de iure optandi notabilia referuntur. pagin.194
- CAPVT CXI.** De eadem materia iuris optandi: & vtrum Canonici vltimæ foundationis, quamuis priùs recepti, & admissi in Ecclesia, cedere debeant Canonicis antiquæ foundationis posteriori loco receptis. De receptione Canonicorum adhibitâ clausulâ *cum plenitudine iuris Canonici*. De Canonicis supernumerariis; & quæ sit eorum differentia cum Canonicis ex noua foundatione aggregatis. Et quomodò amittatur facultas iuris optandi. p.196
- CAPVT CXII.** De legato facto religiosi sanctæ Vrfulæ, quæ tamen religiosæ non erant, sed sæculares; vtrum Episcopus, aut eius Vicarius possit legatum illud non vocatâ parte, & sine causa, ad monasterium religiosarum professorum transferre. p.198
- CAPVT CXIII.** De Oblatis Religionum, quomodò differant à Conuersis, & in quo conueniant. Vtrum isti Oblati gaudeant priuilegio fori, & an possint testari, contrahere, & de bonis suis disponere. Quis illis ab intestato morientibus succedere debeat. Et quid si Oblati votum fecerint paupertatis, castitatis & obedientiæ, vtrum ex hoc dicantur Religiosi. p.199
- CAPVT CXIV.** De sepulturis quæ aliàs extra Ecclesiam, postea in atrio, denique in

# Index Capitulorum Libri Primi.

- in ipsa Ecclesia conceduntur fidelium corporibus humi reponendis; non tamen sub-  
tùs altare. De electione sepulturæ libera  
etiam extra Ecclesiam parochialem. Re-  
ligiosi utrùm sibi sepulturam eligere pos-  
sint. Vtrùm pater pro filio. An intra Eccle-  
siam Monialium benedictam, nondùm ta-  
men consecratam. Electio sepulturæ quo-  
modò probetur. Vtrùm possit alteri com-  
mitti. Vxor, filiusfamilias, Canonicus, Be-  
neficiatus vbi sepeliendi. p.200
- CAPVT CXV.** De pœna hæredi impo-  
nenda qui testatoris defuncti animæ curam  
non habuit, illique ad mortem properanti  
Medicum spirituales, hoc est, Parochum  
non adhibuit. De obligatione Parochi vi-  
sitandi parochianos suos infirmos. An &  
quomodò priuetur successione defuncti,  
qui illum in ciuitate peste infecta dereli-  
quit; & ab illo loco aufugit. p.202
- CAPVT CXVI.** Matrimonio per verba  
de futuro contracto; quòd, & quale interes-  
se peti possit contra recusantem adimplere  
illud in facie Ecclesiæ. Quid si per verba  
de præsentibus, & matrimonium nondum sit  
consummatum, & vnus ex coniugibus alio  
inuito religionem profiteatur; utrùm sit lo-  
cus repetitioni expensarum, & petitioni lu-  
crorùm ex conuentionibus matrimonialibus  
debitorum: an verò mors naturalis sit expe-  
ctanda. Quid dicendum si ambo coniuges,  
consummato matrimonio, profiteantur re-  
ligionẽ. Quid si coniugium declaretur nul-  
lum ex capite impotentia, aut separentur  
coniuges tantùm quoad habitationem, &  
thorum. p.204
- CAPVT CXVII.** De contractu matrimo-  
nij inter raptorẽ, & raptam. Quid de eo qui  
alienam sponsam per verba de futuro, aut  
etiam de præsentibus alteri coniugatã rapuit,  
& ad aliam ciuitatem & Monarchiam de-  
duxit; utrùm, & quando ciuilitè, & crimi-  
naliter hoc casu agi possit: & an causa cri-  
minalis sit præiudicialis actioni super nulli-  
tate matrimonij ex causa metus, aut alia,  
posteriùs intentatæ. De pœnis raptus tam  
de iure ciuili, quàm ex Concilio Tridenti-  
no. Denique utrùm puella hoc casu sit se-  
questranda, lite pendente. p.206
- CAPVT CXVIII.** Quando collator or-  
dinarius conferre possit beneficia iurispa-  
tronatus laicalis habenti pro se medietatem  
vocum. Quid si vnus non habeat qualita-  
tem sacerdotij ex fundatione requisi-  
tam. Quando sufficiat in beneficio sacer-  
dotali prouisus esse sacerdotem habitu, an  
verò requiratur quòd sit actu celebrans; &  
ex quibus verbis hoc colligatur. De proba-  
tione iurispatronatus dum inter ipsos Pa-  
tronos contèditur. Patronus non potest va-  
riare, quamuis sit laicus, post institutionem:  
& dum admittitur variatio, illa debet fieri  
cumulatiuè. Vicarius Generalis sine specia-  
li mandato sicut etiam Vicarius Capituli  
sede vacante beneficia iurispatronatus con-  
ferre possunt. Quando attendendus sit  
vltimus status, & obseruantia in prouisioni-  
bus factis de beneficiis iurispatronatus: Et  
alia multa vtilia ad materiam iurispatrona-  
tus exponuntur. p.209
- CAPVT CXIX.** De alienatione, aut con-  
cessionem in emphyteusim bonorùm nondum  
incorporatorum: Et ex quibus probetur fa-  
ctam fuisse incorporationem. De validitate,  
aut nullitate pacti de renouando emphy-  
teusim Ecclesiæ. De validitate transactionis  
factæ nomine Ecclesiæ super hæreditate  
delata quidem, sed litigiosa, & nondum ple-  
nè acquisita. Quando Prælati possit bona  
in emphyteusim concedi solita, alteri con-  
cedere in præiudicium successoris, antequàm  
facta fuerit deuolutio: Et de vi ac effectu in-  
uestituræ abusiua. Quomodò probetur bo-  
na solita esse alienari, vel in emphyteusim  
concedi. Quæ sunt solita concedi non ta-  
men alienari possunt, nisi ad vtilitatem Ec-  
clesiæ. Denique utrùm lineâ finitã, Præla-  
tus propriã authoritate possit capere pos-  
sessionem bonorum emphyteuticorum, no-  
mine suæ Ecclesiæ. p.212
- CAPVT CXX.** De causis nullitatis ma-  
trimonij: Et quis in illis sit iudex competens.  
An vxor alterius fori citari possit coram Iu-  
dice Ecclesiastico domicilij mariti, ad de-  
clarationem dictæ nullitatis: Et ibi explica-  
tur quoad hoc, sensus *cap. ex parte. 14. de re-  
stitut. spoliator.* & doctrina Abbatis *ibidem*,  
expenditur. De nullitate & defectu proprii  
Parochi. Quis in hac materia dicatur,  
proprius Parochus. De metu in matri-  
monio: Et quomodò de metu constare  
debeat. Matrimonij metu contracti ra-  
tificationem requiri expressam, & simul-  
taneam, verbis vel signis explicatam co-  
ram Parocho, & Testibus: nec sufficere  
quòd metus dicatur per cohabitationem  
purgatus: maximè durante eadem causa  
metus. p.215



# INDEX CAPITVM SECUNDÆ PARTIS QVÆSTIONVM BENEFICIALIVM,

## CAPVT I.

*Quid sit beneficium Ecclesiasticum, & quid sub nomine beneficij contineatur.*

- §. 1. **I**N quo variaz beneficij definitiones proponuntur. pagin. 219
- §. 2. De simplici deputatione Sacerdotis. pag. 219
- §. 3. De Capellis & Capellaniis. p. 219
- §. 4. De pensionibus Ecclesiasticis. p. 220
- §. 5. De Vicariis temporalibus & perpetuis. p. 230
- §. 6. De Beneficiis manualibus seu amouibilibus. p. 232
- §. 7. De Hospitalibus & Leprosariis. pagin. 234
- §. 8. De Præstimoniiis & locis Collegialibus. p. 235
- §. 9. De Præbendis & Distributionibus quotidianis, & fructibus beneficiorum. p. 235
- §. 10. De Beneficiis nondum erectis. pagin. 238
- §. 11. De Titulo beneficij. p. 240
- §. 12. De concessione beneficij in Commendam. p. 243
- §. 13. De Coadiutoribus, & Coadiutoriis. pag. 245

## CAPVT II.

*De Ecclesia & Beneficij differentia, & de variis Ecclesiarum speciebus.*

- §. 1. **D**E Ecclesia Cathedrali & Metropolitana. p. 249
- §. 2. De Ecclesia Collegiata, & non Collegiata; & de Collegiata insigni, & non insigni. p. 250
- §. 3. De Ecclesia Parochiali, & non Parochiali. p. 251
- §. 4. De Ecclesia Patrimoniali. p. 253
- §. 5. De Ecclesia receptiua seu non numerata. p. 25
- §. 6. De Ecclesia Monoculari. p. 253

- §. 7. De Ecclesiis seu beneficiis consistorialibus. p. 254

## CAPVT III.

*De Personis Ecclesiasticis beneficia conferentibus, vel possidentibus.*

- §. 1. **D**E Summo Pontifice, & de beneficiis affectis per manus appositionem. p. 254
- §. 2. De beneficiis summi Pontificis, seu Sedis Apostolicæ collationi reseruatis in genere. p. 256
- §. 3. De præcipuis reseruatum speciebus. pag. 259
- §. 4. De summo Pontifice conferente iure deuoluto, & de Deuolutionibus. pag. 261
- §. 5. De Eminentissimis S. R. E. Cardinalibus, & illorum Indultis. p. 263
- §. 6. De Legatis, & illorum potestate quoad collationem beneficiorum. p. 267
- §. 7. De Episcopis. p. 271
- §. 8. De mensibus Episcopalibus, & de Alternatiua. p. 272
- §. 9. De Abbatibus, Abbatissis, & Canonissis. p. 276
- §. 10. De Prioratibus simplicibus, Conuentualibus, Semiconuentualibus, & Claustralibus. p. 279
- §. 11. De dignitatibus Ecclesiarum sæcularium Collegiatarum. p. 282
- §. 12. De Canonicis & Hebdomadariis. Sed aduerte quòd hîc tradita num. 13. possent forsan procedere de stilo. De iure autem verius est non requiri expressionem qualitatis sacerdotalis regulariter vt diximus part. 1. capit. 31. num. vlt. maximè in Capellaniis & simplicibus beneficiis. Et Felin. ipse in coroll. 31. se remittit ad dicta per eum in c. ad aures. de rescript. vbi tenet contrariu. Quanquam nec de stilo qualitatē Sacerdotij omisâ reddere prouisiones nullas, existimet Gars. de benefic. part. 7. c. 1. n. 54. qui videndus erit à num. 45. p. 282
- §. 13. De

# Index Capitulorum Secundæ Partis.

- |   |   |
|---|---|
| <p>§. 13. De Rege, &amp; de iure Regaliæ. p. 284</p> <p>§. 14. De Rotæ Romanæ Auditoribus, quoad beneficiorum collationem. pagin. 286</p> <p>§. 15. De Curia Parlamenti Parisiensis. pagin. 287</p> | <p>§. 8. De Permutatione. p. 299</p> <p>§. 9. De iure præsentandi, &amp; iure patronatus. p. 301</p> <p>§. 10. De collatione beneficiorum per concursum. p. 304</p> |
|---|---|

## CAPVT IV.

*De acquisitione beneficiorum, & de variis modis illa acquirendi.*

- §. 1. **D**E Bulla, Breui, & literis Apostolicis. p. 289
- §. 2. De executoribus literarum Apostolicarum in forma gratiosa, & in forma dignum. p. 290
- §. 3. De gratia *si neutri, si nulli, si alteri*. pagin. 291
- §. 4. De rescripto *perinde valere*. p. 293
- §. 5. De subrogandis colligantibus. p. 294
- §. 6. De Electione, Confirmatione, Nominatione, & Translatione. p. 294
- §. 7. De Resignatione. p. 296

## CAPVT V.

*De amissione beneficiorum, & de variis modis quibus beneficia amittuntur.*

- §. 1. **D**E Simonia, Confidentia, Assassinio, Concubinato, Homicidio, & aliis delictis. p. 305
- §. 2. De Irregularitate. p. 307
- §. 3. De Excommunicatis, & infordescensibus in excommunicatione. p. 308
- §. 4. De defectu clericatus, Bigamia, & vacatione propter matrimonium. p. 309
- §. 5. De defectu ætatis, literaturæ, natalium, delationis habitus & tonsuræ; & de professione Religionis. p. 311
- §. 6. De vacatione propter beneficij incompatibilis affectu. p. 312

QVÆST



QUESTIONVM  
 BENEFICIALIVM,  
 CANONICARVM  
 ET REGVLARIVM  
 LIBER PRIMVS.



CAPVT I.

De autoritate Capituli & Canonorum  
 in Beneficiatos, curam animarum nomine  
 Capituli ex statuto, vel fundacione exer-  
 centes.

SVMMARIVM.

- 1 Cura in Ecclesia Collegiata apud quem resideat.
- 2 Curatus dici non potest qui alieno nomine curam exercet
- 3 Capitulum dicitur Curatus principalis, quando cura spectat ad ipsum: deputati verò vel beneficiati pro Capitulo exercentes dicuntur Coadiutores.
- 4 Capitulum quod habet curam animarum potest unum vel plures Parochos subdelegare.
- 5 Deputati ad vitam pro exercitio cura habent quasi titulum, & non possunt sine causa amoveri.
- 6 Episcopus curam penes Capitulum existentem potest transferre ad unam ex Dignitatibus ipsius Capituli; etiam per viam perpetue unionis accedente consensu Capituli.
- 7 Renunciatio non nocet successoribus in beneficio.
- 8 Curatus quomodo teneatur ad residentiam tempore pestis.
- 9 Capitulum habet intentionem fundatam in administratione rerum Ecclesie sue.
- 10 Consensus Episcopi necessarius est in immutando statu Ecclesie.
- 11 Beneficiati vel Portionarij non sunt de Capitulo.
- 12 Beneficia conferrri non possunt non habentibus ordinem annexum.
- 13 Fundatores pœnam priuationis ipso iure in limine fundacionis imponere possunt.
- 14 Quando pœna priuationis ipso iure imponitur per statutum, vtrum requiratur declaratoria facti. Remissive.

15 Ante declaratoriam priuationis quoad factum, possessor non debet amoveri.



APITVLVM cuiusdam Ecclesie Cathedralis sequentes difficultates pro veritate decidendas proposuit.

Prima, Vtrum Canonici qui sunt fundatores beneficiatorum, possint per se ipsos exercere curam dictae Ecclesie incumbentem, cum in ipso fundacionis limine beneficiatos ad hoc adstrinxerint.

Secunda, Vtrum beneficiati exercentes qui tempore pestis grassantis recesserunt, & curam Canonicis reliquerunt, iuri suo renunciantes; possint cessante peste cogere Capitulum vt eos præsenter Episcopo ad exercitium curae durante vita.

Tertia, Vtrum ipso pestis tempore beneficiati qui curam habent teneantur residere, maximè requirente Capitulo ne animæ sine pastore maneant.

Quarta, Vtrum Capitulum inuitis beneficiatis possit pro augmento cultus diuini assumere alios Sacerdotes ad Curam exercendam.

Quinta, Vtrum Capitulum possit dimittere eos qui non sunt promoti intra annum ad sacerdotium, cum ad id teneantur & hoc caueatur in ipsa fundacione.

Sexta, Vtrum Capitulum possit nominare alium loco illius, qui per duos menses absens fuerit sine licentia Capituli, prout in fundacione cauetur.

Ad primam quæstionem responsum fuit curam in casu proposito ad solum Capitulum spectare, exercitium verò Curæ ad deputatos seu deputandos per Capitulum. Quia in Ecclesia Collegiata cura non dicitur residere penes Præpositum, Decanum aut alium Superiorem Capituli seu ipsius Dignitatem principalem, neque penes Canonicos vt Canonicos, sed vt Collegium. Maximè cum duo deputentur beneficiati ad exercendam dictam Curam, quo casu solum exercitium Curæ pertinet ad deputatos, Cura verò residet penes Capitulum. Sicut enim non potest vna sponsa habere duos viros, ita non potest vna Ecclesia habere duos Curatos, sed debet esse vnus capitis, non plurium.

rium. *cap. quoniam, de offic. ordin. cap. cum non ignores. de prabend. Barbof. in tract. de offic. & potest. Epif. part. 3. alleg. 60. n. 30. & alleg. 57. num. 159. vers. qua. to requiritur. post Mascard. de probat. conclus. 469. incip. Curam animarum. num. 5. Rot. in recentior. decis. 340. part. 2. & decis. 226. num. 7. & 8. part. 1. quæ est repetita part. 3. decis. 258. in recentior. Cassador. decis. 11. de Prabend. num. 3. Ludouif. decis. 370. num. 11.*

2. Et cum dicti Beneficiati non exercent, nec unquam exercuerint nomine proprio, sed tantum nomine Capituli: nullo modo prætereendere possunt nomen & titulum veri Curati, quod nunquam illis conuenit, qui alieno nomine curam exercent. *cap. extripanda. §. qui verò. de prabend. Gonzal. ad regul. 8. gloss. 6. n. 40. Barbof. d. alleg. 57. num. 159. vers. Tertio requiritur. Rot. d. decis. 226. num. 1. part. 1. recentior. Gratian. discept. 865. num. 23.*
3. Quod clarè comprobatur ex verbis statutorum dicti Capituli, ibi, *ad exercendum officium Cura.* Ideò beneficiati sunt tantum coadiutores Capituli, quod principalis Parochi nomen obtinet, Gratian. *d. c. 865. n. 26.*
4. Secundò fuit dictum de iure communi dependere ex arbitrio & voluntate Capituli, committere exercitium curæ animarum alicui deputato, vel pluribus in solidum, si voluerit ita delegare; remanente tamen cura penes Capitulum, quod est verus rector. Gratian. *loc. citato num. 36.*
5. Sed tamen quia statutum se refert ad consuetudinem & ad statuta antiqua, in illis verbis, *Provt hætenus obseruatum extitit, & secundum quod in antiquis statutis cauetur:* ideo videndum erit quid de consuetudine fuerit obseruatum. Si enim Capellani ad Curæ exercitium per Capitulum perpetuò, id est ad vitam, hucusque deputari consueuerunt, non potest Capitulum sine causa legitima sic deputatos, & ab Episcopo approbatos remouere: secus si ad tempus, vel ad beneplacitum Capituli deputentur. Nam quoad deputatos ad vitam, licet titulus Ecclesiæ vel Curæ ad ipsos non pertineat: tamen dicuntur habere quasi titulum; & ideo sine causa amoueri non possunt: vt post Anton. de Butrio. *conf. 3. tradit Card. Tusc. litt. C. conclus. 1098. num. 4.*
6. Potest tamen cum consensu, & autoritate Episcopi cura transferri ad Canonicos, ipsi capitulo beneuifos; cum etiam ipse Episcopus (de consensu tamen Capituli) talem curam penes Capitulum existentem, possit etiam per viam perpetuæ vnionis transferre ad vnum ex Dignitatibus Capituli: vt censuit sacra Congregatio relata per Garf. *de benefic. part. 9. cap. 2. num. 290. Gratian. d. cap. 865. n. 3.*

Maximè verò, quia in antiquo dictæ Ecclesiæ statuto, quod per nouum non fuit immutatum; cauetur nominatim, quòd administratores cum consilio Præpositi & Canonicorum, assumere debeant numerum sufficientem idoneorum seruitorum, & inter cæteros, duos Capellanos Curatos, Episcopo vel eius Officiali præsentandos, qui debeant iurare de fideliter exercendo eorum officia. Et si contingat illos esse inobedientes, aut negligentes, aut aliàs reprobos in eorum ministeriis; quòd per maiorem partem Capituli remoueantur, & licententur; & alij magis idonei & vtilis subrogentur. Ex quibus verbis constat dictos Curatos posse ex illorum institutione ad libitum Capituli mutari, & alios in eorum locum in dicta Cura subrogari. Vnde concludendum est, quòd cum beneficiati non habeant illum quasi titulum administrationis curæ; Capitulum potest sibi assumere illud onus, & deputare Canonicos, aut alios sibi beneuifos de Capitulo, ad exercitium Curæ; præsertim accedente Episcopi consensu.

Ad secundam quætionem responsio patet ex iis quæ superiùs dicta sunt: nempe Capitulum non posse cogi ad nominandum vnum ex beneficiatis, in deputatum perpetuum ad curam exercendam; nisi talis esset consuetudo, quo casu, videlicet tali existente consuetudine, in dicta Ecclesia deputandi perpetuum aliquem administratorem curæ animarum; † renunciatio facta per beneficiatos, ipsis quidem qui renunciarunt noceret, durante eorum vita; sed non illorum successoribus in beneficio: per text. *in cap. veniens, de transact. Rot. in recentior. decis. 730. num. 3. part. 3.*

Ad tertiam. Parochus qui curam animarum exercet, tenetur tempore pestis inferuire: poterit tamen recedere, dimisso aliquo substituto idoneo, ita quòd Grex nullum omnino detrimentum spirituale patiatur: Bonacin. *in tract. de oblig. & oner. benefic. ad resid. disp. 5. pun. 5. num. 3. & 4.*

Ad quartam respondetur Capitulum adiungere posse extraneos Sacerdotes, ad inferuendum Ecclesiæ, pro augmento cultus diuini; quantumuis reclamantibus beneficiatis: cum certum sit Capitulum de iure communi habere intentionem fundatam, in administratione negotiorum, & rerum suæ Ecclesiæ; & de illis ad libitum posse statuere: *cap. cum omnes, de constit. cum ibi notatis. † Quod intelligendum est, dummodo non fiat aliqua immutatio status Ecclesiæ: quia tunc necessarius esset Episcopi consensus, Rot. decis. 211. num. 1. part. 2. recentior. cum notatis per Doctores in d. cap. cum omnes.*

Potest autem Capitulum, quod ex Canonicis componitur, statutum seu conclusionem huiusmodi circa augmentum cultus diuini facere; absque interuentu beneficiatorum, seu portionariorum: quia illi non sunt de Capitulo, vt sæpe fuit decisum in Rota: veluti *decis. 183. num. 1. part. 1. recentior. & decis. 423. part. 4. recentior.*


Ad quintam. Cum in limine foundationis expressè cautum sit, Beneficiatos teneri certos ordines sacros suscipere intra tempus præfinitum, sub pœna priuationis suæ beneficiaturæ; aliàs, illis non promotis, Capitulum prouidebit de aliis: constat dicta beneficia esse Sacerdotalia, vel respectiue, Diaconalia; & aliàs habere sacrum ordinem annexum: & ideo non posse fieri de talibus beneficiis prouisionem personis non habentibus, vel non obseruantibus qualitates in fundatione appositæ: cum fundatori licitum sit legem dare in fundationis limine: *cap. præterea 2. de iur. patron. cap. quanto. de censib. Gonzal. ad regul. 8. gloss. 5. num. 102. & 103. Verall. decis. 290. part. 2. Monet. de commut. ult. volunt. cap. 10. num. 153. & 154.*

Excusati tamen possunt, qui intra annum vel aliud tempus requisitum promoti non fuerunt; quamuis priuationis ipso iure pœna fuerit imposita; si iustum aliquod habuerint impedimentum: per text. *in cap. cum ex eo. in prin. & 5. final. de elect. in 6. & cap. commissa, §. 2. eod. tit. lib. 6. Moneta ubi supra num. 115.* Idcirco Capitulum potest quidem eo casu de alio prouidere: sed si beneficiatus iustum aliquod probauerit impedimentum, non erit suo beneficio priuandus, ex supradictis.

Ad sextam respondetur prout in præcedentibus; nempe potuisse fundatores in ipso fundationis limine, priuationis ipso iure pœnam apponere: Verall. *d. decis. 290. part. 2. Gonzal. loc. proximè citat. saluâ tamen legitimi impedimenti allegatione, vt mox dictum est.*

Vtrum autem, quando pœna priuationis incurritur ipso iure, requiratur declaratoria facti pro substantia, & necessitate executionis: affirmatiuam tenet Loter. *de re benefic. lib. 3. quæst. 28. vbi num. 25. dicit interim ante talem declaratoriam, possessorem esse manute*

manutenendum. Videri tamen poterunt per eum fusè deducta, ead. quæst. 28. num. 30. & multis seqq. ad quæ pro nunc me remitto.



CAPVT II.

De Virginibus congregationis sanctæ Vrsulæ. Vtrum sint capaces successionis in Gallia.

SUMMARIVM.

1. *Quæstio, An persona sit verè religiosa, dependet ex modo viuendi, & constitutionibus congregationis.*
2. *Virgines sanctæ Vrsulæ, in quo differant à Virgibus tertij ordinis.*
3. *Virgines tertij ordinis an succedant in Gallia.*
4. *Votum clausuræ reddit Virgines incapaces successionis apud Gallos.*
5. *Dispositio authenticæ, defuncto, Cod. ad senatuf. conf. Tertull. seruatur in Gallia & in curia Tholosana.*
6. *Renunciatio ab ingrediente Monasterium facta, sub prætextu læsionis cuiuslibet non rescinditur.*

1. **O**MNIS quæ de hac quæstione copiosè tractat Menoch. *conf.* 948. dixi secundum Gallicas constitutiones & consuetudines, quæ Religiosos professos à successione repellunt: totâ huius quæstionis resolutionem ex regulis, & modo viuendi piarum istarum congregationum dependere. Vnde aliàs in Gallia cum de hoc tractaretur circa successionem puellarum tertij ordinis; Senatus decreuit quòd partes deducerent & probarent modum viuendi, adiudicatâ interim Puellæ prouisione alimentorum: vt apud Tournet *in sua recollect. arrest. benefic. litt. R. cap. 136.*

2. Loquendo tamen in genere, quamuis sit magna differentia inter Sorores sanctæ Vrsulæ, & Sorores tertij ordinis; quia istæ non viuunt in communi, sed in suis viuentes hospitiiis pœnitentiam agunt, & virtutum Domino in humilitate famulantur: vt dicitur in *Clement. 1. de relig. domib.* Sorores verò sanctæ Vrsulæ in communi viuunt, maioremque disciplinam regularem obseruant. Ex vna tamen congregatione ad aliam inferri potest, quis quoad ipsas sit sensus supremorum Galliæ tribunalium, circa illarum successionem; cum vtriusque generis puellæ nullum solemne votum religionis emittant.


3. Veniendo igitur ad puncti propositi resolutionem, Senatus Gallici hoc obseruant; quòd tertij ordinis Religiosæ in cœlibatu remanentes, solùm succedunt in usufructu: si verò matrimonio copulentur, quod facere possunt, tunc etiam in proprietate succedunt. *Pap. lib. 21. tit. 1. des successions, arrest. 1.* Quamuis Imbert. *in suo Enchyrid. in verb. moyne profez*, illas successionis incapaces esse, generaliter existimauerit: dicens ita fuisse iudicatum. Quem sequitur Scholiastes ad *Louet litt. C. num. 8.* Petrus Gregor. *in syntagm. lib. 45. cap. 2. numer. 8.* Barry *de succession. lib. 16. tit. 1. numer. 6.* † Quod verum est, si votum clausuræ emiserint; nam illo non emisso, non sunt omnino incapaces, vt supra dictum est, adden. ad *Pap. d. arrest 1. post Chopin. lib. 3. de priuileg. rustic. part. 3. cap. 8. artic. 4. & de sacrâ polit. lib. 2. tit. ult. num. 9.*

4. *lib. 16. tit. 1. numer. 6.* † Quod verum est, si votum clausuræ emiserint; nam illo non emisso, non sunt omnino incapaces, vt supra dictum est, adden. ad *Pap. d. arrest 1. post Chopin. lib. 3. de priuileg. rustic. part. 3. cap. 8. artic. 4. & de sacrâ polit. lib. 2. tit. ult. num. 9.*

Et ex his colligi potest, quòd Religiosæ sanctæ Vrsulæ in Gallia à successione repelluntur, si clausuræ perpetuæ votum emiserint: sin minus: ad successionem proprietatis admittentur, dum dimisso cœlibatu matrimonium contraxerint.

Quæ successio deferetur secundum ordinem & 5. modum *authen. defuncto Cod. ad S. C. Tertull.* quæ in Gallia & nominatim in Curia Tholosana obseruatur; teste *Maynard. lib. 6. cap. 93. in princ. & iuxta nouell. 118. §. si verò cum ascendentibus.*

Et hæc tantò magis procedunt, supposita renun- 6. ciatione bonorum omnium paternorum, & maternorum; aduersùs quam, dum Monasterij ingressus causâ facta fuit, non datur restitutio ex capite læsionis enormissimæ: vt sæpius fuit iudicatum, & inter cæteros docet *Cancer. lib. 2. var. resol. cap. 8. num. 80. in nou. & lib. 3. cap. 15. de renunciat. num. 213.*



CAPVT III.

De ætate ad obtinendos Prioratus Conuentuales, vel non Conuentuales in Gallia requisita.


SUMMARIVM.

1. *Omnia Beneficia simplicia hodie ex Concil. Trident. requirunt ætatem 14. annorum.*
2. *Sufficit tamen annus 14. inceptrus.*
3. *In Gallia sufficit septennium in simplicibus beneficiis, secundum Ius antiquam.*
4. *Beneficia quæ sonant in nomen Rectoria per se stantis, non possunt possideri in Gallia à minore 14. annorum.*
5. *In Prioratibus Conuentualibus, minor. 25. annis non admittitur.*
6. *Prioratus non Conuentuales Curati. 25. annos requirunt.*
7. *Prioratus non Conuentuales, in quibus cura per Vicarium perpetuum exercetur, exigunt annum vigesimum.*
8. *Prioratus non Conuentuales, in quibus cura nec perse nec per alium exercetur, exigunt annum 14.*
9. *Hodie tamen ex Concil. Trident. & ex Regis constitutione requiritur annus 16.*
10. *Ætas, & alia qualitates requisita, dum beneficium Regulare datur in titulum, debent interuenire in commenda. Intellige vt num. 12.*
11. *Si Minori Commendetur beneficium, debet promoueri ad Ordinem requisitum intra Annum, non à die adeptæ possessionis, sed legitime ætatis.*
12. *In Commenda temporali, debent omnino interuenire qualitates requisita, dum illud beneficium daretur in titulum.*

**D**VM quæritur quæ Ætas requiratur in Gallia, ad 1. obtinendos Prioratus non Conuentuales; hoc est, quibus nulli subsunt qui collegialiter viuant. Prima sit Conclusio, quòd omnia beneficia simplicia requirunt hodie ætatem 14. annorum, ex Concilio Tridentino *sess. 24. de reformat. c. 6.* † suffi- 2. cit tamen annus. 14. attingisse, vt Sacra Congregatio declarauit. *Barbos. de Episc. part. 3. allegat. 60. num. 76.*

Secunda. In Gallia Conciliaris dispositio hoc in 3. capite non obseruatur; sed sufficit septennium ad

- obtinenda simplicia beneficia. Selua *de benefic. part. 3. quest. 5. num. 27.* Garf. *de benef. part. 7. cap. 4. num. 4.*
4. Tertia. Si verò sonent in nomen Rectoriæ per se stantis, etiam si sint beneficia simplicia, ætatem 14. annorum requirunt: quia in illis requiritur iudicium, cuius impuberes non sunt capaces. *cap. indecorum. de atate & qualis. ordin. & cap. super inordinata. de prabend.*
  5. Quarta. Si sint prioratus Conuentuales, ætas exigitur 25. annorum. *Clem. ne in agro. §. ceterum. de stat. Monach.*
  6. Quinta. Si prioratus non Conuentuales, quibus cura animarum imminet per seipsum exerceri, solita ætas pariter requiritur 25. annorum. *d. §. ceterum & d. cap. super inordinata. & ibi DD.*
  7. Sexta. Si Prioratus sint non Conuentuales, in quibus Cura per Vicarium perpetuum exerceri solet, requiritur ætas 20. annorum. *d. Clem. ne in agro. §. ceterum. de stat. Monach.*
  8. Septima. Si sit Prioratus non Conuentualis, in quibus Cura nec per se, nec per alium exercetur; requiritur saltem ætas 14. annorum. *Guill. Bened. in cap. Raynutius in verb. adsecta impuberi. n. 60. Abb. d. cap. super inordinata. num. 9. de prabend. Selua. d. part. 3. quest. 5. num. 20. & 21. †* Sed hodie cum certum sit hos Prioratus regulares, non professis non esse conferendos; requiritur ætas 16. annorum, quæ necessaria est ex Concil. Trident. ad professionem: cui etiam annuit Blænsis constitutio *art. 28.* vt notat addit. marginalis ad *Selua. d. quest. 5. num. 23.*
  10. Octaua Conclusio. Si Prioratus regularis detur in commendam, eadem requiritur ætas quæ requiretur, si daretur in titulum; ex sententia *Gonsal. ad regul. 8. Cancell. gloss. 5. §. 8. num. 9. per text. in cap. nemo deinceps. de elect. lib. 6. allegat. Verall decis. 127. num. 3. part. 1.*
  11. Sed veritas est in contrarium, nempe quòd si Papa minori 25. annis commendet beneficium Regulare, valet concessio; sed cum ætatem legitimam attigerit, debet ad ordinem requisitum promoueri: & sic dum requiritur sacerdotium, debet promoueri intra annum, non à die collationis computandum, sed à die quo legitimam ad sacerdotium ætatem habuerit: vt decisum fuit per Arresta apud Louet *in addit. lit. B. num. 4.* Et hoc fundatur in dispositione *d. §. ceterum. ibi: intra vigesimum quintum sua ætatis annum, si ante annum ipsum non Conuentuales Prioratus, eis fuerint commissi; aut collati: se faciant ad sacerdotium promoueri.* Vbi notandum est verbum commissi, quod commendam importat. *Rebuff. de pacif. poss. num. mihi 54.*
  12. Nec obstat *text. in d. cap. nemo deinceps.* quia ibi agitur de Commenda temporali facta ad sex Menses, nos de Commenda perpetua. Et ita etiam *Verall. dict. decis. 127. num. 3. part. 1.*



## CAPVT IV.

An filij Hæreticorum sint capaces beneficiorum.

## S V M M A R I V M.


1. Filij hæreticorum ex dispositione Iuris communis, inhabiles sunt ad obtinenda beneficia.
2. Filij hæreticorum de Iure communi, priuantur etiam beneficijs iam obtentis, secundum multorum sententiam.

3. De Iure Gallico. filij hæreticorum non sunt inhabiles ad obtinenda beneficia; nec amittunt obtenta.

SI quæstio proposita secundum Iuris communis terminos esset decidenda, concludendum esset filios hæreticorum, ab obtinenda beneficia omninò inhabiles esse: *cap. Quicumque 2. §. hæretici. Et cap. statutum le. 2. de hæretic. lib. 6.* *Rebuff. in prax. tit. de mod. amitt. benef. num. 25.* *Gars de benefic. par. 1. cap. 10. num. 75. & seqq.* Quod locum habet, siue liberi sint legitimi, siue illegitimi; ne plus luxuria consequatur, quàm castitas. Et siue liberi sint nati ante commissum delictum, siue post. *Lotter. de re benefic. lib. 3. quest. 28. num. 70. & seqq.*

Sed si agatur de beneficijs iam obtentis, quæstio est valde controuersa; vt videre est apud *Gars loc. cit. num. 75. & multis seqq.* Sed tamen post longam disputationem tam coram Penia, quàm coram Peregrino tunc Rotæ Romanæ Auditoribus habitam; fuit tandem conclusum hæreticorum filios etiam obtentis beneficijs priuari: vt videre est in decisionibus quas inferit *Theodos. Rub. in suis singular. ad decis. Rot. Roman. ad decis. 202. & 203. coram Penia fol. 476. & multis seqq.* Quarum decisionum postrema inferitur quoque apud *Gars. loc. cit. d. par. 11. cap. 10. num. 79. & post. 2. volum. consil. Farinac. decis. 123. sequitur & comprobatur Lotter. de re benefic. d. quest. 28. num. 82. & seqq.*

Si verò negotium iuxta Gallicas leges decidendum sit. non solum hæreticorum filij Catholicè viuentes; sed ipsi quoque hæretici, si dimisso errore ad fidem Catholicam conuersi fuerint, beneficiorum capaces existimandi sunt. Imò solent in Gallia hæretici ad fidem redeuntes, ad sua quoque beneficia ob errorem & hæresim amissa redire. Quòdque plus est, si quis beneficium Ecclesiasticum obtinens, hæreticorum sectam amplecti voluerit, conceditur illi tempus ad beneficium dimittendum. *Papon & ibi adden. lib. 3. tit. 6. arrest. 3. refert Torneus lib. 3. arrest. benefic. litt. H. arr. 15. & litt. V. arr. 3.* Et hoc vigore articulorum secretorum pacis occasione per Reges concessorum, Deus exorandus est vt huic malo pro sua benignitate occurrere dignetur.



## CAPVT V.

De prohibitione facta per fundatorem in ipso foundationis limine, nè alius superior præter Episcopum beneficium Ecclesiasticum conferre possit.

## S V M M A R I V M.

1. Ordinarius non potest cognoscere de validitate prouisionum, quando disputatur de potestate Legati, vel alterius Superioris.
2. Vacatio per obitum non datur, quando beneficium vacat per resignationem.
3. In beneficijs sedi Apostolica reseruatis, prouisus ab Ordinario non est legitimus contradictor, aduersus prouisum Apostolicum.
4. Fundator beneficii perpetui, non potest apponere legem in fundatione contra potestatem conferendi quam summus Pontifex, aut Legatus habet. Secus in beneficio non perpetuo, quod non est propriè beneficium.
5. Fundator non potest apponere condiciones sibi benificas



*neufas in limine foundationis, nisi approbentur ab Episcopo.*

9. *Episcopus non potest prestare auctoritatem in fundatione, dum agitur de interesse ipsius Episcopi.*


1. **D**VM tractaretur de quodam prouiso Apostolico per literas Illustrissimi & Reuerendissimi Domini Vicelegati Auenionensis, iudicatum fuit controuersiam illam coram Episcopo tractari non posse: quauis regulariter causæ omnes in prima instantia coram Episcopo, dum de beneficiis agitur, ventilari debeant: ex sacri concilii Tridentini dispositione *sess. 24. cap. 20. causa omnes.* Quia conueniens non est, ut inferior de potestate sui Superioris cognoscat: ut ostendit Gabriel. *conf. 182. num. 17. vol. 2.* Quod verum est si agatur de potestate Superioris, nam si disputaretur de nullitate prouisionis, posset de ea re inferior iudicare, ut dixi in *tract. de praevent. iudic. cap. 5. num. 15.*

2. Et dum deueniretur ad decisionem negotii principalis. firmatum fuit collationem Episcopi, seu eius Vicarii generalis, nullam esse & inualidam; cum facta fuerit de beneficio uti vacante per obitum ultimi illius possessoris, cum tamen vacaret per resignationem per ipsum factam: & uti sic vacans fuisset per sedem Apostolicam collatum. Quod autem per resignationem vacat, non potest per obitum conferri, *Castad. decis. 1. & 2. de renunciat. Gabriel. conf. 193. num. 11. vol. 2.*

3. Ex alio etiam capite dicta prouisio subsistere non poterat: quia facta fuerat de beneficio, tanquam vacante per obitum de mense Ianuario, seu etiam Februario; & sic in mense reseruato: cum iste Episcopus non gauderet alternatiua, seu ob non factam illius acceptationem, seu ob defectum residentia: & propterea prouisus Apostolicus debuit manuteneri; vel etiam immitti aduersus prouisum ab Ordinario; etiam si ab hoc prouisus, esset in possessione beneficii, attento quod prouisio facta fuit in mense reseruato; & sic prouisus ab Ordinario non habebat parem titulum: unde quamuis possideret non erat legitimus contradictor, D. Argel. in *tract. de legit. contrad. quæst. 15. art. 5. num. 128.* Ne alioquin auctoritas Pontificia eludatur per Ordinarios, qui ut plurimum habent notitiam vacationis, antequam summus Pontifex aut Legatus eam habuerit: ut per Eund. *loc. cit. num. 97. & 98.*

4. Nec obstat quod fundator in limine foundationis hanc legem dixerit, ut nemo præter Episcopum beneficium huiusmodi conferre posset, aliàs ex nunc, prout ex tunc, dictus fundator eandem fundationem reuocabat; & aliis pijs operibus applicari mandabat. Quia talis conditio, seu tale onus huic beneficio seu perpetuæ capellaniam imponi non poterat; quod nullus collator præter Episcopum illam conferre posset. *Rebuff. in tractat. de pacif. possessor. numer. 349. Paris. conf. 34. numer. 12. vol. 4.* Et cum talis conditio sit contra naturam perpetui beneficii, & contra ius; non debet admitti, sed pro non scripta habenda est, *Rot. in antiq. sub tit. de testam. decis. 10. per tot.* Et post Felin. Lambertin. Couarru. & Gutier. ostendit Gonsal. *ad regul. 8. glos. 5. num. 42.* Et in specie, quod non obstante contraria testatoris dispositione, beneficium vacans in mense reseruato, conferri debeat auctoritate sedis Apostolicæ, & Ordinarius non possit se intromittere, cum regula comprehendat tam ordinarios, quam extraordinarios collatores, tradit Gars. *de benefic. par. 5. cap. 1. num. 620.*

Accedit, quod licet fundator regulariter in fundationis limine, condiciones sibi bene visas apponere possit, etiam iuri communi contrarias: hoc tamen non habet locum, quando tales condiciones ab Ordinario approbatæ non fuerunt. *Rot. decis. 561. numer. 2. part. 2. recentior.* † Et quando tractatur de utilitate, vel interesse ipsius Episcopi, non potest Episcopus examinare & approbare condiciones, & qualitates appositas in fundatione; cum non possit simul fungi officio iudicis & partis; unde solus consensus & auctoritas Episcopi, non potest præiudicare iuribus sedis Apostolicæ, & potestati quam habet in collatione beneficiorum: quia inferior non tollit legem & iura Superioris, *Clement. ne Romani. de elect.* Et ita fuit determinatum per *Rot. Roman. decis. 331. num. 5. & per tot. par. 4. recentior.* Et in hac ciuitate Auenionensi fuit secundum prædicta iudicatum, in fauorem egregii Domini Ioannis Scot iurium Doctoris, prouisi de quadam capellania ad resignationem Reuerend. D. Pauli Carpentras, contra Reuerend. D. Ioannem Brusset assertum fundatorem dictæ capellaniam, sub inuocatione sanctæ Annæ, prouisum ab Episcopo in mense reseruato.



CAPVT VI.

De Pensione anteriori, in nouæ pensionis concessione exprimenda.

SVMMARIVM.

1. *Reseruatia pensionis nulla est, si non fuerit facta mentio alterius pensionis, super eodem beneficio imposta.*
2. *Temporis diuturnitas validam reddit concessionem pensionis, in qua mentio pensionis anterioris facta non fuit.*
3. *Pensio affecta vitio simonia, vel alio reali, nulla temporis diuturnitate confirmatur.*
4. *Quo remedio succurrendum sit in Gallia ei, qui nulliter pensionem obrinuit, non facta mentione pensionis anterioris super eodem beneficio iam imposta.*


**C**ONCESSIO pensionis, non facta mentione pensionis anterioris super eodem beneficio iam impositæ, nulla est & inualida; quia omnia debent exprimi, quæ concedentem difficiliorem reddidissent. *Gars. de benefic. par. 1. cap. 5. num. 561. Gigal. de Pensionib. qu. 29. Rot. decis. 119. num. 2. par. 4. recentior. Boer. decis. 192. per tot. Forget. au titre des pensions, num. 25.*

Sed tamen huiusmodi pensiones, lapsu diuturni temporis confirmari possunt; si possessor per longi temporis spatium in solutione vtriusque pensionis perseverauerit: hoc enim casu locus est regulæ de pacificis possessoribus in Gallia. *Bleyn. de benefic. tit. de pensionib. num. 23. in gloss. H. †* Quod tamen ita accipiendum est, dummodo nullo vitio reali, veluti simonia, aut simili affecta sit; nam tunc diuturnitate temporis confirmari seu valida reddi non potest. *Charond. lib. 1. respons. 47. Torner. in arrest. benefic. litt. P. num. 8.*

Quod si de pensionis validitate in Gallia dubitetur, ad Christianissimum Galliarum Regem recurrendum est, pro obtinenda illius confirmatione, qua-

# 6 Petri Francisci de Tonduti Sanlegerij,

tenus opus est, non obstante tali defectu exprimendo. Atque ita fuit practicum. Quod intelligendum est salua semper autoritate Sedis Apostolicæ, cum ea quæ summi Pontificis potestati aduersantur, approbari nec possint nec debeant.



## CAPVT VII.


De appellatione interposita à beneficij collatione facta per Episcopum.

### SUMMARIUM.

1. Appellatio à prouisionibus beneficij factis per Episcopum, dicitur extraiudicialis, nec causat attentata.
2. Si Episcopus procedat in forma iudicij contentiosæ, licet appellare à collatione beneficij, & suspenditur executio.

1. **D**ixi in quadam causa vertente in curia Palatij Auenionensis, quod appellatio facta à collatione beneficij facta, per Illustrissimum Dominum Episcopum, non suspendebat executionem; nec causabat attentata: cum Episcopus simpliciter contulisset sine forma iudicij, & sic erat appellatio extraiudicialis quæ non causat attentata: *cap. constitutus 46. de appellat. Caualcan. decis. 26. num. 56. part. 3. Marefcot. lib. 2. var. resol. cap. 64. num. 20. Lancell. de attentat. cap. 12. limit. 49. Gonzal. ad regul. 8. §. 9. in annotat. num. 27. & 19.*

2. Quicquid aliud sit, quando Episcopus processisset in forma iudicij, & per viam contentiosæ iurisdictionis: vt per Eund. *num. 203.* sed dum Episcopus procedit tanquam collator ordinarius, non debet admitti appellatio, quæ suspendat executionem, & causet attentata; quia tunc procedit dumtaxat vt collator, non vt Iudex. *Gonzal. ibid. num. 36. Plura dixi in tract. de prauent. iudic. cap. 32. num. 14. & sequentibus.*



## CAPVT VIII.

De dispensatione cum illegitimis.

### SUMMARIUM.


1. Illegitimi sunt incapaces ordinum, & beneficiorum.
2. Episcopus dispensare potest cum illegitimis ad minores ordines, & beneficia simplicia.
3. Assertioni Episcopi standum est in iis, quæ eius simplici informationi commissæ sunt; vel si non adsit in commissione clausula vocatis vocandis.
4. In extraiudicialibus, semper presumuntur interuenisse solemnitates ad actum requisitæ.
5. Quando dispensatio fuit sortita effectum, omnia legitime & solemniter facta presumuntur.
6. In impetratione beneficij, non est exprimenda dispensatio iam per Episcopum approbata, & executioni demandata.
7. In impetratione beneficij, exprimi debent beneficia iam obtenta.

**V**ERVM quidem est omnes illegitimè natos, non solum ad beneficia, sed etiam ad ordines ipsiſſimum clericatum, sine dispensatione promoueri non posse: *cap. Innotuit. 20. de Elect. cap. fin. de fil. Presbyt. †* sed tamen illi non solum ex dispensatione Pontificia, sed etiam Episcopali redduntur hábiles: ex illa quidem, ad omnia; ex hac, ad minores ordines, & beneficia sine cura: *cap. 1. & ibi Gloss. & DD. de fil. Presbit. in 6. †* Quod si Episcopus in collatione clericatus, de hac dispensatione fecerit mentionem; non erit necesse ei, cui sic collatio facta fuit, docere de aliqua processura iudicialiter, aut extraiudicialiter super dispensatione facta: cum de iure præsumatur, collationem ordinum ab Episcopo ritè & rectè, & seruatis seruandis factam fuisse; & ab eo dispensationem examinatam. Non enim tenetur Ordinarius procedere in similibus dispensationibus in forma iudicij; sed sufficit sola informatio extraiudicialis, quando nullus adest contradictor, & in commissione non adest clausula *vocatis vocandis*. *Pute. decis. 140. num. 1. & 2. in nouis, aliàs decis. 154. Gonzal. ad regul. 8. §. 9. glos. 1. in annot. num. 20.*

Dum igitur Episcopus in literis ordinum, seu clericatus, nominat promouendum filium naturalem à summo Pontifice dispensatum; non tenetur promotus iustificare illam enunciatuam; quia in extraiudicialibus, semper præsumitur quod interuenit solemnitas ad talem actum requisita, & quæ spectat ad officium exercentis talem actum. *Innocent. in cap. innotuit, sub num. 4. de eo qui furt. ord. suscep. Ferrer. conf. 362. num. 5. vol. 2. atque ita per Rot. Roman. iudicatum fuit, super certa dispensatione matrimoniali commissa Ordinario, qui assensum præstiterat contractui matrimonij; quamuis non constaret de aliqua verificatione narratorum. Quia, inquit, cum post talem dispensationem, matrimonium in facie Ecclesiæ celebratum fuerit; præsumendum est, literas Ordinario fuisse exhibitas, ipsiſſimumque se extraiudicialiter informasse, Rot. decis. 406. num. 1. & 2. part. 1. in recentior. †* Et cum dispensatio effectum sortita fuerit; præsumitur, quod præcesserit informatio, tanquam necessarium antecedens. *Rot. d. loc. Garf. de benefic. par. 6. cap. 2. num. 247. & seqq.*

Similiter non est opus, quod in impetratione beneficij fiat aliqua mentio dispensationis iam sortitæ effectum; & per Ordinarium, dum primam tonsuram contulit, executioni demandatæ: cum omnes actus, qui fiunt in consequentiam, siue sacros ordines, siue beneficia conferendo; fiant tantum in executionem actus præcedentis. *Rot. in antiq. decis. 3. de fil. Presbit. Et dubium dumtaxat intraret, si ageretur de obtinenda noua dispensatione: quia tunc regula generalis est, quod debeat fieri mentio primæ: vt inferius suo loco ostenderetur: sed dum noua dispensatio non petitur, impetratio sine expressione dispensationis est valida: vt dicit Rot. d. decis. 3. de fil. presbit. in antiq. Garf. de benefic. par. 7. cap. 2. num. 73.*

Cauendum tamen est, vt non omittatur in impetratione, expressio aliorum beneficiorum per impetrantem obtentorum, quia omissio talis expressionis nullam sine dubio impetrationem redderet: *cap. si motu proprio, de præbend. in 6. Clement. 2. de Offic. Ordin. cum simil.* Et si in hoc erratum fuisset, remedium adhibendum esset per nouam prouisionem. De hoc autem defectu expressionis obtentorum, dicemus infra *cap. 27. num. 36, & cap. 29.*



CAPVT IX.

De Qualitatibus in prouisione beneficij exprimendis, & obseruandis; & quando status vltimus sit attendendus.

S V M M A R I V M.

1. In beneficij impetratione exprimi debet, si residentiam requirat.
2. Si ex fundatione collatio fieri debeat oriundo ex certo loco, non valet collatio facta extraneo.
3. Capella est incompatibilis cum canonicatu, si illa assiduum seruitium & residentiam requirat.
4. Vltimus status in beneficialibus attendendus est.
5. Prouisiones Apostolicæ non mutant statum beneficij.
6. Vltimus status non attenditur, quando constat legitime de statu precedenti, nisi probetur prescriptio cum aliis requisitis.
7. Quæ sint necessaria, vt status beneficij fuerit legitime prescriptus.
8. Si ob defectum hæredum fundatoris, Ecclesia libertatem acquirat, collatio nihilominus fieri debet habenti qualitates, ex fundatione requisitas.
9. Prescriptio non est extendenda; sed tantum prescriptum quantum possessum.

**C**VM ex lege foundationis Capellania continuam residentiam exigeret, nec aliis quam oriundis ex illo loco, vbi fundatio facta erat conferri deberet; si non expressè, vel falsò narrata fuerat qualitas residentia, collatio hoc ipso nulla erat, presertim si alteri quam originario loci illius facta fuisset. † Qualitatem si quidem beneficij requirentis residentiam, omninò exprimendam esse in illius impetratione certum est; aliàs nullam esse collationem. Selua de benefic. par. 3. quaest. 11. num. 42. Gonsal. ad reg. 8 §. 9. n. 30. Et adest regula Cancellaria 63. de expressione qualitat. 2. in benefic. impetr. † Quòd autem attinet ad aliam qualitatem requisitam ex fundatione, quòd beneficium non possit alteri quam oriundo ex loco conferri: certum etiam est non solum qualitatem illam in impetratione beneficij exprimendam fuisse, sed etiam collationem alteri quam filio patrimoniali, seu oriundo ex loco factam, nullius esse momenti. Garf. de benefic. par. 7. cap. 15. num. 1. 2. & seqq.

3. Sed restabat difficultas, quia videbatur quòd status illius beneficij mutatus fuisset: cum per plures annos illa Capellania absque onere residentia possessa fuisset: ad quam licet Capellanus ex fundatione teneretur, quia erat obligatus assistere diuinis officiis in Choro, & ideo non poterat simul cum Canonicatu obtineri: vt ostendit Barbof. in tract. de Iur. Eccles. lib. 3. cap. 5. num. 28. Tamen vltimus illius possessor Capellaniam obtinuit simul cū Canonicatu: † certum est autem in materia beneficiali, semper attendendum esse vltimum statum. Rot. decis. 49. in antiq. sub tit. de Rescript. Ferrer. conf. 382. num. 11. & 12.


5. Quæ tamen difficultas non obstat, tum quia prouisiones vltimi possessoris erant Apostolicæ, quæ non mutant statum beneficij. Achill. decis. vlt. de Iurepatr. Rot. decis. 421. num. 2. par. 2. recent.

6. Tum etiam quia quando constat de legitimo statu

precedenti, non attenditur vltimus status contrarius, nisi probetur legitime prescriptus, & mutatus spatio quadraginta annorum. Gratian. discip. forens. c. 574. num. 13. & 14.

Tum & denique, quia ad mutandum statum beneficij vltra quadragenariam, plura alia requiruntur; nempe potestas, & voluntas superioris, nec non etiam bona fides, & præterea scientia & patientia illorum, qui ex hac status mutatione præiudicium recipiunt; quæ in hoc casu non concurrebant. Adde, ad Ludonis. decis. 434. num. 20. Et plenè Rot. coram illustriss. bon. mem. Dunogetto in Lucana Iurispatronatus de podiis, diebus 23. Martij & 20. Nouemb. 1620. vbi quòd animus Ordinarij non præsumitur fuisse mutandi statum beneficij, quando breue temporis spatium intercessit, & non concurrentibus requisitis, de quibus supra. Quorum decisionum prior quæ est sub 23. martij inferitur post tract. Viuian. de Iurepatr. decis. 29.

Neque prædictis obesse potest quòd mortuo sine hæredibus fundatore, aut aliàs non comparentibus illius successoribus, Ecclesia libertatem acquisuerit, & ius conferendi fuerit omnino deuolutum, & translatum in Episcopum. Quia deuolutio ad Superiorem facta intelligitur cum omnibus qualitatibus, oneribus, & conditionibus quæ ex fundatione requiruntur Barbof. de Episcop. par. 3. alleg. 72. num. 119. Francisc. Marc. decis. 494. num. 7. par. 1. Gutier. conf. 1. num. 31 Lambertin. de Iurepatr. in 7. quaest. princip. 3. partis art. 13. lib. 3. Garf. de benefic. par. 10. cap. 3. num. 42. Et nominatim quoad illam qualitatem requisitam, quòd prouisus sit filius patrimonialis: quia † quamuis in cæteris aliqua prescriptio allegari possit, ex eo nihil inferri posset ad istam qualitatem; si quidem tantum prescriptum, quantum possessum Seraphin. decis. 1404. num. 2. Barbof. Axiom. 211. num. 13.



CAPVT X.

De incompatibilitate officiorum Procuratoris Generalis, & Prouincialis apud Regulares.


S V M M A R I V M.

1. Officium Procuratoris Generalis est incompatible cum officio, seu munere Prouincialis.
2. Capitulum nihil potest statuere aduersus ordinationem summi Pontificis, & n. 4.
3. Capitulum habet manus ligatas per clausulam decreti irritantis.

**P**ROCVRATORES Generales ordinis per summum Pontificem in Romana curia, & in curia Christianissimi Francoꝝ Regis deputati; ea lege, vt suis respectiue fungerentur officiis, vsque ad proximum tunc capitulum generale, quod in breui celebrari mandabatur; non poterant in capitulo intermedio eligi in Prouinciales: † cum onus Prouincialis sit incompatible cum onere procuratoris generalis, nec aliquis religiosus simul & semel duo officia, personalem residentiam requirentia, aut personatum & dignitatem habentia, sine dispensatione obtinere possit. argum. cap. de multa. de Prabend. Mirand. in manual. pralat. regul. tom. 2. quaest. 3. art. 3.

Renunciatio verò officij Procuratoris generalis, 2. quam

quam facere intendebant Prouinciales eligendi, non poterat eos ad Prouincialatum reddere idoneos; quia cum summus Pontifex iustis de causis mandauerit capitulū generale celebrari Anno 1636. & in capitulo intermedio quod voluit celebrari Anno 1635. mandauerit deputari Prouinciales: & quod Procuratores generales in Breui Apostolico nominati, eorum officio fungerentur respectiue in Romana curia, & in Regno Franciæ, vsque ad dictum proximum capitulum generale; non potuerunt capitulares, in illo capitulo intermedio derogare Pontificiæ constitutioni: nec deputati & approbati à summo Pontifice renunciare suæ deputationi, nisi interueniente eiusdem summi Pontificis autoritate. Quia quando constitutio Pontificia facta fuit ad bonum commune; non potest illi per consensum capituli, vel particularium derogari, vel ab ea recedi in præiudiciū religionis; vt in fortioribus terminis de capitulo generali loquens tradit Mirand. *in manual. pralat. regular. tom. 2. quest. 29. art. 8. in 1. & 2. conclus.* Et est communis Doctorum traditio in *cap. cum accessissent 8. de constit.* † Quod tantò magis procedit, quia in Breui concessio à summo Pontifice, adest decreti irritantis clausula, adiecta etiam pœnâ excommunicationis: ob quæ multo minus recedi potest à voluntate expressa summi Pontificis, Couarr. *in cap. quamuis pactum. par. 2. §. 2. n. 13.* † Cum ergo tractetur de mera & clara dispositione Papali, nullo modo possunt religiosi illi contrahere. Rot. *decis. 84. num. 6. par. 1. in recentior.* Quamuis, supradictis cessantibus, possit religiosus qui fuit electus, & nunquam possessionem apprehendit, neque administrauit, electioni renunciare; vt aliud officium quod aliàs esset incompatible, consequatur: maxime cessante clausula decreti irritantis: vt tradit Nouar. *decis. 66. per tot. part. 1.*



## CAPVT XI.

Vtrum Episcopus possit cogere Canonicos ad assistendum cū cappis, Canonicis aut Dignitatibus diuinum officium facientibus. Et vtrum Canonici ab hoc grauamine appellare possint.

## S V M M A R I V M.

1. Episcopus in Synodo statuta condere potest, dummodo non sint contraria iuri communi.
2. Episcopus statuta sine capitulo facere non potest.
3. Statuta & decreta facta in Synodo, dicuntur statuta solius Episcopi.
4. Episcopus in condendis statutis, requirere debet consensum capituli, sed non tenetur illud sequi.
5. Tractatus capituli pro condendis statutis sufficit, quod fiat in priuatis congregationibus.
6. Quæ sit differentia inter Synodum prouincialem, & Diocesani. Remissiuè.
7. Episcopus potest pœnam imponere, vbi ius non imponit; vel pœnam iuris augere.
8. Episcopus pœnam excommunicationis imponere potest, etiam absque trina monitione.
9. Excommunicationis pœna non debet facile imponi.
10. Consuetudo Ecclesiæ, circa delationem capparum, debet obseruari.
11. Appellari non potest à pœna imposta per statutum Episcopi.

12. Appellari potest à declaratione pœne legis vel statuti.
13. A pœna excommunicationis contenta in decreto, datur appellatio.
14. A decreto facto fauore cultus diuini, non datur appellatio suspensiuæ.
15. Datur tamen appellatio quoad effectum deuolutiuum.

SUPPONENDVM in primis est Episcopum statuta condere posse, dummodo iuri communi non sint contraria: vt probat *text. in cap. quod super his. De maior. & obed. capit. ex ore. §. porro. de priuileg. cap. licet. De off. ordin. Duenn. regul. 245. Barbos. de off. & pot. Episc. allegat. 93. num. 23. Tusc. litt. E. conclu. 251. †* Et quamuis regulariter Episcopus statuta condere non possit, sine consilio sui capituli: *cap. Episcopus 24. distinct. Barb. vbi sup. n. 25.* Tamen aduertendum est sufficere, quod Episcopus negotium communicauerit capitulo, prout supponebatur in facto; quia Canonici Ecclesiæ Cathedralis de qua agebatur, fuerant (prout esse solent) presentes in Synodo Diocesana. Decreta verò & constitutiones quæ fiunt in Synodo, non dicuntur statuta Synodi, neque fiunt à Synodo; sed à solo Episcopo, qui solus illa subscribit, solus publicari mandat, solus ad illorum obseruantiam cogit; vt bene ostendit Vgolin. *in tract. de Episcop. par. 2. cap. 47. num. 7. vbi docet, † congregationem Eminentiss. Cardinalium, qui Concilij Tridentini interpretationi præfecti sunt, declarasse Episcopum in Diocesana Synodo posse constitutiones facere, absque consensu & approbatione Cleri: debere tamen requirere consilium Capituli, licet illud sequi minimè teneatur. Quod etiam voluit Stephan. Quarant. in summ. bullar. in verb. Synodus Diocesana. Et quod plus est; † sufficit quod talis tractatus fiat in priuatis congregationibus, dummodo postea decreta in Synodo publicentur. Et ad præmissa faciunt, quæ tradit Sanch. in tract. de matrim. lib. 8. disp. 17. num. 33. vbi † ostendit differentiam inter Synodum Diocesanam, & Synodum Prouincialem. Idem voluit Barbos. dicta allegat. 93. num. 25. in fin.*

Et prædicta locum habent, non obstante pœna censurarum appositæ in dicto decreto: quia Episcopus potest apponere pœnam, vbi ius non apponit; vel aggravare pœnam à iure impositam: *cap. innotuit. & ibi Abb. De eo qui furt. ordin. suscep. †* Etiam apponendo pœnam excommunicationis, suspensionis & interdicti absque trina monitione, licet illa regulariter requiratur: *cap. sacro, de senten. excommu. & ibi Boich. col. 1. Henric. Bott. in tract. de Synodo Episc. par. 2. conclu. 13. num. 106. & 109.*


Meliùs tamen fecisset Illustrissimus Dominus Episcopus, si tam facilis non fuisset in laxando pœnam excommunicationis, in qua valde parcum esse oportet: cum tales pœnæ potiùs sint in laqueum Christianis, quàm in vtilitatem: vt notat Bott. *loc. cit. num. 113.* Et ideo cum aliàs quidam Episcopus decretum fecisset in Synodo, adiecta pœnâ excommunicationis: Rota Romana pœnam illam non approbavit, dixitque illam non posse seruari, cum sit illaqueatoria animarum: vt videre est in *decis. 757. num. 2. par. 2. recentior.*

Et præmissa omnia procedunt, posito quod non probetur consuetudo dictæ Ecclesiæ, circa delationem quatuor capparum, in contrarium: nempe quod Domini Beneficiati sint in tali consuetudine, non assistendi Canonicis, vel Præposito Ecclesiæ diebus solemnibus celebranti, vel officium facienti, cum quatuor

tuor cappis : si enim contraria consuetudo legitime probaretur, res non transiret sine difficultate : ex dicta decisione Rot. 757. num. 1. part. 2. recentior.

Attamen difficillima erit huius contrariæ consuetudinis, in hac Ecclesia Cathedrali probatio, si eam Præbendari aduersus Canonicos facere intendant; cum iam à multis annis de tempore quo insignis Iurifconsultus Stephan. Bertrandi vivebat, beneficiati consueuissent assistentiâ: facere Canonicis & Dignitatibus in officiis solemnibus: vt de hac eadem Ecclesia loquens testatur *consil. 195. lib. 1. posterior.* quod consilium est totum de hac materia, & valde fauet constitutioni factæ per Illustrissimum Dominum Episcopum.

11. Quibus ita positis, sequitur resolutio dubii, vtrum ab huiusmodi decreto seu cõstitutione Episcopali appellari possit; nam à pœna per statutum Episcopi imposita, appellari non potest: *Bott. in d. tract. de Synodo art. 1. conclu. 13. n. 115.* quia à pœna legis vel constitutionis non appellatur: *cap. quia nos. 32. de appellat.*
12. † Licet à declaratione pœnæ per statutum Episcopi impositæ, detur appellatio; quia appellans forsitan non fuisset ligatus pœna statuti illius Episcopalis, cum multi dentur casus, in quibus contrauenientes tali statuto, pœnam non incurrunt. *Bott. dicto loc. num. 17.*
13. Præterea verius videtur, quod à pœna excommunicationis in illo decreto contenta, detur appellatio suspensiva: quia decretum illud excommunicationis pœnam infligens, non videtur obseruandum tanquam illaqueatorium animarum: vt sup. diximus ex *d. decis. 757. num. 2. par. 2. recentior.*
14. Semotâ verò pœnâ excommunicationis, in reliquis dicta appellatio non debet suspendere executionem, saltem donec Dominus Episcopus fuerit inhibitus: quia agitur de decreto facto, propter augmentum cultus diuini; quo casu, pendente appellatione, fit prouisio propter fauorem diuini cultus. *Rebuff. de senten. prouision. in prefat. num. 37. & num. 38. in fin. vbi dicit, quod non obstante appellatione, fieri debet seruitium Ecclesiæ per modum prouisionis; ne cultus diuinus pereat, aut minuat; †*
15. fine tamen præiudicio appellationis, quoad effectum deuolutiuum. *Sigism. Scacc. in tract. de appellat. quest. 17. limit. 26. num. 1. vers. ratio huius limitationis. Salgad. in tract. de Reg. protect. par. 3. cap. 2. num. 69.*



CAPVT XII.

Parochus Ecclesiæ per aliquot miliaria distantis, an possit lucrari distributiones, anniuerfaria, & missas fundatas, deseruendo saltem per substitutum.

S V M M A R I V M.

1. Distributionum quotidianarum quatuor species.
2. Residentia, & presentia personalis in choro, multum inter se differunt.
3. Residentia duplex est; vna præcisa, & alia causatiua: & quomodo inter se differant.
4. Quæ residentia requiratur in simplici præstimonio, vel beneficio.
5. Beneficium quod habet onus celebrandi missas non est incompatible cum curato.
6. Seruitia Ecclesiæ, ex quibus sint inter se compa-

ribilia

7. Beneficia simplicia si sint seruitoria, requirant residentiam.
8. Incompatibilitas consideranda est non respectu tituli, sed respectu seruitij, dum agitur de lucrands distributionibus.
6. Distributiones quæ præstantur pro seruitio personali, dicuntur personales.
10. Substitutus non admittitur, quando distributiones præstantur ratione seruitij personalis, etiam in fauorem absentium ex causa studij, vel alia iusta causa.
11. Missa per turnum celebranda, non possunt dici per substitutum.
12. Statutum recipit interpretationem à iure communi.


**D**ISTRIBUTIONVM quæ inferuentibus, & diuino officio assistentibus dantur, quatuor sunt species. Prima, quando certus est numerus præbendarum, sed præbendæ non sunt distinctæ. Secunda, quando præbendæ sunt distinctæ, & distributiones dantur de mensa communi residentibus in loco; quamuis diuinis officiis non intersint. Tertia est earum quæ dantur illis, qui intersunt horis diurnis & nocturnis Ecclesiæ, & choro, actuale seruitium & ministerium sibi competens exhibendo. Quarta continet omnia emolumenta quæ diuiduntur, & distribuuntur presentibus tantum, & iis qui intersunt certis sacris piisque actionibus; qualia sunt anniuerfaria, mortuaria, & alia huiusmodi, de quibus in *cap. unic. de cleric. non residen. lib. 6.* Et has quatuor species distributionum refert & explicat *Monet. de distribut. quotid. par. 1. q. 3. per tot.*

Inter residentiam autem, & interessentiam personalem in choro, etiam quoad distributionum quotidianarum perceptionem, magna est differentia: ex *Cæsar. de Grass. decis. 5. de præben. num. 3.* cum pluribus citatis per *Monet. in d. tract. de distr. quotid. par. 1. quest. 4. num. 18. Rot. decis. 330. num. 2. par. 1. diuers.*

Porro residentia duplex est; vna præcisa, qualis requiritur in parochialibus, in canonicatibus, & similibus: alia est causatiua, videlicet vt clericus teneatur residere sub pœna priuationis fructuum, non autem sub pœna priuationis tituli: qualis est ea quæ requiritur in certis capellaniis, quæ obligant ad interessendum in choro diurnis, nocturnisue officiis, sub pœna priuationis emolumentorum. Et similiter dum quis obligatur inferuire, quando id sibi iniungitur à Præposito, vel alio superiore; aut quando obligatur inferuire certo tempore, & non continuo: vt bene explicat *Rot. decis. 489. num. 1. & per tot. par. 2. in recentior.*

Ex quibus sic suppositis, sequentes eliciuntur resolutiones. Primò quod licet regulariter residentia, quæ requiritur in simplici beneficio, vel præstimonio; non dicatur præcisa, sed tantum causatiua; cum plærumque seruitium tam missarum, quam aliorum similium præstari possit per substitutum; & idem † beneficium habens onus annexum celebrandi missas, non sit incompatible cum beneficio curato: teste *Gratian. decis. March. 155.* Tamen residentia quæ requiritur in Parocho, exigitur præcisa & personalis; neque potest Parochus curam animarum exercens in loco satis remoto, ab Ecclesia parochiali excusari, non tantum ab interessentia de qua nullum est dubium; sed nec à residentia in alia non parochiali, supposito quod seruitium istius, semper & continuo concurret cum seruitio Ecclesiæ parochialis. Certum est autem, † quod

- quòd duo seruitia dicuntur incompatibilia, quando vno & eodem tempore concurrunt, & eodem tempore requiritur præsentia, & interessentia personalis in seruitio vtriusque. Garf. de benefic. par. 11. cap. 5. n. 86. vers. sed id de residentia. Mallobr. in prax. cons. requirit. 1. dub. 3. vers. nisi fortè concurreret. † Sicut beneficia etiam simplicia, quæ aliàs ex generali consuetudine residentiam non requirent; eam tamen exigunt, si sint seruitoria. Griuell. decis. Dolan. 89. num. 9. Incompatibilitas enim tunc generaliter inducitur, quando non potest quis simul & semel vtriusque beneficio deservire: † talisque incompatibilitas tunc producitur, ratione obligationis ad seruitia simul impossibilia; cum nemo naturaliter duobus in locis simul & semel esse possit: & sic potius ratione seruitij, quàm ratione tituli. Garf. d. n. 86. Et conferunt tradita per Rot. Decis. 140. n. 4. & 7. par. 4. recentior. vbi ostenditur induci incompatibilitatem, ex residentia & interessentia eodem tempore requisita. Vnde concluditur in casu duplicis seruitij eodem tempore requisiti, adesse incompatibilitatem beneficiorum.
9. Secundò colligitur, quòd dum distributiones, quæ præstantur in Ecclesia satis remota à Parochiali, requirunt seruitium personale, & dantur tantum ratione ministerij personalis, prout explicat Rot. d. decis. 330. n. 2. par. 1. diuers. vbi plures alij citantur; & est text. in cap. de cetero. ibi, quæ non consueuerunt absentibus exhiberi. extr. de Cleric. non residen. Bleyn. de benefic. tit. de Præstimonij, n. 16. fol. 342. Tali casu non potest quis deservire per substitutum: cum de iure † non admittatur substitutus in casibus, in quibus requiritur seruitium personale: ita vt absens etiam ex causa studij, vel alia iusta de causa, non possit percipere distributiones quotidianas; neque per substitutum seruire possit: per text. & DD. in cap. fin. de rescrip. in 6. Barbof. de Canon. & Dignit. cap. 25. n. 10. Vbi dicit, quòd nullo casu absens potest percipere distributiones, Missis aut defunctorum anniuersariis applicatas. † Et in puncto quòd Missæ quæ per turnum in Ecclesia celebrari debent, non possint dici per substitutum, ostendit Azor. Inst. moral. par. 2. lib. 6. cap. 8. num. 16. & post eum Barbof. in cap. significatum. num. 4. de praben.
12. Et licet statutis dictæ Ecclesiæ caueatur, quòd vno deficiente in seruitio sui officij, Oeconomus eiusdem Ecclesiæ de alio prouideat; non tamen propterea sequitur, quòd licitum sit abesse à seruitio Ecclesiæ sine causa, vel ex causa merè voluntaria. † Et statutum omne debet intelligi iuxta terminos iuris communis. Menoch. Conf. 187. n. 29. & 31. Cum illud statutum non sit iuris comunis correctorium, nec sit iuri contrarium: vt per eundem num. 31. in 2. & 3. casu.



## CAPVT XIII.

De tempore intra quod capi debet in Gallia possessio beneficij. Et de præuia Ordinarij approbatione necessaria.

## S V M M A R I V M.

1. Possessio beneficij in Gallia capi non debet, nisi præcedat approbatio persone ab Ordinario.
2. Prouisus debet se sistere personaliter coram Ordinario, antequam beneficij possessionem apprehendat.
3. Signatura in forma dignum, nihil aliud est quàm

mandatum de prouidendo.

4. Possessionem capiens absque præuia Ordinarij approbatione, est intrusus in illo beneficio.
5. Approbatio prouisi facta ab Ordinario per epistolam, non valet, ex Regia ordinatione in Gallia.
6. Vicarius foraneus, non potest examinare prouisum in forma dignum.
7. Recusante Ordinario exequi litteras in forma dignum, quo remedio in Gallia utendum sit.
8. Appellari potest à recusatione Ordinarij, cui fuit data commissio in forma dignum.
9. Intra quod tempus capi debeat possessio beneficij in Gallia & fieri publicatio, & num. 13. 14. & 15.
10. Beneficium habetur pro derelicto, si eius possessio intra triennium capta non fuerit, & num. 13.
11. Possessio post sex menses in Gallia si capta non fuerit, viuentem resignante, vel si adsit fraudis suspicio, non suffragatur.
12. Verus intellectus & praxis regulæ de Publicand. resignat. in Gallia.
13. Beneficium, cuius possessio intra triennium capta non fuit, amittitur; etiam in odium prouisi per obitum.
14. Publicatio prouisionis facta in curia per resignationem, debet fieri intra sex menses; si vero extra curiam, intra mensem.
15. Tempus publicationis numeratur à die data.
16. Possessio viuo resignante capienda est.
17. Vt beneficium resignatum vacet per obitum, tria requiruntur.
18. Tempus ad publicationem assignatum, non est substantiale in Gallia.
19. Qui non publicauit potest moram purgare, in Gallia.
20. Publicatio potest fieri in Gallia per equipollens.

**I**NDVBITATVM est apud Gallos resignatarium 1. possessionem beneficij capere non posse, nisi præcedat approbatio seu, vt dicunt, *visa* Ordinarij, aut illius Vicarij generalis, iuxta formam ordinationis Blesensis art. 12 & 13, & Melodunenſis art. 14. † Nec 2. sufficit ad Episcopum ordinariū scripsisse pro habendo illud *visa*, seu approbatione: quia prouisus ipse personaliter coram eo se se præsentare tenetur, illique signaturam suam exhibere, ante quam exhibitionem & præsentationem, executor in forma dignum nullam habet iurisdictionem, quoad illa quæ suam commissionem concernunt. Quia licet executori seu commissario in forma dignum iurisdictione quæretur, à die datæ rescripti; illam tamen exercere non potest ante præsentationem illius. Ricc. collect. 1588. Garf. de benefic. part. 6. cap. 2. num. 7. & multis seqq. † Con- 3. ditionalia si quidem sunt huiusmodi rescripta, eandemque vim habent, quam mandatum de prouidendo: & per consequens approbatio Ordinarij est vera prouisio. Quia licet Ordinarius de validitate, vel inualiditate prouisionis cognoscere non possit; tamen ad eum spectat de capacitate, vel incapacitate prouisi iudicare: quæ capacitate per eum cognitâ, verificatur conditio appositâ in rescripto; & confertur per ipsum ius incommutabile illi, qui signaturam obtinuit: vt explicatur apud Tornet in arrest. benefic. litt. B. n. 25. † Vnde si resignatarium caperet possessionem beneficij resignati, ante obtentum *visa*, seu approbationem Ordinarij; esset in illo beneficio intrusus, itavt non posset frui beneficio regulæ de triennali: vt explicat Theuen. ad ordinat. Reg. lib. 1. tit. 21. art. 4. in verb. possession. Louët litt. P. n. 25. Et per consequens resignans

gnans redire posset ad beneficium resignatum, attento quòd resignatio facta fuit in fauorem: vt alibi dicemus.


5. Constat ex supradictis, quòd epistola scripta per Episcopum ad resignarium, per quam declarat se illius personam ad beneficium, de quo agitur; obtinendum, omninò approbare, non sufficit pro obseruatione Regie ordinationis, per quam requiritur vt prouisus personaliter coram Ordinario se sistat: dictaque ordinatio continet verba præcisa & conditionalia: *Ne pourront prendre possession des benefices, ny s'immiscer à la iouissance d'iceux, sans estre preallablement presente à l'Ordinaire, pour subir l'examen & obtenir le Visa, lequel ne pourra estre baillé sans auoir veu & examiné ceux qui serot prouuez. & dont ils seront tenus faire mention expresse.* Hoc est: non poterunt capere possessionem beneficiorum, nec se immiscere in frui-tione ipsorum, nisi priùs se præsentauerint Ordinario ad subeundum examen, & obtinendum *visa*; quod dari non poterit nisi priùs visis & examinatis prouisus: & de hoc tenebuntur expressam facere mentionem.
6. Nec sufficit, quòd huiusmodi personalis comparitio fiat, coram Vicario foraneo, cum talis Vicarius non sit Iudex ordinarius, sed dumtaxat delegatus; cum non à iure, sed ab Episcopo iurisdictionem habeat, Sanch. *de matrim. lib. 3. disput. 29. num. 10.* Et ideo ordinatio exigit, vt præsentatio fiat coram Episcopo, vel Archiepiscopo diocesano & ordinario, vel in eorum absentia, coram ipsorum Vicario generali;
7. † à quibus præcisè approbatio, vel reprobatio debet obtineri. Et hac de causa cum Ordinarius ciuitatis Parisiensis noluisset concedere suam approbationem, seu *visa*, & ab eius denegatione fuisset appellatum ad curiam Parlamenti tanquam ab abusu; (provt practi-catur in Gallia, vbi talis appellatio sic nominatur) Senatus mandauit appellanti, vt recurreret ad Episcopum, aut illius Vicarium à quo approbationis vel re-jectionis obtineret attestationem: vt ex Bergeron, notauit Tornet *in recollec. arrest. litt. C. n. 43.*
8. Quòd autem attinet ad appellationem, qua interponi debet in casum denegationis sui *visa* per Ordinarium factæ; non est dubitandum quin ad summum Pontificem, aut ad Legationem in locis vbi eius facultates sunt receptæ, recurri & appellari possit: quia tunc non tractatur de validitate aut inualiditate prouisionum, per summum Pontificem in curia Romana factarum: sed tantum de iustitia, vel iniustitia recursus interpositi: vt colligitur ex notatis per Garf. *de benefic. part. 6. cap. 2. num. 81. & multis seqq.* Vbi ostenditur huiusmodi appellationes, etiam ad Nuncios Apostolicos interponi posse; si de causis beneficialibus cognoscendi potestas ipsis, in eorum facultatibus, concessa sit: qualem sine dubio habent Legati & Vicelegati Auenionen.
9. Habitâ verò approbatione Ordinarij, possessio beneficij resignati capienda est, & publicanda resignatio iuxta regulam Cancellariæ *de publicand. resign.* quæ est vna ex regulis in Gallia receptis: idque intra sex menses; circa quorum computationem variæ fuerunt sententiæ, nonnullis existimantibus illos à die præstiti consensus computandos; alijs à die admissæ resignationis: vt notat Theuen. *ad ordin. Reg. lib. 1. tit. 25. art. 1. in verb. En la forme qui s'ensuit.* † Veruntamen hoc in Gallia obseruatur, quòd possessio beneficij resignati, non solum intra sex menses regulæ capi potest, sed etiam post, dummodò intra triennium: quo elapso, beneficium tanquam dimissum, & pro derelicto habitum, non amplius spectat ad prouisum; qui omne ius suum amittit tam quoad pos-

sessionem, quàm quoad petitorium: per text. & gloss. *in cap. 1. in verb. tenentur. de pacific. possessor.* Peleus *lib. 1. action. forens. cap. 40.* † Sed quoad sex menses, non obstante eorum lapsu, semper & quodcumque in Gallia possessio capi potest, dummodò capiatur intra triennium, vt mox dictum fuit; & dummodò resignans sit viuus: vt probatur ex regula, quæ vtitur hac clausula *si postmodum*: dummodo etiam nulla fraudis coniectura vel præsumptio colligi possit. Et ideo consultius erit, possessionem aliquo saltem ante resignantis obitum tempore, captam esse. Quæ omnia explicat Theuen. *d. artic. 1. tit. 25. in verb. La prinse de possession.* Peleus *in comment. Analyt. cap. 32. in princip.* Hodie autem ex edicto Ludouici XIII. possessio capienda est per duos dies integros, ante mortem resignantis; vt in *artic. 17. dictarum ordinariorum.*

Vt autem vera praxis regulæ de publicandis resignationibus habeatur, iuxta obseruantiam curiarum Galliæ; sciendum est in primis, quòd licet de iure communi nullum esset præfixum certum tempus, ad publicandas resignationes, & capiendam possessionem; † nihilominus si prouisus per resignationem, beneficij resignati possessionem per triennium apprehendere neglexerit; præsumitur illud habuisse pro derelicto, & ab omni suo iure cadit: vt supra diximus *n. 10.* & ultra ibi citatos testatur Boer. *decis. 312. n. 1. & 24. n. 3.* Peleus *lib. 1. action. forens. cap. 29. & actione 40.* qui loquuntur de quocumque prouiso, etiam per obitum: & probatur per text. *in cap. 1. de pacific. possessor.* & ibi Gloss. *in verb. triennio.* † attamen quando agitur de beneficio resignato, cautum est per regul. Cancell. *de public. resign.* quæ vna est ex illis quæ in Gallia sunt receptæ, vt publicatio talis resignationis fiat intra sex menses, quo ad resignationes in curia Romana factas subsequatur prouisione in eadem curia; intra verò mensem vnum, si agatur de prouiso in Legatione per resignationem: quia mensis datur prouiso extra Romanam curiam, cuius curiæ appellatione Legatio non continetur, ex Rebuff. *in regul. de public. resign. glos. 6.* Petr. Greg. Tholos. *in instit. benefic. cap. 32. n. 19.* † Quod tempus à die datæ supplicationis seu prouisionis computandum esse Rebuff. censuit in explicatione *d. regula de public. resign.* Licet contrarium teneat Gomes. Qua de re supra egimus *hoc. cap. n. 9.* † Et hæc de capienda intra triennium possessione intelligenda sunt, vt locum habeant viuente resignante; eo enim mortuo, resignatario capta possessio minimè suffragatur. Papon. & ibi adden. *lib. 3. tit. 1. arr. 6.* Theuen. *d. lib. 1. in ordin. Reg. tit. 25. in 3. verb. La prinse de possessio.* Quandiu autem viuus resignans, possessio intra triennium capi potest; nec in Gallia obseruatur definitio Codic. *Fabr. 19. sub tit. de sacrosan. Eccles.* Quia quamuis intra tempus regulæ, publicatio resignationis facta non fuerit; sufficit ipsam intra triennium, viuo tamen resignante, factam fuisse. † Et in summa, tria copulatiuè in Gallia concurrere debent, ad hoc vt beneficium resignatum vacet per obitum. Primò quòd non fuerit facta publicatio resignationis. Secundò quòd non sit capta possessio beneficij resignati. Tertiò quòd resignans post sex menses in curia, vel post mensem extra curiam, mortuus fuerit: & non solum mortuus fuerit: sed quòd tempore obitus esset adhuc in possessione beneficij resignati. Petr. Greg. *in institut. rei benefic. cap. 31. numero 22.* Et vno ex his tribus deficiente, beneficium non vacat per obitum, sed per resignationem. Gomes. *ad d. regul. de public. qu. 15.* Peleus *in comment. Analyt. cap. 32. n. 37.* Ratio est quia regula formaliter & conditionaliter

ditionaliter requirit obitum resignantis, per illa verba, *si postmodum*, cessante ergo conditione, cessat dispositio; & res redit ad terminos iuris communis, quo nullum capiendæ possessioni tempus constitutum est: vt supra diximus ex Boer. *d. decis. 312. n. 1.*

18. Tempus verò regulæ non habetur in Gallia pro substantiali, & limitatio facultatis publicandi: sed duntaxat ne mora committatur, & beneficium vacet per obitum resignantis, si intra tempus regulæ illum mori contingeret. Tempus enim à regula præfixum facit, vt si resignans intra illud obierit, non tamen ex eo beneficium vacare censeatur per obitum; vt patet ex illa clausula *si postmodum*. Et ita tenet Rebuff. *in d. reg. n. 12. vers. Et per istum textum. Gomes. in præfat. in illis verbis.* † Adeo quòd si resignans decederet infra sex menses, beneficium vacaret per resignationem, & non per obitum: sed lapso tempore regulæ, resignatarius potest in Gallia moram purgare, & periculum mortis præuenire publicando, & possessionem capiendo, dummodò intra triennium,
20. Papon. *d. lib. 3. tit. 1. arr. 6.* & ibi adden. † Imò quod plus est, loco publicationis satis est, si possessio publicè capta fuerit, & ad maioris partis populi notitiam deuenerit; quæ in Gallia pro publicatione habetur: vt ostendit Theuen. *d. tit. 25. in verb. la prinse de possession.* Et ita alias consului anno 1639. pro quibusdam Dominis Arelatensibus, & sic fuit obseruatum.



## CAPVT XIV.

De tacita professione, & de alimentis, ac dote Moniali non professæ è Monasterio exeunti, restituenda.

### S V M M A R I V M.

1. Tacita professionis præsumptio excluditur, per continuatam delationem habitus Nouitiorum distincti ab habitu professorum.
2. Habitus Nouitiorum quando dicatur distinctus ab habitu professorum.
3. Vtrum Monasterium petere possit à Nouitio exeunte expensas, pro eius alimentis factas.
4. Monasterium nihil petere potest à Nouitio, ne liber eius exitus impediatur.
5. Dos spiritualis, mortuà moniali, non transit ad hæredes.
6. Dos spiritualis restituitur moniali ob professionis nullitatem, aut alias licitè exeunti.

**I**N Monasterio, distinctus erat habitus professorum & nouitiarum. Et cum virgo quædam nobilis per plures annos nouitiarum gestasset habitum, nec vnquam actibus capitularibus interfuisset, nullòsque alios actus professis solis conuenientes exercuisset, semperque pro nouitia se gessisset: Dixi non posse in ea aliquam tacitam professionem

1. præsumi, † quæ locum non habet, nisi concurrat gestatio habitus professorum distincti ab habitu nouitiarum: *cap. 1. §. qui vero. de regular. in 6. Eman. Roderic. tom. 3. quest. regul. 17. art. 1. quem sequitur Hieron. Roderic. quest. regular. cap. 101. num. 53. Sanch. in præcep. decal. lib. 5. cap. 3. num. 24. Et probatur in cap. ad nostram. de regular. & cap. constitutionem. eod. tit. lib. 6. Menoch. conf. 396. num. 16. & in tract. de præsump.*

*lib. 6. præf. 83. num. 25. Gratian. discep. forens. cap. 640. n. 20. & seqq.* † vbi dicit, quòd triplex est habitus. Quidam omnino distinctus, nempe quòd nouitij habitu alio vtuntur, alio autè professi: alter est indistinctus: tertius indistinctissimus. Primo casu, qui nostro cõuenit; aut distinctio est latens, aut patens, veluti in colore, scissura, vel forma: si distinctio est patens, etiam si quis deferat habitum per viginti annos, non tamen ex eo censeatur professus.

Præsupposito igitur quòd virgo illa posset, vt non professa expressè nec tacitè, à Monasterio recedere: dū quæreretur vtrum Monasterium, alimenta illi per plures annos præstita, iure repetere posset: Respondi distinguendum esse. Primò enim, si seruitia per Nouitiam Monasterio præstita, erant æquivalentia alimentis ipsi præstitis, certum est Monasterium repetere non posse: & æquivalentia erant in casu proposito, quia puellæ illius obsequio Monasterium indigebat; & si illam non habuisset, similem impensam pro alia vel nouitia vel professa facturum omninò fuisset, cum numerus personarum in illo Monasterio, ex tenore fudationis certus & determinatus esset requisitus; & idè repetitioni alimentorum locus non erat: ex ijs quæ tradit Sanch. *in præcep. decal. lib. 6. cap. 10. n. 2.*

Quando verò seruitia per Religiosum vel Religiosam reddita monasterio, non attingunt valorem alimentorum illi præstitorum; licet maior videatur dubitandi ratio, non tamen hoc etiam casu monasterium quidpiam à nouitio exeunte petere potest, sub prætextu alimentorum illi præstitorum; ne sub eo prætextu liber exitus nouitiorum à monasterio impediatur, aut retardetur: vt Doctores vnanimi consensu tenent, & inter cæteros Gemin. *in cap. 2. n. 5. lib. 6. Philip. franc. in d. cap. final. Nicol. de Vbald. in tract. de succes. ab intest. regular. in 2. par. n. 10. in fin. Eman. Roderic. quest. regul. tom. 3. qu. 15. art. 12. vers. circa eandem constitutionem. Barbof. in cap. statuimus. 23. n. 2. de regular.*

Et secundum hæc iudicatum fuit in suprema Curia parlamenti Auricensis inter Nobilem Mariam filiam Domini du Fles, & condomini Sancti Romani; & Monasterium Sancti Andree.


Constabat enim quòd illa, obsequia solita præstiterat, quandiu manserat intra monasterium, quæ propterea cum alimentis erant compensanda: ad instar pupilli erga tutorem. Gloss. fin. *in l. quod si artificem. ff. de rei vindic. l. si paterno affectu. & ibi Doctores. Cod. de negot. gest. Munnoz. de ratiocin. cap. 22. n. 9. Surd. de alimen. tit. 9. qu. 39. n. 17.* Idem ergo dicendum in Monacho, quia qui altari seruit, de altari viuere debet: *cap. cum secundum. de præb. Surd. de alimen. tit. 1. qu. 75. n. 1.* Etiam lite pendente super validitate professionis, Idem. *d. tit. 1. qu. 128. n. 10. & 11.* Et sicut pater putatiuus alimenta filio præstita non repetit, Bartol. *in l. 1. §. competit. ff. Si mul. ventr. nom. Nat. conf. 108. Cordub. in l. si quis à liberis. §. si vel parens ff. de liber. agnos. n. 39.* ita & monasterium erga dictam Dominam Mariam, quæ comuni opinione habebatur pro Religiosa, cum tamen nondum esset professa.

Nec in contrarium faciunt tradita per Sanch. *in præcep. decal. lib. 6. cap. 10. n. 5.* quem alij sequuntur; dum constituit differentiam inter nouitios & nouitias: quia loquuntur in casu pacti expressi facti in ipso actu receptionis nouitiæ, de soluendo expensas victus, & vestitus ipsius. Et præterea doctrina illa, nec non tradita per Barbof. *de Iure Eccles. lib. 1. cap. 42. n. 177.* procedunt in ea, quæ intra annum probationis moritur, vel recedit; non autem in ea



quæ communiter pro Religiosa habebatur, & omnia obsequia sicut aliæ Religiosæ Monasterio consueverat reddere. Et propterea ita, vt supra dictum est, fuit iudicatum.

Quod autem de alimentis moniali è monasterio exeunti restituendis dictum est, eadem ratione imò & multò fortius in restitutione dotis, per ipsam monasterio tempore ingressus assignatæ, statuendum est: non ex eo quòd soluto matrimonio spirituali dotis restitutioni locus sit, † cum non sit eadem huius dotis ratio, cum dote carnalis matrimonij; eo quòd mortuâ Religiosâ, non ad eius hæredes dos transeat, sed in ipso monasterio remaneat: vt concludit Sanch. in præcep. decal. lib. 7. cap. 9. n. 23. Idque potius ex vi generalis consuetudinis, quàm ex dispositione legis, vt ibi idem Author aduertit: †. sed ex eo quia, monacho aut moniali licitè post professionem exeunti, omnia per eam delata vel oblata, sint ipsi aut eius hæredibus restituenda; siuè professionem nulliter emiseric, siue alio modo (licitè tamen) è Monasterio recesserit. DD. in cap. quod re. maximè Abb. n. 5. & 6. de cleric. coniug. Nat. conf. 180. n. 3. Menoch. conf. 184. n. 13. tanquam cessante causa finali propter quam dos constituta fuit. Gratian. discep. foren. cap. 96. n. 24. Atque ita fuit decisum.



CAPVT XV.

De concursu plurium Executorum, ad puellas dotandas testamento deputatorum; & quis ex illis præferendus sit, in nominatione quoad possessorium.

S V M M A R I V M.

1. Commissio data pro executione facienda vni ex duobus, censetur cuilibet data in solidum.
2. Amplia, licet vnus ex duobus executoribus esset alio dignior.
3. Inter plures executores datos in solidum, præferitur ille qui præuenit, & n. 5.
4. Inter plures indices in solidum datos, locus est præuentioni.
6. Executor testamenti qui præuenit, præferendus est in exquendo.
7. Vno executorum nolente, aut negligente; alius solus exequi potest.
8. Iuri accrescendi vel non decrescendi locus est, inter plures executores testamentarios.
9. Presentatio vnius ex compatronis, alterius inra coadiuat. Limita vt ibidem, & infra n. 12. in fine.
10. Executores testamentorum censentur iuri suo renunciare, si intra annum non acceptent munus sibi demandatum.
11. Executores deputati pro administratione dotis puellarum nubiliun, & illarum nominatione, aequiparantur executoribus testamentorum.
12. Possessionis magnum est commodum.
13. Actus gesti per antecessorem in beneficio, i profunt successori.
14. Manuentio datur in quasi possessione eligendi & nominandi puellas, ex elemosina dotandas.
15. Quando non sit opus articulare scientiam in

possessorio.

16. Scientia præsumitur ex temporis diuturnitate, & actibus multiplicatis.
17. Actus non dicitur facultatiuus, nisi de hoc clarè constet.
18. Possessio priuatiua ex quibus probetur.

**T**estator relicta cuiusdam operis pij pro puellis nuptui tradendis administratione Capitulo certæ Ecclesiæ, mandauit distributionem fieri interueniente consensu vnus ex duobus eiusdem Ecclesiæ præcentoribus. Hanc administrationem primi præcentores qui extra Ciuitatem habitare solent, per annos sexaginta à morte testatoris elapsos neglexerunt, solis secundis præcentoribus administrantibus, & omnes actus administratorios exercentibus. Vnde, dum quæreretur vtrum post tanti temporis spatium, primus præcentor secundum in sua quasi possessione dictæ distributionis, seu administrationis turbare posset? Respondi non posse: imò secundum præcentorem in possessorio esse fundatum. † Si quidem hoc in iure indubitatum est per illam clausulam, Vni ex præcentoribus, vtrique ipsorum concessam fuisse præminentiam in solidum, in executione & distributione, ac interuentione in administratione prædicti operis. Menoch. lib. 2. præsump. 18. n. 35. Barbof. de clausul. cap. 125. n. 6. Ita vt vnus sine alio interueniendi facultatem habeat. Vantius de nullit. ex defect. iuridict. ordin. n. 179. † Idque non obstante quòd eorum vnus altero sit maior, & nuncupetur primus præcentor: quia quando vnus est maior seu dignior, & alter minor seu minus dignus, si vterque potest æquè principaliter adiri, tunc etiam si maior esset præsens, non tamen sileret minor propter præsentiam maioris: cap. cum Ecclesiam. de offic. Ordin. Bald. in l. 1. §. Consul. ff. de offic. Consul. Vnde duæ inferri possunt conclusiones. Prima, † quòd locus est præuentioni inter duos illos Præcentores; ita vt qui ex illis præoccupauit administrationem, seu præminentiam ipsius; ille solus continuare debeat. Menoch. d. lib. 2. præsump. 18. n. 37. Vant. d. n. 179. † Vbi dicit, quòd si plures dati sunt iudices, ita vt inter ipsos locus sit præuentioni, quod factum dicitur si commissio vni ipsorum, vel cuilibet ipsorum data sit; tunc si vnus præoccupauerit, alter se immiscere non potest. † Idemque in pluribus Iudicibus executoribus determinat Rot. decis. 783. n. 3. par. 3. recentior. per text. in cap. cum plures. de offic. deleg. in 6. Quod etiam probatur per text. in d. l. 1. §. Consul. ff. de offic. Consul. Vbi dicitur, quòd qui apud vnū ex Consulibus nomina edidit, apud alium Consullem manumittere non potest. Ex quo ibidem ad multa infert Bartol. & nominatim n. 7. Vbi dicit, quòd si Episcopus duos habeat Vicarios, causa cæpta coram vno, non potest continuari coram alio. † Et quod ibi dicitur de Consulibus, Vicarijs, Iudicibus, & similibus; idem pariter de executoribus testamentarijs statuendum est: vt dicit Bald. conf. 473. post. med. vers. sed habemus lib. 2.

Secundò infertur, quòd vno ex præcentoribus absente, vel exequi nolente, potestas ad alium solum deuoluitur per text. in cap. Religiosus. §. sanè. de testam. in 6. Paria enim sunt quòd vnus sit executor, vel quòd sint duo, quorum vnus exequi non vult vel non potest. Mich. Grass. in §. executor ultimar. volunt. qu. 4. n. 4. Dilect. de art. testand. tit. 7. caut. 8. Gratian. discep. foren. cap. 812. Tusc. litt. E. conclu. 534. n. 18. † Quia inter plures executores, locus est iuri accrescendi, seu non decrescendi Bellon. de iur. accresc. cap. 6. qu. 27. Et in terminis nominationis

- tionis puellarum dotandarum, Rot. *decif.* 213. n. 3. par. 5. *recentior.* Tota igitur deuoluta est nominandi facultas ad secundum præcentorem, ob primorum
9. negligentiam durante tali temporis spatio: † sicut dicitur de patrono qui vidit solum compatronum præsentare per plures annos, nam per tanti temporis interuallum tacens, ius suum deferere videtur. Rot. *decif.* 251. n. 4. par. 2. *recentior.* Quod multò magis
  10. in executoribus locum habet, † qui munus suum intra annum acceptare tenentur; aliàs illi renunciasse præsumuntur. Bald. *conf.* 287. n. 4. *vers. quintus casus. vol.* 4. † Quod autem de executoribus dicitur, idè & de nominatoribus puellarum dotandarum statuendum est; ad effectum vt vnus per alium remoueri possit. Gratian. *discip. foren. cap.* 522. n. 3.
  12. Sed cùm magnum sit commodum possessionis, §. *retinenda. Instit. de interd.* dictique primi præcentores non solum propter decem imò & propter sexaginta annorum negligentiam, animo destiterint: ex traditis per Rip. *in cap. cum Ecclesia.* n. 11. *in fin. de caus. possess. & propr. Post. in tract. de manuten. obseru.* 58. n. 2. & 3. *cum ibi citat.* non poterit
  13. denegari secundo præcentori manuentio: † siue tales actus ab ipso, seu ab eius antecessoribus in hoc beneficio facti fuerint. Rot. *post tract. Postij de Manuten. decif.* 194. n. 13. † Nam quòd manuentio nis remedia competant personis, ad electionem puellarum dotandarum deputatis, fuit decifum per Rot. *post dictum tract. de manuten. decif.* 250. n. 1. & *seqq. & decif.* 242. n. 2. par. 5. *recentior.* Post. *in d. tract. obseru.* 10. n. 47. † Adeo vt non sit opus hoc casu, probare scientiam primorum præcentorum, cùm secundi titulum habeant vti comprehensi in nominatione testatoris; quo casu, scientia aduersarij non requiritur, ad obtinendum in iudicio manuentio nis. Castrens. *in l. seruitutes prædiorum* 14. n. 9. *in fin. ff. de seruitut.* Vbi dicit, hoc esse perpetuò menti tenendum. Seraph. *decif.* 1213. n. 5. *in fin. vers. Et postremo.* Rot. *decif.* 533. n. 3. *circa med. par.* 2. *recentior.* † Præterea scientia primorum præcentorum, præsumitur ex diuturnitate temporis, & actibus continuata serie multiplicatis. Burat. *decis.* 222. n. 6. & *decis.* 604. n. 8.
  17. Neque existimandum est, hìc tractari de actibus facultatiuis. Quia facti sunt in vim tituli præcedentis: & per longissimum tempus continuati: & in dubio danda est manuentio, si non clarè constet de actibus facultatiuis, quòd sint tales. Adden. ad Ludouis. *decis.* 162. *litt. C.*
  18. Rursus possessio huiusmodi non cumulatiua, sed priuatiua dici debet; cùm non constet de aliquo initio possessionis primorum præcentorum: & sic secundi non possunt dici possidere nomine illorum, qui nunquam possidere cœperunt. Post. *obseru.* 73. n. 37. & 38. Tum etiam propter tanti temporis continuationem, quæ facit, vt possessio priuatiuè & iure proprio facta censetur: & quòd primi præcentores, animo dereliquerint possessionem, Post. *obseruat.* 73. n. 43. Et diximus *sup.* n. 9. & 12.
- Sed si negotium decidendum esset in petitorio, quæstio esset altioris indaginis, videndam enim esset an antecessores potuerint successoribus in beneficio præiudicare, dum agitur de iure quod habet tractum temporis successuum: iuxta notata infra *cap.* 88. *num.* 5. *hoc libro* 1. & vt rùm supra dicta procedant in actibus qui sunt reiterabiles, & alia multa quæ sunt extra materiam possessorij.



## CAPVT. XVI.

Quando distributio legati pij, facienda est in certum opus, residuum verò hospitali soluendum; si contingat legatum diminui aliquo casu postea succedente, an omnia legata pia pro rata debeant minui, an verò illud quod de residuo præstari debet.


## S V M M A R I V M.

1. Merus executor legati pij, quis dicatur.
2. In dubio is qui legatum pium distribuere debet, dicitur merus executor.
3. Residui appellatione quid comprehendatur.
4. Diminutio legati postea contingens, cedit damno eius cui residuum præstandum est.
5. Merus executor est nudus minister, nec testatoris dispositionem excedere potest.

VT à proposita distributionis pij legati materia minimè recedamus, alius casus tractandus est secundum quem fuit iudicatum: nempe quando testator certos annuos redditus, in pios vsus per quandam confraternitatem distribui mandauit, residuum verò, hospitali persolui: si diminuti fuerint illi redditus propter subsecutas euictiones, damnum solius hospitalis, cui residuum præstari debuerat, iacturæ cedere debere. † Nam isti confratres erant meri executores. Rot. *decif.* 425. n. 1. & n. 10. *vers. prout nec etiam releuat. par.* 4. *recentior.* † Tum etiam quia

2. quotiescumque agitur de legato pio, causa finalis censetur esse ipsum legatum pium: & sic relictum censetur dumtaxat factum mero executori. Ludouis. *decif.* 544. n. 42. *vers. prout etiam censetur.* Vnde cùm voluntas testatoris sit expressa, vt hospitale nihil habeat, nisi residuum quod superesset post certas & determinatas præstationes; sequitur † ap-
3. pellatione residui id solum contineri posse, quod superesset post solutionem certorum illorum onerum, in testamento expressorum: itaut si nihil superesset post solutionem onerum, nihil prorsus hospitali deberetur. *l. quod si manius* 80. *ff. de hered. instit. l. caterorum, & ibi DD. ff. de verb. sign.* † Et si quæ diminutio de præterito euenerit, vel contingat in futurum, illa non fieri debet de certis & determinatis pijs operibus, per testatorem specificatis; sed de residuo hospitali relicto dumtaxat: vt decidit Alexand. *conf.* 216. Magister Albert. n. 4. *lib.* 7. quem citat & sequitur Tusc. *lit. R. conclu.* 255. n. 4. † Vnde sequitur quòd
5. Domini Rectores illius congregationis seu confraternitatis, non potuerunt in aliquo derogare voluntati testatoris, nec plus assignare Hospitali, quam illi relictum fuerit; cùm merus executor, sit nudus minister voluntatis testatoris. Rot. *decif.* 391. n. 2. par. 1. *recentior.* repetita apud Ludouis. *decif.* 544. n. 3. Ea ratione, quia nudus minister non se representat, sed solum testatorem, Bald. *in l. si quis Titio* n. 3. *ff. de legat.* 2.

Et de materia videndus Burat. *decis.* 432. n. 7. Gratian. *discip. for. cap.* 446. & 563. & 666. n. 7. Marta, *de success. leg. par.* 4. qu. 15. n. 19.



CAPVT XVII.

De interpretatione ordinationis Regiæ circa præbendas præceptoriales. Et ad quem spectet electio, seu deputatio magistri scholarum, de iure communi.

SVMMARIVM.

1. Præbendarum præceptorialium prouisio, quomodo fieri debeat ex Concilio Tridentino, & ex Regiæ ordinatione.
2. Voces quomodo computari debeant, in deputatione præceptoris.
3. Nominatio ad præbendam præceptoriam, utrum collegialiter fieri debeat; an verò sufficiat illam fieri separatim.
4. Institutio ad præbendam præceptoriam, ad solum Episcopum pertinet.
5. Nominatio ad præbendam præceptoriam, si contra formam Regiæ Ordinationis ignoranter facta fuerit, potest ad nouam nominationem procedi.
6. Forma cap. quia propter. 42. de elect. qua sit? Et an illius omisio priuet ipso iure eligentes facultate eligendi.
7. Secunda electio facta ante sententiam declaratoriam priuationis, est valida.
8. Intrusus dicitur, qui ante Episcopi institutionem, vel confirmationem, aut aliàs sine legitimo titulo possessionem accipit.
9. Possessionem capiens in casu postulationis, vel electionis, ante Episcopi confirmationem, vel institutionem; dicitur intrusus.
10. Idem dicendum est de eo, qui possessionem capit post presentationem, & ante Episcopi collationem.
11. Electio, est actus spiritualis; presentatio verò, temporalis: ideo ius eligendi non competit laicis, sicut ius presentandi.
12. Ad hoc ut quis dicatur intrusus sufficit, quòd administrauerit, & spiritualia exercuerit absque perceptione fructuum temporalium.
13. Nominans scienter intrusum, vel aliàs inhabilem, priuatur iure nominandi pro illa vice.
14. Intrusionis mentio in prouisionibus facienda est, ad hoc ut sint valide.
15. De iure communi, ad quos spectet deputatio magistri scholarum.
16. Decuriones quamuis ignorantes eligunt magistrum scholarum, & aduocatum. Secus est in examine Doctorum, quod debet fieri per peritos.
17. Deputatio magistri scholarum, dum ab ordine Decurionum fieri debet, collegialiter est facienda.
18. Magistri scholarum quamuis à concilio deputati, debent facere fidei professionem, & Episcopus illos examinare potest.

1. SACROSANCTI Concilij Tridentini constitutione sess. 5. de reformat. cap. 1. cauetur, quòd Ecclesiæ quarum annui prouentus tennes fuerint, saltem magistrum habeant ab Episcopo, cum consilio capituli eligendum, qui clericos aliòsque scholares paupe-

res gratis Grammaticam doceat. Sed ordinatio Regiæ latiùs se se extendit: mandat enim in omnibus Ecclesijs Cathedralibus vel Collegiatis, reseruari præbendam Theologalem; iuxta formam, & ad effectus in ordinatione contentos. Et si præbendæ dictæ Ecclesiæ excedant numerum decem, ( principali dignitate non comprehensà ) aliam præbendam destinari pro salario præceptoris, qui gratis iuuenes illius ciuitatis eo mediante instruere teneatur. Qui præceptor eligetur per Archiepiscopum, vel Episcopum, vocatis suarum Ecclesiarum Canonicis, & Consulibus ciuitatis; & destitui poterit per Episcopum, vel Archiepiscopum, ex opinione supradictorum: quam ordinationem refert Theueneau lib. 1. tit. 7. artic. 2.


De cuius ordinationis praxi & interpretatione cum dubitari contingeret; Dixi in primis, electionem illius qui de illa præbenda præceptoriali prouideri debet, spectare ad Episcopum pro vna voce; capitulum, pro alia; & consules pro tertia. Atque ita iudicatum fuisse testatur Maynard. lib. 1. cap. 13.

Secundò dictam nominationem præceptoris, ab illis tribus ad quos ius nominandi pertinet, fieri posse coniunctim & collegialiter, vel separatim. Quamuis enim nominatio pro parte capituli, non nisi capitulariter fieri possit; cum ius nominandi ad capitulares pertineat, non uti singulos, sed uti vniuersos; capitulum tamen quoad alios nominatores vel electores, non interuenit nisi tanquam constituens vnã personam fictam, & habens vnã vocem; dictique tres non nominant uti vnum corpus, sed uti tres nominatores; & per consequens possunt procedere ad nominationem coniunctim, vel separatim; absque eo quòd inter ipsos opus sit vlla congregatione: iuxta doctrinam Io. Andr. & Panormit. in 2. dubio. in cap. quoniam. de iure patr. Dec. in cap. cum omnes. n. 9. in fine, de instit. Ricc. in praxi iuris patr. decis. 177. Rot. decis. 2. n. 3. par. 7. recentior.

Tertiò institutionem dicti præceptoris ad solum Episcopum, vel Archiepiscopum, non autem ad consules vel capitulum pertinere; cum alij præter Episcopum vocem habeant dumtaxat, sed institutio ad solum Episcopum, vel Archiepiscopum pertineat. Ita ostendit Charond. Aux responses du droit françois lib. 3. resp. 61. vers. car l'election & prouision du precepteur.

Quartò quòd si in nominatione seu electione per capitulum vel consules facta, aliquis adesset defectus in forma electionis; ijdem nominatores vel electores possent nouam facere electionem, seruata formã requisitã, neque priuari iure eligendi, nisi si & quatenus electionem scienter, contra formam debitam fecissent de persona indigna, Francisc. Marc. qu. 481. n. 13. par. 1. †. excepto casu cap. quia propter, 42. de elect. vbi est casus specialis aduersus eos, qui ad electiones non procedunt, seruata vnã ex tribus formis, nempe scrutiniij, compromissi, vel inspirationis. Burat. decis. Rot. 809. n. 14. & 15. imò etiam in casu d. cap. quia propter. Electores non priuantur iure eligendi ipso iure; sed requiritur ut præcedat sententia declaratoria dictæ priuationis: textus enim in d. cap. quia propter. conceptus est per verba futuri temporis, priuentur, prout explicat Tiraqu. ad l. si vnquam. in verb. reuertatur. n. 177. Cod. de reuoc. donat. † Et idèd noua electio facta ante sententiam declaratoriam priuationis, non potest de nullitate impugnari: cap. cum terra. de elect. Menoch. conf. 67. n. 28. & 29. Loth. de re benefic. lib. 2. qu. 19. n. 66. & 67. & lib. 3. qu. 17. n. 105.

8. Quintò, ex præmissis infertur, quòd si quis de præbenda præceptoriali à capitulo prouisiones obtinuerit, & sub illius prætextu possessionem obtinuerit, tanquam sine legitimo vel colorato titulo possidens, dicitur intrusus; si possessionem apprehenderit, & in illo munere se se ingesserit, & exercuerit: licet enim forsan collatio aliarum præbendarum ex statuto, fundatione, vel consuetudine ad capitulum pertineret; tamen cum præbendæ præceptorialis prouisio, ex clara ordinationis Regiæ dispositione, ad Archiepiscopum vel Episcopum pertineat; vt etiam tradit Charond, *loc. cit. nempe lib. 3. respons. 61.* Sequitur sic possidentem esse intrusum: *cap. ad aures. de excess. prælat. cap. quia diuersitatem. de concess. præb. Rebuff. in praxi ad regul. Cancellar. de subrogand. gloss. 4. n. 4. Ricc. in praxi var. resol. cap. 224. DD. in cap. auaritia. de præbend. in 6. † Quia dispositio dicti cap. auaritia. aduersus eos qui ante Episcopi confirmationem, vel institutionem, possessionem accipiunt, locum habet; non solum in casum electionis, vel postulationis; cap. bona memoria Moguntinensis. de elect. † Sed etiam in casum præsentationis. Franc. in d. cap. auaritia. n. 2. Calderin. conf. 8. de elect. Lap. allegat. 8. sub n. 4. & 5. vers. sic & pœna.*
10. Hoc autem in casu, dum agitur de nominatione vigore Regiæ ordinationis facienda, non potest prætendi quòd agatur de iure eligendi; cum electio sit actus spiritualis. Abb. in cap. illa quidem, sub n. 5. vers. præsertim cum electio. de elect. Quia per electionem is qui eligitur, acquirit ius spirituale: præsentatio verò est actus temporalis, per quem non transfertur in præsentatum, ius aliquod spirituale; sed aliqua dumtaxat præparatio ad ius spirituale acquirendum. Abb. in cap. quod sicut §. super eo. n. 6. de elect. Potius ergo ad præsentationem, quam ad electionem nominatio huiusmodi accedere videtur.
11. Sed quæritur quid dicendum, si talis à capitulo prouisus, nullos ex illa præbenda fructus adhuc perceperit; vtrum propterea cesset vitium intrusionis? Respondetur, vt quis dicatur intrusus, sufficere quamlibet fructuum perceptionem, siue temporalium siue spiritualium: & sic sufficere ad incurrendum vitium intrusionis, quòd quis actus suo muneri incumbentes exercuerit, etiam absque vlla fructuum temporalium perceptione. Rot. diuersor. decis. 83. n. 4. par. 3. lib. 3. Put. decis. 45. lib. 3.
12. Rursus quæri potest, vtrum sic nominantes iure nominandi sint priuati, vel priuandi; casu quo primæ nominationis nullitatem agnoscentes, eundem prius nominatum iterum præsentauerint Episcopo, seu nominauerint? Respondetur, dictos nominantes inhabilem & intrusum scienter, priuatos fuisse pro illa vice iure suo; & ius illud ad solum Episcopum per ius non decrescendi deuolutum fuisse. Rip. in l. re coniuncti. n. 234. ff. de legat. 3. Præses Bellon.
13. de iur. accrescen. cap. 6. qu. 48. n. 28. † Adeo vt ne quidem in Legatione obtineri possint nouæ prouisiones, aut in Vrbe ad fauorem eiusdem, nisi facta mentione intrusionis. Ioan. de Selu. de benefic. par. 3. quæst. 11.
14. Sed quid dicendum, cessante ordinatione Regiæ, ad quem pertineat deputatio magistri scholarum? Respondetur de hoc esse textum in cap. quia nonnullis. vers. verum. de magistr. in decretal. in illis verbis, *constituatur magister idoneus à prælato cum capitulo, seu maiori & saniori parte capituli eligendus, qui Clericos in Grammatica ac alios instruat iuxta posse.* Quod etiam probatur per textum expressum in l. magistros. Cod. de profess. & medic. lib. 10. ibi, sed iudicio Ordinis probatus decretum Curialium mereatur, & ibid. tradit Gloss. in verb. Ordinis. quæ explicat, id est. *Decurionum;* & ad hoc allegat *text. in l. 1. ff. de decret. ab Ord. fac.* quæ duo iura Ciuile nempe & Canonicum; cum illud, *Decurionum;* hoc vero, capituli consensum exigat, sic concordentur; videlicet quòd si magistri salarium ab Ecclesia recipiant, aut legere vellent in Theologia, consensus capituli requiratur: si verò salarium soluatur per communitatem, requiratur consensus *Decurionum,* iuxta d. l. magistros. Cod. de profess. & medic. lib. 10. & l. ambrosiana in fin. ff. de decret. ab Ord. facien. Et ita distinguit Rebuff. in d. l. magistros n. 3.
15. Et hac in re omnino notanda est differentia, quam affert Luc. de penn. in d. l. magistros. col. 2. in fin. vers. vel dic quod hæc lex. inter approbationem quæ fit pro Doctoratu, & eam quæ fit pro lectura alicuius scientiæ in studio ordinario: quia licet pro Doctoratu requiratur examen personarum eiusdem professionis, neque approbatio fieri debeat ab ordine *Decurionum;* tamen pro lectura in studio ordinario, sufficit approbatio *Decurionum;* aut aliàs iuxta statuta, ordinationes, vel consuetudines locorum. Quod probatur etiam à simili, cum deputatio Aduocatorum cõmunitatis fiat per ipsos *Decuriones,* seu *Consiliarios;* quamuis non *Doctores & iuris ignaros: l. sed & reprobari. in princ. ff. de excusat. tut. & in l. vt gradatim. §. reprobari ff. de munerib. & honor. quia scilicet habent salarium à publico. l. prouidentium. ff. de postuland. l. fori. Cod. de aduocat. diuers. iudic.*
16. Dictaque electio magistrorum quæ pertinet ad collegium, seu Concilium aut Ordinem, cuius sumptibus illis salarium soluitur; non debet fieri per *Decuriones* vt singulos, vt euitetur confusio: sed collegialiter, tanquam representantes totum corpus: vt probatur ex traditis per Cardin. Zabarel. in *Clement. 1. vers. quibus. n. 4. maxime circa fin. sub. tit. de magistr. & ibid.* Ancharan. idem tradit Auendan. in tract. de exequen. mandat. Reg. par. 2. cap. 10. n. 9. vers. omnium autem.
17. Cæterum isti magistri etiam in Grammatica, quamuis per Concilium deputati, tenentur facere professionem fidei, & Episcopus potest illos examinare. Barbof. de iur. Eccles. lib. 1. cap. 13. n. 44. & seqq. & de potest. Episc. allegat. 61. n. 2. Portel. in dubijs regular. in verb. professio fidei. n. 3. Cherub. in summa bullar. ad constitut. 89. Pij IV. Quarant. in verb. fidei professio. Eman. Roderic. tom. 2. qu. 72. artic. 1. Vbi vigesimam octauam Pij IV. constitutionem desuper editam ad longum refert.



## CAPVT XVIII.

Vtrum Commissarius generalis ad infideles habeat vocem passiuam in electione Prouincialis sui ordinis.

## S V M M A R I V M.

1. Onus Commissarij generalis ad infideles, requirit personalem residentiam.
2. Commissarij generales ad infideles, habent iurisdictionem ordinariam in Religiosos, in illis partibus degentes.
3. Officium Commissarij generalis ad infideles, dimitti

*mitti non potest sine auctoritate summi Pontificis.*

4. *Electus à summo Pontifice ad aliquod officium, aut ab illo confirmatus; non potest illi renunciare, nisi in manibus ipsius.*
5. *Per acceptationem officij secundi incompatibilis, inducitur tacita renunciatio primi.*
6. *Qua sit differentia inter postulationem, & electionem.*


**P**roponitur difficultas, vtrum Religiosus qui à summo Pontifice deputatus fuit Cómmissarius generalis missionis ad infideles, in remotissimis partibus degentes; possit habere vocem passiuam in electione Prouincialis, & aliorum officialium sui ordinis, post acceptatam per eum dictam commissionem. In qua resoluendum est, dictum Religiosum non esse capacem vocis passiuæ, in dicta congregatione capituli prouincialis, pro obtinendis officijs dicti ordinis: † quia certum est, dictam commissionem generalem, esse omninò incompatibilem cum exercitio officiorum dictæ prouinciæ; vt pote requirentem personalem residentiam: adeo vt in nonnullis religiosorum ordinibus constitutum fuerit, tales Commissarios reuerti non posse ante decennium completum: vt notauit Mirand. *in manual. prelat. regular. par. 2. qu. 14. art. 3. in 3. conclu.* † Qui quidem Commissarij generales, habent iurisdictionem ordinariam in religiosos in illis partibus degentes: vt per eund. *loc. cit. art. 2. in prima conclus.*

3. Quod quidem Officium certum est dimitti non posse; aut illi renunciari, sine auctoritate eiusdem summi Pontificis, qui illud concessit: vt notatur in *cap. admonet. 4. & cap. quod in dubijs. 8. de renunciat. probat. text. in l. Legatus 20. ff. de offic. Presid. & ibi Gloss. & DD. in Clemen. 1. de renunciat. ibi in cuius manibus cessio erat facienda, Abb. in cap. 2. n. 10. de restit. spoliar. Francisc. Marc. qu. 626. n. 6. & 629. par. 1.*

4. Et hoc non solum procedit, posito quòd dictus Commissarius fuerit immediatè deputatus à Sancto Pontifice: verum etiam locum habet, etiam si fuisset electus à R. P. Generali, aut à capitulo; sed tamen per summum Pontificem confirmatus: quia Officij renunciatio fieri debet, non in manibus eligentis, sed confirmantis. Bartol. *in l. 2. Cod. de defens. ciuit. Dec. in l. ius dicentis. n. 47. ff. de iurisdic. om. iud. l. more maiorum. n. 26. & ibi Ias. n. 31. ff. cod. tit. Surd. conf. 385. n. 33.*

5. Ergo cum per acceptationem officij incompatibilis, inducatur tacita renunciatio dictæ commissionis generalis; non potest dictus R. Pater ad tale officium eligi, cum non sit hic casus electionis, sed postulationis; hoc est, quòd non debet eligi, sed à summo Pontifice postulari; cum sit alteri officio alligatus, liberumque non habeat volatum. † Postulantes enim non consentiunt in postulatum, nec illum eligunt; sed petunt gratiosè vt tollatur vinculum, seu defectus impediens electionem per eum qui hoc facere potest. Petr. à Biaxio *in director. elect. par. 2. cap. 34. n. 3.* Et notatur *in cap. Et si unanimitèr. quod est vltimum, & ibi Gloss. & DD. de postulat. prelat.* Ad instar Episcopi, qui alteri Ecclesiæ iam est alligatus, qui non potest eligi; licèt postulari possit à Papa, vt absoluat ab onere Episcopatus: *d. cap. fin. de postulat. prelat. Mirand. d. tom. 2. quæst. 23. artic. 11. conclus. 5. vers. circa septimum.*

Non potest igitur dictus Religiosus eligi, sed tantum postulari.



CAPVT XIX.

De requisitis ad probationem Simonix, nempe tractatu præcedenti; & quòd in illius executionem pecunia, vel alia res temporalis data fuerit. Et vtrum possit dari alteri pecunia, pro expensis factis circa beneficium, vel ad redimendam vexationem.


SVMMARIVM.

1. *In crimine Simonia, requiritur exacta & concludens probatio.*
2. *Simoniam est difficilis probationis, & probatur ex coniecturis; sed oportet illas coniecturas plenè & concludenter probari.*
3. *Vt probetur Simonia, debet constare de duobus; nempe de præcedenti conuentione, & quòd pecunia vel res temporalis data fuerit in executionem illius conuentionis.*
4. *In probatione Simonie non admittuntur testes inimici, nec probationes imperfectæ coniunguntur.*
5. *Amplia vt locum habeat in quacunque accusatione criminali, imò etiam si de crimine ciuilitèr ageretur.*
6. *Si de Simonia opponeretur per viam exceptionis, sufficerent leniores probationes.*
7. *Pecunia non potest dari pro beneficio, etiam sub prætextu expensarum. An verò dari possit ad redimendam vexationem. Remissiuè n. 10.*
8. *Pecuniam dare potest possessor beneficii, ad redimendam iniustam vexationem.*
9. *Qui beneficium non possidet, sed illud petit; non potest dare pecuniam, etiam sub prætextu redimendæ vexationis.*

**C**um quidam Præbiter in curia Episcopali Cualicensi, fuisset de Simonia accusatus; Respondi de ea non constare; & idèò accusatore non probante, reum esse absoluendum. *l. qui accusare. Cod. de eden. † Et maximè quia in crimine Simonie, requiritur exacta & concludens probatio, Felin. in cap. super his. n. 17. de accusat. Rot. decis. 418. n. 4. par. 1. recentior.* cum Simonia sit difficilis probationis, cap. per tuas. de Simon. † Et licèt per coniecturas probetur, illæ tamen debent esse concludentes, & euidentés. Clar. *in §. Simonia. n. 12. Mascard. de probat. conclu. 1310. n. 27. Paris. de resignat. lib. 14. qu. 8. num. 14.* talisque coniecturæ debent plenè & concludenter probari. Paris. *ibid. n. 15.*

In casu proposito, non constabat de requisitis ad probationem Simonie: quia licèt reus dixisset extraiudicialiter, se fratri resignantis centum aureos dedisse, pro expensis per eum in lite factis: inter cæteras rationes defensionis huius rei, hæc erat præcipua, † quòd non erat probata accusatoris intentio; nisi simul doceret hæc pecunias, in vim præcedentis resignationem conuentionis fuisse expeditas. Farinac. *conf. crimin. 75. n. 2. 3. 15. 16. 38. 80. & 83. & passim in toto illo consilio. Ludouis. decis. 238. n. 10. Rot. decis. 166. n. 2. & 9. par. 2. recentior. Mascard. conclus. 1311. num. 4. 5. & 6. Idem Ludouis. decis. 517. num. 30. & 31.*

4. Accedebat testium inimicitia, cum etiam in crimine Simonie, & aliis; quamuis sint difficilis probationis, testes inimici non admittantur: Ludouis. *decif. 517. num. 6. & sequent.* Sicuti, nec singulares; cum probationes imperfecte hoc casu non coniungantur. *Ludouis. ibid. n. 18. †.* Quod generaliter locum habere vult, in omnibus iudiciis criminalibus, etiamsi de crimine ciuilliter ageretur.
- Quod tamen sic intelligendum est, vt locum habeat quando Simonia per modum accusationis proponitur; prout in hoc casu: † si enim per modum exceptionis proponeretur, ex tractatu præcedenti colligi posset id quod postea datum est, fuisse expensum in executionem pacti antea conuenti; si alia concurrerent verisimilitudines. *Loth. de re benefic. lib. 3. qu. 29. n. 61.* Vbi sic intelligendam monet decisionem Seraphini 237. nec non 244. Vbi ex probatione tractatus, & plurium actuum in illius executionem factorum, decisum fuit constare de Simonia.
7. Poterat etiam dici, quod licet non possit dari pecunia alicui, vt renunciet beneficio, etiam sub prætextu expensarum: vt per Mohedan. *decif. 5. de Simon. Put. decif. 42. in correct. per tex. in cap. cum pridem. 4. de pact. Paris. de resig. lib. 14. tit. 7. n. 1.*
8. †. Tamen cum accusatus iste beneficium possideret, & litigans cum eo non haberet ius in eo; nec in sua præensione fundatus esset: potuit ipse colliganti pecuniam, vel aliquid aliud temporale dare, vt liti iniuste renunciaret, ad redimendam vexationem *Burat. decif. 307. num. 5.* Vbi subdit hoc casu non requiri superioris auctoritatem in renunciatione: ex traditis per *Garf. de benefic. par. 11. cap. 3. num. 249. Paris. de resignat. lib. 7. quest. 1. num. 104. †.* Loquor de beneficii possessore: nam petitor non potest dare pecuniam, etiam ad redimendam vexationem: *Loth. de re benefic. d. lib. 3. quest. 29. num. 129. & 130. †.* Copiose hanc materiam tractat omnes casus distinguens *Sanchez in opere morali lib. 2. cap. 3. dub. 30. per tot.*



## CAPVT XX.

An Moniales cogi possint præsertim in Gallia, ad obseruationem clausuræ, non obstante consuetudine in contrarium, cuius initij memoria non extat.

## S V M M A R I V M.

1. *Moniales cogenda sunt ad clausuræ obseruationem, non obstante qualibet exemptione; & quoad hoc, subiiciuntur iurisdictioni Episcopi.*
2. *Virum in Gallia, Episcopi possunt cogere Moniales ad clausuræ obseruationem, qua tempore professionis ipsarum non obseruabatur.*
3. *Religiosi non possunt cogi ad austeritates regulæ quas non sunt professi. Distingue vt num. 5. & 6.*
4. *Text. in cap. 1. de stat. regul. lib. 6. non est receptus in Gallia. Sed tamen obseruanda est illius dispositio, nec non Concilij Tridentini quoad clausuram, & de hoc adest Regia ordinatio, vt n. 7. & 13.*

8. *Consuetudo immemorialis, & priuilegium pari passu ambulans.*
9. *Papa derogat primitiua regulæ Religiosorum in ijs, qua non respiciunt tria vota substantialia: veluti in ordine Præmonstratensi, dum cauebatur professos non posse remoueri à domo, in qua professionem emisserant; cui Regula summus Pontifex derogauit.*
10. *Consuetudo irrationabilis, nulla præscriptione temporis roboratur.*
11. *Clausuræ rigor non pendet à monialium voto, sed à lege Superiorum.*
12. *Puella quæ non viuunt in congregatione aliarum, non possunt cogi ad seruandam clausuram.*

**N**ON est dubitandum; quin constitutio Fel. Re. 1. cor. Bonifacij VIII. in cap. periculoso. De stat. regular. omninò debeat obseruari, & iuxta ipsam omnes Religiosæ expressè vel tacitè professæ, quocumque nomine nuncupentur: etiam si aliàs ad clausuram minimè tenerentur; ad eam nihilominus cogendæ sint per Episcopos, qui hac in re auctoritatem & iurisdictionem habent, etiam super monialibus exemptis: cum dispositio illius cap. periculoso. fuerit confirmata in Concilio Trident. *sess. 25. de regular. & monial. cap. 5.* Et per constitutionem sanctæ mem. Pij V. editam anno 1566. 4. Kalend. Iunij de quibus fusè Bonacin. in tract. de clausura monial. & alij allegati per *Barbof. super d. Concil. Trident. loc. cit.* quæ hîc non repeto.

Sed quia in Gallia plurima sunt monasteria, in 2. quibus clausura non fuit hætenus obseruata; fui sæpius interrogatus vtrum Episcopi in Gallia possint cogere moniales ad obseruantiam clausuræ, non obstante antiqua & immemoriali consuetudine, aut priuilegio huiusmodi monasteriorum. In qua quæstione fui aliquando dubius propter punctuale consiliu Oldradi 96. incipit, *Nunquid monacham.* Vbi mouet dubium, vtrum Papa possit includere monacham contra suam voluntatem; & pro affirmatiua inducit textum in *d. cap. periculoso. de stat. regul. lib. 6. †.* 3. Sed tamen in contrarium considerat, quod ab initio datur ingresso annus probationis, vt monasterij austeritates experiatur; quæ si sibi non placeant, potest infra illum annum exire: vt in *cap. ad Apostolicam. de regular.* Ergo non videtur, quod contra suam voluntatem, cogi possit ad asperioris regulæ obseruantiam; nisi saltem sibi detur alius annus, intra quem clausuræ rigorem experiatur: quibus addi potest text. in *cap. insinuante. Qui cleric. vel vouen.* In quo constat solemnem professionem emitti posse per fœminas, ea conditione vt in domo propria remanerent.

Præterea videtur, quod text. in *d. cap. periculoso. 4. de regular. in 6.* non sit receptus in Gallia; cum ita testetur *Glof. & Ioan. Andr. in d. capit. periculoso.* Vbi refertur arrestum Curie Parlamenti contra Archiepiscopum Burdegalensem: vnde duo casus referuntur apud *Bouchel in summa benefic. in verb. Religieux. pag. mihi 938.* In quibus religiosi ad strictiorem regulam cogi non possunt. †. Primus est, quando professio fuit limitata ad certam regulæ obseruantiam, veluti si professionem emittens, dicat se profiteri v. g. Sancti Francisci regulam, eo modo quo nunc obseruatur: & eo casu non potest postea ad strictiorem obseruantiam cogi: quia actus agentium, ultra eorum intentionem operari non possunt. *l. non omnis. ff. si certum pet. & limitata causa, limitatum producit effectū. l. in agris ff. de acq. rer. dom. & super hoc refert Hostiens. in sum. in tit. de vot. §. vtrum.* Secundus

6. Secundus casus est, quando per tempus immemoriale, laxior regula fuit obseruata; quo casu cum noua videatur introduci regula, non est quis ad illam adstringendus. Panormit. in cap. Deus qui. 11. de vit. & honest. cleric.
7. His tamen non obstantibus, re diligentius consideratâ, & in deliberationem deductâ cum vitis admodum eruditis; Censuimus ex vi ordinationis Regiæ, quæ Concilio Tridentino conformis est: cogi posse quascumque Moniales in congregatione viuentes, ad obseruantiam clausuræ; non obstante quacumque contraria, etiam immemorali consuetudine. Atque ita de iure interrogatus, Respondi quibusdam Prouinciæ Monialibus, anno 1641. licet aliàs re non ita discussâ, aliud sensissem an. 1632. Si quidem Regia ordinatio monet Episcopos, Archiepiscopos, & alios Superiores Monasteriorum Religiosarum, vt diligenter & serid incumbant restitutioni & manutioni clausuræ ipsarum; illasque ad id cogant per censuras Ecclesiasticas, & alias pœnas iuris: iniungendo Regiis officialibus, vt ipsis opem & auxilium ad hunc effectum præstent. Prohibendo dictis monialibus ne post factam professionem, sub quocumque tempore, aut sub quocumque prætextu seu colore, à monasterio exeant; nisi legitima de causa ab Episcopo aut Superiori approbanda. Et hoc non obstantibus omnibus dispensationibus, vel priuilegiis in contrarium. Hæc sunt verba Regiæ ordinationis, quæ continent derogationem omnium priuilegiorum, & dispensationum quarumcumque quæ in contrarium allegari possent; adeo vt eadem ratione imò & multò fortius, cuiusque consuetudini quâuis immemorali derogatum per dictam constitutionem censeatur: † cum consuetudo immemorialis, & priuilegium pari passu ambulent. Felin. in cap. accedentes, 11. n. 6. de prescrip. Rot. decis. 614. n. 2. par. 2. recentior. & decis. 11. n. 2. & 3. ead. par. 2. † Vnde propter vim clausulæ derogatoriæ, cum aliàs orta esset controuersia inter Religiosos ordinis Præmonstratensis, vtrum censeretur sublata primitiua dicti ordinis regula in certis capitibus, in hæc vsque tempora obseruata consuetis, per confirmationes factas in fauorem reformatorem eiusdem ordinis: fuit aliàs decisum in Rota Romana, per plures decisiones, derogatum fuisse regulæ in illis capitibus quæ non erant contraria tribus votis substantialibus. Religionis; nempe paupertatis, castitatis, & obedientiæ: veluti in eo capite in quo fuerat stabilitum, religiosos professos ceneri affiliatos illius domus, seu monasterij in quo professionem emiserant; & rectè factam fuisse regulam in contrarium, quòd liceret religiosos, Superiore volente, ad eius libitum, ab vno monasterio ad aliud eiusdem ordinis transferre: vt per Rot. decis. 4. n. 9. & 333. n. 4. part. 6. recentior. in Tullensi reformationis, ann. 1630. & 1631. coram eruditissimo & illustriss. Domino meo Domino du Noizet Rotæ Decano.
10. Nec potest allegari aliqua temporis etiam immemorialis præscriptio, quando agitur de consuetudine irrationabili, vel iniqua, aut bonis moribus contraria; qualis est ea, quæ Moniales extra clausuram diuagantur: cap. final. de consuetud. † Non obstat consil. Oldrad. 96. Quia procedere potest, quando agitur de noua regula introducenda, contra primam institutionem: & de iis in quibus non versatur utilitas publica, & periculum pudicitiae virginalis & honestatis, prout in casu isto; cuius fauore certum est potuisse summum Pontificem, & cum eo Regem Galliae Christianissimum constitutionem prædictam edere, quæ Moniales ad clausuram obligentur: si


quidem clausuram seruare, aut non seruare, non dependet à voluntate monialium: sed ipsis etiam inuitis & reluctantibus, possunt supremi Moderatores, penes quos huius rei potestas est, illas ad clausuræ obseruantiam cogere; non ex ipsarum voluntate, sed ex legis & constitutionis potestate, & autoritate: vt dicit Bonacin. in tract. de clausur. quæst. 1. punct. 2. n. 5. Mirand. de Monialib. in 1. qu. art. 4. conclus. 6. vers. sed moneo. Vnde summus Pontifex in sua constitutione, foundationibus & consuetudinibus etiam immemorialis expressè derogauit.

Secundum argumentum petatum ex d. cap. infinuante. Qui cleric. vel vouen. locum habere possit, si ageretur de voto emisso ab ea, quæ non vult in congregatione viuere; nam quoad moniales in aliarum coetu & congregatione viuentes, non possunt se eximere à clausura, propter claram legis & constitutionis prohibitionem: ex tradit. per Bonac. loc. proximè cit. Et propterea non assentior rationi allatæ per Scott. in select. Pontific. constit. Theorem. 227. dum voluit clausuram, in voto castitatis antecederet promissam ceneri: quia Respondeo votum castitatis extra congregationem sine clausura subsistere posse.

Ad id quod tertio loco dicitur, ex Glos. & Ioan. Andr. in d. cap. periculoso. 1. de stat. regular. in 6. Respondetur hodie constitutionem illam super monialium clausura, editam fuisse per Regiam ordinationem, quæ non vigeat tempore Ioan. Andræ. Imò & dictam sanctæ memoriæ Pij V. constitutionem ann. 1566. editam obseruandam esse in Gallia testatur Theuen. ad ordin. Reg. lib. 1. tit. 10. art. 8. & 9.

Quod verò opponitur de professione limitata ad certam regulam, & ad certam viuendi normam; eandem admittit responsionem, quæ in responsione ad secundum argumentum allata est: vt locum quidem habeat in ea, quæ separatim in domo sua viuere desiderat; non autem in ea quæ in congregatione aliarum monialium religiosum statum ducere vult: ex Bonacin. & Mirand. ubi sup.

Similiter, & ad id quod opponitur de consuetudine immemorali, superius responsum fuit, sublatum esse omne priuilegium, & consuetudinem, ex mente constitutionum in hac materia editarum: preferim quando talis consuetudo non est rationi consentanea: vt supra diximus num. 10. Nam per clausulas generales nonobstantiarum, censeatur huic consuetudini irrationabili derogatum, Rot. decis. 71. num. 6. & 7. part. 5. recentior. Addent. ad Burat. decis. 435. num. 16.



C A P V T X X I.

An solus Superior Regularis possit dare licentiam Monialibus, in casibus licitis, à monasterio egrediendi: an verò etiam Episcopi licentia requiratur. Et vtrum Confessarius monialium qui non impedit talem egressum, puniendus sit pœnis contentis in Bulla Pij V. Et quid circa hoc obseruetur in Gallia, & Hispania.

S V M M A R I V M.

1. Licentiam egrediendi à Monasterio iustis de causis, Superiores Regulares sine Episcopo

concedere possunt, ex multorum sententia. Alij tamen contraria fuerunt opinionis, ut num. 2. Et hæc sententia verior est, & conformis declarationi sacrae congregationis Concilij. num. 3.

4. In Gallia sufficit licentia solius Episcopi, vel solius Superioris Regularis, ut moniales egrediantur à monasterio. Item in Hispania num. 5.
6. Quæ pœna per Bullam sanctæ mem. Pij V. imponantur monialibus, & Superioribus, sine licentia legitima egredientibus, vel egressum permittentibus.
7. Moniales sanctæ Clare, speciale votum clausuræ emittunt.
8. Confessarius excusatur à pœna constitutionis editæ super clausura monialium, si classicorum Doctorum sententiam quamvis erroneam sequatur.
9. Confessarius tenetur obedire sui Superioris præcepto, etiamsi dubius sit verum illud sit iustum, an non.
10. Subditus tenetur suo Superiori obedire, quando solam habet dubitationem, utrum quod sibi præcipitur sit illicitum; si id non cognoscat evidenter.
11. Confessarius tenetur præcepto sui Superioris obedire, quando id quod præcipitur iustum est; sed solum dubitatur de auctoritate & potestate, iubentis.

**D**Vbium mihi à quodam Religioso probo & erudito, qui nonnullarum monialium confessiones audiebat, ex Superiorum commissione sibi data, propositum; duo continebat capita. Primum, ad quem spectet facultas dandi licentiam Monialibus exeundi, in casu licito, à monasterio; an ad Superiorem regulam habentem iurisdictionem quasi Episcopalem solum, an verò ipsius etiam Episcopi licentia copulatiuè requiratur. Secundum, utrum Confessarius Monialium qui non impedit illarum egressum, incidit in pœnas contentas in Bulla fel. recor. Pij V. si ultra sui Prouincialis licentiam, non curauit adiungi licentiam egrediendi, in scriptis ab Episcopo concedendam.

1. Ad primum dubium Respondi, varias circa quæstionem illam reperiri Doctorum sententias. Nam quòd sola Superioris Regularis licentia sufficiat, veluti Prouincialis, aut alterius iurisdictionem quasi Episcopalem habentis, tenuit Nauar. *conf. 48. num. 6. de regular. in respons. ad 2. quæst.* Iacob. de Graff. *part. 1. lib. 4. cap. 23. num. 6.* Eman. Roderic. *quæst. regular. tom. 1. quæst. 49. artic. 6.* Mirand. *de sacris monial. quæst. 3. art. 6.* Portel. *in dubijs regul. in verb. clausura monialium. §. egressus. num. 26.* Hieron. Roderic. *resol. 26. num. 41.*
2. Contrarium tamen tenuit Barbof. *in tract. de potest. Episc. par. 3. alleg. 102. num. 28. & in tract. de iur. Eccles. lib. 1. cap. 44. num. 89.* Ioan. Bap. Scott. *in select. Pontif. constit. theorem. 228. vers. declarat etiam.* Tambur. *in tract. de iur. Abbatiss. & Monial. dispu. 20. quæst. 5. num. 6. & 11.* Eandemque sententiam probat Sanch. *in præcep. decalog. part. 2. lib. 6. cap. 15. num. 28.* Quòd tamen intelligendum est, ut procedat, nisi constitutionibus religionis aliter cautum sit: ut testatur Bonacin. *in tract. de clausur. quæst. 1. punct. 8. num. 1.*
3. In hac Doctorum contrarietate, posterior sententia tenenda est; nempe, non licere Monialibus subiectis sedi Apostolicæ, vel Superioribus regularibus,

egredi è monasterio in casibus per Bullas & constitutiones Apostolicas exceptis, nisi adfit simultaneus consensus tam Episcopi, quàm Superioris regularis: adeo ut si illæ quæ Superioribus regularibus subditæ sunt, ausæ fuerint egredi, cum sola Superioris regularis licentia; nec illam simul ab Episcopo habuerint: puniri possint per Episcopos loci ordinarios, pœnis in Bulla Pij V. contentis, non obstantibus quibuscumque priuilegijs, & exemptionibus in contrarium. Sic enim determinauit sacra Concilij congregatio, teste Barbof. *in decis. Apostol. collect. 509. n. 6.*

In Gallia tamen, sola Superioris Regularis licentia sufficit, neque vlla infligitur pœna monialibus, sic è monasterio egredientibus: quia Regia ordinatio loquitur alternatiuè, requirens licentiam Episcopi, vel Superioris. † Idemque in Hispania seruari testatur Theueneau *ad ordin. Gall. lib. 1. tit. 10. art. 9.* Scott. *dicto Theorem. 228.*

Pro responsione ad secundum dubium, supponendum in primis est; quòd per Bullam sanctæ memor. Pij V. quæ inseritur apud Quarant. *in summ. bullar. in verb. monasteria monialium.* renouata fuit constitutio *cap. 1. de stat. regul. in 6.* Et per aliam constitutionem eiusdem Pontificis, quæ incip. *Decoris.* cuius epitome habetur apud Scott. *in select. Pontif. constit. epitom. 93.* fuit additum; non licere monialibus, etiam ex Regia profapia, vel prætextu cuiuscumque facultatis, aut infirmitatis, egredi è proprio monasterio; nisi causâ magni incendij, lepræ & epidimix, cuius causæ approbatio fieri debeat in scriptis per Superiores simul, & per Ordinarium; quamuis monasteria sint exempta: & in dictis casibus, licentia detur solum ad tempus necessarium: & si secus fiat, egredientes ipsæ, dantes licentiam, comitantes, & recipientes sint ipso facto excommunicati; & absolutio Papæ referuetur: & egressæ, ac dantes licentiam, priuentur omnibus dignitatibus & officijs, atque ad eadem, & alia, fiant inhabiles in futurum.


Et ideo propter illud verbum, *comitantes & recipientes,* quòd eadem ratione comprehendere videtur, omnes auxilium & opem præstantes; agebatur contra confessarium, quòd egressum monialium non impediatur: † maxime cum ageretur de Monialibus sanctæ Clare, quæ speciali voto ad clausuram obligantur: ut testatur Eman. Roderic. *tom. 1. quæst. regular. 49. art. 1. in fin.*

Dixi nihilominus confessarium non posse vlla ratione molestari, nec in pœnas Bullæ incidisse. Quia cum Doctores classici illam opinionem tenuerint, quòd solius Prouincialis licentia sufficiat, nec declarationis sacrae congregationis omnibus, quamuis eruditis, notæ sint; non videtur pœna dignus, qui tot præclarorum Doctorum sententiam sequutus est. Ita in simili ferè casu Bonacin. *in tract. de clausur. qu. 1. punct. 9. num. 19.* Vbi asserit, quòd licet monialibus licentia exeundi concedi nequeat, ob morbum periculosum qui non sit contagiosus; tamen si Superiores talem licentiam concesserint, non sunt puniendi: quia pro se habent opinionem Doctorum Classicorum, imò sola Doctoris Nauarri auctoritas excusat à pœna illum, qui credidit solam Superioris regularis licentiam in hac materia sufficere: ut dicit Eman. Roderic. *d. tom. 1. quæst. regul. 49. art. 3. vers. sed aduertendum.* Sanch. *in præcep. decal. d. lib. 6. cap. 15. num. 42.*

Et hoc multò magis locum habere debet in Confessario, qui sui Superioris præcepto obedire tenetur etiam si dubius si an res quam sibi precepit Superior sit iusta vel iniusta: ut copiosè comprobatur Sanch. *loc.*



- loc. proximè citat. lib. 6. cap. 3. num. 3. Dian. par. 2.
10. tract. 13. de opin. probab. art. 10. † Vbi concludit hanc probabiliorē, & cōmuniōrē esse sententiā; quōd subditus tenetur suo Superiori obedire, quando solūm opinionem habet, illud quod sibi præcipitur esse illicitum quia Superior habet potestatem omnia subdito præcipiendi, quæ subditus non cognoscit euidenter esse illicita, & vltra Superioris potestatem. † Quod multo magis locum habere dicebam in casu proposito, quia ipsi Confessario constabat rem iustā, esse ex se fundatā in iustitia & æquitate; sed solūm dubitari poterat, vtrum præceptum peccaret in forma ob defectum potestatis Superioris; quapropter non solūm poterat, verūm etiam tenebatur Confessarius præcepto sui Prouincialis obedire. Sanch. in præcep. decal. lib. 6. cap. 3. num. 4. Et per has rationes, non fuit ampliùs dictus Confessarius molestatus, anno 1638. mense Iulij.



CAPVT XXII.

Mortuo Pensionario, vtrum Pensiones non exactæ transeant ad eius hæredes. Et vtrum nondum maturatæ transmittantur ad ipsos, pro rata temporis. Et quomodo huius ratæ computatio fieri debeat.

S V M M A R I V M.

1. Clerici seculares in statu Auenionensi, habent facultatem disponendi de fructibus suorum beneficiorum, ex privilegio & consuetudine.
2. Pensionarius transmittit ad hæredes, pensiones decursas, etiam in locis vbi Clerici non habent facultatem testandi: non tamen fructus beneficiorum: & quæ sit ratio.
3. Referuntur duæ sententiæ, quarum vna solos pensionis maturatæ terminos, transmitti ad hæredes existimat: alia vero pro rata temporis, num. 4. Rota distinguere solet inter cessationem pensionis voluntariam, & necessariam. num. 5.
6. Computatio pensionis fieri debet ex sententiâ aliquorum, secundum ratam temporis quo pensionarius vixit.
7. Annus pensionis beneficiaria computari debet, ad ratam temporis perceptionis fructuum; non temporis vitæ illius. Et hæc vera est sententiâ.
8. Anni computatio in materia pensionum Ecclesiasticarum, incipit à die quo pensiones reseruata sunt, à quo tempore fit computatio rata fructuum perceptorum. Quod propositis exemplis explicatur.
9. Annus à quo tempore incipiat in alijs causis, præter pensiones Ecclesiasticas. Remissuè.

Pensionis reseruatō facta fuerat die 7. Nouembris anni 1630. in quolibet festo Sancti Ioannis, & Natalis Domini, pro medietate soluenda. Mortuus est pensionarius, in principio Februarij 1632. Vnde dubitatum fuit, vtrum tota pensio ad hære-

des translata fuerit, an pro rata temporis, à die reseruationis 7. Nouembris computando, an verò à die fructuum perceptorum.

Pro cuius quæstionis resolutione, supponendum 1. in primis est; quòd in ciuitate Auenionensi, & toto eius statu, Clerici ex antiquissima consuetudine, & summorum Pontificum priuilegijs, ac concessionibus; habent facultatem testandi, & de fructibus suorum beneficiorum disponendi in fauorem suorum hæredum; exceptis tamen Episcopis, & Religiosis, quibus specialis testandi facultas concessa non est. † Et tamen quamuis testandi facultas non esset alicui Episcopo, aut alteri concessa, transmitteret nihilominus pensiones non exactas ad hæredes siue ex testamento, siue ab intestato; cūm debeat fieri differentia inter fructus beneficiorum non exactos, & pensiones. Illi enim remanent in dominio Ecclesiæ: Pensiones non item; cūm in mera temporalitate consistant: vt dicit Marescot. lib. 2. var. resol. cap. 2. Et ante eum Gigas de pension. quæst. 52.

Quibus ita suppositis, aduerto varias circa propositam difficultatem fuisse Doctorem sententiâs: & inter cæteros Barbof. in l. diuortio 8. ff. solut. matr. par. 2. num. 39. vsque ad 44. re diligenter examinatâ, concludere videtur num. 43. solos pensionis maturatos terminos ad hæredes transmitti, ita vt pensionarius iste, solūm terminum in die Natalis Domini decursum transmittat; nihil autem de futuro, in diem Sancti Ioannis Baptiste destinato: quem sequitur Castill. in tract. de usufruc. cap. 79. num. 17. cum alijs per eos citatis.

Alij verò æquiorē, & magis communiter receptam amplexi sunt sententiâ; à qua in iudicando & consulendo non est recedendum: vt scilicet nec tota pensio successori in beneficio, nec tota hæredi pensionarij adiudicetur: sed ad vtrumque pro rata temporis pertineat. Quam sententiâ intrepidè sequutus fuit Peregrin. in tract. de fideicom. art. 49. num. 101. post plures alios per eum allegatos. Costa qui plures etiam citat in tract. de ration. rat. quæst. 10. num. 4. Gabriel. conf. 191. per tot. vol. 2. Honded. conf. 85. num. 13. 23. & seqq. cum pluribus ibi citatis. volum. 2.

Rota verò Romana post varias super hac quæstione deliberationes, tandem hac distinctione dubium terminauit; quòd aut pensio per actum voluntarium, veluti per translationem cessauit; aut per actum necessarium, veluti per obitum pensionarij. Primo casu, quia is qui cedit seu transfert pensionem, nihil sibi reseruasse censetur: idèd tota pensio ad cessionarium seu translatarium pertinet. Secundo verò casu, pro rata temporis ad hæredes pensionarij transit: vt habetur apud Put. decis. 14. per tot. lib. 3. & in decis. 278. num. 6. par. 2. in recentior. Vbi etiam d. consil. Gabriel. 191. lib. 2. fuit approbatum, nec non Honded. conf. 85. lib. 2. Et tradit Theodos. Rub. in suis obseruat. ad decis. Orani in Seguntina beneficiorum 1. Iun. 1592. num. 4. Lotter. de benef. lib. 1. quæst. 44. num. 1. vsque ad 19.

In praxi tamen, quomodo computanda sit hæc rata temporis; non satis constat. Dubitari si quidem potest vtrum rata ista considerari debeat, & computari, habitâ proportione ad tempus quo pensionarius vixit, prout computari debere censuit, Nic. Garf. in tract. de benefic. par. 2. cap. 1. à num. 105. vsque ad num. 125. maximè verò num. 120. itaut si pensionarius mortuus fuerit mense Februarij, pensio ad eius hæredes transmittatur pro rata termini decursi: vt loquitur Garf. ibid. num. 116. & sic pro rata temporis decursi à die natalis Domini. Cuius opinionis funda


fundamentum petitur ex eo, quòd pensionarius ex constitutione Pij V. tenetur recitare paruum officium B. Virginis: & per consequens ei acquiri debet pensio pro rata seruitij, & vitæ; qua durante officium recitauit; maxime cum pensiones istæ sint ad instar alimentorum, quæ debentur ad ratam temporis, quo vita alimentarij durauit. Et eiusdem sententiæ fuit, Couar. lib. 1. var. resol. cap. 15. num. 13. Peregr. de fideicom. artic. 49. n. 101. apud quos alij citantur.

7. Alij tamen existimarunt, ratam temporis considerandam & computandam esse, non ad proportionem temporis quo pensionarius vixit: sed ad ratam fructuum per beneficiarium, qui pensione oneratus est, perceptorum; iraut si pensio fuerit imposita ram super fructibus, quàm super distributionibus; attendi debeat quantum de fructibus perceperit, vel propter illorum maturitatem percipere debuerit, aut potuerit, beneficij pensione onerati possessor. Similiter & quantum ex alijs emolumentis & distributionibus, super quibus pensio imposita est, & ad ratam & proportionem illorum, pensio hæredibus pensionarij sit adiudicanda. Et ita censuit Caccialup. in tract. de pensionib. quest. 25. Gigas in eod. tract. quest. 53. Cost. d. quest. 10. num. 4. Honded. conf. 85. num. 23. & seqq. vol. 2. Tusc. lit. P. conclus. 267. num. 8. & 9. & egregie Monald. conf. 107. per tot. vbi ostendit integram pensionem deberi hæredibus pensionarij, si ipse mortuus fuerit eo tempore, quo beneficium pensione oneratum possidens, percepit integram fructuum collectionem. Et hæc posterior sententia sequenda est, cum eam tandem sequuta fuerit post longum examen Rot. Rom. apud Duran. decis. 448. per tot. vbi omnes pro vtraque sententia rationes optimè discutiuntur. Et ideo concluditur ibidem, quòd cum pensionarius obiisset die 25. Octobris, quo tempore fructus omnes in illis partibus erant collecti; integra pensio totius anni debebatur hæredibus pensionarij, & sic integer terminus, qui soluendus erat in die Natalis Domini.

8. Hæc tamen decisio non ita clarè quæstionem resoluit, quin adhuc remaneat scrupulus; nempe quomodo computari debeat annus iste, vel à mense Ianuarij, vel à tempore collectionis fructuum; videlicet ab vna collectione ad aliam, vel à die datæ impositionis pensionis; † prout in diuerso casu, de varia anni computatione agit Munnoz. in tract. de ratiocin. comput. 21. num. 7. & 8. & comput. 26. numero 9.

Sed clarè difficultas hæc explicatur apud Caualer. decis. 129. nempe quòd annus debeat inchoari à die quo pensio fuit imposita: cui decisioni non resistit Duran. d. decis. 448. quia in casu istius decisionis, pensio fuerat imposita die 10. Maij; & sic totius anni pensio debebatur: cum supponeretur in factò, quòd tempore mortis pensionarij, qui è viuis excesserat die 25. Octob. anni 1632. omnes fructus totius anni vsque ad 10. Maij anni 1633. omninò percepti fuerant per illius beneficij possessorem. Quod conuenit resolutioni factæ d. decis. 129. coram Caualer. de computando anno à die seruatiæ pensionis, prout in casu ibi proposito, in quo seruatiõ pensionis super Episcopatu Carpentoratenfi, facta fuerat in fauorem Eminentissimi quondam Cardinalis Baronij die 23. Septemb. At verò Cardinalis mortuus fuerat die 29. Iunij. Et sic post paucos dies à tempore maturati vnus termini soluendæ pensionis, nempe natiuitatis Sancti Ioannis Baptistæ: ideo Rota resoluit deberi pensionem hæredibus Domini Cardinalis, pro rata fructuum perceptorum à die 23. Septemb.

1606. vsque ad diem 29. Iunij 1607. quo die mortuus est Cardinalis. Intelligitur itaque tota perceptio fructuum finita die seruatiæ pensionis, & sic cum collectio granorum non esset facta die 29. Iunij, vindemiæ autem iam fuissent finitæ die 23. Septemb. ann. 1606. qui erat annus mortis à 23. Septembris computandus, parua admodum quantitas pensionis fuit hæredibus Domini Cardinalis adiudicata. Quod applicando ad casum propositum, conclusum fuit pensionem dumtaxat hæredibus pensionarij deberi, ad ratam fructuum perceptorum à die 7. Nouembris, nec non distributionum, & emolumentorum Canonicatus, super quo pensio fuerat seruata.



## CAPVT XXIII.

De nouorum Monasteriorum ædificatione, & antiquorum translatione, & quorum ad id authoritas requiratur.

### S V M M A R I V M.

1. Mendicantes non possunt noua loca acquirere, sine sedis Apostolica licentia.
2. Quid circa nouorum monasteriorum erectionem seruetur in Gallia.
3. Excommunicatio contra alienantes domos regulares, quomodo intelligenda.
4. Erectio nouorum monasteriorum, quomodo facienda ex Concilio Tridentino.
5. Priuilegia noua monasteria ad libitum erigendi, sunt hodie reuocata.
6. Monialium monasteria erigi nequeunt, sine licentia sedis Apostolica, & Episcopi.
7. Translatio monasterij ad locum salubriorem eiusdem oppidi, non exigit sedis Apostolica licentiam; sed sufficit consensus Ordinarij.
8. Episcopus ex causa mutare potest defunctorum voluntatem, consentiente fundatore, vel eius hæredibus, aut etiam ipsis negligentibus.
9. Quomodo intelligi debeat priuilegium mendicantibus concessum, quo noua monasteria non erigantur in loco non distante per 300. cannas.
10. Praiudicium quod oritur ex sepulchris & missis, non est considerabile in materia erectionis nouorum monasteriorum.
11. Translatio monasterij fit cum omnibus bonis ad illud spectantibus.

Notandum est in primis Bonifacij VIII. Pontificis Maximi constitutione cautum esse in cap. cum ex eo. de excess. pralat. in 6. Ne Religiosi mendicantes tam prædicatores, quàm minores, aut alij noua monasteria habere aut acquirere, vel acquisita seu recepta transferre seu alienare possint sine speciali sedis Apostolicæ licentia: non obstantibus quibuscumque eorum priuilegijs. Quam constitutionem postea Clemens V. in Concilio Vienensi renouauit, adiecta etiam excommunicationis pœna in clement. cupientes. de pœnis. † Quæ constitutio etiam in Gallia seruanda est, teste Chopin. lib. 1. monastic. tit. 3. num. 11. qui allegat etiam ad hoc constitutionem Gregorij X. in cap. vnic. §. confirmata

*firmata. de Religios. dom. in 6. & Agathense Concilium in cap. de monachis. 18. quæst. 2.* Seruanda inquam est in Gallia, ex eodem authore, quoad monasteria non mendicantia; mendicantibus enim à summo Pontifice concessa priuilegia, in Gallia admittà & executioni demandata fuisse testatur, fauore Reuerendorum Patrum de Obseruantia ordinis Sancti Francisci, qui vulgò Recollecti nuncupantur: & liberam ipsis in vim priuilegij Pontificij, ædium concessam fuisse structuram: quibus suas etiam partes Christianissimus Rex postmodum accommodauit: quod fusiùs idem Author prosequitur, & varia circa nouorum monasteriorum ædificationem arresta Senatùs eodem loco refert, quæ hic transcribere superflui laboris esset.

3. Verùm & hoc secundo loco notandum est; constitutionem illam Concilij Viennensis, de domibus antea receptis dumtaxat mentionem fecisse; & ideo ad domos post illius Concilij celebrationem, nempe post annum 1311. quo Concilium illud congregatum fuit, receptas, extendi non potuisse: vt notarunt Geminian. & Ancharan. *in d. cap. cum ex eo. de excess. prelat. in 6. Bonacin. de excommu. extra bull. disput. 2. quæst. 8. punct. 2. n. 4. vers. obserua tamen.*
4. Tertio supponendum est, quòd ex constitutione Concilij Tridentini *sess. 25. de regular. cap. 3.* noua monasteria sine consensu Episcopi, & licentia ipsius erigi non possunt. Ultra quam constitutionem Sacra congregatio declarauit, necessariam esse in nouorum monasteriorum erectione causæ cognitionem; nec non summi Pontificis permissionem ac licentiam. Quod etiam statuit Clemens VIII. Non tamè licet Ordinarijs huiusmodi licentias concedere, nisi vocatis & auditis Prælati Conuentualibus locorum, vbi ædificandum est; & alijs interesse habentibus: vt aduertit Barbof. *lib. 2. iur. Eccles. cap. 12. num. 7.*
5. Et quamuis pluribus Religiosis concessum fuerit priuilegium à summis Pontificibus, noua monasteria ad libitum ædificandi; omnia tamen similia priuilegia reuocata fuerunt, per constitutionem Felic. Record. Urbani VIII. sub Dat. Romæ die 28. Augusti 1624. quam ad longum inserit Tamburinus *de iur. abbat. tom. 3. disput. 5. quæst. 1. quæ incipit Romanus Pontifex.* Per quam fuit ordinatum, non obstantibus quibuscumque priuilegijs, seruandam esse constitutionem sacrorum canonum & Concilij Tridentini, Clementis VIII. & Gregorij XV. circa nouorum monasteriorum erectionem.
6. Quarto supponendum est ratione monasteriorum monialium, etiam ante dictam Urbani VIII. constitutionem, nempe ante annum 1615, ex speciali Sacræ congregationis decisione; statutum fuisse vt illa erigi non possent, nisi de speciali sedis Apostolicæ indultu; & interueniente Ordinariorum consensu, nec non in locis muro cinctis: vt not. Barbof. *in suis decis. apostol. in verb. monasteria monialium. collect. 504. num. 1. & 2. vbi alij DD. referuntur.*
7. Quintò, considerandum est; quæ de nouo monasterio ædificando dicta sunt, non procedere quando agitur de antiquo monasterio in alium locum transferendo: vnde cum quidam conuentus Ordinis Sancti Dominici, iam tunc à viginti & amplius annis in quodam loco ædificatus, consentiente Episcopo, totòque populo annuente, nec contradicentibus Religiosis Ordinis Sancti Francisci; tractaret de transferendo monasterium iam tunc extra ciuitatem in loco minus commodo ædificatum, ad locum commodiorem, & magis sanum; Respondi hoc licite fieri posse, absque noua licentia superiorum nem-


pe Episcopi, & summi Pontificis: quod sic fieri posse testatur Barbof. *lib. 2. iur. Eccles. vniuers. cap. 12. num. 78.* vbi dicit licite mutari posse conuentum sanitatis causâ, è vallibus ad colles; quia hoc casu nullus nouus acquiritur titulus, sed primus renouatur aut ampliatur. Idem tradit Mirand. *in manual. prelat. regul. quæst. 33. art. 5. in 2. conclus.* Hieron. Roderic. *quæst. regul. 55. num. 10.* Eman. Roder. *quæst. regular. tom. 2. quæst. 49. art. 9.* Portel. *in dubijs regular. in verb. monasterium. num. 5.* licet asserat ad istam mutationem requiri nouam Episcopi licentiam; allegans ad hoc eund. Eman. Roderic. qui hoc dicit *tom. 1. quæst. 23. art. 7. in fin. vers. notandum tamen.* quamuis idem *tom. 2. quæst. 49. artic. 4. & Portel. vbi sup. num. 7.* referant Sixti V. priuilegium mutandi monasteria ad alium locum, sine Episcopi licentia.

His ita constitutis. Dixi Religiosos Sancti Dominici, non solum in possessione conuentus iam acquisiti manutenendos esse; verùm etiam ad translationem eiusdem ad salubriorem locum admittendos, interueniente tamen consensu fundatoris, qui in priori loco fundare voluerat; vel hæredum ipsius vnà cum consensu & autoritate Episcopi, †. qui tanquam sedis Apostolicæ Delegatus, vltimas defunctorum voluntates ex iusta, & rationabili causa commutare potest: vt disponit Concil. Triden. *sess. 22. de reformat. cap. 6. & sess. 25. cap. 4.* Barbof. *de Episcop. part. 3. alleg. 83. num. 5. & 6.* Vel si malint religiosi, recurrere poterunt ad Legationem; vbi id sine difficultate obtinebunt, cum sit conforme iuri communi: per textum in *cap. nos quidem. de testam. ex quo probatur, quòd testatore mandante monasterium construi in certo loco; si ibi commodè construi non possit, arbitrio hæredis & Episcopi, imò & solo autoritate interponente Episcopo, si adsit hæredis negligentia, in alio commodiori loco construi debet: & ita tradit Monet. in tract. de commut. vlt. volunt. cap. 3. num. 78.* Quod ad alios casus non est extendendum, vt dicemus *cap. 68. num. 7. & 12. & cap. 113. n. 5.* quia aliud est substantiam voluntatis, aliud accidentia cõmutari veluti locum, & tempus, & similia: Mone-  
ta *ibid. cap. 5. num. 336.* & dicemus dicto *cap. 68. n. 12.* post Mohedan. *decis. 1. de Iure patronat. n. 2.* Sin autè Episcopus debite requisitus, commutationem illam iustis causis innixam, concedere recusauerit: praxis communiter recepta est, vt ab hac denegatione appelletur, & causa appellationis coram Superioribus ad quos appellare licet introducatur.

Quod verò attinet ad oppositionem factam per Religiosos ordinis Minorum sancti Francisci, qui Pontificio nituntur priuilegio, ne quis propè eorum domos nouum monasterium, intra tricentarum cananarum spatium per aërem mensurandarum, ædificare possit: Dixi illà recipiendam non esse. Quia priuilegium huiusmodi quod à Clemente I V. & Iulio II. Minoribus concessum est, locum habet dumtaxat fauore illorum religiosorum qui mendicant; ne propter aliorum conuentuum proximitatem, ipsorum eleemosinis fiat præiudicium. Vnde si dicti patres Prædicatores ostendant se aliundè non mendicando viuere posse, priuilegium illud non erit considerabile; cum nullum ex noua illa ædificatione Minoribus præiudicium inferri possit: vt in simili considerauit Rot. *decis. 745. num. 1 part. 2. recentior.* nam textus in *d. cap. 1. de excess. prelat.* loquitur dumtaxat de iis qui mendicant. Et hodie ex Concilio Tridentino Episcopi soli, hanc translationem conuentus de loco ad locum facere possunt. Rot. *decis. 193. num. 8. & 9. part. 5. recentior.*

Similiter,

10. Similiter, nullum præiudicium considerari potest pro parte fratrum Minorum; ex eo quòd Christi fideles in noua Ecclesia possint eligere sepulturam, quam alioquin elegerunt in Ecclesia Minorum, & in ea missas & anniuersaria celebrari curassent. Quia cum uersemur in facultatiuis, non potest aliquid nasci præiudicium consideratione dignum. Potest enim quilibet in Ecclesia sibi beneuifa opera pia exercere, & sepulturam sibi eligere: *cap. 1. de sepultur. vnde intrat doctrina Bartol. in quo minus num. 21. in fin. ff. de fluminib. Rot. d. decis. 745. n. 3. part. 2. recentior.*
11. Vnde sequitur non potuisse denegari translationem istam conuentus, ab vno loco ad alium, cum omnibus bonis primi conuentus, quæ ad secundum pertinebunt: vt decidit Rot. *decis. 193. num. 7. part. 5. recentior. per text. in cap. 2. de religio. domib.*



## CAPVT XXIV.

Receptio Monialium ad professionem ad quem spectet, vtrum ad Episcopum, vel ad ordinis Generalem, Abbatissam, vel Monasterium seu Capitulum: Et quæ pro huius professionis validitate requirantur.

## S V M M A R I V M.

1. *Admissio religiosorum ad professionem, spectat ad superiorem immediatum illius conuentus, ubi nouiciatus factus fuit; non autem ad immediatum.*
2. *Episcopus, aut Generalis ordinis, non potest moniales solus ad professionem recipere, sine capitulo, & superiore immediato.*
3. *Non potest monialis in monasterio recipi, contra voluntatem capituli.*
4. *Atque ita Regia ordinatione sancitum est.*
5. *In recipiendis ad professionem monialibus; nec solum capituli, nec solius Abbatissæ consensus sufficit; sed requiritur vtriusque.*
6. *In rebus magni ponderis, consensus requiritur Prælati & Capituli, copulatiuè.*
7. *Moniales quarum numerus definitus est, ultra illum numerum recipi non debent; sed nec ultra monasterij facultates, si dotem non asferant.*
8. *Ante professionem emissam, sicut religiosus, ita & conuentus pœnitere potest.*
9. *Nouiciatus debet esse continuus absque interruptione, maximè in monialibus.*
10. *Ad validitatem professionis monialium, plurima requiruntur tam de Iure, quàm ex Christianissimi Francorum Regis constitutionibus.*
11. *Professio monialium, non potest aliter probari quàm per scripturam.*

**P**ROPOSITÆ fuerunt sequentes quæstiones, pro parte cuiusdam monasterij Regiæ foundationis in Gallia, decidendæ.

Prima, vtrum Episcopus, inuita Abbatissa, iubere possit vt quædam puella ad professionem admitteretur.

Secunda, vtrum sufficiat consensus Episcopi & monialium, sine Abbatissa.

Tertia, vtrum in omnem euentum Abbatissa sit fundata petendo, vt dicta puella minimè recipiatur, nisi delatâ congruâ dote.

Vt facilius quæstiones istæ resoluantur, aduertendum est in primis, quòd iure communi inspecto, monachorum receptio ad conuentum & Prælatum immediatum monasterij, in quo nouiciatus factus fuit, & annus illius completus; non autem ad alium superiorem mediatum pertinet: vt ex Nauar. refert Sayr. *in florib. decis. tit. 23. de regular. decis. 59. argumento. cap. ad apostolicam. de regular. quod etiam voluit Gloss. in cap. fin. de regular. in 6. verb. perueniat.* quam ibi sequuntur comuniter Doctores. † Ex quo præsupposito, resultat resolutio primæ quæstionis. Non enim potest per se vel Episcopus, vel alius quilibet prælatus regularis, sine conuentu moniales creare vel recipere, nec Abbatissæ vel conuentui præcipere, vt ipsis inuitis aliquam monialem admittant. Quod si faceret Episcopus, iusto cum grauamine, ab illius præcepto posset appellari. Lap. *alleg. 32. Calder. conf. 16. de regular. quos citat & sequitur Mirand. in manual. prælat. regul. par. 1. q. 15. art. 1. in 3. conclus.* † Neque enim rationi consentaneum esset, vt Abbatissa & Monasterium, contra propriam voluntatem cogentur admittere puellas ad earum obedientiam; iurisdictionem & subiectionem: vt dicit Mirand. *in tract. de monialib. qu. 8. art. 1. Eman. Roderic. quæst. regular. tom. 3. qu. 9. art. 2.* Imò & monachus habitum recipere non debet, nisi à persona ad id potestatem habente: *cap. porrectum. cum ibi notat. de regular. † Quod & Regiæ ordinationi conforme est, in qua non ad aliud Episcopi requiritur autoritas in receptione monialium, quàm ad explorandam puellæ voluntatem, eaque de causa Episcopum aut eius Vicarium per mensem ante professionem faciendam moneri iubet.*


Ad secundam quæstionem respondetur, neque solum Abbatissæ consensum sine conuentu, neque solum conuentus sine Abbatissa voluntatem sufficere, vt monialis legitimè recepta dicatur; sed vtrumque copulatiuè interuenire debere: quod tanquam indubitatum supponit Gloss. *in cap. fin. de Regular. in 6. & sequitur Mirand. in manual. d. qu. 15. art. 1. conclus. 2. †.* Quia in rebus magni momenti, qualis est receptio religiosorum, Prælatus sine Capitulo, vel Capitulum sine Prælato nihil facere possunt: *cap. quanto. cap. nouit. cap. ea noscitur. de his qua fiunt à prælat. sine cons. capit.*

Ad tertiam quæstionem respondetur, tam ex dispositione Concilij Tridentini, quàm de iure communi; in omnibus monasteriis certum debere definiri numerum monialium, iuxta facultates reddituum monasterij, vltra quem non liceat vllas Religiosas admittere Abb. *in cap. quoniam, vers. in glossa prima in fin. de Simon.* Quod in casu ptoposito factum fuerat per transactionem olim inter Episcopum, & moniales inuitam; per quam numerus illarum ad denarium reductus est, qui eo tempore completus erat: vnde multò minus cogi poterant moniales ad puellæ illius receptionem, maximè sine dote: cum sit indubitatum, monasterium, si facultates non suppetant, dotem petere & exigere posse. DD. *in d. cap. quoniam. de Simon. Menoch. conf. 193. n. 4.*

Verùm, quia Dominus Episcopus prætendit cogere monasterium ad huius puellæ receptionem, non tanquã nouitiæ, sed tanquam monialis iam admittæ: videndum est vtrum hæc sit fundata prætentio? Et sanè non esse fundatam fuit determinatum.

Non enim tanquam nouitiæ potest admitti, vt iam probauimus; nec tanquam professæ, cum nullam omnino professionem emisserit, nec nouitiatum compleuerit: †. ideo sicut ipsa potest pœnitere, ita & monasterium illam recusare, vt sit par vtriusque conditio:

- tio : cap. *consulti. cap. postulasti. cum ibi notatis, de*  
 9. *Regular. †. Præsertim cum nouitiatus non fuerit*  
 continuus, sed interruptus; quod admitti nullo modo  
 potest. Abb. Ancharan. & alij in *d. cap. ad apostolicam.*  
*de Regular.* Maximè in monialibus, quæ licèt ad cu-  
 randam valetudinem per aliquod tempus exiuerint à  
 monasterio, etiam cum licentia Abbatissæ, non pos-  
 sunt reuersæ annum adimplere; sed de nouo absque  
 temporum interruptorum coniunctione, illum in-  
 choare debent. Gratian. *discept. 166. num. 14. & 15.*  
 10. † Cum igitur dicta puella non possit dici nouitia in  
 statu professionis, multò minus recipienda fuit tanquã  
 professã; quia non concurrebant quatuor illa co-  
 ulatiuè requisita, ex consuetudine Gallix, & or-  
 dinationibus Regijs; nempe ætas, capacitas per-  
 sonæ recipientis, iuramentum in scripturam reda-  
 ctum, & registratio. † Quidquid enim sit de pro-  
 fessionibus virorum, hoc certum est in probandis  
 mulierum professionibus, scripturam de substantia  
 requiri: cap. *omnes femina. 37. vbi Gloss. in princ.*  
*caus. 27. quest. 1. cap. vidua. 20. quest. 1. Gratian.*  
*discept. forens. 640. num. 5.* Quæ omnia deficiebant  
 in casu proposito, nempe ætas huius puellæ minor  
 annorum sexdecim qui tamen ex Concilio Tridentino,  
 & ex ordinatione Regia omninò requiruntur,  
 vt Carolus IX. statuit: deficiebat etiam consensus  
 personæ recipientis, nempe Abbatissæ, sicut & in-  
 strumentum, & registratio: ergo non poterat hæc  
 puella dici professã, ex notatis per Tornet. in *recol-*  
*lect. arrest. in caus. benefic. lit. P. num. 202.*



CAPVT XXV.

Quando, & cuius expensis adiutor, seu se-  
 cundarius, Parocho deputari debeat.  
 Quænam Ecclesiæ teneantur contribuere  
 in expensis visitationis Episcopi: & quid  
 pro illis expensis Episcopus exigere possit.  
 Quid possit Episcopus statuere circa pias  
 defunctorum voluntates, campanas pri-  
 uatorum Oratoriorum, & processiones.  
 Denique utrùm Hospitalia in Gallia sub-  
 jaceant visitationi Episcopi.

SVMMA R I V M.

1. *Adiutor seu secundarius, quando dari debeat*  
*Parocho.*
2. *Parochus regulariter non tenetur ad plus, quàm*  
*ad tenendum simplicem clericum qui eum*  
*adiuuet.*
3. *Quadragesimali vel Paschali tempore, Paro-*  
*chus potest aduocare externos confessores, si*  
*ipse non sufficiat; nec propterea dandus*  
*est illi adiutor, ex mente Rote; cuius sen-*  
*tentia concordatur cum declarationibus sa-*  
*crae congregationis. Ibidem.*
4. *Omnes Ecclesiæ contribuere tenentur ad expen-*  
*sas visitationis.*
5. *Excipiuntur Ecclesiæ exemptæ.*
6. *Item Ecclesiæ paupertate laborantes.*
7. *Item excipiuntur hospitalia infirmorum, leproso-*  
*rum & similia.*
8. *Episcopus non potest regulariter pias testantium*  
*voluntates commutare, excepto casu impos-*

*sibilitatis, aut simili, & quomodo id sit in-*  
*telligendum.*

9. *Episcopus nihil ultra expensas visitationis petere*  
*potest, imò nec fragmenta ad domum suam*  
*deferri curare.*
10. *Pœna Episcopo & eius domesticis aliquid ultra*  
*viçtum in visitatione petentibus, quanam*  
*sit imposta.*
11. *Visitari possunt expensam visitationis pecuniã*  
*redimere.*
12. *Episcopus in terris Ecclesiæ, hospitalia visitare*  
*potest.*
13. *Quid seruetur in Gallia circa potestatem Episco-*  
*pi, quoad visitationem hospitalium.*
14. *Campanas in priuatis Oratorijs, sine Episcopi*  
*licentia habere non licet.*
15. *Processionum abusus corrigit Episcopus appell-*  
*atione remota.*

Nonnullæ à quodam Episcopo moueban-  
 tur difficultates, dum Ecclesias suas visitaret.  
 Et primò quando, & in quibus casibus, & cuius  
 expensis Parocho adiutorem seu secundarium depu-  
 tare posset. Secundò, quænam Ecclesiæ tenerentur  
 contribuere in expensis visitationis. Tertiò, utrùm  
 Episcopus visitando, possit pias defunctorum volun-  
 tates commutare. Quartò, quomodo regulari, seu  
 taxari debeant expensæ visitationis. Quintò, quam  
 potestatem habeat Episcopus circa visitationem hos-  
 pitalium præsertim in Gallia. Sextò, quid statuen-  
 dum sit super campanis priuatorum Oratoriorum, &  
 quid circa præcedentias in processibus.

Quibus quætionibus responsum fuit in primis, 1.  
 expensam secundarij seu adiutoris qui Parocho assi-  
 stere debet, in administratione Sacramentorum;  
 ad ipsius Parochi onus pertinere: cum vnusquisque  
 curam animarum exercens, debeat habere aliquem  
 qui sibi assistat: cap. 3. *de vit. & honest. cleric.* Quia  
 licèt in illo capite fiat dumtaxat mentio de clerico,  
 idem tamen dicendũ est de secundo etiam Præsby-  
 tero; quando parochia ita numerosa est, vt simplex  
 clericus non sufficiat: atque ita fuit iudicatum ratio-  
 ne Prioratus loci de Biturritis, vniti autoritate Apo-  
 stolica Conuentui Patrum Minorum huius ciuitatis  
 Auenionensis; quamuis super hoc pendeat appella-  
 tio, ex eo quòd dicti patres prætendunt populo non  
 esse necessarium adiutorem.

Verùm non potest regulariter Episcopus Parocho 2.  
 inuito, capellanum seu adiutorem adiungere; nisi  
 probeatur quòd Parochus solus, sine alio capellano  
 Sacerdote, non posset muneri suo satisfacere. Et ad  
 hunc effectum Rota censuit probari debere quòd  
 propter defectum ministrorum, & multitudinem  
 incolarum, infantes sine baptismo & homines sine sa-  
 cramentis obierint: ex Hostiens. in cap. *ad audien-*  
*tiam 1. num. 3. de Eccles. edific. Verbal. decis. 240. num.*  
*3. par. 2. Ricc. collect. 2926. vers. bene verum. † Ne-*  
 que sufficit probare, quòd tempore Quadragesimæ  
 & Paschatis, vnus Rector non sufficiat pro audien-  
 dis confessionibus, & sanctissimo Sacramento ad-  
 ministrando: quia illo tempore vocari possunt exteri  
 sacerdotes, quibus Parochus reliquo anni tempore  
 non indigebit: ita censuit Rot. in *vallisoletana seruitij,*  
 allegata per add. ad Ludouil. *decis. 249. num. 12. Ricc.*  
*loco mox citato.* Ex cuius dictis colligitur huius ser-  
 uitij per adiutorem præstandi onus, de pensione non  
 esse deducendum, quando prædictæ circumstantiæ  
 non concurrunt: quia tunc onus illud non est ne-  
 cessarium. Et hoc verum est quamuis redditus Paro-  
 chi essent sufficientes, saltem respectu pensionarij, in  
 cuius

cuius præiudicium non minuitur pensio per onus secundarij, quando non adest necessitas tenendi adiutorem; sed dumtaxat per expensam simplicis clerici. Et hac ratione procedunt tradita per Rot. *decis. 56. n. 3. part. 2. diuers.* vt traditur apud Burat. *decis. 368. num. 8.*

Sed hæc Rotæ sententia, contraria videtur determinationi sacræ congregationis interpretum sacri Concilij Tridentini, quæ in quadam Tirasonensi declarauit, non debere expectari quod Parochiani cedant sine sacramentis, vt Episcopi cogant Rectores ad sibi alios sacerdotes adiungendum; in locis in quibus populus adeo numerosus est, vt vnus Rector non sufficiat: iuxta *cap. 4. sess. 21. de reformat.*

Vtraque tamen sententia sic conciliatur, vt ipse quidem Episcopus, si de euidenti necessitate parochianorum, & de periculo defectus sacramentorum, sibi extraiudicialiter appareat; Parochum cogere possit ad sibi alium sacerdotem adiungendum, cum id ipsius Episcopi muneri incumbat, & hac in re ex officio procedere queat. Sed Rota quæ non nisi iudicialiter procedere solet, & causâ cognitâ, & ad partis instantiam, non decreuit talem adiunctionem donec sibi de necessitate parochianorum in forma iudicij appareat: quam conciliationem affert Nic. Gars. in *tract. de benefic. part. 12. cap. 3. num. 9.* & 10. confert *decis. Cæf. de Grass. 1. de Paroch.*

Porro quod diximus adiutorem sumptibus Parochi esse deputandum, ita intelligendum est; vt si quis alius decimas præter Parochum percipiat, is ad adiuvandum Rectorem in administratione sacramentorum concurrere teneatur: vt notauit Gars. *d. cap. 3. num. 10. in fin. vers. maxime.* & fuit decisum per Rot. apud Seraphin. *decis. 780. num. 4.* Et generaliter ex fructibus beneficiorum, expensas adiutoris ministrandas esse tradit Gonsal. *ad reg. 8. glof. 5. §. 9. n. 33.* Quod si fructus beneficiorum non sufficiant, in subsidium tenebuntur parochiani, Ricc. in *prax. rer. for. Eccles. decis. 574. num. 11.*

4. Secundo dictum fuit, omnes Ecclesiasticos regulariter teneri contribuere ad expensas visitationis, per text. in *cap. sopita, 14. de censib.* quam contributionem faciendâ esse pro rata facultatum, testatur Cost. *de ration. rata. quest. 89. num. 4.* post Alberic. *ad l. 2. §. cum in eadem. num. 6. ff. ad leg. Rhod. de lict.*
5. Excipiuntur tamen ab huiusmodi solutione Ecclesiæ exemptæ, Cost. *ibid.* † Item excipiuntur Ecclesiæ paupertate laborantes, has enim Ecclesias pauperes tenetur Episcopus propriis sumptibus visitare:
7. *Surd. de alimen. tit. 1. quest. 64. num. 10.* † Similiter excipiuntur Hospitalia infirmorum, leprosorum, aut similibus personarum, Barbos. in *tract. de offic. & potest. Episc. part. 3. allegat. 73. num. 50.* Communitates verò ad hanc expensam non tenentur, Barbos. *ibid. num. 45.* Vbi dicit quòd quamuis Communitates has expensas facere consueuerint, ad illas tamen inuitæ cogi non debent.
8. Tertiò fuit responsum, non posse Episcopum pias testantium volùtates commutare ad alium locum, vel ad alium effectum, etiam consentientibus hæredibus; nisi adestet impossibilitas adimplendi eo modo, quo fuit à testatore ordinatum, aut negligentia hæredis, aliâve iusta causa: vt ostendit Monet. *de commut. vlt. vol. cap. 5. n. 325. & 335. & seqq.* Qua de re alia occasione agemus, nempe *cap. 68. n. 7. & seqq. & cap. 112. n. 5. & seqq.* Et vide supra *cap. 23. n. 8.* Vbi distinximus commutationem accidentium, veluti loci & temporis aliarumve circumstantiarum, à commutatione substantiæ, Mohed. *decisi 1. de Iure patronat.*

Quartò Resolutum fuit, non posse Episcopum vltra 9 expensas visitationis quidquam accipere; neque aliquid ex iis quæ supersunt, ad domum deferre; sed solo victu debere esse contentum: & non solum ipsum non posse vltra victum aliquid accipere, sed nec eius domesticos † sub pœna maledictionis, & interdicti ingressus Ecclesiæ, ac restitutionis dupli, non obstante partis remissione, Conc. Triden. *de Reformat. sess. 24. cap. 3. text. est in cap. 1. §. prohibemus. & in cap. exigat. de Censibus lib. 6. Barbos. d. allegat. 73. num. 44.* Ricc. in *prax. visitat. decis. 612.* † Liberum tamen erit visitatis expensam visitationis, congruenti pecunia redimere. Barbos. *d. cap. 73. n. 56.*

Quintò determinatum fuit, rem esse expeditam in terris Ecclesiæ, & in locis vbi Concilium Tridentinum fuit receptum, Episcopos hospitalia visitare posse, & ab illorum administratoribus rationum redditionem exigere, propter expressam eiusdem Concilij dispositionem, *sess. 25. de reformat. c. 8.* Barbos. *de Episcop. alleg. 75. n. 1.*

In Gallia verò, res maximam patietur difficultatem, propter expressam ordinationem Regiam, quæ Iudicibus laicis huiusmodi negotij cognitionem committit, & expeditionem mandat; de qua Bouchel in *summ. benefic. in verb. visitation.* & arrepta super hoc lata per senatum Parisiensem refert Torner in *sua recollectione arrestor. in lit. I. num. 265. & litt. H. n. 26.* quanquam ex iuris communis dispositione, ius visitandi Hospitalia & alia loca pia ad Episcopum pertineat: per text. in *cap. quidam. 18. qu. 2. & in cap. 3. & 4. de relig. domib. Cardin. Tusch. lit. H. conclu. 161. n. 1. & seqq.* Vnde non obstantibus prædictis ordinationibus, & aduersus ea quæ author quidam natione Gallus hac in materia scripsit, opinio contraria magis placuit Theuen. in *annotat. ad ordinat. Reg. tit. 29. lib. 1. art. 1. in verb. & autres lieux pitoyables.* Vbi dicit omnia Hospitalia siue erecta fuerint autoritate Episcopi, siue non; dummodò causâ pietatis sint instituta, quamuis essent loca priuata, non obstante quacumque consuetudine in contrarium, Episcopi visitationi esse supposita; nisi fundatione aliter caueatur. Per quam visitationem non fit præiudicium Regiæ iurisdictioni, nec magni eius Elemosinarij; cum in Concilio Tridentino nominatim excipiantur loca pia, quæ sub immediata Regum protectione sunt constituta; vt hæc sine ipsorum licentia visitari ab Episcopis non possint. Præterea addit per Episcopi visitationem, non impediri Iudices Regios super reeditibus temporalibus huiusmodi locorum, in casum abusus, prouidere: dicens ita fuisse declaratum per Eminentissimos Dominos sacri Concilij Interpretes. Quæstio ista fuerat olim decisa per Edictum Francisci. I. Galliarum Regis sub die 19. Decembris, anni 1543. quò cautum fuit Iudices omnes ordinarios, Balliuos & Senescallos, ex debito officij teneri se se informare de reeditibus omnium Hospitalium, seu locorum pro curandis infirmis destinatorum; ac etiam pro leprosis: & casu quo Rectores & administratores ipsorum officio suo, prout decet, minimè fungentur, alios in illorum locum nominarent idoneos, & sufficientes, quibus hæc cura per magnum Regium Elemosinarium demandaretur.

Postea verò, alio Edicto sub die 15. Ianuar. idem Franciscus. I. ordinauit, omnes huiusmodi administratores teneri remittere titulos foundationis Hospitalium, & locorum piorum similibus, simul etiam computa suæ administrationis intra certum tempus, in manibus Iudicum cuiuslibet loci: qui etiam facient visitationem dictorum Hospitalium & locorum piorum; eos verò qui malè administrasse reperientur,

rientur, ab officio autoritate Curia Parlamenti remouendos esse.

Super cuius arresti verificatione, cum formata fuisset oppositio parte magni Regij Eleemosinarij, nec non parte plurium Cardinalium, Episcoporum, Ducum, Comitum, & aliorum interesse habentium; suprema Parlamenti Curia, reiectis huiusmodi oppositionibus, mandauit procedi ad publicationem literarum parentium Regia Maiestatis, respectu dumtaxat distributionis fructuum dictorum hospitalium, sine præiudicio iurisdictionis Ecclesiasticæ quoad spiritualia, & quoad personas Ecclesiasticas: & saluâ Prælati facultate duos probos homines in quolibet loco deputandi, qui Iudicibus Regiis assistere possint, non retardata tamen executione edicti Regij. Quæ facultas similiter prætenfis fundatoribus & Patronis concessa fuit, sine retardatione Regia voluntatis, duos probos viros, vt supra, deputandi. Qua executione factâ, reseruauit sibi Parlamentum facultatem ius dicendi super redditione computorum dictorum locorum, & super aliis iuribus ad Patronum laicum pertinentibus. Huiusmodi autem arrestum latum fuit die 4 Februar. eiusdem anni 1545.

Adest etiam simile edictum Caroli IX. anno 1561. mensè Aprilis, & aliud eiuſdem Regis anno 1566. quibus hæc cura hospitalium committitur Iudicibus laicis: vt refert Fontanon tom. 4. tit. des maladeries, hospitalaux, &c. fol. mibi. 583.

Cui accedit edictum Henrici III. sub die 14. Augusti, & verificatum in Parlamento die 7. Septembris 1585. quo reuſio rationum administrationis hospitalium, confraternitatum, & aliorum locorum piorum committitur Iudicibus Regiis cuiuslibet loci, in prima instantia; & supremis curiis Parlamenti in secunda: apud Fontanon tom. 4. fol. 957.

Tempore autem Henrici magni, anno videlicet 1606. constitutum fuit, vt magni Regij Eleemosinarij autoritate, seu per commissarios aut vicarios ab illo deputandos, procederetur ad generalem hospitalium, & aliorum similium locorum piorum reformationem, auditionem & reuſionem generalem computorum administratorum, colonorum seu firmariorum & commissariorum; penes quos horum locorum cura fuerat: & pecuniæ ex illo reliquatu prouenientes, destinatae fuerunt ad solatium nobilium & militum mutilatorum: & pro huius Edicti executione, stabilita fuit curia nuncupata *La chambre de la charité*, quæ tamen reuocata fuit, & res ad antiquas ordinationes reducta anno 1611.


Verum Ludouicus XIII. per suas literas in formam Edicti publicatas 24. Octobr. an. 1612 erexit cameram generalem reformationis hospitalium, leproſariorum, & aliorum locorum piorum, compositam ex quatuor Consiliariis, & supplicum libellorum Magistris *Maistres des Requestes ordinaires de son hostel*, vnâ cum quatuor magni consilij Consiliariis; vt simul magno cum Gallia Eleemosinario, seu eius Vicariis; vel quinque ex ipsis in aliorum absentia, seu impedimento; instante Regio Procuratore Generali, seu eius Substituto; seriò intendant horum locorum reformationi, computorum redditioni, seu reuſioni; vsurpationum punitioni, & correctioni; & generaliter super litibus occasione præmissorum motis, vel mouendis, ius dicendi; cum annexis, & connexis. Et in casum appellationis cognitio magno Regio Consilio tributa fuit, sublata omnibus Iudicibus inferioribus iudicandi facultate: prout hæc omnia refert Carolus Chapuseau Doctor Gallus in suo tract. de Iurisdic. Gallia cap. 17. Melius tamen esset, si & iurisdictione Ecclesiastica conseruaretur, & sancta

Concilij Tridentini dispositio executioni demandaretur.

Sextò, quod attinet ad campanas in priuatis Orationis constitutas; certum est illas ibidem teneri non posse, vt publicè pulsentur sine Episcopi licentia; cum ad loca illa vniuersus populus minimè conuocetur: vt notant DD. communiter in cap. patentibus. 10. de priuileg. Fusch. de visit. lib. 1. cap. 14. num. 5.

Licitum tamen est, ibidem habere campanulam ad vsu priuatum: non quæ publicè pulsetur: vt bene comprobat Barbos. in d. cap. patentibus. n. 6.

Vltimò, quoad præcedentiam in processionibus, seruanda est consuetudo: si autem adsit abusus, nemo dubitat quin Episcopus prouidere possit. Intentio tamen sacri Concilij est, vt Episcopus similes controuersias, quantum fieri potest, componat: omni appellatione remota, quoad effectum suspensiuum; ita vt decreta Episcopi mandentur executioni, non obstante appellatione, sine præiudicio iurium partium in gradu appellationis deducendorum: vt legitur in Concil. Trident. sess. 25. de Regular. cap. 13. Barbos. in decis. Apostol. decis. 590. num. 1. Vbi de materia præcedentiæ plurima notatu digna per totum illud caput, ex mente Cardinalium concilij interpretum, referuntur.



CAPVT XXVI.

Quando, & quomodo procurator constitutus ad resignandum beneficium possit reuocari. Et quæ requirantur vt talis reuocatio sit valida. Quibus, & quomodo sit notificanda. Et in quibus casibus res dicatur integra, ad hoc vt reuocatio fortiat effectum, tam de iure communi, quàm de iure Gallico. Et quòd reuocans mandatum ad resignandum, reueatur ad interesse & expensas. Et quomodo taxari debeant. Item de executione simplicis signaturæ in Gallia. Et de regressu ob non solutionem pensionis.

S V M M A R I V M.

1. Mandatum ad resignandum beneficium reuocari potest.
2. Ampliatur, etiamsi factum fuerit cum iuramento.
3. Procurator constitutus cum iuramento de non reuocando, non potest reuocari, nisi ex causa de nouo superueniente.
4. Fallit in constitutione procuratoris ad resignandum, qui reuocari potest non obstante promissione iurata de non reuocando.
5. Reuocatio procuratoris siue tacita, siue expressa, debet notificari.
6. Tacitè multis modis procurator reuocatur, veluti per constitutionem secundi procuratoris.
7. Ampliatur, etiamsi procurator secundo loco constitutus, mandatum non acceptauerit.
8. Procurator non reuocatur per constitutionem secundi, quando in secundo instrumento adest clausula citra reuocationem.
9. Si plures procuratores fuerint constituti, vtrum omnibus

omnibus intimanda sit reuocatio.

10. Intimatio reuocationis, sufficit quod fiat procuratori, vel collatori.
11. Intimatio summo Pontifici reuocationis fieri debet in Camera, & Cancellaria.
12. Intimatio procuratori fieri debet ipsimet, nec sufficit quod fiat cursori.
13. Intimatio reuocationis, an requiratur pro forma, an verò sufficiat illius sola scientia.
14. Intimatio sufficit quod fiat ipsi parti, quando pars est certa; veluti in mandato ad resignandum in fauorem, vel ad permutandum.
15. Reuocatio Procuratoris ad resignandum, fieri debet re integra.
16. Consensus praestitus in parua data non est attendendus.
17. Consensus causalis quis dicatur.
18. Consensus formalis procuratoris ad resignandum in quo consistat; & quomodo differat à causali.
19. Post praestitum consensum causalem, licet nondum fuerint expedita littera; vtrum procurator ad resignandum constitutus reuocari possit.
20. Gratiam sola signatura perfectam esse, quomodo intelligatur.
21. Ex stilo Romane curia, non prius praestatur consensus formalis, quam causalis.
22. Regula Cancellariae 44. de consensibus praestandis, non seruatur in Gallia.
23. Procurator potest bullas expediri facere, quamuis resignans ante bullarum expeditionem moriatur, si illo viuente supplicatio signata fuerit.
24. Facto mandato ad resignandum coram summo Pontifice, vtrum Ordinarius negotium reuocationis expedire possit: varia sunt opiniones.
25. In Gallia seruatur opinio Seluae & Barbatiae, quod per constitutionem procuratoris ad resignandum coram Papa, ligatae sunt manus Ordinarij.
26. Ampliatur, vt procedat siue reuocatio fuerit intimata procuratori, siue non: sufficit tamen scientia procuratoris vel superioris, secundum Doctores Gallos.
27. Reuocans procuratorem constitutum ad resignandum, vel ad permutandum, tenetur procuratori ad damna illius & interesse, vsque ad reuocationem intimatam.
28. Reuocans procuratorem, tenetur etiam ad damna illius, qui cum illo contraxit, & num. 30. Et ad interesse, & expensas omnium quorum intererat mandatum non esse reuocatum.
29. Interesse ob reuocationem mandati ad resignandum, liquidatur iuxta leg. vnic. Cod. de senten. quae pro eo quod interest profer.
31. Interesse est difficile probationis, & nulla certa iuris definitione comprehendi potest.
32. Interesse singulare iudicis arbitrio liquidatur.
33. Interesse aliud est intra rem, aliud extra rem.
34. Ob reuocationem mandati, solum interesse intra rem debetur.
35. Quando quis actum facit iure permitte, solum interesse intrinsecum debetur.
36. Interesse tam intra, quam extra rem, debetur in delictis; quamuis duplum excedat: iuxta multorum sententiam.
37. Reuocans mandatum, solum tenetur ad interesse

quod prouenit immediatè ex reuocatione; non autem quod mediatè.

38. Pensio de iure peti non potest, litteris non confectis.
39. In Gallia, sola signatura non habet paratam executionem pro exactiōe pensionis beneficiaris: & qua pro tali executione requirantur.
40. Pensionarius habet regressum contra beneficium resignatum, si pensio sibi non solvatur, tam de iure communi, quam de iure Gallico.
41. Regressus resignanti concessus, contra resignarium non soluentem pensionem, non fuit sublatius per Concilium Tridentinum.

Quidam Abbas monasterij in patria Linguae Occitanae constituti, dictam Abbatiam dimittere volens, fecit mandatum ad illam resignandam in fauorem certae personae, in manibus Sanctissimi D. N. Papae, sub reseruatione pensionis mille & centum librarum: in vim cuius mandati resignarius prouisiones obtinuit in Romana Curia mense Februarij anni 1633. non obstante reuocatione dicti mandati ad resignandum per Dominum Abbatem facta, longè ante dictas prouisiones; nempe die 18. Nouemb. ann. 1632. illiusque reuocationis intimatione facta tam in Camera; quam in Cancellaria Apostolica eodem mense Nouembris. Super quo duae quaestiones propositae fuerunt parte Domini Abbatis. Prima, vtrum resignarius esset fundatus in praetensione dictae Abbatiae, & vtrum reuocatio mandati ad resignandum obstaret dicto resignario. Secunda vtrum procedere posset dictus Dominus Abbas resignans via exequatiua, casu quo mallet petere pensionem sibi reseruatam, aut quo remedio ipsi consultum esset, tam in partibus Galliae, quam ratione bonorum sitorum in locis immediatè summo Pontifici subiectis.

Pro resolutione primae difficultatis supponendum est, mandatum ad resignandum simpliciter factum, reuocari posse: vt notauit Paris. *de resignat. benefic. lib. 9. quaest. 25. num. 2.* † Quod procedit etiam si mandatum fuisset factum cum iuramento; quia iuramentum debet intelligi secundum naturam actus, cui adiungitur: vt copiose notauit Boer. *decif. 207. num. 1.* Paris. *de resignat. lib. 1. quaest. 12. num. 44.* † nisi tamen instrumentum iuratum, contineret expressam promissionem de non reuocando; tunc enim reuocari non posset procurator sic constitutus, nisi noua superueniente causa: vt notauit Boer. *d. decif. 207. num. 2.* † Sed hoc non habet locum, in constitutione procuratoris ad resignandum; nam si statim constituentem poeniteat, non valet resignatio facta per procuratorem. Boer. *ibid. num. 3. in fin.* † Quod tamen intelligendum est, vt locum habeat, dummodò reuocatio procuratoris legitime fuerit intimata: per text. in *Clemen. vnic. de renunciat.* Paris. *d. quaest. 25. num. 12. & 13.* Quod procedit siue reuocatio sit expressa, siue tacita; vt per Gloss. in *d. Clemen. vnic. de renunciat. in verb. quomodolibet.* † Tacite autem multis modis reuocatur procurator, & inter caeteros, per constitutionem alterius procuratoris; vt in procuratore ad resignandum, tradit Paris. *d. quaest. 25. num. 3.* † etiam si procurator secundo loco constitutus, mandatum non acceptauerit. Mantica. *de tacit. conuent. lib. 7. tit. 22. num. 58.* Bellamer. *decif. 530. add. ad Burat. decif. 723. num. 7.* † Fallit tamen, nisi adhibita fuerit in secundo mandato clausula, *citra reuocationem.* add. ad *d. Burat. decif. 723. num. 7.*



9. Sed dubium esse potest, quomodo fieri debeat ista notificatio reuocationis mandati: qua in re concludendum est primò, quòd si plures sint procuratores in solidum constituti, omnibus notificatio fieri debet: aliàs resignatio facta ab eo qui nesciuit se reuocatum valebit: si verò procuratores constituti sint, sine clausula *in solidum*; valebit resignatio facta per vnum: quia in spiritualibus non habet locum *cap. si duo. §. fin. de procur. in 6.* vt bene comprobatur Rebuff. *in concord. de sublat. Clement. literis. in verb. resignatione. vers. amplia, siue sit vnus.* † Sufficit autem quòd intimatio reuocationis fiat ipsi procuratori, vel collatori; vt dicitur in illa *Clemen. vnic. de renunciat.* † Intimatio autem quæ fit summo Pontifici, debet fieri tam in camera, quàm in Cancellaria.
10. Paris. *d. lib. 9. quæst. 26. num. 8. & 9.* † Quæ verò fit procuratori, debet ipsimet fieri; nec sufficeret factam fuisse cursori, qui missus fuit ad sumendas expeditiones beneficij: quia cursor non tenetur credere alteri dicenti mandatum fuisse reuocatum; nec si credat, tenetur reuelare, nisi fuerit in testem productus: vt dicit Rebuff. *loco proximè citato, in verb. resignatione. vers. Sextò.* † An autem sufficiat sola scientia vel notitia reuocationis, an verò pro forma requiratur intimatio: dubitauit Rot. *decis. 130. num. 20. par. 6. recentior.* quæ in eam videtur inclinare sententiam, vt sola notitia sufficiat: per text. *in d. Clemen. vnic. ibi, notitia reuocationis.* Paris. *d. quæst. 25. num. 29.* † Sufficit etiam quòd intimatio fiat ipsi parti, quando agitur de mandato ad permu- tandum, vel etiam ad resignandum in fauorem certæ personæ: tunc enim cum persona sit certa, intimatio ipsi facta valida est: vt notauit Paris. *d. lib. 9. quæst. 27. num. 10. & multis seqq.*
11. Ista autem intimatio reuocationis mandati ad resignandum, fieri debet re integra; nam si procurator reuocatus consensum formalem præstitisset, antequam illi fuisset intimata reuocatio; valerent gesta per eum, & resignatio subsisteret, non obstante reuocatione mandati.
12. Pro cuius rei intelligentia sciendum est, in praxi triplici modo considerari posse consensum, in prouisionibus beneficiorum. Primò dum præstatur consensus in parua data, qui vocatur paruus consensus, & hic non facit desinere rem esse integram: quia gratia non dicitur perfecta, nisi post signatam supplicationem, & ideo non obstante tali consensu, potest procedi ad reuocationem procuratoris. Cokier. *ad regul. 43. aliàs 44. de consens. in resignat. & pension. num. 25. & 26.* post Paris. *de resign. lib. 1. quæst. 12. num. 42.* Lotter. *de re benefic. lib. 3. quæst. 16. num. 18.* Gratian. *discep. for. cap. 191. num. 3. & seqq.*
13. Secundò consideratur tanquam consensus causalis, qui narratur in supplicatione, & in litteris perinde ac si iam formaliter præstitus fuisset; & hic consensus est causa, & radix in qua fundantur prouisiones, & concessionibus beneficiorum.
14. Tertiò, dicitur consensus formalis, qui præstatur in expeditione litterarum; iuxta Regul. Cancell. *43. aliàs 44. de consens. in resign. & pens. vers. nec littera resignationis.* Secundus consensus respicit substantiam gratiæ, & est de essentia illius; vt dicit Mohedan. *decis. 5. de renunciat.* licet ibi talem consensum vocet formalem. Tertius verò consensus, respicit solam expeditionem litterarum, & formalitatem extrinsecam, in vim regulæ Cancellariæ obseruandam: vnde & illi solet Papa derogare. Lotter. *de re benefic. lib. 4. quæst. 35. num. 71.* Licet illius sententia non videatur ab alijs Doctoribus recepta, vt mox dicemus; † & propterea secundum illius opinionem

explicatam *d. cap. 35.* post præstitum secundi generis consensum, nempe causalem; rem non esse integram, & non esse locum pœnitentiæ; quando videlicet talis consensus, fuit præstitus post signaturam supplicationis, cum appositione datæ per Datarium; ita vt inutiliter hoc casu reuocetur mandatum, quamuis consensus, iuxta regulam Cancellariæ, nondum fuisset pro expeditione litterarum extensus: vt explicat idem Lotter. *d. lib. 3. quæst. 16. num. 51. vers. nihilominus.*

Veruntamen alij Doctores contrarium tenuerunt, & inter ceteros Cokier *ad d. regul. 43. aliàs 44. de consens. num. 26. & 27.* nempe quòd etiam si in superscriptione supplicationis dicatur, resignantem præstitisse consensum; tamen donec, & quousque non est datus formalis consensus: qui est cum expressè datur in camera, vel Cancellaria; & extenditur à Notario; licitum est recedere à resignatione, & procuratorem reuocare: & talis est Curia stilius. Quod etiam decisum fuit apud Verall. *decis. 217. num. 8. par. 1. & tradit Paris. de resignat. lib. 8. quæst. 8. num. 40. & 43. & omnium optimè Gratian. discep. foren. cap. 191. per tot.* Vbi ostendit quòd signatura fingitur obtenta, eadem die qua parua data obtenta fuit; & expeditio litterarum retrahitur ad illud tempus: & quòd post obtentam paruum datam, porrigitur supplicatio; & Notarius nondum extendit consensum procuratoris, sed solum notat diem consensus in tergo mandati: postea verò Notarius extendit illum consensum, non sub data diei qua fit extensio; sed sub illa data qua annotatio facta fuit in tergo mandati: & tamen donec consensus fuerit extensus in Camera vel Cancellaria, potest fieri reuocatio mandati. Et talis est stilius Curia, qui procedit non solum post correctam supplicationem; sed etiam post solutam compositionem Datario, vt bene explicat Gratian. *d. cap. 191. num. 5. & 6. & seqq.*

Et secundum hanc sententiam, non obstat ratio adducta per Lotterium, quòd gratia perfecta dicitur per solam signaturam. Quia imò non dicitur perfecta ante litterarum expeditionem, ante quam gratia dicitur informis: vt notauit Paris. *de resign. lib. 1. quæst. 12. num. 38.*

Hodie tamen, ex stilo moderno Romanæ Curia questionem istam superfluum esse notauit Lotter. *d. lib. 3. quæst. 16. num. 59. vers. est tamen verum.* quia non prius consensus apponitur in dorso supplicationis signatæ, quàm ille sit in Cancellaria præstitus, & in libris Camera extensus sub eâ formalitate, quæ respiciat tam signaturam, quàm litterarum expeditionem.

Multòque magis superflua est indagatio ista in Gallia; in qua, regula illa de Consensibus, minimè obseruatur tanquam contraria iuri communi: quia inter admittam resignationem, & bullarum expeditionem resignans variare non potest secundum ius commune: per text. *in Clemen. 1. de renunciat.* † Et idem, si resignans ante bullarum expeditionem moriatur, poterit nihilominus procurator bullas expediri facere, tanquam quid dependens à procuratore, quæ iam executioni mandati cœpta est: iuxta text. *in l. Iulianus ff. qui satisd. cogan.* Et opinio illa Lotterij seruetur in Gallia, nempe quòd per verbum *Fiat*, gratia est absoluta, & negotium resignationis expeditum: atque ita iudicatum fuisse testatur Papon. *lib. 2. tit. 8. de resignations. arr. 13. Cod. decis. forens. lib. 1. tit. 30. decis. 17.*

Verum non modica difficultas versatur in questione illa, vtùm si mandatum factum fuerit ad resignandum coram summo Pontifice, siue simpliciter, siue

in fauorem, siue etiam ad permutandum; possit postea illud idem beneficium coram Ordinario resignari, ante intimatam reuocationem procuratoris in Romana curia constituti. Duæ si quidem in hac controuersia, fuerunt contrariæ opiniones. Prima, quod ligatæ sint manus Ordinarij, adeo ut conferre non possit; nisi prius procurator constitutus in curia reuocatus fuerit, & illi intimata reuocatio; quam opinionem sequutus fuit Barbat. quem citat & sequitur Paris. *de resign. lib. 9. quest. 25. num. 44. & multis seqq.* Ioan. Selua. *in tract. de benefic. par. 3. quest. 16. num. 3. vers. & subdit Felin. & vers. tamen contrarium.* Vbi additio marginalis testatur, opinionem illam in Gallia seruari. Boer. *decis. 207. num. 6.*

Altera opinio est, præualere resignationem factam à principali coram Ordinario, quamuis procurator ad Romanam Curiam missus, nondum fuisset reuocatus; dummodò prouisio Ordinarij præcedat collationem summi Pontificis: neque ligatas esse manus Ordinarij, per nuntij missionem ad summum Pontificem; quia sufficit quod procurator reuocetur, licet reuocatio illi non fuerit intimata; quando renunciatio Domini, præcedit renunciationem procuratoris: ut tenet Felin. *in cap. ex parte Decani. num. 16. de rescrip.*

25. Sed opinio Felini communiter reprobat, ut notauit Paris. *d. quest. 25. num. 53. in fin. & in Gallia sæpius pro opinione Seluæ, & Barbatæ fuit iudicatum: ut apud Boer. d. decis. 207. Papon. lib. 2. tit. 8. des resignations Arr. 15. Tournet. en ses Arrests beneficiels, lit. O. num. 1. † Qui sustinet dictam opinionem locum habere, siue reuocatio procuratoris notificata fuerit, siue non: sed add. ad Papon, & arrestum prædictum relatum per Tournet in fine, licet non exigant intimationem, & notificationem intimationis; tamen existimant requiri scientiam dictæ renunciationis vel in procuratore, vel in Superiore resignationem admittente. Cod. *decis. forens. lib. 1. tit. 30. des resignations. decis. 19. & ibi add. in fin.* Qui omnes nituntur consilio cuiusdam Doctoris Galli per eos allegato. Poterit tamen Ordinarius conferre per obitum, si Papa apposuisset manum per resignationem. Gonzal. *glos. 52. num. 49.**
27. In casibus autem in quibus, permessa est reuocatio procuratoris ad resignandum constituti; si factæ fuerint expensæ pro executione mandati, debet reuocans illas resarcire, & damna restituere, non modò ipsi procuratori, sed etiam parti; si illius interfit: teste Rebuff. *in Concord. tit. de sublat. Clemen. litter. in verb. resignatione, in 4. limit. vers. tamen is qui reuocat.* Bald. *in l. si mandassem in 3. colum.* Vbi dicit, quod si procuratoris aliquid interest; Dominus non liberatur ab interesse propter reuocationem: quia procurator non est certificatus, & idèd mandatum adhuc durat post reuocationem ad effectum, ut
28. constituens teneatur ad interesse mandatarij, † Similiter respectu illius, cum quo procurator aliquid gessit; durat mandatum ad effectum consequendi damna & interesse, vsque ad tempus reuocationis intimatæ: tenetur ergo constituens ad damna, siue consistant in expensis, siue in alijs damnis: ut bene
29. *ibidem* explicat Bald. † dicens illud interesse liquidandum esse iuxta *l. vnic. Cod. d. senten. qua pro eo quod interest profer.* Idem tradit *Glos. in Clemen. vnic. in verb. teneat. de renunciat. ibi. licet teneatur expensas & interesse eius cuius interfuit. & Felin. in d. cap.*
30. *ex † parte Decani. 33. num. 26. de rescrip.*
31. Illud autem interesse, difficilis est probationis; cum potius in facto, quàm in iure consistat: *l. qua-*

*tenu, 24. ff. de reg. iur.* idèd taxari & liquidari debet, iuxta qualitatem personarum, locorum & temporum: per text. *in l. Pomponius. in fin. ff. de negot. gest. l. eum quem temere. ff. de indic. aliàs nulla certa iuris definitione comprehendi possunt, ut dicit Maynard. lib. 4. cap. 59. num. 4. l. fin. ff. de prator. stipul.* Barbol. *in l. 2. in fin. Cod. de rescind. vendit. † Et multum in hoc potest iudicis arbitrium, ut dicit Menoch. de arbitrar. cas. 116. num. 20. & cas. 120. num. 5.* Vbi dicit, quod quando agitur de interesse communi, non difficilis est illius probatio; aliud esse dicit in interesse singulari, quod ex communi valore probari nequit; sed ex qualitate personarum, & negotij: idèd coniecturis probari debet, & à iudicis arbitrio dependet.

Porro generalis est distinctio, ut aliud dicatur interesse intrinsecum, siue intra rem; aliud extrinsecum, siue extra rem: hæc enim est communis Doctorum distinctio, quamuis illam reprobet Scacc. *de commerc. §. 7. gloss. 2. num. 91. fol. 454.* Sed loquitur contra communem sensum omnium Doctorum in *d. l. vnic. Cod. de senten. qua pro eo quod interest profer.*

In casu proposito, solum interesse intrinsecum, seu intra rem peti potest; veluti expensæ factæ pro expeditione ad urbem, pro nuncijs, cursoribus & alijs similibus; non autem extrinsecum, seu extra rem: ex regula generali proposita per DD. *in l. si quando Cod. unde vi, & nominatim per Plot. ibid. §. 10. num. 27. DD. in d. l. vnic. & ibi Rebuff. in gloss. in verb. Dupli. Fumeus in tract. de eo quod interest. num. 43. & seqq. † Nempe quod quotiescumque aliquis actus sit lege permittente, & dando operam rei licitæ, solum interesse intrinsecum debetur: quod etiam tradunt Bartol. Alexand. Castrens. Iaf. & alij omnes in *l. nummis ff. de iureiur. † Secus si illicitè, & cum delicto actus fiat; tunc enim omne interesse tam intra, quàm extra rem deberi fatentur DD. sup. citat. † Quod procedit, etiam si interesse illud, excederet in duplo interesse commune; ut explicat Fachin. lib. 1. controuer. iur. cap. 49.* Vbi ostendit, quod licet regulariter interesse non possit excedere duplum; tamen in delictis, & in obligationibus quæ ex delicto nascuntur, interesse duplum excedere potest: quod tamen nunc non discutio, quia est extra materiam nostram.*


Notandum etiam est hoc casu, solum interesse deberi quod processit immediatè ex facto mandantis, seu constituentis procuratorem; non autem quod mediatè: ex notatis per Iaf. & alios in *l. 2. §. si in facto. num. 23. & 24. ff. de verb. oblig.*

Ad secundam difficultatem responderetur, dictum resignantem non posse petere dictam pensionem contra bona, & redditus d. Abbatia sitæ intra monarchiã S. D. N. Papæ, literis non confectis; ita decidit Mantic. *decis. 286. Ricc. collect. 1665. addit. ad Ludouif. decis. 440. num. 8.* Idque propter decretum, quod solet apponi in concessione pensionum, cum hac clausula, vigore literarum Apostolicarum desuper conficiendarum, nec contra, aliàs præfens pensio sit nulla. Ad hunc autem effectum, literæ dicuntur expeditæ, quando sunt plumbatæ. Ludouif. *d. decis. 440. num. 5.*

Quoad verò redditus beneficij qui sunt in Gallia, non potest simpliciter Dominus Abbas resignans procedere viâ executiua, pro consequenda pensione reseruata; tam propter clausulam appositam in simplici signatura, quod maior expressio fieri possit in literis; tum etiam quia talis est stilus curiarum Gallia, ut non possit procedi viâ executiua per pignorationem bonorum, & reddituum; quamuis specialiter affecta fuerit

fuerit pro solutione pensionis, nisi prius confectis literis: vt notauit Forget. *in tit. des pensions beneficielles, num. 17. vers. toutesfois les simples signatures*, relatus apud Bouchel *in summ. benefic. in verb. pensions*. Tria enim requiruntur, vt simplex signatura executionem habeat in Gallia. Primò, quòd habeat attestatorem expeditionariorum, vel Notariorum Apostolicorum, aliarumque similiarum personarum expertarum in materia harum expeditionum. Secundò, quòd talis attestatio, seu verificatio fiat potius coram iudice Ecclesiastico, quàm alibi. Tertiò, quòd talis signatura fuerit homologata, & declarata exequutoria parte presente, vel legitimè citata in iurisdictione seculari: vt declarat Forget. *loc. cit. num. 19. vers. mais ie demanderay*. Eandem executionem denegari simplici signaturæ, pro consequenda pensione, tradit Bleyn. *in tract. de benefic. tit. de pens. benefic. num. 26. in glos. K.* Vbi dicit, non posse simplicem signaturam executioni demandari, sine literis executorialibus.

40. Poterit etiam Dominus Abbas resignans, in defectum solutionis pensionis, intentare regressum & reditum ad pristinum beneficium & Abbatiam: quia clausula regressus in defectum solutionis, semper reseruata censetur, & tacitè subintelligitur in omnibus prouisionibus pensionum Ecclesiasticarum, & beneficialium; ad instar donationis quæ reuocatur, si donatarius conditionem donationi appositam non adimpleuerit: prout ita iudicatum fuisse per plurima arresta curiæ Parlamenti, testatur Torner. *in sua recollect. arrest. benefic. lit. P, num. 88.* † Hos autem accessus & regressus qui in resignationibus beneficiorum conceduntur, ob non solutionem pensionis, non abstulit Concil. Trident. *sess. 25. de reformat. cap. 7.* teste Paris. *de resignat. lib. 6. quest. 5. num. 100.* Barbof. *in praxi exigendi pensiones, quest. 9. num. 2.* vbi fusiùs de praxi huius regressus. Vide infra cap. 69.



CAPVT XXVII.

De Beneficiorum vacatione ipso iure. De homicidio & assassinio, an & quando ex illis oriatur priuatio ipso iure. De Beneficij impetratione sub falso nomine. De exprimenda accusatione in rescripto; & de beneficio habente curam habitu; & de beneficiis incompatilibus. Publicationem in impetratione certo modo non esse necessariam. Vtrum obtinens nouum titulum teneatur nouam capere possessionem, si titulus sit confirmatorius primi.

SUMMARIUM.

1. Priuatio beneficiorum ipso iure, in quibus casibus & pro quibus delictis inducatur. & num. 5.
2. In quibus casibus inducatur priuatio beneficij, per solam Iudicis sententiam. & num. 5.
3. Pro homicidio, imò & pro parricidio nemo priuatur beneficiis ipso iure. Contra, num. 12.
4. Crimen assassiniy inducit priuationem beneficij, ipso iure.
6. Receptatores priuantur beneficiis ipso iure in assassinio. Intellige interueniente dolo. num. 7.
8. Assassinium non dicitur, nisi fiat mediante pecunia.

9. Priuatus ipso iure beneficiis, non potest resignare etiam ante sententiam.
10. Quid si priuatus per sententiam appellauerit, & post appellationem resignauerit.
11. In Gallia, licita est etiam resignatio ante sententiam, si beneficium non vacet ipso iure.
13. Non modo simplex resignatio, sed etiam in fauorem licita est, in non vacantibus ipso iure.
14. Resignatio Beneficij ipso iure non vacantis, fit coram Papa; dimisso verò, coram Ordinario.
15. Quæ clausula apponi debeat, vt delinquens in præiudicium impetrantis resignare non possit.
16. In impetratione, fieri debet mentio litis pendentis super accusatione. Et num. 35.
17. Accusatus potest resignare etiam post conclusum in causa, quando non priuatur ipso iure.
18. Accusatus potest resignare in fauorem coram summo Pontifice, etiam post conclusum in causa; secundum veriore sententiam: licet alij contrarium sentiant.
19. Resignari non potest beneficium post impetrationem, si illa deuenerit ad notitiam possessoris, propter illius malam fidem, & propter clausulam decreti irritantis.
20. Contrarium tenuit Gars. cuius sententia reprobatum num. 21. licet opinio Garsie sit in iure verior; sed communis est in contrarium.
22. Quando priuatio oritur ipso iure, interim tamen ante sententiam declaratoriam facti, possessor manutenendus est.
23. Sententia condemnans ad pœnam ratione delicti, non operatur priuationem in iis que illam non inducunt ipso iure, nisi priuatio expressè per sententiam declararetur.
24. Quando priuatio inducitur ipso iure, sufficit sententia condemnatoria delicti, absque expressione pœne priuationis.
25. Sola condemnatio ad carceres perpetuos, non infert pœnam priuationis beneficiorum.
26. Omnis gratia in qua falsum narratur; nulla est, & inualida.
27. Simonia non committitur punibilis, nisi probata conuentione, & illius effectuione.
28. Reseruatio beneplaciti summi Pontificis, omnem Simoniam excludit.
29. Amplia, vt etiam hoc procedat in beneficiis Gallie.
30. Fallit, si beneplacitum fuerit reseruatum dumtaxat animo fraudem obtegendi.
31. Impetratio beneficij falso expresso nomine nulla est.
32. Quæ sit vis illius clausula, Quod maior expressio fieri possit in litteris.
33. Qualitas Doctoris dicitur confrontatio æquiuoca, quia pluribus conuenire potest.
34. Quando duo reperiuntur eiusdem nominis, identitas debet probari per demonstrationes concludentes, & non dubias, seu æquiuocas.
36. Impetrans debet facere mentionem aliorum beneficiorum quæ obtinet, alias gratia est nulla.
37. Amplia, vt exprimenda sint beneficia obtenta, quantumcumque modici valoris.
38. In Gallia non debet exprimi quæ beneficia quis iam obtineat, quando agitur de collationibus Regijs.
39. Nec expressio obtentorum requiritur in permutationibus.
40. Qualitas beneficij curati habitu, non est exprimenda in impetratione.

41. In Gallia, contrarium obseruandum est; & qualitas beneficij curati habitu exprimenda.
42. Duo beneficia uniformia sub eodem tecto possideri non possunt.
43. Per pacificam possessionem secundi incompatibilis, vacat primum ipso iure.
44. In Gallia tamen primum incompatible, non vacat nisi post annum.
45. Primum beneficium habens tantum curam habitualem, non vacat per adeptionem secundi.
46. Dua capellania sub eodem tecto, sine summi Pontificis dispensatione possideri nequeunt.
47. Ut primum beneficium vacet, requiritur pacifica possessio secundi incompatibilis.
48. Canonatus infert sine alia expressione stallum in choro & vocem in capitulo.
49. Regula de publicandis, locum habet dumtaxat resignationibus & cessionibus.
50. Noua prouisio nouam possessionem exigit. Intellige vt num. 52.
51. In beneficalibus datur manutentio, non obstante quod titulus sit discoloratus.
52. Causam possessionis mutare licet in beneficalibus, absque noua apprehensione.

**V**ariæ aliæ propositæ fuerunt decidendæ quæstiones, super impetratione quorundam beneficiorum, sitorum in partibus Gallia. Et primò quidē, vtrūm Sacerdos qui mandauerat fieri assassinium in persona alterius Sacerdotis, posset resignate sua beneficia in præiudicium eius, qui illa vti vacantia impetrauerat. Et quid de receptatoribus homicidarum seu assassinatorum statuendum esset.

Secundò, vtrūm ille qui obtinuit à summo Pontifice dispensationem, ad effectum duo incompatibilia beneficia possidendi; possit vti effectu gratiæ, si falsum narrauerit.

Tertiò, vtrūm beneficium illius, qui pecunias sub beneplacito Sanctissimi D. N. Papæ, pro ipsius adeptione promisit; iure impetrari possit ex capite simoniæ: maximè homologatione, post longum tempus in vim mandati annum excedentis, concessa.

Quartò, vtrūm impetratio facta cum errore circa nomen proprium, sit valida.

Quintò, vtrūm accusatus in mandato ad resignandum, teneatur de accusatione expressam facere mentionem.

Sextò, vtrūm impetrans beneficium, veluti Præposituram, teneatur mentionem facere, seu exprimere aliud beneficium habens curam habitu.

Septimò, vtrūm quis possit obtinere in eadem Ecclesia beneficium habens curam habitu, simul cum duabus capellaniis absque dispensatione.

Octauò, an obtenta gratia si neutri, beneficia incompatibilia ante gratiam possessa, statim vacare censentur.

Nondò, vtrūm necesse sit in impetratione Præposituræ, exprimere quòd Præpositus habeat vocem actiuam, & passiuam in capitulo.

Decimò, vtrūm impetratio remaneat sine effectu, si intra tempus requisitum iuxta regul. *Cancel. de public. resign.* non fuerit publicata.

Vltimò, vtrūm ille qui semel impetrauit, & vigore commissionis in forma dignum arbitramur fuit approbatus; si nouam prouisionem obtineat, nouam capere possessionem teneatur; aut aliàs quomodò hoc casu procedendum sit.

1. Prima quæstio, pro vera & distincta resolutione, quadam exigit supponenda. In primis ergo notandum est, priuationem beneficij duobus modis accide-

re posse. Primò quidem, priuatio inducitur ipso iure. Secundò, per solam Iudicis priuationem, & sic facto hominis legalem pœnam imponentis, & sententiam declaratoriam proferentis. Ipso iure vacant beneficia per obitum: per resignationem: per alterius beneficij incompatibilis affectuionem: per matrimonium: per religionis professionem: ob non promotionem ad sacerdotium intra annum, in parochialibus: ob Prælati ad aliam Ecclesiam translationem: si electus intra mensem, à die sibi præsentatæ electionis, illi non consenserit; vel electionis confirmationem infra tres menses, à die præstiti consensus non obtinuerit: si electus, vel presentatus ante confirmationem, vel institutionem; administrationi per se, vel per alium se ingesserit: Item per promotionem ad Episcopatum, adepta possessione, & consecratione sequuta; vel lapsò tempore ad illam petendam præfixo: si quis militiæ sæculari se adscripserit: (quãuis hoc hodie parùm obseruetur in Gallia: ) si quis beneficij possessionem violenter adeptus fuerit: si sequestrum vigore *Clemen. 1. de sequestr. possess.* appositum violauerit: si beneficiatus ab Ordinario monitus, titulum suum non exhibuerit: si bona Ecclesiæ sine solemnitatibus alienauerit: si beneficium pro derelicto habuerit: si in hæresis crimen inciderit, aut hæreticorum fautor fuerit: (quid tamen circa hoc feruetur in Gallia, diximus supra *cap. 4. num. 3.*) Item vacant ipso iure beneficia, ob simoniam realem; non tamen ipso iure vacant ob solam conuentionalem beneficia obtenta. Rursus propter crimen læsæ maiestatis, falsitatis literarum apostolicarum, percussio-nis Cardinalis, vel Episcopi; assassinium, occisionem Rectoris suæ Ecclesiæ, carcerationem clerici donec beneficium suum resignauerit, administrationem tempore suspensionis, sodomiam. Item si resignans in infirmitate constitutus, per viginti dies non superuixerit: si resignatarius intra tempus præfixum non publicauerit, aut in Gallia aliud non fecerit, quod publicationis instar sit, ( de quo diximus *cap. 13. num. 18.* ) Si parochialis prouisio contra formam constitutionis Pij V. concessa fuerit: si quis pro alio examini se supposuerit, aut beneficium seu pensionem sub hac suppositione obtinuerit: si Antipapæ, vel hæreticis adhæserit: si Papa ad beneplacitum confereus mortuus fuerit: si beneficio per summum Pontificem ad tempus collato, Pontifex ipse mortuus fuerit: si is qui ad nutum contulit, suam concessionem reuocauerit: si prouisus fuerit depositus, aut priuatus beneficio: si ante literarum expeditionem, beneficij à Papa collati possessionem apprehenderit: si in Romana curia litigantes, aut Iudices, Aduocatos, Procuratores aut Notarios eorum, contra Alexandrinæ constitutionis prohibitionem offenderit: si per annum saltem in excommunicatione quis inforduerit: si aduersus decretum de dimittendo, beneficium ultra tempus in eo definitum possederit: si quis ad ordines per saltum, vel extra tempora, aut sine dimissoriis promotus sit. Item propter confidentiam, aut si fundator ita disposuisset; seu constitutione, aut statuto cautum esset; & ob malam valoris expressionem. Quos omnes vacationis ipso iure beneficiorum modos, exponit ad longum Gonzal. *ad reg. 8. Cancell. glos. 15. à 21. 3. usque ad 134.*

Secundus modus vacationis beneficiorum est, 2. quando non ipso iure vacant; sed dumtaxat per Iudicis priuationem, & sententiam. Quod regulariter accidit in delictis non exceptis; veluti si agatur de homicidio non qualificato, de sacrilegio, de publico concubinato, de incendiario, periuro, residere nolente, bannito, & aliis de quibus per Rebuff. *in pra-*

- xi tit. de mod. amitt. benef. à num. 50. usque ad fin. Item si agatur de adulteris, incestuosis, incorrigibilibus, aleatoribus, furibus, vsurariis, stupratoribus, & omnibus aliis graua crimina perpetrantibus; dummodò tamen talis pœna exprimat à iure: aliàs non. Rebuff. in praxi d. tit. de mod. amitt. benef. num. 62. Gonsal. loc. cit. num. 139.
3. Secundò supponendum est; quòd licèt, vt supra diximus, pro simplici homicidio non inducatur priuatio beneficiorum ipso iure, etiam si ageretur de parricidio; quicquid dixerit Rebuff. in tract. de pacif. possess. num. 265. quem citat & reprehendit Gabriel. cons. 196. num. 7. vol. 1. Vbi etiam loquitur de eo, qui occiderat patrem suum spiritualem.
4. Tamen quando agitur de assassinio, certum est induci priuationem beneficiorum ipso iure, propter atrocitatem criminis: vt habetur in cap. 1. de homicid. lib. 6. Massob. in praxi habend. concurs. requis. 1. dub. 2. num. 30. † Vbi omnes casus vacationis beneficiorum ipso iure recenset vsque ad num. 63. Et à d. num. 63. recenset casus, quibus beneficia vacant de facto tantùm, quæ etiam omnia enumerantur apud Cokier ad Regul. 8. Cancell. gloss. 7. num. 20. usque ad fin. illius glosse.
5. Et quemadmodùm propter assassinium, beneficia vacant ipso iure; ita & beneficia illorum, qui assassinos receptauerint, eadem ratione vacare censenda sunt, per text. expref. in d. cap. 1. de homicid. in 6. in illis verbis, *per assassinos interfici fecerit, vel etiam mandauerit, aut eos receptauerit, vel defenderit seu occultauerit.*
7. Constitutâ tamen differentiâ inter eos qui receptauerunt, & qui receptatos habuerunt: quia receptatio non committitur nec punitur sine dolo, & mala intentione, vt explicat Farinac. de Consultor. qu. 133. n. 55. Giurb. cons. 28. n. 10. & seqq.
8. Supponendum est tertio, quòd de essentia assassini est, vt fiat interueniente pecunia, alioquin non dicitur assassinium; nisi tamen aliquid promitteretur, quod esset loco pecuniæ; Farinac. de homicid. qu. 123. num. 19. & seq. & num. 41. & num. 153. & seq. vbi bene hanc materiam explicat.
9. Supponendum est quarto, inter plurimas differentias quæ proponuntur vacationis beneficiorum ipso iure, aut per sententiam declaratoriam; hanc asserit solere: quòd qui ipso iure priuatus est beneficio, illud resignare non potest; qui verò non ipso iure priuatus est, sed priuandus, potest resignare etiâ post accusationem, & aliàs donec sententia lata, fuerit in rem iudicatam transacta. Gonsal. Vbi sup. glos. 15. num. 146. & 147. vbi plures allegat. Rebuff. in d. tit. de mod. amitt. benef. num. 51. Rot. decis. 377. num. 1. part. 3. recent. & est indubitata regula apud omnes
10. DD. † Si tamen post latam priuationis sententiam, à qua fuerit appellatum, condemnatus resignauerit; talis resignatio erit in pendenti: quia si resignans pendente appellatione mortuus fuerit, aut si sententiam absolutoriam reportauerit, valebit resignatio: at si gratiam à Principe, aut alio ad id potestatem habente, obtinuerit; irrita remanebit resignatio: si denique sententia priuationis in gradu appellationis confirmata fuerit, resignatio pendente appellatione facta, per viam retractionis censetur inualida tanquam ab initio: l. post contractum capitale crimen, iuncta l. si aliquis. ff. de donat. caus. mort. & ita referunt sensisse quemdam ad regul. de infirm. resignant. num. 379. licèt contrarium teneat Garf. de benefic. part. 11. cap. 3. num. 95.
11. Quod autem mox dictum est de priuationis sententia, aduersus beneficiatum delinquentem regulariter requisita, ad hoc vt beneficio careat; etiam in Gallia tribunalibus obseruatur, teste Maynard lib. 1. quæst. in. scrip. cap. 61. qui post Præpositum in. cap. studeat. 50. distinct. asserit post commissum capitale crimen, ante tamen sententiam condemnatoriam, licitam esse resignationem beneficij; vel etiam post latam sententiam, si ab ea fuerit appellatum: Rebuff. in tract. de pacif. possess. num. 262. aliàs 314. Charond. lib. 1. respons. 22. in fin. † quanquam Maynard in. d. 12. cap. 61. inter delicta ob quæ beneficium vacat ipso iure, enumeret parricidium, & alia quædam delicta, quæ non omnia videntur secum asserre beneficiorum priuationem ipso iure; vt supra ostendimus num. 3. post Gabriel. d. cons. 197. lib. 1. His non absimilis est resolutio Pelei lib. 1. action. forens. 31. Theuen. ad Constit. Reg. lib. 1. lit. 22. art. 5.
- Supradicta ampliantur, vt etiam sit licita resignatio in fauorem, ante latam priuationis sententiam, in beneficiis ipso iure non vacantibus. Rebuff. de pacif. possess. num. 263. aliàs 316. Felin. in cap. inquisitionis. num. 4. de accusat. Gars. de benefic. part. 11. c. 3. num. 64. † Intellige si resignatio fiat coram Papa; nam si coram Ordinario, fieri debet simplex beneficij dimissio: cum nemo dubiter resignationes in fauorem, fieri non posse coram Ordinario, sed nec coram Legato. add. ad Louet. lit. C. num. 40. Reliqua hanc materiam concernentia, fuse discuit Garf. d. part. 11. cap. 3. n. 62. & multis seqq.
- Supponendum est quinto, in casibus in quibus beneficia non vacant ipso iure, posse impetrationem valide fieri cum clausula sequenti, quæ impediet quominus delinquens possit resignare in præiudicium impetrantis; videlicet cum decreto, *quòd resignatio cedat in fauorem impetrantis*, quæ clausula facilius conceditur, quando accusatus fuit condemnatus per primam sententiam; raro autem conceditur, antequam prima sententia condemnatoria lata fuerit: vt notauit Cokier ad regul. Cancell. 45. num. 8. Farin. de homicid. quæst. 119. num. 91. Garf. d. part. 11. cap. 3. num. 112.
- Supponendum est sexto, quòd licèt post commissum crimen, resignatio in fauorem coram summo Pontifice fieri possit; vt supra diximus: hoc tamen intelligendum est, vt procedat, dummodò in tali resignatione fiat mentio litis pendens: aliàs resignatio nulla erit. Rebuff. in d. tit. de mod. amitt. benef. n. 52. in fin. Farin. d. quæst. 119. num. 76. & 77. Mar. Anton. lib. 2. var. resol. cap. 112. resol. 70. vers. primo.
- Septimò supponendum est, quòd accusatus delicto, ex quo non oriatur ipso iure beneficij priuatio, resignare potest etiam post conclusum in causa. Quod indubitatum ego existimo; si enim, vt mox dictum est, resignare potest etiam post primam & secundam sententiam, donec interuenerit res iudicata; multò fortius resignare poterit post causæ conclusionem, & sic ante sententiam. † Sed difficultas est, vtrum post conclusum in causa, possit resignatio fieri in fauorem? Ratio dubitandi est, quia aperiretur via fraudibus, atque ideo Paris. censuit solam simplicem hoc casu renunciationem, admittendam esse; in tract. de resign. benefic. lib. 3. quæst. 16. num. 42. Farinac. d. q. 119. num. 80. & 81. Maximè quia vix possibile est, vt fama Rei apud graues viros læsa non fuerit; quo casu militare videntur quæ dicta sunt apud Garf. d. cap. 3. num. 69. atque ita ego consului: sed reuera hoc apud me maturius cogitantem, non transit sine magna difficultate; quia rationes illæ fraudis & infamiae, multò magis militant post latam sententiam: & tamen illo etiam casu, nihilominus accusatus resignare potest in fauorem, si non fuerit inducta priuatio ipso iure:

iure : & per consequens verior videtur mihi sententia Garf. d. cap. 3. num. 90. vt etiam ante conclusum in causa, resignatio coram Papa hoc casu fieri possit.

19. Supponendum est octauò, quæstionem esse admodum controuersam; vtrum valida sit resignatio beneficiorum, in quibus non fuit inducta ipso iure vacatio, quando delinquens habuit notitiam impetrationis aduersus se factæ. Quòd enim hoc casu resignatio fieri nequeat, propter malam fidem resignantis, tenuit Paris. de resign. lib. 3. quæst. 16. num. 35. & seqq. Peleus in *Commen. Analit. de benefic. cap. 36. vers. non omnis. fol. mibi 126.* Farinac. d. quæst. 119. num. 88. & 89 idque propter vim & efficaciam decreti irritantis, appoliti in impetrationis rescripto; quæ clausula nullam & inualidam reddit resignationem postea factam. Boer. decis. 205. num. 8. Lancel. de attent. par. 2. cap. 5. num. 12. & 13. quia, inquit, resignatio facta inquisitione pendente, ab eo qui verisimiliter sciebat se priuandum esse, non valet, idem Boer. decis. 2. num. 5. Ioan. Bapt. Cost. de fact. scien. & ignor. cent. 2. distin. 44. Et huius sententiæ Auhor fuit Anton. de Butrio. conf. 43. circa fin. vers. sed hic non proponitur scientia. & Ludou. Gomes. ad regul. de an. ali. quæst. 42. vers. & tamen aduertendū Aufrer. in nor. ad Capell. Tholos. decis. 436. in prin. idem tenet Felin. in cap. in nostra 32. num. 38. vers. item mandatum Papa. de rescrip. Lancel. de atten. cap. 5. num. 12. Cokier. ad regul. de Annal. 32. num. 30.

20. Contrariam tamen sententiam amplectitur Garf. d. par. 11. cap. 3. num. 84. cum nonnullis Doctoribus per eum citatis, quæ sententia magis in iure fundata videtur: quia siue sciat quis, siue ignoret; dum beneficium ante priuationem resignat amico vel consanguineo, nulla interueniente confidentia aut alia simili fraude; iure suo vitur, cum beneficium nondum vacet: & per consequens nemini facit iniuriam. l. non fraudatur. ff. de reg. iur. cessat ergo illa fraudis consideratio. Et ad obiectionem petitam ex decreto irritanti, bene respondet Garf. num. 85. decretum illud operari dumtaxat, si & quatenus casus priuationis aduenerit, & non alius: cum igitur tempore resignationis nondum enegerit casus priuationis, non potest etiam adesse aliquis effectus decreti irritantis: alioquin eodem modo decretum operaretur, existente ignorantia resignantis; quia siue sciret impetrationem, siue ignoraret, semper decretum illum afficeret; quia afficit ignorantes: cap. dudum. de præben. in 6. cap. 1. de concess. præben. Et cum beneficium nondum vacet, donec lata fuerint tres conformes sententiæ super illius priuatione; non videtur impediri illius resignatio, cum impetratio illius nondum vacantis, nulla sit: & in hoc nihil faciat scientia vel ignorantia possessoris, stante impetrationis nullitate, de qua per Gonsal. ad reg. 8. glos. 15. num. 148.

21. Cæterum, si negotium ex pluralitate Doctorum iudicandum sit, prior sententia præualebit, quam communem esse post Paris. testatur Farinac. d. quæst. 119. num. 88. existimans ab ea in iudicando, vix recedendam. Et secundum illam opinionem ego consului; maximè quia agebatur de beneficio sito in Gallia, propter authoritatem Boerij seu Senatus Burdegalen. & Aufrerij ad d. decis. 436. Capell. Tholos.

22. In omnibus autem casibus, in quibus priuatio beneficii ipso iure inducitur ex causa delicti; certum est interim donec lata fuerit sententia declaratoria facti, possessorem manutenendum esse, Lotter. de re benefic. lib. 3. qu. 18. n. 28. Rot. decis. 255. n. 2. par. 3. recent. & decis. 179. n. 9. in impressis post consil. Farinac.

Supponendum est nonò, quòd licet quis fuerit condemnatus ratione delicti, ex quo non venit priuandus ipso iure; non carebit suo beneficio, nisi expresse in sententia pœna priuationis declarata fuerit: quia sententia est stricti iuris, & nihil continet nisi quod in ea exprimitur. † Si verò agatur de crimine, ex quo pœna priuationis ipso iure irrogatur; sequitur priuatio ex sola sententia condemnatoria delicti, quamuis in ea nihil de priuatione dictum fuerit. Campanil. in diuers. iur. Canon. rubr. 11. cap. 13. num. 121. † Vnde si quis ad pœnam perpetui carceris fuerit condemnatus, si nihil aliud in sententia dictum fuerit, non erit priuatus beneficii: vt aduersus Garf. tenet Lotter. de re benefic. lib. 3. quæst. 33. num. 58. Et ex his expedita est prima quæstio proposita.

Ad secundam quæstionem principalem Dixi, regulam esse generalem, omnia rescripta & gratias, in quibus falsum narratur; nullas esse, & inualidas; neque posse impetrantem illarum effectu frui. Glos. in cap. quia circa. de consang. & affin. in fin. cap. dudum. §. insuper. de elect. Et obreptio ac subreptio, vitiant ipso iure gratiam. cap. si dignitatem. de præben. in Clement. cap. dudum. de privileg. Petr. Gregor. de rescrip. lib. 1. cap. 15. num. 11.

Ad tertiam Respondi, ad hoc vt Simonia sit punibilis, necessariò requiri quòd pecunia fuerit effectualiter soluta: vel aliquid aliud pecuniæ æquiualens præstitum: & quòd talis solutio vel præstatio facta fuerit in executionem pacti, vel conuentionis præcedentis: itavt si duo illa requisita non concurrant, non sit locus pœnæ alicui ob causam Simonie infligendæ. Rot. Roman. apud Ludouif. decis. 238. num. 10. & decis. 517. num. 30. copiosè Farinac. conf. 75. per tot.

Et quamuis insimul probaretur tractatus præcedens, & illius effectuario; excluderetur tamen Simonia, & illius effectus, si summi Pontificis beneplacitum in concordia fuisset reseruatum: quia coram summo Pontifice, si omnia bene exprimantur, nulla committitur Simonia. Farinac. d. conf. 75. num. 19. 33. & 72. † Quod etiam in Gallia indubitatum est. Add. ad Louet lit. C. num. 40.

Quòd tamen sano modo intelligendum est, si enim clausula illa, sub beneplacito Sanctissimi, fuisset dumtaxat apposta ad regendam & colorandam partium fraudem; vt pote si ante obtentum summi Pontificis beneplacitum, conuentio fuisset executioni demandata, & pecunia soluta, aut alia res æquiualens tradita, non expectatâ homologatione; hoc casu committeretur Simonia, Mohedan. tit. de Simon. decis. 1. num. 6. Rot. diuers. decis. 673. par. 3. lib. 3.

Ad quartam dubitationem Dixi, impetrationem cum errore nominis, seu sub alieno nomine proprio factam, inualidam esse; quamuis illam per errorem factam fuisse proponatur. Rot. decis. 16. de rescrip. in nouis. vbi dicitur impetrationem factam pro Francisco Bernardino, qui nihilominus Ioannes Bernardinus vocabatur, nullam esse; nisi tamen ex aliquibus circumstantijs, veluti ex designatione officij, aut dignitatis ipsius impetrantis, certitudo & identitas personæ euidenter colligi posset: vt bene explicat Ricc. Collect. 1496. super l. si quis in fundi vocabulo. ff. de legat. 1. & Barbol. in cap. in nostra. 32. num. 6. & 7. de rescrip.

Clausula verò illa, quòd nomen & cognomen verior expressio fieri possit in litteris. nihil iuuat, quando nomen impetrantis malè fuit expressum, Rebuff. in 2. par. signat. in verb. nomen & cognomen. num. 4.

Cæterum in casu proposito, qualitas Doctoris adiecta

- adiecta nomini erroneo, non est talis vt possit personam certificare, & gratiam validam reddere; quia est qualitas æquiuoca, quæ potest pluribus aliis personis conuenire. Si tamen duo essent eiusdem nominis, quorum vnus esset Doctor, alijs non; ista expressio Doctoratus videretur sufficiens, ad dignoscendum vtri ex duobus facta esset collatio: alioqui si remaneat æquiuocum, gratia est nulla: non enim designationes & confrontationes dubiæ & æquiuocæ, in iure admittuntur; ad probandam identitatem: † sed probatio debet esse concludens, quando duo eiusdem nominis, & cognominis reperiuntur, Mascard. de probat. conclus. 875. num. 2. Gratian. discip. foren. 554. num. 58. Peregr. de fideicom. art. 44. num. 46. vers. quare vis huius negotij. Vbi dicit huius negotij vim ad hoc reduci, an vltra nomen proprium concurrat aliqua alia qualitas, quæ vni conueniat, & non alteri: nam dispositio in eo verificabitur, nisi ex aduerso probetur alium extare, cui eadem qualitas conueniat: tunc enim probatio redditur dubia, & sic insufficientis ad probandam identitatem; pro cuius verificatione, necesse est probare duas saltem demonstrationes, quæ vni tantum conueniant. Marefcot. lib. 1. var. resol. cap. 12. num. 32.
34. Quintæ quæstionis resolutio pendet ex notatis supra num. 16. nempe quòd omninò necesse est exponere summo Pontifici, qualiter resignans fuit de tali crimine accusatus: & quòd super eo pendet lis, aliàs nulla est imperatio. Rebuff. in praxi. tit. de mod. amitt. benef. num. 52. in fin. Fatinac. d. quæst. 119. num. 76. & 77.
35. Ad sextam quæstionem Dixi, nullum esse dubium, quin impetrans beneficium teneatur mentionem facere aliorum beneficiorum iam obtentorum; aliàs impetratio nulla erit, cap. cum adeo. & ibi DD. de Rescrip. cap. de multa. de preben. Menoch. de arbitr. cas. 201. num. 41. Barbos. in cap. ad audientiam 31. num. 3. de Rescrip. Ioan. Selu. de benefic. part. 3. q. 11. num. 1. Tornet in arrest. benefical. lit. B. num. 60. †.
36. Quod procedit etiam si beneficia iam obtenta, essent quantumcumque modici valoris. Monald. conf. 92. num. 1. †. Hoc tamen non procedit in Gallia, in Regijs collationibus, in quibus non sunt exprimenda priùs obtenta, Louet & ibi add. lit. B. num. 3. †. licet nec in permutationibus, Idem Ibid.
37. Sed maior est difficultas, vtrum qualitas beneficij curati habitu, sit exprimenda pro validitate prouisionis. Verbi gratia, si beneficium ex primæua sui origine haberet curam animarum, quæ tamen de præfenti non potest exerceri; quia propter bellum, aut aliam ob causam totus populus ab illo loco recessit. Pro negatiua quòd qualitas illa beneficij curati habitu, exprimenda non sit; fuit decisum apud Seraphin. decis. 936. Gabriel. conf. 191. lib. 1. Caualer. decis. 164. num. 3. Lotter. de re benefic. lib. 1. q. 20. n. 155. Gars. de benefic. part. 5. cap. 3. num. 99. & seqq. ita vt certum sit, hanc opinionem in beneficijs sitis in Italia, aut in locis summo Pontifici immediatè subiectis, seruandam esse.
38. Sed in Gallia, & in curijs Parlamenti alio modo iudicatur; nempe omninò necessariam esse expressionem curæ, quantumuis habitualis; Rebuff. in prax. tit. de dispensat. rat. atat. in verb. etiamsi curam. vers. Secundo. additio ad Alexand. conf. 74. in verb. habitu. vol. 4. add. margin. ad Selu. de benefic. part. 3. qu. 72. num. 2. vers. nota obiter. Bley. de benefic. in tit. de simplic. & duplic. benef. num. 37.
39. Ad septimam propositionem constituenda est regula, duo beneficia sub eodem tecto esse incompatibilia, si sint vniformia; veluti duæ Dignitates, duo

Canonicatus, & similes. † Ideo per pacificam adaptionem secundi, vacare primum ipso iure, per text. in cap. de multa. de preben. Garf. de benefic. part. 11. cap. 5. num. 182. † In Gallia tamen primum incompatible non vacat, nisi post annum. Louet in recollect. arrest. lit. J. num. 5. in fin. & ibi addit.

Sed tamen per adaptionem alterius curati actu, non vacabit ex capite incopatibilitatis primum, quod solam curam habitualement habebat. Rebuff. in d. tit. de dispensat. rat. atat. in verb. etiamsi curam. vers. veruntamen. Rot. decis. 179. num. 2. part. 2. recentior. † Quod ad Capellanas, teneri nequeunt plures sub eodem tecto, sine legitima dispensatione summi Pontificis; aliàs dum secunda obtinetur, oportet omninò dimittere primam Garf. loc. cit. num. 22. & multis seqq. Ricc. decis. 156. part. 2.


Ad octauam. Certum est, non statim per adaptionem secundi incompatible beneficij, vacare primum; sed ita demum si secundi possessio pacifica fuerit, nisi tamen possessor litem sibi in fraudem legis moueri procurauerit; aut per eum steterit, quominus pacificam secundi possessionem adipiscatur: ita Garf. de benefic. par. 11. cap. 5. num. 100.

Ad nonam. Sufficit exprimere, Præposituram habere canonicatum sibi annexum: nam eo ipso infertur per necessariam consequentiam, ipsum Præpositum habere stallum in choro, & vocem in capitulo; itavt non sit opus alia huius rei particulari expressione. Seraph. decis. 474. num. 2. & decis. 1495. num. 2.

Ad decimam, Respondetur non esse in illius definitione diutiùs insistendum: cum nec constitutio de publicand. resignat. nec regul. Cancell. loquantur de alijs prouisionibus, quàm de illis quæ fiunt per resignationem, aut iurium cessionem. Et hoc indubitatum est.

Ad vltimam quæstionem resolutio hæc est. Si possessor titulum habeat saltem coloratum, licet obtineat rescriptum si Neutri, non tamen indiget noua possessione; dum, vt fieri solet, gratiam obtinet cum clausula sine præiudicio iuris iam quæsiti, & ius iuri addendo. Sed si nequidem titulum haberet coloratum, noua indigeret possessionis apprehensione; quia in beneficijs nunquam admittitur vitiosus ingressus: ita decidit Cod. Fabr. lib. 1. tit. 2. de sacrosan. Eccles. defn. 13. quamuis aliter sentiat Chassan. conf. 30. num. 13. † Et in beneficialibus dari debeat manutentio in summarissimo possessorio illi, qui titulum habet quamuis discoloratum, Post. de manutent. obseru. 42. n. 28. † Verùm Rota Rom. hanc sequitur opinionem, vt non sit opus noua possessionis apprehensione; sed licitum sit cuicumque, nouum titulum cum priori accumulare; & causam possessionis sibi mutare, nulla noua apprehensione possessionis interueniente: & sic primam possessionem continuare, vigore noui tituli superuenientis. Burat. decis. 127. num. 18. quæ est repetita in recent. 741. num. 8. part. 2. Lotter. de re benefic. lib. 2. quæst. 46. num. 21. vbi plures decisiones ad hoc allegantur. Quod & in Gallia obseruatur ex Papon. lib. 8. tit. 17. arr. 1. quia licet ex pluribus titulis possit quis possidere, tamen vnica possessio sufficit, l. 3. §. ex pluribus. ff. de acq. poss. Rebuff. in prax. tit. de subrogat. num. 28. & potest possessio acquiri ex titulo inualido. Idem in tit. de rescrip. Etiam, & Perinde valere, num. 52. & potest fieri acquisitio possessionis sine causa. Bart. in l. quod meo. num. 1. ff. de acq. possess. l. 3. §. genero. ff. eod. tit. & licet causa sit iniusta, ob quam possessio capta fuit; ipsa tamen possessio vera est. Rot. decis. 275. num. 5. part. 1. recent.





## CAPVT XXVIII.

Quæ sit subrogationis praxis in Gallia.

## S V M M A R I V M.

1. Subrogatio in beneficialibus quomodo & quando obtineri possit, breuiter enarratur.
2. In Gallia quomodo fiant subrogationes beneficialles. Et num. 11. remissiuè.
3. Ex iuris communis dispositione, collatio facta colliganti per viam subrogationis praualeat, si intra mensem obtineatur.
4. In Gallia collatores ordinarij beneficia litigiosa conferre solent. Et num. 6. & 8.
5. Litera subrogationis in Gallia obtinentur à Rege, vel à Cancellaria.
7. Obtena subrogatione, quomodo procedendum sit in Gallia.
9. Si duo subrogati inuicem contendant, praualebit is cuius iura sunt meliora.
10. Permutationes etiam super iure prætenso, fieri possunt coram Ordinario, in Gallia.
12. Subrogatio peti debet intra mensem, non à die notitiæ, sed à die obitus.
13. Colligans non potest petere subrogationem, si annus fuerit elapsus; qui annus non computatur à die adoptæ possessionis, sed à die data tituli.
14. Fallit si petens subrogationem sit in possessione, tunc enim annus non currit in præiudicium possidentis.

1. **S**ubrogatio in beneficialibus, nihil aliud est, quam Salicuius in ius & locum alterius suppositio; quæ ad hoc inuenta est, vt colligantibus nouus non detur aduersarius: sed si vnus ex illis cedat vel decedat, possit alter colligans obtinere à summo Pontifice, vel Legato ad id potestatem habente, se supponi & subrogari in ius & locum sui aduersarij, qui cessit ius suum alteri, vel mortuus est; dummodò id petat intra mensem à die mortis, aut à die præstiti consensus numerandum: & si durante hoc mense, tertius quidam illud beneficium obtinuerit; præualebit concessio facta colliganti subrogato, quanquam & possit Papa tertium non colligantem subrogare, cum derogatione regulæ de subrog. colligan. vel etiam absque derogatione, quando colligans extra curiam deceffit, ita Rebuff. in prax. tit. de subrog. in prin. & num. 6. & alij DD. super reg. 28. de subrogand. collig.

2. Sed in Gallia praxis subrogationis est omnino diuersa. Et ideò aliàs requisitus super prioratu loci de Vacheres, cuius occasione Mirallius duas subrogationes obtinuerat, vnam in ius Caroli, aliam in ius Danielis qui à Carolo resignationem habuerat, & ambo mortui erant lite pendente; aduersus quem subrogatum contendebat Martinus, qui beneficium illud
3. vti vacans per obitum impetrauerat † Dixi quòd licèt ex iuris communis dispositione, beneficium illud non posset per alium quam per Papam, nec alteri quam colliganti conferri, per text. in Clemen. vnic. vt lit. penden. & cap. 2. eod. tit. in 6. In Gallia tamen contrarium obseruatur: † Licitum enim est collatoribus ordinarijs, beneficia litigiosa per obitum vel resignationem vnus ex partibus colligan-

tibus vacantia, conferre. † Quà collatione factà, impetrantur litteræ à Rege vel Cancellaria, ad effectum obtinendi subrogationem in ius & locum defuncti, vel cedentis. Petr. Gregor. in instit. rei benefic. cap. 40. num. 27. vers. in Gallia. Rebuff. in concord. tit. de mand. Apost. §. declarantes, in verbo successores. vers. præterea signandum est. † Confertur enim in Gallia Ordinarius quæcumque beneficia; non obstante quòd sint litigiosa, Adden. ad Paris. de resign. lib. 2. quest. 3. num. 105. Peleus in Analysisi, cap. 37. vers. in hoc regno, fol. mihi 141. Vbi dicit, quòd hodie non seruetur in Gallia ius antiquum: sed statim mortuo beneficiato, confertur alteri beneficium etiam litigiosum per Ordinarium, vel per Papam. † Quòd si quis fuerit subrogatus per Papam in ius alterius, accipit possessionem in vim subrogationis Papæ; & postea impetrat literas Regias, quibus petit se subrogari in ius & possessionem ac instantiam mortui: nisi ipse iam esset in possessione: quia sufficit continuatio sine noua apprehensione, vt supra dictum est cap. præced. num. vlt. † Et si prædictis opponatur, Ordinarium non habere potestatem subrogandi? Respondent Doctores Galli, non ab Ordinario, sed à Rege, & per literas Regias subrogationem concedi. Et ita praticatur.


Vnde pro resolutione casus propositi, concludendum erat, quòd cum duo concurrerent petentes se ad subrogationem admitti, nempe Mirallius & Martinus; ille ex iuribus vtriusque colligantis defuncti, hic ex propria impetratione; discutiendum erat de titulis amborum, & is obtinere debebat cuius iura essent meliora, vt decidit Papon. lib. 8. tit. 17. arr. 7. Tournet. lib. 2. lit. S. num. 46.

Præterea dixi Martinum licitè potuisse permutare coram Ordinario, coram quo permutationes etiam de iure prætenso fieri possunt in Gallia, saltem de consuetudine: vt testatur addit. ad Paris. de resignat. lib. 9. tit. 16. num. 13.

Si quis autem plura iuxta praxim Gallia, circa subrogationes scire desideret: adeat Rebuff. in locis proximè citatis, nempe in prax. tit. de subrogat. & in concord. tit. de mandat. Apostol. §. declarantes. in verb. successores.

Debet autem ab ipsis colligantibus peti subrogatio intra mensem, non à die notitiæ, sed à die obitus; adeo vt si post tempus illud peratur, succedat ius commune; vt prior prouisio valeat, posteriores sint inualidæ. Expill. Arrest. 48. num. 2. & 3.

Et non potest peti subrogatio per colligantem, si annus à data suarum prouisionum fuerit elapsus: non dico à data captæ possessionis, quæ in hac materia non inspicitur; sed à data tituli, add. ad Pap. lib. 8. tit. 17. arr. 3. † Quod verum est, si subrogationem petens non possideat; nam eo possidente, non currit annus, vt post Rebuff. aduertit add. ad Louet. lit. S. num. 6.



## CAPVT XXIX.

De nullitate impetrationis, ex eo quòd non fuit expressum ius ad rem, quod impetranti super alio beneficio competebar.

## S V M M A R I V M.

1. Impetrans tenetur facere expressam mentionem aliorum beneficiorum qua obtinet.
2. Exprimi




2. *Exprimi debent in impetratione beneficia, super quibus impetrans non habet ius formatum; sed dumtaxat ius ad rem.*
3. *Resignare non potest quis beneficium, in quo nihil iuris habet.*
4. *Incompatibilitas beneficiorum non nocet impetranti, sed ambo possidere potest, quandiu durabilis & possessio non erit pacifica.*

Casus talis propositus fuit. Titius duas paruas capellanas possidens, impetrauit certo modo quoddam beneficium regulare, cum decreto de suscipiendo habitum intra tres menses, & professionem regularem emittendo, dictasque capellanas dimittendo: dictum verò beneficium regulare semper fuit litigiosum.

Idem Titius postea canonicatum obtinuit, nulla facta mentione præmissorum, & illius possessionem adeptus est: in cuius possessionis adeptione se se Tertius opposuit, prætendens se primò prouisum de dicto canonicatu per resignationem; deinde verò per obitum.

Quæsitum fuit. 1. vtrum impetratio canonicatus sit valida. 2. vtrum Titius possit dictum canonicatum resignare. 3. vtrum beneficia illa incompatibilia simul tenere possit, cum sint litigiosa.

1. Respondi sine dubio impetrationem canonicatus factam per Titium, nullam esse; cum in ea non fuerit facta mentio obtentorum, quod tamen erat omninò necessarium: per text. in cap. si motu proprio. 23. de preben. in 6. Menoch. de arbitrar. cas. 201. num. 41. qui id ampliat num. 42. etiam si essent beneficia modici valoris. Diximus sup. cap. 26. num. 26. & 27.
2. Similiter quamuis impetrans non haberet ius plene formatum in aliquo beneficio, sed dumtaxat ius ad rem; aut si beneficium de facto, non de iure possideret: tenetur nihilominus illud exprimere, Menoch. ubi sup. num. 43. Selu. de benefic. part. 3. quæst. 2. num. 4. Paris. de resignat. lib. 10. quæst. 2. num. 73. & 75. Garc. de benefic. part. 1. cap. 2. num. 122. & seqq. Vbi reprehendit Gonsal. contrarium sentientem.
3. Vnde sequitur Titium resignare non posse, cum nullum ius habeat in canonicatu, ob non factam expressionem beneficiorum obtentorum; & beneficium illud uti vacans, posse à Tertio impetrari, Paris. de resignat. lib. 2. quæst. 22. n. 6.
4. Si tamen obtenta expresserit in impetratione beneficij regularis, non nocebit illi incompatibilitas; cum durante lite non teneatur priora beneficia dimittere; ut diximus supra cap. 27. num. 47. & tradit Cokier ad regul. § 1. Cancellar. num. 9.



CAPVT XXX.

De immunitate Clericorum à collectis tam pro bonis Ecclesiæ, quam pro patrimonialibus. Et in quibus casibus, ac quomodo collectari possint per laicos.

S V M M A R I V M.

1. *Actus qui dederunt causam liti, vel facti fuere lite pendente, non sufficiunt ad manutentionem.*
2. *Possessorij actus aduersus clericos particulares non suffragantur, in præiudiciu ordinis clericalis.*

3. *Clausula decreti irritantis inficit tam titulum, quam possessionem.*
4. *Non datur possessio etiam immemorialis in præiudiciu exemptionis clericorum, & n. 7.*
5. *Derogatio specialis requiritur, ut fiat præiudiciu priuilegijs clericalibus.*
6. *Octo requisita copulatiuè concurrere debent in casibus, in quibus clerici collectari possunt.*
7. *Bona ad Ecclesiasticos transeunt cum onere suo, quando agitur de onere perpetuo & inuariabili; secus, si onus sit incertum & variabile.*
8. *Vicelegatus nihil potest statuere contra ius commune.*
9. *Clausula, citra præiudiciu iurium, suffragatur etiam in possessorio.*
10. *Clerici sunt immunes etiam ab impositionibus factis super carne, vino, & similibus.*
11. *Clerici bene faciunt, si componant & transigant super collectis cum Vniuersitatibus, quando adsunt plures expensæ factæ pro communi utilitate clericorum & laicorum.*
12. *Clerici succedunt in onere collectarum, si bona emerint, aut acquisierint sub pacto expresso illas soluendi.*

Cum aliàs consuluissem pro immunitate Ecclesiasticorum ab onere collectarum, pro debitis communibus exsoluendis impositarum per communitates laicorum: tandem fuit lata sententia in fauorem dictæ immunitatis. Pro cuius iustificatione, respondendo ad dubia quæ contra Clerum proposita fuerant, Dixi in primis; non constare de quasi possessione collectandi: † quia aderant tantum certi actus qui vel liti causam dederant, vel lite pendente facti fuerant; & ideo non sufficiebant, ut ex illis deueniretur ad manutentionem, Rot. decis. 533. num. 2. part. 1. recentior. & part. 2. decis. 30. num. 1. Cancer. lib. 3. var. resol. cap. 4. num. 95.

Et quamuis constaret de alijs actibus possessorijs, non tamen possent suffragari in præiudiciu ordinis clericalis, cap. quanquam. de censib. athen. item nulla communitas. Cod. de Episc. & cler. Ruyn. cons. 117. in fin. vers. non obstat postremò. vol. 4. Rot. decis. 72. num. 8. & 9. part. 1. recentior.

Præterea, propter clausulas irritantes contentas in bulla Cœnæ Domini, non potest opponi aliqua possessio in præiudiciu ordinis clericalis; tales enim clausulæ inficiunt titulum & possessionem, Cassador. decis. 1. de caus. possess. & propr. Cod. Fabr. lib. 1. tit. 2. defin. 21. num. 3. & in proprio casu nostro Barbos. de Iur. Eccles. cap. 39. §. 5. num. 59. vers. septimò quero. † Et sanè cum immunitas clericorum sit de iure diuino, nulla possessio in contrarium opponi potest. Carol. de Grass. de effect. cleric. effec. 3. num. 114.

Quod procedit, non obstante quacumque consuetudine, etiam immemoriali in contrarium, propter excommunicationem contentam in dicta bulla: Graf. d. effec. 3. num. 118.

Et quamuis in contrarium allegarentur quædam Bullæ Leonis X. & Clementis VII. nec non decisio Clementis VIII. relata per Mart. de iurisdic. part. 4. centur. 1. cas. 1. num. 52. Tamen dixi hæc non obstare; †. cum in dictis bullis, nulla adesset expressè derogatio priuilegiorum clericis competentium: cum tamen constitutio illos non afficeret, nisi specialiter fuissent nominati, Vgolin. in tract. de censur. sum. Pontif. refer. cap. 18. §. 2. per tot.

Decisio vero Clementis VIII. non obstabat; tum quia in casu illo collecta imponebatur autoritate


summi Pontificis : quod hîc factum non fuerat : tum etiam quia ibi constabat notoriè , laicos non habere facultates sufficientes ad soluenda onera : vt legitur apud Mart. *d. num. 52. & 53.* quod in casu nostro non verificabatur.

6. Et quamuis clerici teneantur aliquando contribuere, non solum ad pestem & famem repellendam; sed etiam ad aliqua concernentia illorum vtilitatem: tamen illa contributio non debet fieri nisi octo concurrentibus, quorum primum est, vt non collectentur nisi in subsidium, & deficientibus facultatibus laicorum. 2. Quod contributio fiat, consulto Romano Pontifice. 3. Vt constet impositionem fieri ex causa necessaria, 4. Vt deliberatio circa talem impositionem fiat conuocato concilio tam clericorum, quam laicorum. 5. Vt pecunia pro qua imponitur collecta fuerit consumpta, vel debeat consumi ad illum vsum pro quo fuit imposita, & non ad alios. 6. Quod necessitas vel vtilitas sit magna & vrgens. 7. Quod negotium tangat directè Ecclesiam. 8. Vt agatur de necessitate communi inter clericos & laicos: quæ omnia copiosè tradit Carol. de Grass. *d. effec. 3. num. 227. vsque ad 248.* Et ferè omnia referuntur per Rot. *decis. 42. à num. 3. vsque ad 9. part. 4. recentior.* & de dicta immunitate clericorum copiosè tractat Rot. *decis. 7. 339. per tot. part. 6. recentior. †. Vbi num. 70.* ostenditur Rectorem non posse per suum consensum præiudicare Ecclesiæ, quamuis permiserit bona poni in catastro laicorum; quamuis etiam aliquo tempore persoluisset collectas: quia non potuit præiudicare Ecclesiæ, sine assensu summi Pontificis, vt ibi dicitur *num. 77.* Et sic fuit bis diligenter examinato articulo per Rotam Romanam resolutum.
8. Quæ immunitas extendenda est, ad bona patrimonialia clericorum. Cùm enim duo sint onerum genera, quædam certa, inuariabilia & perpetua, vt sunt census & tributa; alia verò sint variabilia & incerta, quæ per æs & libram modò maiora modò minora imponuntur: si de primi generis oneribus agatur, certum est illa transire ad priuilegiatos, ad quos res ipsa onere inuariabili affecta pertransit: si verò de oneribus secundi generis, quales sunt collectæ, quæ pro ære alieno dissoluendo imponi solent: tunc res non transit cum suo onere: sed si priuilegiatus succedat, vtetur suo priuilegio, quamuis acquisierit à persona non priuilegiata, Rot. *d. decis. 42. num. 11. 12. & 13. part. 4. recentior.* Scott. *in constit. Pontif. theorem. 77. vers. porro bona patrimonialia.* Bonacin. *tom. 3. disput. 1. quest. 19. punct. 3. num. 12. vers. sententia.* Vbi plures allegat. Graf. *d. effec. 3. num. 27. 28. & 32.* Vbi dicit contrariam opinionem esse communiter damnatam.
9. Et quamuis in casu proposito allegaretur decretum quoddam, aliàs factum per Eminentiss. Cardinalem de Comitibus contra clericos; Respondi, non potuisse Vicelegatū derogare dispositioni iuris communis; Rot. *decis. 500. num. 4. in fin. par. 3. recentior.*
10. Honded. *cons. 93. num. 70. vol. 2. †* Maximè cùm decretum illud factum fuisse proponeretur cum clausula *sine præiudicio iurium partium*, quæ illarum iura præseruat etiam in summarissimo possessorio, Seraphin. *decis. 810. num. 1.*
11. Maius tamen dubium versari videbatur, circa impositionem factam super carne quæ in publico macello vendebatur; cuius prætium dicebatur augeri mediantibus quibusdam pascuis communibus, quæ per vniuersitatem dabantur macellariis; & non videbatur æquum, vt clerici vtilitatem perciperent ex pascuis laicorum. Sed ad hoc responsum fuit, idem ius competere clericis super pascuis communibus,

quod laicis; & ideo Communitas nihil dabat macellariis plusquam ipsimet clerici, qui partem habebant in pascuis, Bertrand. *conf. 92. vol. 3. part. 1.* Et ideo si super pane, carne & aliis venalibus imponantur gabellæ, clerici & personæ Ecclesiasticæ non tenentur contribuere; vt decidit Rot. *decis. 159. num. 8. par. 7. recentior.* dicens istam esse veram & communem sententiam, quicquid alij dicant in contrarium.

Et ex his, lata fuit sententia in fauorem Ecclesiasticorum; circa quam tamen duo notanda esse existimo. Et primò quidem, quod cùm magna pars impositionum, quæ fiunt per Communitates, maxime in statu Auenionensi & Comitatu Venaissino, fiant pro exsoluendis oneribus & debitis contractis ex causa belli, seu ad depellendam famem & pestem, & aliis in quibus de iure, Ecclesiastici contribuere debent, non expedit vt clerici reddant se difficiles in contribuendo pro rata eos tangente, cum autoritate superiorum, & interuenientibus aliis de iure requisitis. Quæmadmodum fecerunt Domini de clero, qui cum ciuitate Auenionensi transegerunt, super modo soluendi collectas.

Secundò notandum est, quod licet clerici sint immunes à dictis oneribus; tamen ad illa tenentur, si in contractu acquisitionis ad eorum solutionem se obligauerint: quia Ecclesia licet sit immunis à collectis, non tamen est immunis à conuentionibus; ita tradit Cardin. Alban. *in tract. de immunit. Eccles. n. 80. vers. nunc rationem illam.* adden. ad Burat. *decis. 780. num. ult. col. ult. Rot. decis. 339. num. 62. part. 6. recentior.* Sanch. *in opere moral. lib. 2. cap. 4. dispnt. 57. n. 8.* Vbi quod donans vel concedens in actu concessionis potest apponere legem quam voluerit, & Ecclesia tenetur illam obseruare, siue in fraudem ipsius Ecclesiæ id actum sit, siue non; Nic. Bellon. *conf. 40. num. 4. & 5.* Et onera quæ procedunt ex pacto inito cum authoribus clerici, à quibus ipse ius habet; dicuntur realia & rem ipsam sequuntur, vt ostendit Barbof. *de iure Eccles. cap. 39. §. 5. num. 37.* Vide Dian. *resolut. 82. tract. 2. vol. 1. & resolut. 44. & 45.* Quid de prohibita introductione certorum fructuum intra ciuitatem, idem Diana loquens de prohibitione ingressus vini forensis *loc. cit. resolut. 68. & 69.* Carol. de Grass. *de effect. clericar. effect. 2. num. 315.* Quid de taxa fructuum Dian. *resolut. 71.* Quid de consuetudine immemoriali, idem Diana *loc. citato resolut. 96.*



## CAP V T. XXXI.

An & quando capellania requirat prouisum, esse actu celebrantem, aut aptum ad celebrandum. Et quando, & ex quibus possideri queat per simplicem clericum.

## S V M M A R I V M.

1. Capellania non ideo est Sacerdotalis, quamuis fundator dixerit, quod institutus in ea teneatur celebrare.
2. Amplia, vt hoc procedat, quamuis fundator mandasset presentari vnum qui sit idoneus.
3. Idem, si fundator dixisset institui capellanum, qui diu noctuque celebret diuina officia, sicut ceteri.
4. Vel si dixisset, quod teneatur assistere profectionibus, & diuinis officijs.

5. *Capellania dicitur Sacerdotalis, si ex verbis fundationis colligatur intentio fundatoris. Et ex quibus.*
6. *Nomen præbyteri refertur ad simplices Clericos.*
7. *Fallit si testamentum fuerit latino idiomate conscriptum.  
Sublimita nisi testator esset imperitus, tunc enim larga fit interpretatio. num. 12. & vid. num. 8.*
9. *Decisio Mantic. 129. in quibus terminis procedat.*
10. *Consuetudo interpretatiua facit, ut simplices Clerici admitti possint, vel non, ad capellaniam.  
Amplia licet consuetudo non esset præscripta. num. 11.*
13. *Quando capellania est Sacerdotalis, tenetur prouisus de ea, per se ipsum inservire, & non per substitutum.*
14. *Curatus tenerur ad continuam residentiam, & celebrationem Missarum.*
15. *Cura est incompatibilis cum capellanis Sacerdotalibus, in loco ita remoto constitutis, ut utriusque seruitio Parochus simul interesse non possit.*
16. *Vtrum in impetratione capellanæ, necesse sit pro illius validitate exprimere, quod habet ordinem præbyteratus annexum.*

Quæstio admodum practicabilis est, an & quando capellania censetur Sacerdotalis, & requirat quod prouisus sit Sacerdos, & actu celebrans; an verò per simplicem clericum possit obtineri. In qua variè secundum facti contingentiam, Sacerdotalem esse, vel non esse, Respondi; attentis maximè verbis in fundatione appositis. Nam super testamento Domini quondam Petri de Villanoua loci de Grans in Prouincia prouinciæ condito anno 1348. die 15. Maij. Dixi capellaniam per eum fundatam non esse Sacerdotalem, & in ea deseruiri posse per substitutum; etiamsi testator dixisset, quod institueretur capellanus qui singulis diebus celebrare teneatur. Quia licet nonnulli Doctores, ex illis verbis voluerint inferre capellaniam esse Sacerdotalem; † tamen contraria sententia præualuit, & illam amplexa est Rot. Roman. existimans illam fundationem, non continere præcisam Sacerdotij necessitatem, nec personalem residentiam; sed per alium fieri posse seruitium in eadem capellania: vt notauit Burat. *decis. 92. num. 2. & seqq.* Idque eò magis, quia Sacra Cardinalium Concilij interpretum congregatio ita sapiùs declarauit, vt refert Gonsal. *ad regul. 8. glos. 5. num. 77.*

1. *& 88. & testatur ibid. Burat. † qui subdit hoc procedere, quamuis testator voluisset quod presentandus esset idoneus; quia idoneitas etiam considerari potest ad hoc vt per substitutum faciat celebrari. Idem tenuit Gratian. *discep. foren. cap. 133. num. 10. & seqq.* † Vbi loquitur in casu quo testator voluerat, quod Capellanus diu noctuque celebraret diuina officia, sicut cæteri Capellani; referens ita per d. congregationem fuisse determinatum.*
2. *Vnde nec obstabat possidenti vigore dicti testamenti, quod testator voluerat prouisum assistere processionibus & diuinis officijs. Quia ista possunt exerceri per substitutum; ideò non inferunt prouisum debere esse Sacerdotem, Rot. *decis. 65. num. 2. par. 3. recentior.**

Sed è contrario super testamento D. Berengarij Goffridi consultus eodem ferè tempore, contrarium respondi; nempe capellaniam per eum fundatam esse

Sacerdotalem, nisi præscriptio vel consuetudo obstarer in contrarium. Ratio est, quia testator clari verbis suam intentionem expresserat, mandans suum nepotem institui in dicta capellania, casu quo ad sacros ordines peruenerit, & Missam celebrauerit, & interim voluit poni vnum præbiterum sufficientem, donec ipse fuerit effectus præbiter, & missam nouam celebrauerit: si verò non peruenerit ad præbiteratus ordinem &c. † Quæ omnes clausulæ satis demonstrant illius intentionem fuisse, vt prouisus de dicta capellania esset actu præbiter: sicut in similibus terminis respondit dicta Eminentiss. Cardinal. congregatio, referente Barbos. *de iur. Eccles. lib. 3. cap. 5. num. 33.* Et ita dixi capellaniam à dicto Berengario fundatam, per testamentum ab eo conditum die 17. Octob. 1419. esse sacerdotalem.

Et eadem ratione, super alio testamento consultus Respondi, ex verbis fundationis apparere beneficium de quo agebatur, esse sacerdotale; quia testatrix vsa fuerat his verbis: volo & ordino quòd de bonis meis fundetur vna capellania, in Ecclesia parochiali sancti Amantij, in honorem beatæ Catharinæ, in qua quidem capellania dici & celebrari volo qualibet septimana tres missas: & eo casu adueniente, instituo & Patronus esse volo Propinquos meæ parentelæ, & quòd patronus teneatur, & debeat prouidere de vno præbitero idoneo & sufficienti; & casu quo non reperiretur aliquis, qui dictæ capellanæ vellet inferuire, nec onus celebrandi dicendo tres missas modo præmissis in se assumere, volo quòd bona mea dentur amore Dei tam operæ dictæ Ecclesiæ &c.

Quia licet sæpius Rota Romana existimauerit, non præbiteri posse etiam simplicibus clericis adaptari; vt colligitur in *cap. vestra. unct. princip. cum fin. de cohabit. cleric. & mul. Mantic. decis. 129. num. 1.* † Tamen hoc non procedit, quando testamentum conceptum fuit latino idiomate, prout in hoc casu; tunc enim nõ refertur nisi ad insignitos ordine sacerdotali, per rationem allatam à Rolan. *cons. 83. num. 21. vol. 3. Rot. decis. 14. num. 7. part. 7. recentior.* vbi alij citantur. † Maximè quia illud testamentum, de quo agebatur, conditum fuerat à muliere, quæ vim & efficaciam verborum latinorum ignorabat: & propterea interpretatio fieri debebat secundum communem vsum loquendi, & verba propriè, non autem impropriè & fictè intelligenda, *l. fin. & ibi DD. Cod. de his qui ven. atat. impetr.*

Dicta verò *decis. 129.* apud Mantic. fundatur potius in obseruantia verbi dubij interpretatiua, vt not. Barbos. *de iur. Eccles. lib. 3. cap. 5. de capellan. num. 33.* † Sicut etiam stante consuetudine interpretatiua admittendi clericos etiam non sacerdotes, seu in minoribus ordinibus constitutos, collationem capellanæ factam simplici clerico, validam esse determinauit Rot. *d. decis. 14. n. 8. part. 7. recentior.* † Adeo vt non sit necesse consuetudinem esse præscriptam; vt dicit Mantic. *d. decis. 129. num. 2.* Rot. *d. decis. 14. n. 5. & 6. part. 7. recentior.*

Et licet replicari possit, contrarium probati posse ex traditis per Gonsal. *ad reg. 8. glos. 5. num. 85. & 86.* † Maximè quia testatrix erat ignara, & sic eius dispositio largo modo intelligenda videbatur, ex tradit. per Mantic. *de coniect. vlt. vol. lib. 3. tit. 5. num. 7. & 8.*

Non tamen ideo recedendum existimaui à præcedenti resolutione, quia Gonsal. vt & Mantic. videntur se restringere ad obseruantiam admittendi non præbiteros, cum tamen in casu proposito supponeretur semper prouisus fuisse actu celebrantes, quæ consuetudo seruanda est: vt tradit. idè Gonsal. *loc. cit. n. 107.*

Sed semotis omnibus prædictis considerationibus, hæc vna sufficit ad declarandam mentem fundatricis, quæ colligitur ex verbis illis: Provideatur de sufficienti Præbitero; & casu quo non reperiretur qui vellet dictæ Capellaniæ inferuire, nec onus celebrandi dictas tres missas assumere &c. quibus sic stantibus, debet prouisus per se ipsū celebrare & non per substitutū, præsertim iunctis aliis supra adductis, quæ insimul & non separatim consideranda sunt, ad

13. eliciendam intentionem fundatricis. † Debet ergo prouisus actualiter & per se, non per substitutum deseruire, Gars. de benefic. part. 7. cap. 1. num. 86. & multis seqq. Barbos. de iur. Eccles. d. cap. 5. num. 33. & 34. Gonzal. d. glos. 5. num. 100. Nouar. lib. 1. qu. foren. cap. 115. Aliquid hac de re diximus infra cap. 118. num. 26. & sequentib.

Vnde sequitur dictam capellaniam fundatam in Ecclesia loci de S. Chamas, esse incompatibilem cum cura loci de Grans: † tenetur enim Curatus ex debito officij, missas in sua Ecclesia parochiali celebrare, iuxta Concil. Trident. sess. 23. de Reform. cap. 14. Barbos. de offic. & potest. paroch. cap. 11. num. 5. Cum igitur non possit simul duobus in locis constitui, & ex necessitate curæ teneatur ad continuam residentiam in loco de Grans, non potest satisfacere celebrationi missarum in d. Ecclesia loci de S. Chamas indictæ:

15. † Vnde oritur incompatibilitas, Gars. d. part. 11. c. 5. num. 86. vers. sed id de residentia. Massob. in prax. concurs. requis. 1. dub. 3. n. 7. vers. nisi forte. Rot. Divers. decis. 483. num. 3. part. 1. vbi dicitur hoc habere locum, quando residentia est continua; adeo vt si quis possit in vtroque beneficio deseruire, beneficia non dicantur incompatibilia, veluti si ex iure speciali, statuto vel consuetudine, residentia in vtroque requiratur; quo casu per adeptionem capellaniæ, vacant beneficia iam adepta propter incompatibilitatem; vt dicit Card. Zabarel. conf. 3. vbi concludit quòd licet canonicatus requirat præcisam residentiam, non tamen est incompatibilis cum capellania habente onus annexum, singulis diebus celebrandi missam; quia hoc onus potest se compati cum residentia requisita in canonicatu. Idem tradit Griuel. decis. Dolan. 89. n. 9. & 10. vbi dicit, quòd si capellania habet onus coadiuandij Parochij in cura animarum, dicitur requirere residentiam, & ex eo inducitur incompatibilitas; & nos superius cap. 12. copiosè demonstraui.


16. An verò, & quomodò in impetratione huiusmodi capellaniarum habentium ordinem annexum, aut onus celebrandi missas, vel requirementum personalem residentiam, facienda sit mentio harum qualitatum, resoluitur per sequentes conclusiones.

Prima, non esse necessarium quòd in impetratione exprimat capellaniam habere annexum onus celebrandi missas, quia talis qualitas licet fuisset expressa, non ideo difficiliorem reddidisset summum Pontificem ad gratiam concedendam. Cum enim Iudicis arbitrio relinquatur iudicandum, vtrum qualitas non expressa sit talis, quæ difficiliorem reddidisset Principem concedentem, consideratis scilicet negotij circumstantiis, vt tradit Rot. decis. 24. num. 8. part. 5. recen. Sanch. lib. 8. de marr. disput. 21. num. 19. nullus Iudex existimabit expressionem oneris celebrandi missas, difficiliorem redditurum fuisse summum Pontificem ad gratiam concedendam; quia cum capellania sit beneficium Ecclesiasticum, & propter diuinum officium detur beneficium, cap. cum secundum. de præben. cap. fin. de rescrip. in 6. potuit cogitare summus Pontifex capellaniam habere aliquod ius spiritualitatis annexum, Felin. in cap. in nostra 32. num. 9. vers. de tertio. de rescript. Cum etiam ipsum no-

men capellaniæ, quodammodo præ se ferat celebrationem missarum, Rot. decis. 65. num. 1. part. 3. recentior.

Secunda conclusio; quamuis capella habeat annexum ordinem sacerdotij, non est necesse illud exprimere in impetratione: Imò sufficit quòd prouisus sit habilis actu, vel habitu ad illius ordinis susceptionem: cap. si pro clericis. & cap. ei cui. de præben. in 6. Rot. d. decis. 65. num. 2.

Tertia conclusio; quamuis capellania requirat residentiam, non tamen necessario illius qualitatis fieri debet mentio in impetratione: quia residentia de iure communi inest omnibus beneficiis, qualitates autem quæ insunt de iure, sunt notæ summo Pontifici: ideo non sunt de necessitate exprimendæ, Selu. de benef. par. 3. qu. 12. n. 12. & ita decidit Rot. d. decis. 65. num. 2. vers. quo verò ad residentiam.



## CAPVT XXXII.

De iurepatronatus hæreditario, gentilitio & mixto; & quomodo voces patronorum debeant computari, quando fit presentatio.

## S V M M A R I V M.

1. Ius-patronatus quando sit gentilitium, hæreditarium vel mixtum
2. Qualitas hæreditaria non est incompatibilis cum iurepatronatus gentilitio
3. In dubio iurepatronatus censendum est hæreditarium.
4. In gentilitio succeditur in capita, in hæreditario in stirpes.
5. In gentilitio succedunt qui sunt proximiores ordine successiuo, exclusis remotioribus.
6. In hæreditario mille computantur pro vno quem representant.
7. In gentilitio quilibet suum caput constituit, sed remotiores excluduntur à proximioribus, num. 8. & 22.
9. Explicatur sententia Barbosa, & aliorum, qui dicunt iurepatronatus relictum per donationem vel legatum, acquiri in capita. Et num. 12. contrarium verius ostenditur, excepto iurepatronatus gentilitio.
10. Hæredes ex inequalibus portionibus, succedunt tamen equaliter in iurepatronatus. Fallit quando voces sunt æquales, quia presentatus ab eo qui maiorem habet partem hæreditatis, præfertur. num. 11.
13. In gentilitio, post primos vocatos, alij succedunt in stirpes. Limita, nisi familia esset vocata tanquam vnum corpus, & collegialiter. n. 14.
15. Si duobus corporibus competat iurepatronatus, quodlibet corpus pro vno tantum iure numeratur.
16. Quæ requiruntur vt iurepatronatus sit mixtum ex gentilitio & hæreditario.
17. Iurepatronatus mixtum non potest transferri, nisi deficiente tota familia vocata.
18. Finita familia iurepatronatus transit ad hæredes extraneos, nec Ecclesia libertatem acquirit.
19. In iurepatronatus mixto succeditur in capita, licet

cet non sit purè gentilitium; in eo tamen filij emancipati non admittuntur viuis parentibus ad præsentandum, secus in purè gentilitijs.

20. Vtrum filius in iurepatronatus gentilitio representet personam patris, & quid de nepote respectu patrui, num. 21.
22. Eadem ratio representationis locum habet in iure patronatus, qua in profanis successionebus obseruatur.
23. In iurepatronatus successione consuetudo attendenda est.
24. Quando agitur de derogatione qualitatum fundationis, maior pars patronorum non præiudicat minori; sed vnius oppositio derogationem impedit.
25. Permutatio non exigit consensum patroni, sed sufficit illius requisitio; quod tamen in Gallia non admittitur, nec valet permutatio renuente patrono, num. 26.
27. In Gallia non admittitur derogatio iurepatronatus laicalis, pro medietate.
28. Praxis computationis vocum in iurepatronatus hereditario.
29. Data paritate vocum, locus est gratificationi.
30. Praxis computationis vocum, quando vnus ex patronis fuit institutus hæres, aut aliter successit compatrono; & quando debeant fieri plures vncie in iurepatronatus, sicut in successionebus hereditariis.
31. Vtrum qui sunt de alio corpore, possint adharere voci aliorum patronorum alterius corporis: & vtrum hoc casu voces coniungantur cum alia voce perfecta. Refertur opinio Peregrini.
32. Sed tamen contrarium iudicatum fuit in Rota Romana, quia maior pars vnius stipitis absorbet minorem; & minor pro nihilo reputatur.

**A**lia decidenda fuit quæstio super testamento D. quondam Berengarij Goffridi, de quo præcedenti capite actum fuit; nempe vtrum illud iurepatronatus esset hereditarium, vel gentilitium; & quomodo voces plurium successorum deberent computari. Quæ quæstio, cum sæpius occurrat in praxi, ideo accuratius examinanda est.

1. Itaque supponendum est primò, iurepatronatus quoddam esse hereditarium, quod videlicet transit ad quoscumque hæredes etiam extraneos; aliud verò gentilitium, seu familiare, quod solum transit ad eos qui sunt de certo genere, seu familia; quamuis non fuerint hæredes instituti: aliud denique mixtum, quod duo requirit in persona successoris; nempe vt sit hæres, & de familia. † Qualitas enim hereditaria non aduersatur iuri gentilitio, & familiari; & hæc mixtura sufficit ad exclusionem extranei; adinstar feudi, quod potest esse in parte hereditarium, & in parte ex pacto, & prouidentia: Rota decis. 247. num. 5. in fine par. 4. recent. post Cardin. in Clement. plures. de iurepatronat. colum. fin. & alios ibi allegatos.
3. In dubio, iurepatronatus præsumitur hereditarium: vt tradunt DD. omnes in dicta Clem. plures. Rota decis. 756. num. 1. part. 2. recent. Seraph. decis. 456. num. 1.
4. In iurepatronatus hereditario, succeditur in stirpes: in gentilitio seu familiari, succeditur in capita; & quilibet de familia pro vno numeratur in dando vocem, quamuis non sit hæres: vt dicitur in d. clemen. plures. Rota decis. 251. num. 5. part. 2. recent. † Ita tamen vt illi de familia admittantur ordine successiuo,

& de gradu in gradum; quando in testamento vel fundacione, adiunt verba tractum temporis successiuum importantia: iuxta sententiam Cumani in l. cum ita. §. in fideicommissio. ff. de legat. 2. & aliorum quos citat & sequitur Rota decis. 482. num. 2. part. 1. recent. Lotter. de re benefic. lib. 2. quæst. 11. num. 123. & 124. Ricc. in prax. decis. 199.

Et propterea, etiamsi essent mille personæ, quæ vni ex hæredibus in eius portione successissent; pro vna tantum voce computarentur, Duran. decis. Rota Romana 438. num. 12. Gratian. discep. forens. cap. 521. numer. 14. Idque in iurepatronatus hereditario. † E contra verò in patronatu gentilitio, quælibet persona suum caput constituit, & pro vna voce computatur: Campanil. in diuers. iuris canonic. Rubri. 11. cap. 13. num. 484. Burat. decis. 183. num. 4. & 16. Lotter. d. quæst. 11. num. 124. † Intelligendo vt supra quoad ius, secus quoad exercitium; quia proximiores præferuntur remotioribus, nisi aliter ex tenore fundationis, aut consuetudine colligatur: vt ibidem dicit Lotter. & Macerat. lib. 1. resol. 87. num. 1.

Quæ de iurepatronatus hereditario diximus, non procedunt in eo quod ex donatione aut legato acquiritur; nam in eo non succeditur in stirpes, sed in capita: vt tenet Ricc. in praxi iurepatronatus, decis. 210. num. 269. & collect. 1733. Barbosa loco citato num. 70. Sed notandum est illos loqui de iurepatronatus legato vel donato familiæ, & ius ac fundamentum illorum sit potius in contemplationem familiæ: & sic videntur potius agere de familiari seu gentilitio, idè contrarium verius est: vt infra dicitur num. 12.

In computandis autem hæredum vocibus, non est inspiciendum pro qua parte quis fuerit hæres institutus; imò si tres fuerint hæredes, vnus pro sex vncijs, alius pro quatuor, tertius pro duabus; tantum ponderabit vox tertij, quantum primi; licet ex disparibus portionibus sint instituti: vt tenuit Peregr. consil. 27. vol. 2. n. 7. & consil. 32. n. 7. vol. 1. Aldouin. apud eundem Peregr. consil. 18. n. 3. vol. 5. Lambertin. in tract. de iurepatron. lib. 2. part. 3. quæst. 5. princip. num. 4. versic. aduerte tamen. † Vbi tamen dicit, vocem illius qui maiorem habet hereditatis portionem, hoc operari vt in paritate vocum non sit locus gratificationi; sed præsentatus ab eo qui maiorem habet hereditatis portionem præferendus sit præsentato ab eo, qui minorem habet partem.


Eademque ratione, si pluribus ex legato vel donatione competat iurepatronatus, veluti si quis bona omnia certi loci ex inæqualibus portionibus reliquerit, & per consequens iurepatronatus quod venit accessorie cum vniuersitate bonorum; isti nihilominus legatarij vel donatarij æquales erunt in iurepatronatus: vt dicit ibidem Lambertin. sed melius lib. 1. part. 2. quæst. 1. art. 24. num. 11. in fine. & sequitur Peregr. dicto consil. 32. num. 9. vol. 1. Vbi concludit iurepatronatus spectare æqualiter, & pro virili ad singulos donatarios; quamuis ex quinque, donator tertiam vni, aliam tertiam bonorum partem alteri, residuam verò tertiam tribus alijs reliquisset; quia cum tres illi donatarij vltimæ tertie partis, nominibus proprijs essent vocati; debebant in iurepatronatus habere voces æquales, quamuis in bonis donatis quilibet pro tertia tertie admitteretur. Et ideo quæ superius dicta sunt ex Barbosa & alijs de quibus supra num. 9. locum tantum habent in iurepatronatus gentilitio; non autè in eo in quo familiæ seu agnationis ratio non fuit considerata: cum (vt dictum est) in eo in quo familiæ ratio habita fuit, succedatur in capita. † Intelligendo tamè de primis vocatis, nã sequentes post primum gradum debent admitti in stirpes,

- Ricc. in decis. curi. Archiep. Neapol. part. 2. decis. 6. n. 1. versic. ita tamen. † Quod tamen non procedit si familia esset vocata tanquam vnum corpus, & collegialiter; tunc enim voces computandæ essent per capita, non per stirpes: Rot. decis. 42. part. 4. recent. tom. 1. Lambertin. de iure patronat. lib. 1. part. 2.
14. n. 1. versic. ita tamen. † Quod tamen non procedit si familia esset vocata tanquam vnum corpus, & collegialiter; tunc enim voces computandæ essent per capita, non per stirpes: Rot. decis. 42. part. 4. recent. tom. 1. Lambertin. de iure patronat. lib. 1. part. 2.
15. quæst. 1. artic. 25. num. 17. † Et si duæ vniuersitates vel familiæ haberent iuspatronatus, tanquam duo corpora seu collegia; quælibet familia haberet vnam vocem, & sic omnes de familiâ pro vno tantum computarentur: vt per Lambertin. loco citato. Et vox cuiuslibet familiæ, conficitur ex maiori parte familiarum concurrentium, Rota decis. 2. part. 7. recent. Et sic, etiamsi sint mille descendentes ex qualibet familia; tamen pro vna voce computantur, Rota ibidem num. 9. & 10.
16. Supradicta omnia procedunt in iurepatronatus gentilitio, vel, respectiue, hæreditario. Sed quid dicendum de mixto? Respondetur, quod cum in mixto vtraque qualitas concurrere debeat, nempe quod succedere volens sit simul hæres, & sit de familia; vt dicit Rota decis. 96. num. 18. part. 6. recent.
17. † Et tale iuspatronatus non possit transferri ad hæredem extraneum, nisi deficiente tota familia vocata,
18. Rota decis. 166. num. 24. eadem par. 6. † Finitâ autem totâ familiâ, transit ad hæredes extraneos, nec Ecclesia libertatem acquirit. Burat. decis. 183. num. 21. & Costa de rat. quæst. 97. num. 12. Ideo adinstar
19. gentilitij, † in mixto, succeditur in capita & non in stirpes; eo modo quo supra dictum est. Burat. decis. 647. num. 10. & 679. num. 8. Filij tamen emancipati non habent vocem, viuus parentibus, in mixto; secus in purè gentilitijs. Ratio est, quia in mixto requiritur quod sint hæredes; quæ qualitas viuus parentibus non potest verificari. Rota apud Viuian. de iurepatr. lib. 4. cap. 1. num. 71. versic. non obstat quod in iurepatronatu. Adden. ad Burat. decis. 183. num. 27.
- Deueniendo nunc ad praxim, & ad resolutionem propositæ quæstionis, Censui iuspatronatus de quo nunc agebatur, esse gentilitium; cum in eo testator expressè descendentes vocauerit, & in eorum defectum proximiores, ex supra notatis num. 8. & ideo succedi per capita, & non in stirpes. Et sic descendentes Iacobi, qui sunt septem, si concurrant ad nominationem alicuius; præualere descendentes ex Catherina, Anna & Leonarda, qui sunt duntaxat quinque; † & hoc si filius præmortui representet personam patris, de quo dubitandum, cum proximiores sint vocati, quo casu excluditur representatio, Fufar. de substit. quæst. 485. num. 36. & sequen. Maximè quia agitur de collateralibus gradus vltioris,
20. Fufar. ibidem num. 106. † Nam si ageretur de patruo, & nepote, Gratian. d. cap. 521. num. 16. inclinatur pro representatione, in hoc iurepatronatus gentilitio; cessante autem representatione, vox illa non computaretur. † Quia, vt supra dictum est, soli proximiores exclusis remotioribus hac in materia admittuntur, sicut in profanis Gabriel. consil. 196. num. 2.
21. 3. & 4. volum. 2. † qui hoc limitatur num. 6. nisi consuetudo esset in contrarium: sicuti, & Pereg. d. consil. 33. num. 25. & 26. vol. 1. cum supra citatis num. 8.
22. Adeo vt si ageretur de derogatione qualitatum foundationis, non maioris partis consensus, sed omnium singularium per capita exigendus esset: & oppositio vnus sufficeret ad impediendam talem derogationem, Lambertin. lib. 1. part. 1. quæst. 7. art. 3. n. 23.
23. Similiter licet Rebuff. in praxi tit. de permut. n. 22. dicat requirendos esse patronos, dum sit permutatio beneficii iuspatronatus; & hanc requisitionem

sufficere quamuis non consentiant: hoc casu requiri omnes debent, nemine dempto, & singulariter ac per capita, ex supradictis. † Tamen in Gallia hoc non recipitur contra voluntatem patroni, Ferrer. ad Guid. Pap. decis. 374. Cokier. de permut. benef. capit. 19. num. 10. & seq. cum agatur de iurepatronatus laicali, Peleus ad regul. Cancell. cap. 10. versic. permutatio non potest. Vbi quod si aliter fiat, appellatur in Gallia, tanquã ab abusu: † sicut nec admittitur in Gallia derogatio iuspatronatus laicalis pro medietate. Rebuff. in 3. part. signaturæ. in verbo, nec non iuspatronatus. num. 69.

Sed si ex consuetudine, vel ex aliis præsumptionibus constare possit iuspatronatus illud esse hæreditarium; quilibet hæres pro vno computaretur, & eo mortuo hæredes ipsius, quamuis plures, vnam tantum vocem haberent. Quod si duo eodem tempore fundauerint, reseruato iurepatronatus, singulæ hæreditates post eorum obitum pro vna duntaxat voce erunt computandæ. Et si vna hæreditas præsentauerit tres verò vel quatuor residui alium, præsentatus à prima hæreditate instituendus erit: quia habet dimidiam partem vocum, & vnam vocem de alia medietate. † Si verò voces sint omnino æquales, locus erit gratificationi. ita Vgolin. de Episcop. cap. 51. §. 1. num. 8.

Vnde si fundator tres hæredes reliquerit A. B. C. constituent omnino tres voces. sed si C. v. g. hæredem instituerit A. pro tertia parte, M. pro duabus tertijs; hoc casu adueniente casu præsentationis, si A. præsentet vnum, B. verò alium, & M. alium; præferretur præsentatus ab A. quia habet quinque vncias cum dimidia; B. verò quatuor; & M. duntaxat duas cum dimidia, vt bene comprobatur Pereg. dicto consil. 27. num. 13. & seq. volum. 2. † dicens posse eos, qui sunt de alio corpore, per adhæSIONEM vnire vocem suam, quamuis in minori numero respectu sui corporis, seu stirpis, cum voce alterius corporis: vt per eundem num. 16. & seqq. † Quod tamen pro nunc non transit apud me sine dubio. Nam Rota Romana sæpius iudicauit minorem partem vnus stipitis, pro nihilo reputati; & quod maior pars in hoc casu absorbet minorem: vt apud Caualer. decis. 519. num. 3. Lotter. de re benef. lib. 2. quæst. 11. num. 135. & 136.



## CAPVT XXXIII.

De collatione beneficii per Episcopum, proprio, vel resignantis nepoti, vel consanguineo facta. De impetratione beneficii viuentis. De Episcopo dicente se contulisse beneficium, quod non contulerat, quomodo puniatur ratione mendacij. Denique an, & quando post primam collationem nullam, aut quæ effectum non fuit sortita, possit Episcopus iterum conferre.

## SVMMARIVM.

1. Beneficia Gallia primo impetranti conferenda sunt.  
Fallit primò in beneficijs consistorialibus, & quæ dicuntur consistorialia, quare sic denominentur, num. 2.

*Fallit secundò, in collationibus que fiunt coram ordinarijs collatoribus. num. 3.*

4. *Episcopus proprio nepoti, vel consanguineo, beneficia per obitum vacantia conferre potest. & num. 6.*
5. *Potest Episcopus proprio nepoti pensionem super beneficio assignare.*
7. *Non impeditur quis beneficium proprio nepoti resignare.*
8. *Resignatio si facta sit coram Ordinario, non potest ille beneficium sic resignatum conferre suo nepoti, consanguineo, vel familiari, vel consanguineo resignantis.*
9. *Fallit in beneficijs iurispatronatus. ex declaratione Sacra Congregationis.*
10. *Licet impetrans beneficium viuentis reddatur indignus, non tamen ideo collator suo iure conferendi priuatur, si ignoranter contulerit.*
11. *Collator ordinarius dicens se contulisse, cum non contulerit, priuatur iure conferendi ob mendacium.*
12. *Episcopus conferens indigno, priuatur iure conferendi; & quomodo id procedat, & num. 13.*
14. *Episcopus tenetur inquirere super conditione illorum, quibus beneficia confert.*
15. *Prima Episcopi collatio, impedit secundam; & quando id locum habeat.*
16. *Secundo conferre potest Episcopus, si prima collatio sit facta incapaci, aut non fuerit acceptata, num. 18. Intellige ut num. 17. dummodo res sit integra, & quando dicatur integra. Sed hoc casu audiri debet primus, cui collatio facta est: num. 19. & 20.*

**M**ulta aliàs proponerentur aduersùs cuiusdam beneficij collationem, ab Ordinario apud Provinciales factam; quibus ipsam nullam atque inuolidam declarandam esse contendebatur.

Et primò quidem, ex eo quòd collatio facta fuerat alteri, quàm illi qui in petendo beneficio fuerat diligentior.

Secundò, quia collatio per Episcopum facta fuerat nepoti proprio.

Tertiò, quòd collatio facta fuerat illi, qui beneficium viuentis impetrauerat.

Quartò, quòd Episcopus requisitus de declarando, utrùm beneficium illud contulisset? Respondit affirmatiuè, quamuis tunc collatio facta non fuisset.

Quintò, quòd idem collator, iam de eodem beneficio, aliam collationem fecerat; & per consequens iteratò conferre non poterat.

- Quarum oppositionum maiorem partem friuolam esse censui. In primis enim, † quamuis in collationibus quæ fiunt per summum Pontificem, vel eius Legatum, attendi debeat (quoad beneficia Gallix) quis sit prior in data, quæ attenditur ab hora & die
2. qua cursor accedit ad urbem; † exceptis beneficijs consistorialibus, veluti Episcopatibus & similibus, quæ ideo consistorialia nuncupantur, quia in publico consistorio per publicationem & præconizationem expediuntur, præuiâ nominatione Regiâ; quorum non datur expeditio, nisi præuiâ informatione vitæ & morum, præconisatione consistorialiter factâ, & alijs similibus, vt dicit additio ad Louët *litr. M. num. 10. col. 4. versic. Car les François ont ce privilege. & liter. B. n. 13.* Vbi ponit praxim procedendi in prouisione beneficiorum consistorialium Gallix.
  3. Tamen dum agitur de collatore ordinario, indubitatum est ipsum non teneri beneficia per obitum vacantia conferre primo currenti, vel requirenti:

quia de natura collationis est vt sit libera, gratiosa, & nullo modo coacta, nec ad certas personas restricta & limitata; nisi tamen statuto aut fundatione cautum sit, vt certo personarum generi beneficia debeantur: vt notat Garcias *in tract. de benef. part. 5. cap. 7. num. 69. & 70.*

Quoad secundam verò oppositionem Dixi non impediri Episcopum, aut alium collatorem ordinarium, quominus beneficia per obitum vacantia proprio nepoti, vel consanguineo conferat: non obstantibus bullis aduersùs confidentarios per Pium V. & summos Pontifices factis, dummodo digni sint. † Quòd eadem ratione de reseruacione pensionis dicendum est, quam in fauorem nepotis, vel consanguinei, Episcopus reseruare potest: vt notat Paris. *in tract. de confiden. quæst. 1. num. 20. Rota decis. 166. num. 4. part. 2. recent. Gratian. discep. forens. cap. 617. num. 8.* Vbi dicit iustam causam reseruacionis pensionis per Episcopum faciendæ hanc esse, si sit in fauorem nepotis, & vt commodiùs litteris incumbere valeat.

Dixi, per obitum vacantia, quia licet non impediat quis in fauorem affinium, vel consanguineorum, beneficia resignare; dummodo resignatio non fuerit facta in fraudem, veluti vt faciliùs committeretur homicidium: vt docet Nauar. *in manuali cap. 23. num. 107.* & post eum Paris. *de resignat. lib. 4. cap. 8. num. 6.* † Tamen hoc procedit, quando resignatio fit coram summo Pontifice, quæ valida est; etiam si fiat in fauorem nepotis, vel consanguinei: dummodo tamen in impetratione exprimat gradus consanguinitatis, vel affinitatis: vt notat addit. ad Paris. *dicto lib. 4. quæst. 8. num. 6.* † Nam coram Ordinario non valet resignatio, etiam purè & simpliciter facta, si Episcopus beneficium sic resignatum contulerit filijs consanguineis, affinibus vel familiaribus proprijs, vel etiam ipsius resignantis; quod prudenter statutum est per fel. record. Pium V. *constit. 58.* etiam si id fiat multiplicatis per circuitum resignationibus: & graues constitutæ pœnæ aduersùs controuenientes; vt notat Paris. *in d. tract. de resignat. lib. 5. quæst. 7. num. 188. & seq.*

Dicta vero Pij V. constitutio, ultra quòd inferitur in bullario, refertur etiam ad longum apud Quarant. *in summa bullar. in verbo, beneficiorum resignatio fol. mibi 112.* & apud Scort. *in selectis summ. Pontific. constitut. Epito. 101. theorem. 251.*

Illam tamen prohibitio admittendi resignationes, & prouidendi consanguineos, non habet locum in beneficijs iurispatronatus; quæ, non comprehendi in §. cæterum in d. constitutione Pij V. declarauit Sacra Congregatio, teste Quaranta *loc. citat. versic. ad maiorem.* Plura de dicta constitutione tradunt DD. per Barbosa citati *de iure Ecclesiast. vniuers. libr. 3. cap. 15. num. 112. & in decis. Apostolicis cap. 61. num. 13. Filliuc. tract. 45. cap. 8. num. 28. & 29.*

Ad tertiam quæstionem responsum fuit, quòd licet impetrans beneficium viuentis, reddatur ipso iure indignus, *cap. 1. de concess. præb. Rebuff. in prax. tit. de reprob. benef. viuentis impetr. num. 13. & 18. DD. in d. cap. 1. de concess. præben.* Tamen collator non priuatur suo iure conferendi, nisi dolosè, & scienter talem collationem fecerit, Rebuff. *loc. citat. num. 21.* Intelligendo tamen de collatore ordinario: nam summus Pontifex poterit illud beneficium eidem conferre, si hoc illi exprimat, Rebuff. *ibidem num. 22. Selu. de benef. part. 3. dicta quæst. 47.*


Ad quartam respondetur, quòd si Episcopus aut alius collator declarauerit se beneficium contulisse, quod tamen nondum erat collatum: ratione talis

mendacij, priuatur iure conferendi; quia per mendacium perditur priuilegium: & ita saltem in Gallia iudicabitur, prout sic iudicatum fuisse, testatur Rebuff. in concord. tit. de collat. §. si quis verò. in verbo, dispo- fuerit. versic. ultimo si collator.

12. Ad quintam oppositionem responsum fuit, duas hic pugnare regulas generales, quarum altera vult, quòd si Episcopus indigno beneficium contulerit, priuatur pro illa vice iure conferendi: per text. in cap. cum in cunctis 7. §. clerici sane. ae electione.
13. † Quod tamen procedit in quatuor casibus ibidem expressis, nempe si collatio facta fuerit illi, qui patiebatur defectum in natalibus, vel in ætate; scientia vel moribus: vt notauit Abbas in d. §. clerici. num. 6. di- ctamque regulam approbavit Rota apud Mantua. de- cis. 158. num. 1. & 2. dicens † Episcopum non posse prætereignam ignorantiam conditionis illius, cui bene- ficium contulit; cum teneatur se informare & inqui- rere de vita & moribus illius: quod etiam tradit Bar- bosa in dicto §. Clerici. num. 37. Variatio enim in per- sonis Ecclesiasticis maximè est vitanda, Clemen. uni- ca in princip. de renunciat. † Et prima collatio impe- dit secundam, quando vtraque fit ab eodem Ordina- rio, & eodem iure; nam si secunda collatio, fieret alio medio quàm prima; vt si primam collator fecisset iure ordinario, secundam verò coactè veluti in vim man- dati Apostolici de conferendo; vel in Gallia, in vim gradus & nominationis, ratione beneficiorum quæ Graduatæ aut nominatæ conferre tenetur: posset se- cundam collationem facere non obstante prima: vt notauit addit. ad Louet littera P. numer. 25. circa finem versic. les collations ordinaires. Quia prima col- latio, facta fuit iure ordinario; secunda, Pontifice vel lege cogente: vt dicit Selua dicta quest. 47. & ibi ad- ditio marginalis post Rebuff. in tract. nominat. quest. 17. num. 8. iuncto num. 59.
16. Alia regula proponitur in contrarium nempe quòd si Episcopus nulliter beneficium contulerit, potest ni- hilominus idem beneficium iterum conferre, qua- muis ille cui primo contulit non sit capax: iuxta tra- dita per Castren. consil. 365. num. 2. part. 1. quia non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum. cap. non præstat. de reg. iur. Gonsal. ad re- gul. 8. glos. 15. §. 2. num. 7.
17. Quæ regula procedit, dummodo res sit integra; id est nisi per lapsum temporis collator ordinarius fue- rit exclusus, vel per appellationem interpositam ad superiorem, aut per collationem sedis Apostolicæ; ex his enim impediretur potestas ordinarij collatoris: vt declarat Lotter. de re benefic. lib. 2. quest. 21. n. 73.
18. Vnde si beneficium collatum fuerit alicui, qui non acceptauit; poterit Ordinarius alteri conferre; quia stante non acceptatione, res dicitur integra, & bene- ficium alteri conferri potest, ex decis. Veralli 231. part. 1. & decis. 59. num. 2. part. 2. Couar. lib. 3. va- riar. resolut. cap. 16. num. 3. & 4.
19. Hæ duæ regulæ sic concordantur, vt prima locum habeat, si prior collatio fuerit facta indigno; secus si fuerit facta incapaci: nã primo casu amittit potestatem conferendi, si indignitas sit vna ex dictis quatuor su- pra deductis; secunda verò regula procedit in collatio- ne facta incapaci, aut non acceptati, vel si aliis modis sit inualida vt explicat Castren. d. consil. 365. n. 2. p. 1. Vnde si Episcopus beneficium contulerit, spreto pa- trono; vel ad præsentationem illius qui non poterat præsentare, non impeditur postea idem beneficium, eidem aut alteri conferre, Selu. dicta quest. 47. num. 2.
20. part. 3. † Quod tamen intelligendum est, vt casu quo collatio secunda fiat alteri, quàm ei cui primo beneficium collatum fuerat; fiat audito prius & con-

sentiente, aut condemnato eo cui prius beneficium collatum erat; alioquin secunda collatio nulla erit: vt notatur in Codic. Fabrian. lib. 1. tit. 3. definit. 51.

Et sic apparet resolutio propositæ quæstionis ex applicatione facti, nam si prima collatio cõtineat de- fectum ex indignitate personæ, non poterit amplius conferre: si verò ex illius incapacitate aut aliis modis, de quibus supra; poterit Episcopus iteratam facere collationem; iuxta distinctionem Castrensis supra al- legatam, cui accedunt tradita per addent. ad Louet dicta littera P. num. 25. in fin. Quia tradita ibi de pa- trono indignum vel incapacem præsentante, locum etiam habent in collatore, ex identitate rationis.



## CAPVT XXXIV.

De Sententia suspensionis, cum condemna- tione ad pœnam pecuniariam per Episco- pum lata contra Theologum; qui dum publicè verbum Dei prædicaret, propo- sitionem hæreticam vel de hæresi sus- pectam pronuntiauit.

### S V M M A R I V M.

1. Non datur appellatio à sententia, per quam quis declaratur hereticus.
2. Intellige vt procedat respectu indicis à quo, sed tamen superior non impeditur appellationem admittere, & inhibitiones decernere.
3. Appellatio datur à sententia declaratoria here- seos, si adsit iusta & legitima causa appel- landi.
4. Pœna hereseos ultra corporalem, est confiscatio- nis honorum, & priuationis beneficiorum ipso iure.
5. De essentia hereseos est obstinatio, & pertinacia.
6. In quo consistat pertinacia requisita ad hoc, vt quis declaretur hereticus.
7. proferens propositionem ambiguam, in dubio non præsumitur hereticus, si alioquin sit bona fame.
8. A declaratione pœna suspensionis datur appella- tio, quoad effectum deuolutiuum.
9. A suspensione à diuinis officijs si fuerit appellatum, non suspenditur executio: secus si appella- tum fuerit à suspensione à beneficijs, tunc enim datur appellatio etiam quoad effectum suspensiuum.
10. Episcopus vel alius index non obstante senten- tia suspensionis per eum lata, potest con- cedere ad tempus ei qui suspensus est licen- tiam celebrandi.
11. Licitum est appellare ad Metropolitanum, in casibus in quibus Episcopi procedunt vigo- re Concily, tanquam sedis Apostolica de- legati.

**C**Vm quidam vir pius simul & eruditus, possi- dens præbendam Theologalem, proposuisset in publica prædicatione quandam assertionem ab Eccle- sia Catholica damnatam; fuit per Episcopum decla- ratus conuictus de hæresi, & ad pœnam centum li- brarum condemnatus; nec non à prædicationis exer- citio ad triennium suspensus; à qua sententia appel- lauit, & de illius appellationis validitate & effectu dubitatum



dubitatum fuit. Super hoc consultus, Respondi dictam appellationem legitimè interpositam fuisse, & in Legatione, vel apud Metropolitanum committendam esse; prout in effectu dictus Theologus fuit postea ad pristinum statum restitutus. Ratio est, quia licet per canonicas constitutiones, † à sententia per quam quis declaratur hæreticus nequeat appellari, *cap. ut inquisitionis officium. versic. ut qui de heresi. de heretic. in 6.* Tamen generalis illa regula duas recipit limitationes, quæ in proposito casu locum habent. † Prima, quod licet iudex à quo non debeat talem appellationem admittere, superior tamen, ad quem appellatum fuit, potest constito de grauamine & iniustitia primæ sententiæ, decernere inhibitiones aduersus iudicem à quo, in vim & consequentiam appellationis interpositæ: teste Felin. *in cap. ad abolendam. num. 3. in fin. versic. sed aduerte. de hereticis. in decretat.*


3. Altera limitatio est, vt liceat à sententia in causa hæreseos lata appellare, existente iusta & legitima grauaminis causa: vt testatur Sigismund. Scacc. *de appellat. quest. 17. limit. 4. num. 76. iuncto num. 84.* Præferim in Gallia, vbi dispositio *d. cap. ut inquisitionis.* non ita rigorosè obseruatur.

Rationabiles verò causæ appellationis, per dictum Dominum Theologum interpositæ, plures sunt; in primis verò, quia d. sententia Episcopalis magnam continebat contrarietatem: quia dictum Theologum declarabat hæreticum, & de hæresi conuictum, & nihilominus illum condemnabat duntaxat ad multam centum librarum, & suspensionem à prædicatione ad triennium: † cum tamen certum sit de iure, poenam hæreseos esse corporalem, vnà cum confiscatione bonorum, vltra omnimodam priuationem beneficiorum, quæ per hæresim vacant ipso iure: vt probatur per text. *in cap. cum secundum leges. de hereticis in 6. Garcias de benefic. part. 11. cap. 10. num. 66.*

Secundò quia dictus Dominus Theologus, postquam publicam dictæ assertionis propositionem fecisset, confestim in proxima sequenti prædicatione declarauit errorem suæ propositionis, quam declarauit iuxta mentem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, statimque in ius vocatus protestatus fuit, se nullam aliam doctrinam credere & profiteri præter eam, quam Sancta Romana Ecclesia Catholica tenet & profitetur: non potuit igitur vllò modo tanquam hæreticus condemnari. † Cum præcipua hæreseos circumstantia, eaque substantialis sit, vt quis suum cum pertinacia tueatur errorem: Farin. *in tract. de heres. quest. 178. num. 16. & seq. Cæsar Carena. in tract. de offic. inquisit. par. 2. tit. 1. de heresi. §. 2. num. 10.* Anthon. de Sousa *in aphorism. inquisit. lib. 1. cap. 8. num. 1. & 2. & maxime num. 3.* † Vbi dicit pertinaciam, quæ ad hæresim requiritur, exigere per actum posituum contradictionem eorum quæ constant esse de fide: & eum qui sic contradicit, non esse corrigi paratum. Pertinacia igitur in eo consistit, quod quis prudens & sciens errorem aduersus Ecclesiam Catholicam tueatur: vt dicit Sanch. *de præcept. 7. decalog. lib. 2. cap. 7. num. 2.* † Quod maxime procedit attenda qualitate dicti Domini Theologi, qui simul erat Ecclesiæ Cathedralis Archidiaconus, & eruditione & pietate insignis; quo casu facta propositione ambigua, aut æquiuoca, quæ duplicem sensum habere potest; fieri debet interpretatio fauorabilis ad exclusionem delicti: atque ita obseruatur in tribunali Sanctæ Inquisitionis, Ricciul. *in tract. de iure personar. extra gremium Ecclesiæ existent. lib. 5. cap. 6. num. 5. 7. & 8.*

Tertiò, quia non solum à declaratione poenæ pœnariæ licita est appellatio, sed etiam (saltem quoad effectum deuolutiuum) à declaratione suspensionis: vt notant DD. *in cap. ad hæc. de appellat.* † Imo licita est appellatio quoad vtrumque effectum, tam deuolutiuum quam suspensiuum, quando agitur de suspensione, præterquam à diuinis officiis: veluti si quis suspendatur à beneficio, aut alia simili suspensione. Franc. *in dict. cap. ad hæc. num. 4. per textum in cap. 15. de sententia excommunicationis, in 6.* veluti si quis suspendatur ab ingressu ciuitatis vel palatij, aut si ageretur de suspensione à Pontificalibus, vel ab vsu pallij, per appellationem suspenderetur effectus sententiæ vt tenet Franc. *in dict. numer. 4.* Consului tamen ad maiorem cautelam, vt Dominus Theologus abstineret à prædicationis exercitio, donec illius suspensionis reuocationem obtinuisset; nisi tamen prædicandi licentiam, ab eodem Episcopo obtinuisset. † Potest enim Episcopus, vel iudex, non obstante suspensionis sententia per eum lata, ex iusta causa illam suspendere ad tempus, & concedere licentiam exercendi: vt notat Bonacin. *in tit. de suspens. disput. 3. punct. 1. num. 4.*

Imò notandum est, appellationem illam interponi potuisse, tam in Legatione quam coram Metropolitanis; quia etiam in casibus in quibus Episcopi procedunt, tanquam sedis Apostolicæ delegati, licita est appellatio ad Metropolitanum: vt notauit Barbof. *ad Concil. Trident. sess. 13. de reformat. cap. 2. num. 3.* atque ita praxis obseruat. Quæ omnia dicta sunt sub correctione Sanctæ Matris Ecclesiæ.



## CAPVT XXXV.

De extinctione pensionis beneficiariæ faciendâ, in præiudicium creditorum pensionarij. Et vtrum possint dicti creditores obtinere inhibitiones de extinguendo pensionem, & de præcepto facto contra Capitulum, de soluendo pensiones dictis creditoribus pensionarij. Et quomodo Capitulum teneatur ad pensiones impositas super canonicatu.

### S V M M A R I V M.

1. Debitor pensionis impositæ super beneficio, potest quandocumque pensionem extinguere.
2. Non potest fieri inhibitio, & conuentio, de nou extinguendo pensionem.
3. Pensionis extinctio cedit in vtilitatem Ecclesiæ, quia pensio est onus beneficij, & seruitus imposita Ecclesiæ.
4. Non valet actus per quem pensio redditur inextinguibilis, tanquam Ecclesiæ præiudicans.
5. Non valet mandatum irreuocabile factum Creditori, ad exigendam pensionem Ecclesiasticam.
6. Vfusfructus extingui non potest in præiudicium creditorum.
7. Pensiones Ecclesiasticæ non sunt in commercio nostro quoad ius, sed tantum quoad factum.
8. Extinctio pensionis Ecclesiasticæ, regulariter non presumitur facta in fraudem creditorum.
9. Actio ad petendam pensionem non datur nisi contra

- contra eum, qui fructus beneficij percipit.*
10. *Qui non habet possessionem beneficij, non tenetur ad solutionem pensionis super eo imposita.*
  11. *Resignans post resignationem habetur pro mortuo quoad beneficium resignatum.*
  12. *Obligaciones & fideiussiones occasione beneficij præstita, expirant facta illius resignatione.*
  13. *Capitulum tenetur ad solutionem pensionis, quando fructus percipit propter absentiam & impedimentum Canonici.*
  14. *fructus beneficij accrescunt præsentibus, cum suo onere pensionis super beneficio imposita.*
  15. *Capitulum, an verò singulares persona de capitulo, teneantur & cogi possint ad solutionem pensionis, pro rata temporis, quo fructus canonicatus (Canonici absentibus) perceperunt. Remissive.*


**I**Nstantibus Canonici resignantis creditoribus, duplex facta fuerat inhibitio; vna contra resignatarium de extinguendo pensionem 80. scutorum, per resignantem super illo canonicatu reseruatam: altera aduersus capitulum de soluendo dictam pensionem dicto resignanti; imò præceptum fuit de soluendo creditoribus eandem pensionem, iuxta formam obligationis de soluendo præstitæ per dictum capitulum.

- Vtramque procedendi formam Dixi de iure subsistere non posse: † nam quod attinet ad inhibitionem factam resignatario, certum est licitum ipsi esse pensionem quandocumque extinguere, ex notat. per
1. *Gigantem in tract. de pension. quest. 45. † Ita vt nec possit fieri conuentio, vel prohibitio, per quam pensionarius prohibeatur extinguere pensionem; nisi talis conuentio vel prohibitio fuerit summi Pontificis*
  2. *authoritate roborata. † Quia pensionis extinctio cedit principaliter in vtilitatem & commodum Ecclesiæ, cum sit onus beneficio impositum, & seruitus ipsius Ecclesiæ, Camill. Borell. in summa decis. lib. 1. cap. 30. num. 2. Gig. de pensi. quest. 96. num. 1. † Quod si talis prohibitio subsisteret, pensio redderetur inextinguibilis, saltem durante vita resignantis; quod esset in præiudicium Ecclesiæ: & sic non potest valere, Abbas in cap. peruenit. num. 2. de arbitr. † Neque valeret mandatum irreuocabile factum per pensionarium suo creditori, ad pensionem Ecclesiasticam exigendam; sicut non valet mandatum factum per eum qui præbendam, vel beneficium possidet, de exigendo fructus sui beneficij durante toto vitæ suæ tempore. Rebuf. in compend. alien. rer. Eccles. num. 27. † Et quamuis vsusfructus extinguere non possit in præiudicium creditorum, l. 3. ff. de his que in fraud. cred. in his tamen pensionibus alia ratio est: quia vsusfructus*
  3. *in commercio nostro est, † non item pensio Ecclesiastica; quæ tamen quoad factum, & fructuum perceptionem in commercio est; non quoad ius percipiendi: vt bene explicat Rota decis. 129. num. 4. par. 8. 1. recent. † Neque potest prætendi, quòd extinctio pensionis fiat in fraudem; quia qui iure suo vititur nemini iniuriam facit; atque ita decidit Rota Rom. non impediri extinctionem pensionis, non obstante mandato irreuocabili per pensionarium factò; vt per totam illam decis. 129. part. 1. recent. Vnde conclusum fuit, dictas inhibitiones de extinguendo pensionem, non posse de iure subsistere.*

- Quoad præceptum verò, & inhibitiones capitulo factas; eadem ratione non esse fundatas dictum fuit.
9. † Quia actio ad petendam pensionem non datur nisi contra eum, qui fructus beneficij percipit, Rot. decis. 699. num. 1. part. 1. diuers. † Et qui non habet posses-

sionem beneficij vel præbendæ, super qua pensio est imposita, non tenetur ad illius solutionem. Gonzal. ad reg. 8. gloss. 34. num. 47. Gratian. discep. forens. cap. 535. num. 4. Borell. in summa decis. tit. 30. num. 14. lib. 1. Cum igitur Capitulum non possideat canonicatum & præbendam, super qua pensio fuit imposita; sequitur præceptum de soluendo factum capitulo, non posse subsistere. Neque obstare Censui, quòd Capitulum præstitit obligationem de soluendo pensionem durante vita resignantis. Quia talis obligatio præstita fuerat, quando resignans beneficij possessionem acceperat, quod eadem pensione iam antea reperiebatur oneratum; quæ cum realis esset, ad resignatarium successorem transibat: illa autem Capituli obligatio restricta erat ad tempus, quo ille beneficium possideret *tant qu'il sera Chanoine*: expirabat ergo Capituli obligatio per resignationem ipsius, sic restrictam & limitatam. † Maxime quia canonicus ille prior, per resignationem habebatur pro mortuo in beneficio resignato, Abbas in cap. nisi essent. in gloss. vlt. de præben. Paris. de resign. lib. 1. quest. 8. num. 7. † Et ideo omnes obligationes, & fideiussiones expirant statim facta resignatione, Gonzal. ad reg. 8. gloss. 34. à num. 45. Nicol. Garc. de benef. part. 1. cap. 5. num. 178. & 179. † Non negamus tamen quin cessante extinctione, & durante pensione, Capitulum, ad cuius notitiam deuenit creditum resignantis, teneatur ad solutionem illius pensionis, pro rata ipsum tangente; dum fructus canonicatus percipiet propter absentiam, vel aliud impedimentum canonici moderni possessoris dicti canonicatus: ex traditis per Marefcot. lib. 2. variat. resol. cap. 18. num. 50. † Quia cum pensio sit imposita super fructibus, redditibus, & prouentibus canonicatus, non possunt illi fructus transire ad Capitulum seu ad canonicos prætenfos quibus accrescunt, iuxta cap. 1. de cleric. non residen. lib. 6. nisi cum suo onere, & sic cum grauamine dictæ pensionis, Gonzal. d. reg. 8. gloss. 5. §. 5. num. 44. Nicol. Garc. de benef. part. 1. cap. 5. num. 214. & ita fuit etiam determinatum per Rot. decis. 133. part. 2. recentior.

Vtrum autem Capitulum teneatur ad solutionem pensionis, an verò singulares personæ de capitulo: videatur Garcias loco citato num. 221. & seqq. vbi bene quæstionem istam resoluit.



## CAPVT XXXVI.

Quòd Episcopus non possit in beneficiis non annexis, seu vnitis, Vicarium perpetuum constituere, vt sic beneficium curatum reducatur in simplex. In vnitis verò quomodò, & quando Vicarium perpetuum vel amouibilem deputare queat.

## S V M M A R I V M.

1. *Episcopus non potest beneficium curatum conuertere in simplex, per deputationem Vicarij. Et num. 5.*
2. *Nullus præter Papam, potest in perpetuum à residentia dispensare.*
3. *Cultus diuinus non augetur per deputationem Vicarij, nisi etiam principalis curam exerceat.*
4. *Episcopus beneficia diuidere, aut dismembrare non potest.*

5. Concilium Tridentinum prohibet conuersionem beneficij curati in simplex.
6. In parochialibus vnitis, Episcopus potest Vicarium perpetuum constituere.
7. Vicarij perpetui deputatio, non habet locum in beneficijs dependentibus non vnitis.
8. Deputatio Vicarij perpetui fieri non potest per Episcopum, nisi in uisitatione, & iusta subsistente causa.
9. Deputatio Vicarij perpetui locum habet, etiamsi beneficium regulare possideatur per secularem ex dispensatione Apostolica.
10. Per deputationem Vicarij perpetui beneficium redditur simplex, & sine cura.
11. Referuntur varij casus, in quibus non est procedendum ad deputationem Vicarij perpetui, sed temporalis & amouibilis.
12. Ad quem spectet nominatio Vicarij perpetui, in Ecclesijs vnitis, Collegijs, Capitulis, vel Monasterijs.
13. Referuntur plures Rota Romana decisiones, in quibus tota materia deputationis Vicarij perpetui continetur.

**B**eneficium regulare, cui annexæ sunt duæ Ecclesiæ parochiales, & à tempore immemoriali vnità; conuerti potest in beneficium simplex, & absque cura animarum, per deputationem Vicarij perpetui.

1. † Quia licet Episcopus non possit beneficia secularia vnita, quibus cura animarum annexa est, conuertere in simplicia per deputationem Vicarij perpetui: cap. extirpanda §. qui uero de prebend. & ibi U.D. maxime Abbas. num. 2. ea ratione † quia nullus prælatus infra Papam, potest in perpetuum à residentia dispensare, Put. decis. 223. in correct. lib. 2. ubi quod Vicarius perpetuus non potest per Episcopum constitui, nisi propter annexionem alterius beneficij curati, † Quod procedit etiam si talis Vicarij deputatio esset colorata sub prætextu augmenti cultus diuini, & diuitiarum Ecclesiæ: siquidem diuinus cultus non augetur, nisi uterque tam principalis quàm Vicarius actualiter inseruirent: ut dicit Hostien. in summa in tit. de offic. vicarij. §. & in quibus, vers. ex præmissis † non enim licitum est Episcopo beneficium dismembrare, vel diuidere, nec ex vno duo facere; quod accideret si assignata congrua portione, deputaretur Vicarius perpetuus, Gars. de benef. part. 12. cap. 4. † Et hoc expresse constitutum est in Concil. Trident. sess. 25. cap. 16. de reformat. his uerbis, Statuit sancta Synodus, ut Ecclesiastica beneficia secularia, quocumque nomine appellentur, quæ curam animarum ex prima eorum institutione, aut aliter quomodocumque retinent; illa deinceps in simplex beneficium, etiam assignata vicario congrua portione, non conuertantur; non obstantibus quibuscumque gratiis, &c. Idem ex mente Concilij notauit Monet. de commut. ult. volun. cap. 11. num. 64. & 65. Gonzal. ad reg. 8. gloss. 5. §. 3. n. 13.
6. Verall. part. 3. decis. 339. num. 1. † Tamen quando agitur de parochialibus perpetuò vnitis, monasterijs, Ecclesijs, capitulis, collegijs, beneficijs, aut pijs locis, Episcopus illas uisitare tenetur singulis annis, & sollicitè prouidere ut per idoneos Vicarios animarum cura exerceatur: ut statuitur in Concil. Trident. sess. 7. de reform. cap. 7. † Si tamen parochialis Ecclesia non est vnita monasterio, sed duntaxat ab eo dependens aut esset membrum monasterij, dicta conciliaris constitutio locum sibi non uendicaret, ut resoluit sacra congregatio teste Nicol. Garc. de benef. part. 11. cap. 2. num. 14. in fin.
8. Cæterum hanc Vicarij perpetui deputationem

fieri non posse ab Episcopo, in his beneficijs vnitis monasterijs, nisi iusta subsistente causa, & in uisitatione, tradunt Garc. loc. citat. num. 12. Barbos. de Episcopis. part. 3. alleg. 72. n. 190. versic. aduertendum.


Prædicta omnia, quæ de parochialibus vnitis monasterijs dicta sunt, locum habent; siue beneficium regulare cui cura annexa est possideatur à regulari, siue per dispensationem à seculari, Rebuff. in prax. tit. de vicar. perpet. num. 11. quod est notandum, quia dum secularis illud possidet, uideretur cessare ratio finalis constitutionis, quæ est ne religiosi ab exercitijs eorum quæ sunt religionis auertantur.

Et ex his in facti contingentia, Respondi posse Episcopum in uisitatione Vicarium perpetuum, in his duobus beneficijs quæ pro vno ratione vnionis reputantur, constituere; & tunc cura ad Vicarium perpetuum deouletur: beneficium uero regulare, simplex & sine cura remanebit, Gonzal. dict. gloss. 5. §. 3. num. 24.

In certis tamen casibus, non perpetuus sed amouibilis Vicarius deputatur; ueluti si ageretur de parochiali, pleno iure subiecta monasterio, Lotter. de re benefic. lib. 1. quæst. 33. num. 93. & in alijs casibus quos ad longum recenset Ricc. in praxi aurea variar. resolut. cap. 293. per totum Barbos. de Episc. d. alleg. 72. num. 189. idem Barbos. in cap. de monachis. 12. num. 4. de prebendis. Et de iur. Eccles. uniuers. lib. 3. cap. 6. num. 6. & seq. Videlicet primò, quando beneficium fuit vnitum à tempore immemoriali, & nunquam fuit deputatus Vicarius perpetuus. Secundò, quando vnio facta fuit cum pacto de seruire faciendo per Vicarium amouibilem. Tertiò, quando vnio facta fuit monasterio mendicantium, aut Monachorum. Quartò, ex priuilegio remunerationis causa concessio. Quintò, si pro bono pacis Vicarius temporalis apponendus esset & amouibilis. Sextò, quando particulariter & per se vnita est vicaria perpetua. Septimò, ex priuilegio Pontificio post Concilium Tridentinum concessio. Quæ omnia prosequitur, & explicat Barbos. dicto cap. 6. num. 6. usque ad 13. apud quem etiam, & authores ab eo citatos, uideri poterunt ea omnia, quæ materiam Vicarij perpetui concernunt.

Ad quem uero spectet nominatio Vicarij perpetui tradit Salgad. de Reg. protect. part. 3. cap. 9. num. 156. nempe ad eos quorum monasterijs, capitulis, vel beneficijs parochiales vnità sunt.

Plura de his Vicarijs perpetuis, & ad quem pertinet illorum deputatio, & utrùm debeant illorum prouisiones fieri per concursum, tradit Rota. decis. 102. per tot. part. 1. recent. & decis. 153. & 710. part. 2. recent. & decis. 99. & 785. part. 3. recent. quæ est decis. 214. & 923. apud Burat. & decis. 16. part. 6. recent. & decis. 445. part. 5. & decis. 5. part. 7. recent. Caualer. decis. 350. num. 4. Vbi explicatur in quo casu Vicarij parochialium vnitarum monasterijs, debeant esse perpetui; nempe quando consueuerunt Episcopo præsentari, & per Episcopum institui; aliàs sunt amouibiles: & ita explicat cap. unic. de capell. monach. in 6.



### CAPVT XXXVII.

Quæ requirantur ad validitatem vnionis: tam de iure communi quàm de iure Gallico. Et quibus remedijs vnio impugnari queat. Et utrùm longi temporis præscriptio hac

in re sufficiat, tam in beneficiis principalibus vnitis, quàm illorum accessoriis.

SVM MARIVM.

1. *Consensus Abbatis, cui ius est conferendi beneficium vniendum, non est præcisè necessarius pro validitate vniõnis.*
2. *Sufficit consensus Abbatis post vniõnem præstitus, pro illius validitate.*
3. *Clausula vniõnis, etiam quòd interesse habentes vocati non fuerint, non attenditur in Gallia.*
4. *Appellatur ab vniõnibus nulliter factis, etiam post centum annos & amplius, in Gallia.*
5. *Dominus loci, nec populus citandi sunt, in vniõne facienda.*
6. *Consensus populi quando requiritur, collegialiter præstandus est.*
7. *Vnio non audito Regio procuratore nulla declaratur, non obstante lapsu temporis. Intelligitur ut num. 8.*
9. *Vnio regulariter valida præsumitur post longissimi temporis spatium, si per illud continuò fuerit obseruata.*
10. *Vnio præsumitur valida post 40. annos, si titulum habeat; sin minus post tempus immemoriale.*
11. *In vniõne sufficit titulus putatiuus cum obseruantia quadragenaria.*
12. *Contra abusum nulla datur cuiuscumque temporis præscriptio: quomodo id sustineri possit.*
13. *Sufficit vniõnem beneficij principalis esse validam, nec de accessorio querendum est.*
14. *Vnio probatur etiam coniecturis.*
15. *Sententia in causa status personarũ, afficit omnes.*
16. *Sententia contumacialis præsumitur lata ob contumaciam, non autem ob bonum ius.*

**P**Luribus in causis actum fuit de validitate vniõnum, vel iam factarum, vel quæ fieri debebant in fauorem Capitulum Ecclesiarum sæcularium, de beneficiis tam in Gallia quàm alibi sitis. Cuius quæstionis resolutioni paucis & resolutiue satisfacere desiderans, † Dixi in primis, Abbatis illius ad cuius collationem beneficium vniendum pertinet, consensum præcisè non esse necessarium pro vniõnis validitate; dummodo ipse Abbas legitime; coram Commissario in partibus per summum Pontificem pro bullæ fulminatione & executione deputato, fuerit citatus; cum omnes quidem in vniõne interesse habentes citandi sint, sed si citati consentire recusauerint, ad id per eundem commissarium compelli possint: vt probatur ex reg. Cancell. 21. in illis verbis *vocatis quorum interest*. Peleus in *analyt. comment. cap. 42*. Rebuff. in *praxi tit. de vniõnib. gloss. 11*.

1. † Et consensum istorũ ex post præstari sufficit, Boër. *decis. 345. num. 3*. Cokier ad *dictam reg. 21. alias 22. num. 28. in fine. versic. ceterum*, Petr. Greg. in *institut. rei benefic. cap. 20. num. 10. versic. poterit & capituli consensus*. Et supradicta procedunt in Gallia,
3. † non obstante quòd in bulla apposita fuisset illa clausula, *etiamsi interesse habentes vocati non fuerint*: quia talis clausulæ nulla habetur ratio in Gallia, teste Rebuffo *d. regul. 21. gloss. 10. & gloss. 11. num. 7*. solent enim Galli appellationes interponere ab huiusmodi clausulis, † & ab vniõnibus factis non vocatis vocandis quas appellationes Galli vocant tanquam ab abusu; etiam post quinquaginta, vel centum & amplius annos, Maynard, *lib. 1. cap. 2. num. 4*.

Papon. *lib. 3. num. 10. arrest. 2*. Qui ea ratione nituntur, quòd grauamen sit perpetuum. Charond. *lib. 7. cap. 32*.

Cæterum nec Dominus loci, nec populus vocari debet in vniõne facienda, minúsque consensum præstare: populus enim sæpè contra propria commoda laborat, Rebuff. *dicta gloss. 11. num. 11. ad reg. Cancell. 21*. Nicol. Gar. *de benef. part. 12. cap. 2. n. 219*. Barbos. in *notis ad Concil. Trident. sess. 21. de reform. cap. 5. numer. 8. & in tract. de Episcop. allegat. 66. num. 37*. Si tamen iustum impedimentum allegarent, audiendi sunt; vt per Garc. & alios supra citatos. † Non potest autem sufficiens populi consensus (casu quo necessarius fuisset) elici, ex eo quòd maior pars coram commissario Apostolico testimonium in causa vniõnis tulit, consentus enim populi in casibus in quibus necessarius est, nõ separatim, sed simul & collegialiter præstandus est, & communitate legitime congregata. DD. in *cap. cum omnis. & in cap. cum M. de constitut. & cap. in genesi. de elect. Monet. de commut. ult. volunt. cap. 7. num. 398*.

Quod autem paulò ante diximus posse post quantumcumque tẽporis spatium de nullitate vniõnis opponi; intelligendum est, vt locum habeat, si ex inspectiõne actorum constaret consensum, aut citatiõnem interesse habentium in ea non interuenisse; aliãue requisita in ea deficere: vt voluit Garc. *de beneficiis, part. 12. cap. 2. num. 178*. † Et hæc ratione intelligendum est quòd dicitur fuisse decisum, vniõnem irritam declarandam esse, non obstante quocumque temporis lapsu, si non audito Regis vel Principis Procuratore facta sit: vt decisum testatur Faber in *Cod. lib. 1. tit. 2. definit. 48*.

Alioqui consensus post quadraginta, & multò magis post centum annorum spatium interuenisse præsumendus est; si concurrat continua vniõnis obseruantia toto illo tempore durante: Tiraquel. *de præscript. §. 1. gloss. 4. numer. 21*. cum pluribus aliis quos citat & sequitur Nicol. Garc. *d. part. 12. cap. 2. num. 178*. † Si enim vniõ sit titulo roborata, sufficit 40. annorum præscriptio: sin minus, probanda est obseruantia & effectuatio vniõnis, per tempus immemoriale; quæ effectuatio & obseruantia necessariò deducenda est, & probanda Garc. *loco citato, §. 3. n. 231*. vbi dicit sufficere titulum putatiuum, cum quadragenaria præscriptione; quia titulus ille dat iustam præscribendi causam, Cokier ad *reg. Cancellar. 21. num. 38*. Mascard. *de probat. conclus. 1418. incipit, Vnio beneficiorum, numer. 11*. Ludouif. *decis. 51. num. 1. & 3*. atque ita fuit iudicatum per Rotam Romanam in Lucana iurispatronatus de Podiis, 21. Martij 1620. coram Illustriss. & Reuerendiss. bon. mem. D. Guillelmo du Nozetto, Domino meo obseruantissimo, cuius memoriæ & amicitia multum me debere profiteor. † Et in specie quòd titulus putatiuus sufficiat cum præscriptione quadraginta annorum, tradit Boërius *decis. 345. num. 5*. Rot. *decis. 233. num. 5. in fin. part. 1. recent*. Et ita existimo intelligendum esse, quòd dicit Menoch. *lib. 6. præsumpt. 80. num. 5*. dum vult præsumptam vniõnem non admitti, nisi immemorialis temporis roboratam præsidio. † Et quòd dicunt DD. Galli aduersus abusum nullam currere præscriptionem, vt præter citatos dicit Chopin. *de sacra polit. lib. 2. c. 6. n. 7. & 8. vt sustineri possit quando vniõ non est alicui titulo innixa, secus si titulo sit munita: vt probatur ex DD. supra citatis*.

Vnde capitulo cuiusdam Ecclesiæ Metropolitanæ, cui prioratus duo vniti fuerant; quorum vnus principalis, alius accessorius erat: Consului, vt si fieri posset, ostenderet per antiqua documenta, qualiter prioratus


13. ratus iste accessorius, de cuius vnionis validitate dubitabatur; fuerat ab immemoriali tempore possessus vti accessorius, & annexus alteri principali, de cuius vnionis validitate non dubitabatur. † Suppositâ quippe hac qualitate beneficij accessorij, quoddamque vti accessorium tanto tempore possessum fuerat, suppresso hac ratione illius titulo, non fuisset opus in vnione principalis, istius accessorij facere mentionem, nec requirere consensum Abbatis, aut Capituli pro beneficio tunc extincto; dummodo requisita ad validitatem vnionis circa principale beneficium, fuissent obseruata. Gomes. *ad reg. de triennali, quæst. 8. num. 2.* Barbof. *de iure Eccles. lib. 3. cap. 16. num. 10.*

14. Multò magis hoc procedere Dixi, si vltra longi temporis lapsus, vnionis concurrerent coniecturæ, de quibus Rebuff. *de vnionib. num. 19.* Menoch. *d. præsumpt. 80. num. 6. lib. 6.* Garc. *part. 11. cap. 2. num. 56.*

Sed quia difficilis erat istius accessorix qualitatis, per tantum temporis spatium, probatio; nec per sententiam forsitan vocatò impetrante proferendam, res omninò certa esse poterat; fuit ad concordiam, me consulente, & suadente, deuentum.

15. Quia licet sententia in causa status ius faciat quoad omnes, dum de statu personarum agitur, *l. ingenuum. ff. de stat. homin.* aliud tamen est si de rerum statu tractari proponatur; sed neutro casu sententia sustineri posset; nisi vocato legitimo defensore, Regio nempe procuratore, & Abbate collatore ordinario, lata esset: Bart. Bald. & Angel. *in d. l. ingenuum.* Gonzal. *ad reg. 8. glos. 9. §. 1. num. 84. & seq.*

16. Multòque magis, si sententiam ferri contingeret in contumaciam, quæ non ex defectu iuris, sed ob contumaciam lata præsumitur, Felin. *in cap. ex literis. num. 8. de constitut. & diximus inferius cap. 41. num. 16. & seq.*



CAPVT XXXVIII.

Vtrum forenses domicilium habentes, vel non habentes in aliquo loco, teneantur ad constructionem & reparationem Ecclesiæ Parochialis contribuere: & ad constructionem vel refectionem campanarum. Et vtrum Prior vel Parochus ad tales expensas teneatur. Et quid in hoc seruetur secundum consuetudinem Gallix, & Comitatus Venayssini.

S V M M A R I V M.

1. *Onera quadam realia, alia personalia, alia denique mixta: & quomodo inter se differant. Forenses quomodo ad onera illa contribuere teneantur. Ibidem.*
2. *Qui non sunt subditi non possunt collectari, nec ligantur conclusionibus communitatis.*
3. *Quid obseruetur in comitatu Venayssino circa contributionem forensium.*
4. *Onus constructionis & reparationis Ecclesiæ est merè personale, & ad illud forenses cogi non possunt.*
5. *Forenses pro maiori parte inhabitantes in aliquo loco tenentur contribuere ad Ecclesiæ reparationem.*
6. *In Gallia, & maximè in Delphinatu, forenses*

*non nobiles cum habitatoribus, equali proportionem ad omnia onera mixta contribuunt. & num. 9.*

7. *Forenses non tenentur contribuere ad campanarum expensas.*
8. *Campana directè respiciunt vocationem populi, & signum ad preces Deo fundendas.*
10. *Parochus tenetur ad reparationem Ecclesiæ.*
11. *Omnes qui ex decimis vtilitatem percipiunt in Ecclesiæ reparationem contribuunt.*
12. *Referuntur DD. de materia reparationis Ecclesiarum tractantes.*
13. *Parochus an cogi possit ad reparationis & constructionis Ecclesiæ contributionem, per subtractionem decimarum.*
14. *Parochus tenetur ad expensas pro campanis.*
15. *Pro qua portione, & quando Parochus ad expensas constructionis & reparationis Ecclesiæ teneatur.*
16. *In qualibet Ecclesiæ Parochiali debet saltem adesse una campana, expensis Parochi fabricanda & conseruanda.*

Cum ad quandam Ecclesiam Parochialem extra oppidum ædificatam difficilis esset accessus, tempore præsertim hiemali, ob pluias, niues, & alia temporis incommoda; eaque de causa populus nouam intra locum ipsum construere vellent: fuit dubitatum, an forenses in loco illo eiusque territorio bonapossidentes, ad expensam illius fabricæ contribuere tenerentur; & similiter vtrum Parochus in illo loco decimas percipiens, ad contribuendum in dictis fabricæ expensis compelli posset.

Pro cuius difficultatis resolutione supponendum in primis est; onera, quæ per communitates imponuntur, triplicis esse generis. Quædam enim sunt merè realia, quæ certam habent præstationem, veluti tributa, quæ rem ipsam afficiunt & ad quemcumque possessorem transeunt; & hæc afficiunt etiam forenses, & alios quantumuis exemptos. Alia verò sunt personalia, ad quæ soli habitatores contribuere tenentur. Alia denique mixta, quæ & patrimonialia nuncupantur, quæ personis pro rebus imponuntur, nec certam & determinatam habent præstationem; ad quæ etiam de iure communi forenses non tenentur, quia principaliter personis, rerum contemplatione, indicuntur. † Si igitur personæ non sint subditi, communitatis conclusionibus & deliberationibus ligari non possunt. Rot. Auen. *decis. 182. num. 2.* D. Ludouic. Bell. *consil. 28. num. 14.* In quo consilio licet multum faueat communitatibus aduersus forenses, tamen per transactionem initam inter communitatem Castrinoui, pro qua ipse consulebat, & forenses; multa per eum in suo consilio determinata, fuere reiecta, vt patet ex lectura dictæ transactionis. † Et in Comitatu Venayssino, multæ communitates cum forensibus transfegerunt. Alia verò ad euitandas lites obseruant regulamentum, per modum expedientis factum, quo cauetur forenses in ciuitate Auenion. aut Comitatu Venayssino commorantes, pro rata bonorum quæ in alijs territorijs possident, pro duabus tantum partibus de tribus contribuere teneri; ita vt alteram tertiam partem soli habitatores sustineant.

Sed hoc intelligitur de muneribus patrimonialibus; nam ea quæ merè sunt personalia, sine dubio semper ad solos habitatores spectant: vnde non immeritò dubitatum fuit, an reparatio Ecclesiæ, vel eius noua eaque necessaria constructio, ad merè personalia munera referenda sit, an verò patrimonialium naturam sortiatur.

4. Ego sanè, quantumuis reluctante communitate, Respondi onus hoc ad solos habitatores pertinere, nec ad illius contributionem forenses cogi posse; cum personis principaliter quamuis habita ratione ad proportionem bonorum imponatur, nec Ecclesiæ vsus magis ad forenses, quam ad quemlibet etiam omnino extraneum pertinere videatur: vt explicat Pek. *in tract. de Eccles. reparat. cap. 11. num. 4. & sequen. Bertrand. consil. 126. num. 12. volum. 1. poster. Natt. consil. 215. Thesaur. decis. 149. & ibi adden. Bell. d. consil. 28. num. 20.*
5. Si tamen forensis domicilium obtineret in illo loco, & ibi pro maiori parte anni habitaret; teneretur ad Ecclesiæ constructionem & reparationem contribuere, in qua Sacramenta Christi fidelibus ministrari solent, Cabedo *decis. 91. num. 9. Barbol. de Episcop. par. 3. allegat. 64. num. 10.*
6. In Gallia tamen, & potissimum in patria Delphinatus, æquè forenses & habitatores contribuunt, si nobiles non sint: vt copiosè & egregiè ostendit Expilly, *plaidoyé 9. per totum & decisum refert Bleyn. in suo opere beneficiis, tit. de quarta pauper. & fabrica. num. 28. in gloss. P.*
7. Debent etiam forenses, ex iuris communis dispositione, eximi à contributione expensarum quæ fiunt pro constructione, conseruatione & refectione campanarum; quia hæc expensa solos habitatores respicit, qui mediante illarum sono vocantur ad Ecclesiam; nec debet haberi respectus ad secundariam utilitatem, quam ex illis forenses percipiunt; dum imminente tempestate campanæ ad illam auertendam pulsantur: vt fuit aliàs determinatum inter communitatem Vasionis, & forenses in eius territorio bona possidentes; apud Bertrand. *consil. 53. num. 6. versic. & idem videtur dicendum de campanis. volum. 1. part. 2. quidquid in contrarium dixerit Auend. de exequ. mandat. part. 2. cap. 10. num. 25. versic. & ob id sequitur.* Nam sententia Bertrandi verior est; quia expensa ista forensium utilitatem respicit secundariò, & per accidens. † Quia principaliter campanæ sunt institutæ ad conuocandum populum ad officia diuina, vel ad preces faciendas dum timentur tempestates, quæ à malis spiritibus sæpiùs excitantur: vt dicit Vgolin. *de Episcop. cap. 31. §. 1. num. 2.*
- Neque obstat quòd Natta *consil. 215. num. 7. & Gratian. discip. forens. cap. 84. num. 20. & 21. solùm eximant forenses à voluntaria Ecclesiæ reparatione, non autem à necessaria.*
9. Quia Doctores illi loquuntur de obseruantia & consuetudine, à qua non esse recedendum in hac materia, tradit idem Natt. *consil. 447. per tot.* Et quæ consuetudo viget in Italia, vt scilicet forenses indistinctè cum habitatoribus contribuunt, vt notat Pek. *in dicto tractat. de Eccles. reparat. dicto cap. 11. num. 5. & 6. & D. Bellus dicto consil. 28. num. 16.* vbi etiam loquitur de generali totius Galliæ consuetudine; nos autem loquimur in terminis iuris communis.
10. Quod autem attinet ad Parochum, certum est ipsum ad onus fabricæ eiusdem Ecclesiæ contribuere teneri, *cap. 1. & cap. de his. de Eccles. edific. & ibi DD. Cened. collect. 153. Ricci. collect. 492. part. 3.*
11. † Et generale est, vt quicumque percipit decimas, teneatur contribuere pro Ecclesiæ reparatione, Bouuot *en ses questions notables, part. 3. in verb. reparation d'Eglise, quest. 2. fol. 212. & part. 2. in eod. verb.*
12. *quest. 1. fol. 188.* fusè de hac materia D. Ludou. Bell. *consil. 144. Marta de iurisdic. part. 2. cap. 48. Surd. consil. 62. num. 23. Fusc. de visitat. lib. 1. cap. 10. num. 15. & Concil. Triden. sess. 21. cap. 7. & ibi Bar-*


*bofa, nec non dicta allegat. 64. par. 3. Tusch. in verb. fabrica, conclus. 3. Aufrer. ad decis. capell. Tholof. 499. l'apon. lib. 1. tit. 1. arrest. 14. & 15. Maynard, lib. 1. cap. 40. 41. & 42. Louet littera R. num. 50. Abb. quest. 3. in 6. dubio. Rip. respons. 26. & 68. Charond. lib. 1. respons. 67. Valasc. consult. 179.*

Et præmissa adeo vera sunt, vt compelli etiam <sup>13.</sup> possit Parochus ad dictam contributionem, per subtractionem decimarum, secundum Rip. *dicto resp. 26. num. 15. & resp. 68. per totum* in quibus locis tractat de Domino Præposito villæ Insulæ in Comitatu Venayssino, de quo etiam D. Ludou. Bell. *dicto consil. 144.* ad quos ego recurri, dum petitum à me fuit consilium per Dominos Consules & Communitatem prædictam: & secundum meum consilium fuit obseruatum, in nouæ Ecclesiæ ampla & magnifica constructione. Quoad tamen retentionem decimarum, contrarium, & meo quidem iudicio verius tenet Monet. *in tract. de decim. cap. 7. quest. 2. num. 41.* tum quia liquidi non datur retentio pro illiquido, tum etiam quia nemini licitum est sibi propria autoritate ius dicere.

Teneretur etiam Parochus contribuere in expensis <sup>14.</sup> constructionis, conseruationis, & refectionis campanarum; eodem modo quo in expensis fabricæ ipsius Ecclesiæ: text. est *in cap. final. de restam. vers. qua ornamentis, seu fabrica, luminaribus, sine alijs &c.* & in puncto Bertran. *d. consil. 53. num. 5. versic. & idem videtur. vol. 1. part. 2.*

Sed difficultas superest, quomodo & pro qua por- <sup>15.</sup> tione Parochus ad dictas expensas contribuere teneatur. Vera resolutio est, quòd hac in re, in primis loci consuetudo attendenda est. Secundò, si de consuetudine non apparet, & Ecclesia habet redditus ad id destinatos, illi prius ad dictos vsus conuertendi sunt, & ad id cogendi qui fructus perceperunt. Tertio, his cessantibus, Rector & qui decimas percipiunt, pro rata contribuere tenentur. Quarto, ex generali consuetudine & ex æquitate, Rector ad præbiterij reparationem, populus verò ad nauim Ecclesiæ contribuit; ita vt præbiterium dicatur quidquid est in fornice, vbi præbiteri remanere solent, quæ omnia explicat D. Ludou. Bell. *d. consil. 144. per tot.* De his videndum est Concil. Triden. *sess. 21. de reform. cap. 7. Fusc. de visit. lib. 1. cap. 10. num. 15. & 16.* Vbi dicit quartam fructuum partem reparandis Ecclesijs destinam esse. Quòd si fructus alimentis Parochi non sufficiant, Parochianos ad id esse cogendos. Cætera tractant DD. in locis superius citatis.

Hoc vltimo loco notandum est; Parochum, si in <sup>16.</sup> Ecclesia Parochiali nulla adsit campana, teneri ad illius constructionem & applicationem: quia de iure exigitur, vt in omnibus Ecclesijs Parochialibus vna saltè adsit campana. Ioan. de Selua *in tract. de benefic. quest. 5. num. 82 Fusc. de visit. lib. 1. cap. 14. num. 5.* Sed tamen in his omnibus, multum potest consuetudo, vt sæpè dictum fuit.



## CAPVT XXXIX.

De quadam transactione inita inter Parochum & populum, tam super solutione decimæ, quam super reparatione Ecclesiæ, cereis, luminaribus, ornamentis Ecclesiæ, sumptibus Prædicatoris, epulis quas defructus vocant, & alijs similibus expensis.

S V M M A R I V M.

1. Parochus habet intentionem fundatam in perceptione decimarum, ex omni genere fructuum, in tota parochia.
2. In materia decimarum, consuetudo est præcipue attendenda.
3. Consuetudo eximit parochianos à solutione decimarum de certis fructibus.
4. Reparatio Ecclesie cathedralis spectat ad Episcopum.
5. Fabrica & reparatio inferiorum Ecclesiarum, ad quem spectet.
6. Consuetudo attendi debet circa expensas reparationis Ecclesie.
7. Prædicatoris expensam quis soluere teneatur: & num. 12. Lampadem ardentem coram sanctissimo Sacramento quis manūtenere debeat. Ibidem.
8. Præbiterium cuius sumptibus reparandum.
9. Ornamenta Ecclesie quis facere teneatur.
10. Reparare seu reficere, & readificare, multum inter se differunt.
11. Observantia interpretatiua quid possit, & an debeat esse præscripta.
13. Consuetudo non valet, quod Rector Ecclesie non teneatur per se, vel per aliorum prædicare.
14. Qui per substitutum aliquid facere potest, teneatur illud facere suis sumptibus.
15. Prædicatores verbi Dei, possunt petere sibi solui eleemosinam solitam.
16. Populus cogitur consueta seruitia prestare.
17. Decennalis præstatio populum obligat ad soluendum in futurum.
18. Populus non tenetur soluere salarium, seu eleemosinam consuetam Prædicatori; sed duntaxat alimenta, cessante consuetudine in contrarium.
19. Dictio Gallica Entreenemant, quid comprehendat.
20. Consuetudo qua Parochus tenetur ad epulas & conuiuia, utrum debeat observari.

Super interpretatione & obseruatione transactionis, inter Parochum & parochianos olim initæ, requisitus fui, vt pro veritate iudicium meum ab vtraque parte obseruandum interponerem: vnde super primo illius capite quo conuentum fuerat, Quod licitum erit Domino Priori percipere decimam consuetam, veluti vigesimam octauam partem granorum bladi, filiginis, &c. Dixi casum solutionis decimæ de vino & aliis rebus in transactione minimè comprehensis, remanere in dispositione iuris communis: † & ideo Priorem habere intentionem fundatam in iure, quod de omnibus terræ fructibus & prouentibus decima soluenda sit, cap. non est. cap. nuncios. cap. ex parte, le 2. & alibi passim, extr. de decim. Vnde cessante transactione, consuetudine, vel præscriptione legitima, solui debet decima de omni frumento, grano, palea, & aliis de quibus per Monet. in tract. de decim. cap. 4. num. 2. & seq. adeo vt nihil probare teneatur Parochus, cum eius intentio sit fundata in tota parochia, Postius de manūten. obseruat. 45. num. 43. vbi plures Rotæ decisiones allegat. † Sed tamen in hac decimarum materia, multum attendenda est consuetudo: cap. in aliquibus §. fin. cap. commissum. cap. cum sint homines. cap. ad Apostolica extr. de decim. Rot. decis. 333. num. 4. part. 5. recent. vbi plures aliæ decisiones, & iura allegan-

tur. Quod tam in prædialibus, quàm personalibus decimis locum habere declarat Monet. in tract. de decim. cap. 5. num. 87. & 94. † vbi ostendit valere illam consuetudinem, vt ex certis fructibus veluti oleo, vino, fæno, & similibus nulla soluiatur decima.

Quæ Consuetudo sufficit, quod sit quadraginta annorū, vt per Eundem n. 103. Quamuis si ageretur de vna Ecclesia ad aliam, sufficeret spatium decem annorum, Rot. d. decis. 333. n. 5. par. 5. recent. quia hoc casu consuetudo non est iuri contraria, sed præter ius.

Et ex his Censui, quod si populus probaret consuetudinem nullas decimas soluendi de fructibus in transactione minimè designatis, non tenebatur in futurum de illis soluere; sin minus, ad solutionem cogendus erat in fauorem Parochi: & quod totum hoc ad consuetudinem reducendum erat.

Secundo transactionis capite conuentum erat, quod mediante summa duodecim librarum singulis annis per Priorem soluenda, in manibus operariorum seu matriculariorum dictæ Ecclesie, ipse esset immunis ab omni expensa luminarium, lampadum, cereorum, candelarum, faciæ, ornamentorum, reparationum Ecclesie, campanarum, cordarum, & ab intertenimento Prædicatoris tempore Quadragesimæ. Ex quo quæsitum fuit, utrum populus teneretur ad reparationem Ecclesie, præbiterij ipsius, fontium baptismalium, sacristiæ, cathedræ seu pulpiti pro Prædicatoribus necessarij, & similibus.

Dixi quod si actum fuisset de Ecclesie cathedralis reparatione, ad illam Episcopus regulariter teneretur, cessante consuetudine in contrarium, Rot. decis. 627. part. 1. recent. Fusc. de visitat. lib. 1. cap. 10. num. 15. † Sed quia agebatur de Ecclesia inferiori, cessante consuetudine vel transactione, ad onus reparationis teneri illos qui beneficia possident, cap. 1. & cap. de his. extr. de Eccles. adificand. & ibi DD. Et quicumque percipit decimas tenetur ad Ecclesie reparationem, Abbas quæst. 3. in 6. dubio. Rip. respons. 26. & 68. Charond. lib. 1. resp. 57. Bouuot, part. 3. in verb. reparation d'Eglise, quæst. 2. & dixi cap. præcedenti num. 11. † Sed dum adest consuetudo in contrarium, vel transactio, prout in casu isto; ad illam recurrendum est; Rip. d. respons. 68. num. 3. versic. item procedit. Surd. consil. 62. num. 16.

Et quod dictum fuit de reparatione Ecclesie, eodem modo dici debet de sumptibus pro Prædicatore faciendis, & pro lampade ardenti ante sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, Surd. d. consil. 62. num. 17. Qui tamen subdit num. 18. post. Rip. respons. 27. num. 4. non sufficere quod aliqui particulares, actus illos ex deuotione fecerint: nisi hoc factum fuerit animo consuetudinem inducendi, sciente & patiente vniuerso populo: ad notata per DD. in l. 2. Cod. que sit long. consuetud.

Et propterea si populus aliàs fecisset construi & reparari præbiterium, & tamen Priorem interpellasset ad contribuendum in sumptibus operis; expensa illa per populum facta non noceret: quia non fuisset facta animo releuandi Priorem, maximè si doceatur quod aliàs Prior, pluribus & diuersis vicibus talem expensam sustinere solitus fuit. Rip. dict. resp. 26. num. 4. & 5.

Idem dicendum est de ornamentis pro seruitio Ecclesie, & cultus diuini necessariis; vt sunt pluuialia, calices & similia, sine quibus diuina officia celebrari nequeunt: cum ista à pari procedant cum expensa reparationis Ecclesie. Et sicut illi qui decimas percipiunt, ad Ecclesie refectionem tenentur, vt mox dictum est; ita & ad istas expensas tam ornamentorum, quàm aliarum rerum similibus, cessante

sante videlicet transactione, vel consuetudine in contrarium: *Surd. d. consil. 62. numer. 5.* In casu autem proposito, verba transactionis erant clara, quod Prior mediante summa duodecim librarum annis singulis persoluenda, erat immunis ab ista expensa ornamentorum, candelarum, & reparationis Ecclesiae; unde nullus erat relictus dubitandi locus.

10. Aduertendo tamen quod verba transactionis loquentia de reparatione Ecclesiae, non debebant extendi ad casum necessariae reaedificationis: nam verbum *reparare* seu *reficere*, valde differt à verbo *reaedificare*, seu de nouo facere, *l. 3. §. enimvero, & §. reficere. ff. de itinere actiue priuat. l. 1. §. deinde. ff. de riuis. l. 1. §. 1. ff. de via publica.*
11. Quod si aliqua alia dubitatio circa transactionis verba occurreret, Dixi ad obseruantiam recurrendum esse, quae consuetudine fauorabilior est; cum obseruantia illa sit interpretatiua mentis contrahentium in casu dubio: nam illa nihil operatur in claris, *l. continuas. §. cum ita. ff. de verb. obligat. Rot. decis. 636. numer. 9. & seq. part. 1. recent. & decis. 261. numer. 4.* Nec requiritur quod fuerit praescripta, imò sufficit quod aliquando ita fuerit obseruatum, *Rot. decis. 49. numer. 6. ead. part. 1.*
12. Sed quod attinet ad salarium seu eleemosinam Praedicatoris, Censui, cessante consuetudine, populum ad illud minimè cogi posse: cum verum sit, semota transactione, vel consuetudine, expensam tam salarij quam alimentorum Praedicatoris spectare ad eum, qui habet curam animarum: tenetur enim ipse populo verbum Dei praedicare, *Clem. dudum. circa medium*, & ibi not. *Cardin. in versic. verum. de sepult.* Quia praedicare, est officium Curae, vt dicit
13. Abbas *in cap. quod Dei. de stat. monach. numer. 2.* † Adeo vt consuetudine induci non possit, vt Rector Ecclesiae per se, vel per alium praedicare non teneatur. *Rip. dict. resp. 26. numer. 44. Surd. de alim. tit. 1. quest. 59. numer. 7. & 8.* quod in Concil. Trident. statutum est, *sess. 24. cap. 4. de reform.* his verbis, *per Parochos siue, ijs impeditis, per alios ab Episcopo deputandos.* Cum ergo munus praedicandi spectet ad Parochum, sequitur ipsum teneri suis sumptibus
14. Praedicatorem alere: † quia dum is, ad quem pertinet actus, illum per substitutum peragere potest; tenetur id facere suis sumptibus: & probatur per text. *in l. sed si hereditas. §. 1. ff. ad exhib. & in cap. inter cetera.* Ibi *Quibus ipsi dum indigerint, congruè necessaria subministrant. extr. de offic. ordin. & ibi tradit Abb. & Surd. d. quest. 59. numer. 7. 8. & 9. Ricc. in prax. for. Eccles. decis. 536. numer. 1.*
15. Supradicta procedunt in alimentis Praedicatoris; sed quid dicendum de salario seu eleemosina Praedicatori dari consueta. *Surd. consil. 254. per tot. & maxime numer. 24. & 25.* existimauit Praedicatorem non posse aliquid pro salario exigere, citra vitium simoniae: sed tamen verius videtur, quod per modum eleemosinae illi qui Praedicatori illam praestare soliti sunt, in futurum etiam cogi possunt; vt existimauit sacra Cardinalium Concilij interpretum congregatio, vt refert *Barbos. in decis. Apost. in verbo, Praedicator, collect. 592. numer. 14.* † Sicut videmus in simili, populum ad consueta seruitia praestanda cogi posse, *Bart. in l. priuilegia. Cod. de sacros. Eccles. O. sac. decis. 99. numer. 20. & 21.* † adeo vt decennialis praestatio sufficiat, ad obligandum populum ad continuationem eleemosinae *O. sac. d. decis. 99. numer. 17.* *Couar. lib. 1. variar. resol. cap. 17. numer. 3.* & bene comprobatur Excellentiss. I. C. inter Romanae curiae Advocatos nemini secundus, D. Paulus Ranuccius in suo eruditissimo responso relato apud *Cens. in tract. de*


*censib. quest. 81. numer. 15. versic. secundò quia.*

His ita constitutis, deueniendo ad resolutionem propositae quaestionis, Dixi populum vigore transactionis ad alimenta Praedicatoris esse obligatum; sed ad illius salarium nec de iure; nec ex conventionem teneri.

De iure quidem, quia posito quod populus, cessante consuetudine, ad alimenta Praedicatoris teneretur; non tamen ideo ad eius salarium cogi posset: tum ex traditis per *Surd. d. consil. 254. à numer. 25. ad finem.* vbi in propriis terminis hanc quaestionem tractat, & ostendit quae sint ad inducendam consuetudinem necessaria in casu isto: tum etiam, quia saepe in supremis tribunalibus decisum fuit, vt populus ad alimenta quidem, sed Prior seu Parochus ad salarium Praedicatoris teneatur, teste *Maynard. lib. 1. cap. 38.* vbi ita in casu occurrenti seruandum ait.

Ex verbis autem transactionis, populus obligatur duntaxat ad alimenta Praedicatori praestanda, non autem ad salarium, quia verbum illud in transactione positum *entretenemant*, sola alimenta comprehendit, nempe cibaria, victui, cultuique necessaria, quae sub illa Gallica nomenclatura non ineptè exprimi testatur *Ioan. Philipp. Gallus Mospelien- sis resp. 43. numer. 18.*

Fuit etiam in eadem causa vltimo loco dubitatum, quid statuendum esset de consuetudine conuiuij, singulis annis populo per Parochum seu Rectorem praestandi, an posset ad illius obseruationem cogi; In primis enim consuetudinem illam in supremis tribunalibus reprobata fuisse, tanquam abusiua, testatur *Charond. lib. 7. respons. cap. 79.* Deinde verò contrarium fuit ordinatum, & Parochus ad illius conuiuij praestationem continuandam coactus: addit, ad *Pap. lib. 1. tit. 1. arrest. 3.* iura siquidem illa conuiuiorum seu festagiorum inter Ecclesiasticos, aut etiam alicuius parochiae habitatores, pluribus supremarum Curiarum arrestis comprobata fuere; eo quod ad fouendam inter eiusdem conditionis homines amicitiam plurimum conducant; teste *Bleyn. in tract. de benef. lib. 1. tit. 11. numer. 47. in gloss. R. fol. 169.* *Chopin. de sacra polit. lib. 3. tit. 4. numer. 12.* vbi testatur demandatam esse horum conuiuiorum continuationem, moderatione sumptus, & sacrae scripturae assidua lectione temperatam. De simili quaestione in vtramque partem, licet in alio casu, agit *Bellam. consil. 31. versic. secundò, de prandio videamus.* vbi loquitur de consuetudine Ecclesiae Rothomagensis, quod omnes Episcopi suffraganei ante receptionem tenerentur dare vnum bonum prandium Archiepiscopo, & capitulo. Alios citat *Barbosa. in cap. Iacobus. de Simon.*



## C A P V T X X X X.

Ex quibus probetur beneficium esse Regulare. Electiua beneficia quaedam collatiua, alia confirmatiua, quaedam simpliciter electiua, & quis inde resultet effectus. De consensu collatorum praestito ex interuallo; & de possessione non capitulariter capta. Processuras in forma dignum arbitramur non esse adhibendas in prouisionibus Ordinariorum. Religiosi quando curam animarum exercere possint per seipos.



S V M M A R I V M.

1. Omnia beneficia præsumuntur secularia.
2. Beneficium esse regulare, probatur ex enunciatiuis plurium instrumentorum
3. Collationes beneficij tanquam regularis facta, non probant qualitatem beneficij regularis; nisi probetur ipsas effectum fuisse sortitas.
4. Status beneficij non mutatur nisi spatio quadraginta annorum, cum alijs requisitis.
5. Quod maximè procedit, quando non agitur de quasi possessione, sed de pertinentia collationis.
6. Beneficium electiuum quando dicatur collatiuum.
7. Quomodo differant beneficia electiua simplicia, collatiua, & confirmatiua.
8. Quando Ecclesia dicatur viduata, ad hoc ut fiat electio simplex iuxta formam c.p. quia propter. de elect. nempe per scrutinium, compromissum vel inspirationem.
9. Quis sit effectus triplicis differentia beneficiorum electiuorum in Gallia.
10. Referuntur DD. de beneficijs electiuis agentes.
11. Quando sunt plures collatores, sufficit collatio vnus subsequente aliorum consensu.
12. Quo remedio vtendum, quando possessio non fuit capta capitulariter.
13. Prouisus ab Ordinario non tenetur ad forma dignum.
14. Qua sit pœna professionis fidei non facta intra bimestre, ex Regia ordinatione.
15. Religiosi possunt curam animarum exercere in Ecclesijs ab eorum monasterijs dependentibus, aut qua sunt illorum membra.

Variis super collatione cuiusdam prioratus, cui cura animarum imminebat, exortis difficultatibus; per Canonicum regularem ordinis Sancti Augustini de eo prouisum; & communicato cum viris doctis negotio, fuimus eius qui sequitur voti: In primis beneficium illud non sæculare esse, sed omnino regulare. † Quia licet de iure omnia beneficia sæcularia præsumantur, iuxta primæuam illorum à B. Petro Apostolo, qui sæcularis erat, institutionem; Mascard. consil. 172. incip. Beneficium regulariter. num. 4. Tamen in casu proposito constabat beneficium illud ab omni tempore Canonicis regularibus, nunquam verò sæcularibus, fuisse collatum. Quod probabatur per varias enunciatiuas antiquissimas diuersorum instrumentorum à diuersis personis & in diuersis scripturis, ac diuersis temporibus emanatas:

1. † Quod sufficit ad probandam qualitatem beneficij regularis, Rot. decis. 163. num. 2. par. 1. recent. Puteus decis. 209. incipit, In vna Bononiensi. lib. 2. & decis. 405. num. 3. eadem parte 1. Iunctis potissimum pluribus eiusdem beneficij collationibus, tanquam de regulari; † dummodo probetur illas fuisse effectuatæ; id est, quod prouisi in effectum, fecerint actus possessorios in huiusmodi beneficio, Ludouil. decis. 482. num. 8. Et licet producantur aliquæ prouisiones per Episcopos in fauorem personarum sæcularium factæ, non constabat de legitimo temporis intervallo ad mutandum † statum beneficij nempe de spatio quadraginta annorum, cum alijs requisitis de quibus alio loco agemus. Rot. decis. 188. num. 1. part. 1. recent. & d. decis. 163. num. 3. eadem parte 1. † Maximè quia hîc non agebatur de quasi possessione conferendi, sed de pertinentia collationis, & de statu beneficij, vtrum sæculare esset, an regulare: quo


casu non inspicitur sola quasi possessio cõferendi, Ludouil. decis. 112. n. 3. in fin. Rot. dec. 737. par. 2. recent.

Secundò, fuit conclusum beneficium de quo agebatur, potius esse collatiuum, quàm electiuum. Quia † constabat nominationes capitulares absque aliqua Superiorum confirmatione, per plures annos fortitas fuisse effectum, & executioni demandatas: ex quo sine dubio resultat status beneficij collatiuus; nam in electiuis necessaria est superioris confirmatio, & illa deficiente, beneficium dicitur collatiuum: quia nominatio capitularis habet vim prouisionis, & collationis, Nic. Garc. de benefic. part. 1. cap. 6. num. 23. Barbof. de iur. Eccles. lib. 1. cap. 19. num. 40. † Si quidem beneficiorum quæ per electionem deferuntur, tres sunt species. Quædam sunt quæ electiua confirmatiua nuncupantur, eo quod indigeant confirmatione. Alia sunt electiua collatiua, quorû nominatio ad capitulum, & prouisio ad superiorem spectat. Tertia species est eorum quæ merè sunt electiua, in quibus prouidetur Ecclesiæ quasi viduata, iuxta formam capir. quia propter. de election. quæ non habet locum in beneficijs inferioribus, nec in dignitatibus, per quarum vacationem Ecclesia non manet viduata pastore: vt ostendit Barbof. in d. cap. quia propter. 32. num. 8. In his enim sufficit solus consensus capitularium legitimè congregatorum; cum in alijs, quando scilicet Ecclesia manet viduata, † (quod accidit in electionibus Episcoporum & aliorum Prælatorum Ecclesiarum collegiatarum, in dictis Ecclesijs collegiatis generalem iurisdictionem habentium, nec non in electione Prælatorum regularium, Rot. decis. 312. num. 10. part. 4. recent. tomo 2. post Abbat. in d. cap. quia propter. num. 7. versic. circa istam partem primam.) debeat ad vnguem forma ibi præscripta obseruari, alias electio sit nulla. Rot. decis. 574. num. 2. & per totam. par. 4 recent. tomo 3. Debet ergo fieri electio per scrutinium, vel compromissum, aut inspirationem; vt habetur in d. cap. quia propter. † Huius distinctionis maximus est effectus, nam tertij generis beneficia in Gallia Regias nominationes admittunt; alia non item: in electiuis collatiuis admittunt Galli Pontificiam præuentionem, non autem in confirmatiuis; teste Bley. de benefic. cap. vlt. num. 47. in glos. O. Chopin. de sacra polit. lib. 1. cap. 2. num. 1. 2. 3. 4. de his etiam Peleus lib. 1. action. forens. 44. & actio. 5. † Et plurima de beneficijs electiuis Gonzal. ad regul. 8. glos. 19. Franc. Marc. decis. 90. maximè num. 6. par. 2. Codex. Fabrian. lib. 1. tit. 2. definit. 44. Lotter. de re benefic. libr. 2. quæst. 16. numero 10. & seq.

Cum ergo beneficium, de quo agebatur, esset electiuum collatiuum, diximus sufficere, quod consensus capituli postea accedat collationi factæ per Decanum. † Quia quando sunt plures collatores, si vnus solus conferat, & alij tacitè vel expressè consentiant; collatio remanet valida: quia alij collatores cedunt iuri suo pro illa vice. Rot. apud Put. decis. 124. & 190. num. 3. lib. 3. Achill. de Grass. decis. 4. de præbendis. Rota coram Orano apud Garf. de benefic. part. 5. cap. 4. num. 42. & 43.

Quia verò prouisus possessionem capitulariter non acceperat, casu quo dictus prioratus haberet annexam vocem in capitulo, remedio hoc vtendum esse censuimus: nempe procurandum vt possessio expressè vel tacitè à capitulo approbaretur, prouisum hunc ad actus capitulares admittendo tanquam dicti beneficij possessorem. Rot. decis. 91. num. 6. part. 1. recent. adden. ad Ludouil. decis. 364. num. 6. versic. tertio non procedit.

13. Tertio loco conclusum fuit, non teneri prouisum istum ad processuras illas, quas *forma dignum* vocant: quia prouisus ab Ordinario, censetur ab eo cognitus, eiusque illi mores & qualitates ac capacitas perspectas; idè in similibus Ordinarij collatoris prouisionibus, nullum aliud simile examen requiri tradit Ioan. Selu. *de benef. part. 3. quest. 12. num. 19.* Rot. apud Nicol. Garl. *de benef. part. 5. cap. 4. num. 43.* vbi loquitur de prouisione facta per capitulum, & *part. 6. cap. 2. num. 230.*
14. Quartò dictum fuit quod Regia Caroli 9. Blesensis ordinatio. *artic. 10.* circa fidei professionem edita, non priuat possessores beneficij ob non factam dictam professionem intra duos menses, post adeptam pacificam & non litigiosam possessionem; sed duntaxat fructibus contravenientes carere vult. Quod etiam conforme est Eminentissimorum Cardinalium Concilij Tridentini interpretum declarationi, ad *sess. 24. cap. 12.* Barbol. *in decis. Apostol. collect. 611. num. 7. & 8. & 9.* Vbi quòd nec priuatur quis distributionibus quotidianis, nec effectibus alijs possessionis, veluti voce in capitulo, & similibus, ob non emissam intra bimestre professionem fidei. Idem *de iure Eccles. vniuers. lib. 1. capit. 21. numero 71. & seq.*
15. Quintò, diximus nullum esse dubium, quin prouisus iste curam animarum per se ipsum exercere possit: nam omisâ illâ quæstione de qua alio loco agemus, vtrum Canonici regulares cum licentia solius Abbatis, beneficium seculare curam animarum annexam habens possidere queant; in casu proposito res difficultate caret, cum agatur non de beneficio curato vnito ipsi Monasterio; sed de beneficio à prioratu dependente, tanquam membrum dicti prioratus; quo casu Rector per se ipsum deseruire debet. Anchar. *in Clem. de offic. Vicar. num. 4. versic. datio autem huius Vicarij.* Garc. *de benef. part. 10. cap. 2. num. 14.* Vbi dicit, quòd in Parochialibus quæ non sunt vnite monasterijs; sed sunt eorum membra, aut quomodocumque dependentes, non deputatur Vicarius: atque ita declarauit Congregatio, & sine vlla controuersia seruatur in praxi.



## CAPVT XLI.

Quomodò procedendum sit in causis criminalibus contra Religiosos. Quis sit eorum iudex competens. Quando in forma iudicij procedendum sit, & vtrum religiosus possit ab Abbate Generali ad loca remota citari, & alia multa referuntur quæ modum procedendi inter Religiosos respiciunt.

## S V M M A R I V M.

1. Si ex statutis Religionis Collegæ cum capitulo procedere debeant, processura per solos Collegas facta nulla est.
2. Citatio adhiberi debet in causis religiosorum, aliàs processura non valet.
3. Substantia iudicij in causis regularium seruanda est.
4. Non tamen cum tanto rigore prout inter seculares.

5. A Prælati regularibus appellari potest, si excedant modum Ecclesiastica disciplina.
6. Testium nomina inter religiosos in causis grauibus edenda.
7. Citationis quæ sit forma dum citantur regulares.
8. Duplex modus procedendi Superiorum regularium, & quæ in vtraque forma seruanda.
9. Quomodò superior regularis sine citatione procedere possit in delictis notorijs.
10. Notorium crimen quod dicatur.
11. Ad excludendum notorium sufficit causa colorata.
12. Notorium facti transuentis indiget probatione.
13. In delictis notorijs requiritur cause cognitio, quando proceditur contra absentem.
14. Fugitiuus non dicitur qui recedit ex iusta causa metus, vel inimicorum.
15. Fuga post formatam inquisitionem non facit iudicium.
16. Sententia contra contumacem potius presumitur lata ob contumaciam, quam ob delictum. Ex plura de sententia contumaciali, num. 17. 18. 19. 20. & 21.
22. Inimicitia causa sufficiens oritur, quando in vniuersitate adsunt due factiones contrariae.
23. Religiosi in prima instantia non sunt ad loca remota trahendi.
24. Citatus personaliter ad loca remota excusatur, si equitare nequeat, aut alia iusta de causa.
25. Quando Abbas iudicialiter aut extraiudicialiter contra monachos agere teneatur.
26. Abbates non quidem à iure, sed in vim privilegiorum procedunt contra monachos, etiam in forma iudicij, & in delictis quæ sunt contra communem conuersationem.
27. Exceptio incompetentiæ proponi potest coram iudice requisito aduersus requirentem, & ab huius exceptionis reiectione datur appellatio. num. 28.

Processuræ criminales factæ contra quendam religiosum Sacerdotem, sustineri non poterant propter defectum insanabilem iurisdictionis: cum ex statutis & constitutionibus ordinis illius, causa criminalis de qua agebatur, non per solos tres collegas sed per ipsos vnà cum capitulo cognosci & terminari deberet. † Ideo cum Collegæ ad actus substantiales iudicij, soli & sine capitulo processissent, citatio & omnia inde secuta apertâ nullitate scatebant, vnt *de nullit. ex defect. iurisdic. ordin. num. 175. & 176.* Vbi ostendit, quòd si plures sint iudices ordinarij, vel delegati, & vnus procedat sine alio, nulliter procedit.

Secundus defectus processuræ consistit in citatione, cum procedi non posset etiam inter religiosos contra non citatum: quia sublata citatione, tollitur substantia iudicij, & facultas defensionis quæ nemini deneganda est. *l. defensionis facultas. Cod. de iur. fisc. lib. 10.* Citatio enim cum sit de iure naturali, *clem. pastoralis. §. cæterum. de re iudic.* non debet denegari etiam in causis religiosorum: Eman. Roderic. *quest. regul. tom. 2. quest. 18. artic. 3.* Vbi quòd licet reus non sit citandus, quando aduersus eum formatur inquisitio; tamen dum ad vltiora in negotio proceditur, debet omninò citari, & in suis defensionibus audiri. † Nam licet in similibus religiosorum causis procedatur summarie, simpliciter & de plano; tamen in illis obseruari omninò debent substantia iudicij: vt testatur idem Roder. *tom. 2. quest. 3. artic. 1.* † Non tamen rigide modus iudicialis in istis obseruandus

- seruandus est, vt dicitur *in cap. qualiter & quando*.  
 24. *in fin. ext. de accusat. & in cap. per tuas. 32. §. fin.*  
 5. *ext. de simonia.* † Potest nihilominus in illis causis appellari, quando Prælati excedunt modum religiosæ disciplinæ; dumtmodò in appellatione exprimat<sup>r</sup> causa grauaminis: vt copiose explicat Sanchez  
 6. *in præcep. decal. lib. 6. cap. 8. a n. 105. ad 111.* † Et nomina testium in causis criminalibus grauib<sup>us</sup> edi debent reo religioso (excepto crimine hæreseos, in quo procedunt Inquisitores: ) quo faciliùs defension<sup>es</sup> suas proponere queat, teste Roder. *d. tom. 2. q. 3. artic. 1. in fin.* Hieron. Roder. *resol. 42. num. 35.*  
 7. Citatio autem ista quæ fit inter religiosos, non debet fieri secundum stylum ordinarij iudicij: sed more religiosorum, id est, per literas Secretarij Abbatis, Prouincialis, aut Generalis ab illis subcriptas, & in rei manibus positas: vt idem Hieron. Roder. testatur *resolui. 44. num. 2.*  
 8. Hæc vera sunt, quando Superior regularis procedit in forma iudicij, & tanquam Prælat<sup>us</sup> ad punitionem delicti; secùs si procedat tanquam pater ad nudam morum correctionem, secundum formam regulæ: tunc enim nullæ iuris solemnitates exiguntur, ex Eman. Roderic. *d. tom. 2. quæst. regul. quæst. 3. artic. 1. in princip.* Cùm igitur aduersùs religiosum illum, ad delicti punitionem ageretur; sequitur necessariam omninò fuisse illius citationem: & eà omisâ, omnia nulla esse & inualida.  
 9. Et quamuis diceretur agi de delicto notorio, in quo nulla requiritur forma iuris; tamen id non subsistebat in iure, neque in facto. In iure quidem, quia licet contra religiosum possit Prælat<sup>us</sup> supremus, qualis est Generalis, procedere ad priuationem, in delictis notoriis grauib<sup>us</sup> sine citatione; hoc procedit quando notorie constat nullam delinquenti competere posse defensionem, & non aliàs: cessantibus enim illis circumstantiis, requiritur citatio, etiam si delicta prætenderentur notoria, Farin. *de delict. quæst. 21. numer. 70. & 78.* Hieron. Roder. *resol. 44. num. 1.*  
 10. In facto verò, quia factum prætensum non erat tale, quod notorium dici posset; cùm notorium illud dicatur, quod nulla excusatione vel tergiversatione celari potest; vt potè cuius vniuersus populus, aut maior eius pars testis esse queat: vt probat *text. in cap. cum dilectis ext. de purgat. canonic. cap. ex tua. & cap. fin. ext. de cohabit. cleric. & mulier. can. de manifesta. 2. quæst. 1.* Farin. *dict. quæst. 21. num. 4.* Tale autem non erat negotium de quo agebatur, imò scriptura illa super qua fundabatur notorietas, iam fuerat per D. Locum-tenentem ciuitatis Aquensis nulla & inualida declarata: vnde ex ea non poterat desumi notorietatis argumentum; † Cùm ad illam excludendam sufficiat aliquam coloratam exceptionem opponere, *cap. significauerunt. numer. 4. de testib. Crauet. consil. 299. num. 8.* Menoch. *remed. 1. recup. possess. n. 225.* Contard. *ad l. vnic. Cod. si de moment. possess. limit. 9. num. 29. & 31.*  
 12. Et casu quo factum esset notorium, illud non esset facti permanentis, sed potius transeuntis; cùm nulla post se vestigia relinquat: idè non poterat procedi, nisi præua probatione talis negotij cum cognitione causæ, Ioseph. Ludou. *decis. 67. num. 21.* Mascard. *de probat. conclus. 1106. num. 10.*  
 13. Imò in quocumque delicto notorio, quando Iudex procedit contra absentem, requiritur causæ cognitio, Boss. *in tit. quomodo proced. in crim. notor. num. 9. & 10.*  
 Similiter frustra opponebatur, hîc agi potuisse viâ facti; quia agebatur de religioso fugitiuo. Quia

nec istud in facto subsistebat, nam R. iste pater non aufugerat, nisi vt euitaret violentias, & recurreret ad locum tutum, & ad Superiores à quibus iudicari & corrigi poterat, si deliquisset: † Quo casu non dicitur fugitiuus. *l. quis sit fugitiuus ff. de Edictio edict. Sanch. in oper. moral. lib. 6. cap. 8. numer. 2.* Et cùm fuga ortum habuisset ex iusta causa metus, nempe quia habebat persecutores inimicos, qui cum eo contenderant pro munere P. adipiscendo; nullum ex eo otiri poterat indicium vel probatio, Paris. de Put. *in tract. de syndic. in verb. fuga officialis cap. 2. num. 1. & 3.* Ghirlan. *de relaxat. carcerat. in tit. de fuga carcerat. num. 11. in fin. & seq.* † Maximè verò, quia fuga non nocet, quando facta fuit post formatam inquisitionem, Peguer. *decis. 17. numer. 32.* Mastrill. *decis. 296. num. 25.* Cæsar. Caren. *de offic. inquisit. tit. 10. §. 11. num. 84.*

Et ex his constat inutiliter opponi, quòd d. R. P. tanquam contumax non debet audiri appellando à sententia aduersùs ipsum lata: quia cùm non teneretur comparere, vt demonstratum fuit, non potest dici contumax. † Et sententia illa potius ob contumaciam prætenfam, quàm propter delicti probationem lata præsumitur, Beltram. *ad decis. Ludouic. 371. num. 11.* † vnde statim per comparitionem rei, ad nihilum reducitur: vt dicitur ibidem post Dec. *in cap. ex literis. num. 42. ext. de constitut. Seraph. decis. 972. num. 20.* † Et ex huiusmodi sententia contumaciali sine probationibus lata, non dicitur constare de delicto, Marsil. *in praxi criminali. §. postquam. num. 48.* † de quo constare debet in actis per veras & legitimas probationes. Seraph. *decis. 354. num. 10. & seqq.* † Et testes debent formiter recipi, aliàs non impedit illorum receptio quin sententia dicatur contumacialis, Seraph. *dict. decis. 354. num. 10. versic. ex testibus informationis.* Roland. *consil. 29. numer. 31. volum. 3.* † Maximè si aduersùs testes dentur oppositio<sup>nes</sup>, veluti ob inimicitiam, aut aliam similem causam: Menoch. *de arbitrar. lib. 1. quæst. 28. num. 1. & casu. 110. num. 1.* Crescent. *decis. 3. de testib. num. 1.* † Vna autem ex causis inimicitia hîc concurrebat, quia partes erant diuisæ in duas factiones; ita vt qui erant vnus factionis, præsumantur malè affecti erga illos qui erant alterius factionis, præsertim aliis circumstantiis in facto interuenientibus: ex traditis per Peniam *in direct. inquisit. schol. 23. causa 16.* Verùm quia superiùs dictum fuit, Superiorem regularem duobus modis posse procedere; primò quidem iudicialiter, secundò verò sine forma & figura iudicij: operæ pretium erit scire, quando vno aut alio modo contra religiosos Abbas, aut alius Superior procedere possit. Et sane cùm in facti contingentia, monachus quidam suæ administrationis rationem redditurus ad partes admodum remotas extra Monarchiam citaretur, adhibitis etiã dicti Domini Abbaris litteris requisitoriis, Dixi præfatum religiosum ad locum illum accedere non teneri, nec executionem literarum rogatoriarum concedi posse; cùm non iudicialiter, sed extra iudicium pro sola morum correctione iuxta formam regulæ procedendum esset. † Quamuis enim religiosi Superioribus suis in omnibus obedire teneantur, non tamen possunt in prima instantia à Generali sui ordinis extra locum suæ habitationis euocari; sed imprimis coram suis Iudicibus ordinariis conueniendi sunt, ipsique Generales in secunda duntaxat instantia ius reddere debent, iuxta Concilij Tridentini dispositionem *in cap. causa omnes 20. sess. 24. de reformat.* Atque ita determinat Lauren. Portel; *in dubiis regul. in verbo Prælati potestas. num. 8.* ergo casu quo iudicialiter procedi posset,

adeundus erat ordinarius religiosi Iudex; cum non debeant religiosi, dum contra eos proceditur criminaliter, à propriis claustris euocari; sed ad eos mitti solent visitatores qui illorum delicta corrigant, & morès reforment; & hæc est generalis omnium ordinum consuetudo in iure fundata, qua semper citatis competit ius reuocandi ad domum suæ habitationis, l. 2. §. *legatis* & ibi Gloss. ff. *de iudiciis*.


24. Agebatur præterea de viro plusquam octuagenario, qui propter ætatis incommoda longissimum iter aggredi non poterat; & idè excusandus erat: prout in pari casu de eo, qui citatus erat ad comparandum personaliter coram summo Pontifice, & se non posse accedere respondebat propter infirmitatem, ob quam equitare non poterat, aut aliq̄ simili de causa tradit Calderin. *conf. 5. de dilation. per tot. Rebuff. in const. Re. tit. de excusat. tom. 3. num. 66. & 68.* Idque potissimum, quia nihil per religiosum istum gestum fuerat cuius reddendæ rationis actus facile per procuratorem expediti non posset: quo casu, non est necessaria personalis præsentia principalis. *DD. in l. fin. Cod. de procurat.*

25. Denique licet Abbas iurisdictionem habeat in monachos, vt illos visitare & corrigere possit; hoc tamen ita intelligendum esse dicebant aliqui, vt hoc fieret non per modum contentiosæ iurisdictionis, nec in figura iudicij; sed tantum extraiudicialiter, & iuxta formam regulæ tam procedendo, quam in decidendo: prout determinat Rot. Rom. *decis. 17. num. 2. part. 1. recentior. & decis. 15. eadem part. 1. num. 11. 12. & 13.* Vbi dicitur, quòd delicta monachorum duplici modo considerantur; aut vt propria ipsorum monachorum, aut vt communia, seu communem conuersationem offendentia. Primo casu, Abbas procedit secundum formam regulæ. Secundo casu, cognitio spectat ad Episcopum vt Iudicem ordinarium. Sed dum Abbas procedit propter inobseruantiam regulæ, procedere debet extraiudicialiter, & non per viam contentiosæ iurisdictionis, & hoc patet *ex text. in cap. fin. de statu monach.* Vbi dicitur, correctionem monachorum fieri debere per visitatores; qui si aliquem deliquisse repperint, id in primis Abbati illius loci denuncient: & ibi tradit Gloss. *in verb. per Abbatem loci*, qui textus nominatim loquitur de religiosi sancti Benedicti, dicens in his causis procedendum esse sine strepitu & figura iudicij, & per impositionem pœnitentiæ salutaris, iuxta text. & Gloss. *in cap. ad nostram. 3. ext. de appellat. Rot. decis. 20. num. 1. part. 1. in recent.*

26. Aduertendum tamen est, supradictas decisiones procedere quidem posse in terminis iuris communis: secus tamen est, attentis priuilegiis & exemptionibus concessis regularibus à summis Pontificibus; quarum virtute non possunt Ordinarij, Episcopi scilicet vel Archiepiscopi de causis regularium cognoscere, nec illorum delicta punire; sed cognitio etiam iudicialis hoc casu spectat ad Abbates, & alios Superiores regulares: vt notauit Marius Murta *deris. scil. 2. numer. 16. & seq. & copiose Tamburin. de iure Abbat. tom. 3. disputat. 5. quest. 11. per tot.*

Sed adhuc supradictæ doctrinæ casui proposito applicabantur, quia non agebatur de iurisdictionis contentione inter Ordinarium & Superiorem regularem; sed contendebatur duntaxat vtrum procedi posset in forma iudicij: cum aduersus monachum nihil prætenderetur, quod communem conuersationem offendere posset: sed agebatur tantum de inobseruantia regulæ, & delictis solos religiosos tangentibus contra monachum prætensis: & sic firma

remanebat regula in eo capite, in quo dictum fuit non posse Superiorem regularem procedere in forma iudicij: & sic malè fuisse petitum territorium, ad fines exequendi litteras requisitorias domini Abbatis: † & hanc exceptionem incompetentiæ Iudicis requirentis, rectè coram iudice requisito proponi potuisse, ex traditis per Menoch. *remed. 3. reuoc. possess. numer. 360.* † Et admitti debere appellationem, si ad vteriora procederetur; & per eam retardati debere executionem litterarum iudicis requirentis; Roland. *consil. 37. num. 4. volum. 1.* Quibus consideratis fuit dictus religiosus per Dominum Abbatem absolutus.



## CAPVT XLII.

De iurisdictione Episcopi erga regulares curam animarum exercentes. Et quibus pœnis plectatur Parochus absens sine licentia per Episcopum in scriptis data. Quomodo contra Parochum non residentem procedendum sit, & an requiratur trina monitio; an verò statim ad pœnam priuationis beneficij Episcopus procedere possit aduersus Parochum non residentem.

## S V M M A R I V M.

1. Episcopus procedere potest contra regulares curam animarum exercentes, in ijs que curam vel sacramentorum administrationem concernunt.
2. Ampliatur vt procedat etiam in dependentibus à cura: vbi ponitur exemplum.
3. Residentia est annexa cura animarum.
4. Quid sit obseruandum, quando Parochus vult abesse à sua parochia.
5. Que sit Parochi non residentis pœna, & cui, aut quomodo applicanda.
6. Vtrum Episcopus teneatur procedere precedente fructuum subtractione & excommunicatione, quando procedit contra Parochum non residentem.
7. Quomodo intelligenda sunt iura, & Rota decisiones, dum volunt requiri trinam monitionem, & Parochum per sex menses à die vltima monitionis esse expectandum, antequam ad priuationis declarationem deueniatur. Quid in Gallia.
8. Episcopus debet vicarium deputare in locum Parochi absentis, cum assignatione salarij.

Episcopus contra Canonicum regularem curam animarum exercentem potest procedere, & iudicare in omnibus ijs quæ curam concernunt, & ab illa dependent: cap. 1. §. *final. de priuileg. in 6.* & statutum est in Concil. Triden. *sess. 25. de regul. cap. 11.* Vbi dicitur, in monasterijs quibus cura imminet animarum personarum secularium; personas tam regulares quam seculares, curam huiusmodi exercentes, subesse immediatè in ijs quæ ad curam animarum pertinent, & ad Sacramentorum administrationem, iurisdictioni, visitationi & correctioni Episcopi, in cuius Dioecesi sunt sita. † Quod Concilij decretum non solum obtinet in iis, quæ directè curam anima-

- rum concernunt : sed etiam in dependentibus ab ea, & à Sacramentorum administratione : vt notauit Campanil. *in diuers. iur. canon. Rubr. 12. cap. 13. num. 51.* & ante eum Marius Antonin. *lib. 1. cap. 12. casu 50. prope fin.* Vbi propterea concludit, Canonicum regularem & curatum, suppositum esse iurisdictioni Episcopi, & puniendum esse ab ipso eo quod præmonitus noluit proficisci cum cruce ad Ecclesiam Cathedralē, vt deduceret crucem capituli ad locum ad quem eundem erat, iuxta constitutionem Synodalem : quia agebatur de iure sepulturæ & funeris quod dependebat ab Ecclesia curata, vnde idem ius statuendum asserit in dependentibus quod in principali, ergo multò magis potest Episcopus procedere contra canonicum regularem curam exercentem, qui in sua Parochia residere recusabat : †
3. cum residentia non solum dependeat à cura animarum, sed etiam illi sit connexa, & ab ea inseparabilis : fuse Barbof. *de offic. & potest. Paroch. cap. 8. per tot.*
  - Cùm autem Episcopus aduersus Parochum regularem procederet, tria capita in eius decretis examinanda proponebantur. Primum, circa præceptum factum Parocho de residendo, sub pœna priuationis fructuum. Secundum, circa præceptum de residendo, sub pœna priuationis beneficij. Tertium constitutionem Vicarij ad exercitium curæ in locum absentis continebat. Tria autem hæc præcepta, in iure
  4. fundata esse non erat dubitandum. † Nam quoad primum, certum est Parochum non posse abesse à sua Ecclesia, nisi interueniente iusta causa per Episcopum cognoscenda, & in scriptis concedenda : ita tamen vt duorum mensium spatium non excedat. † Si
  5. verò Parochus sine Episcopi licentiâ absit, non lucratur fructus sui beneficij, sed illi pijs operibus applicari debent, teste Nicol. Garc. *de benefic. par. 3. cap. 2. num. 23. & num. 179.* Quod Regiæ ordinationi conforme est, vt habetur apud Theueneau *lib. 1. tit. 8. art. 2. ordinat. Regiar.* Et est in arbitrio Episcopi, vtrum fructus illos fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus applicare velit, Garc. *vbi sup. num. 30.* intelligendo (vt ibi per eum) de pauperibus, vel fabrica illius Ecclesiæ : ita vt nullam possit Episcopus cum Parocho super fructibus illis amissis facere compositionem. Barbof. *de offic. Paroch. d. cap. 8. num. 68.* Garc. *d. num. 30.* Cùm igitur Episcopus simplex præceptum laxauerit, non potuit Parochus, cum quo gratiosè actum fuit, ab illo recurrere aut appellare, cum illud in iure & Concilio Tridentino fundatum, & Regiæ constitutioni cui in Gallia locus erat omninò conforme esset.
  6. Quod ad secundum caput attinet, non adest aliquod grauamen in eo : quia Episcopus non priuauit Parochum, quod facere poterat, etiam non præcedente fructuum subtractione & excommunicatione, teste Barbof. *de offic. Paroch. d. cap. 8. num. 74.* Mant. *decif. 67. num. 7.* Vbi dicit esse in electione Episcopi, an velit procedere præcedente fructuum subtractione, & excommunicatione ; vel, non seruata hac formâ, opportunis iuris remedijs ad priuationem aduersus non residentes : idque vigore Concil. Trident. *sess. 24. de reformat. cap. 12. versic. præterea.* Nam ex iuris communis dispositione, debuisset in primis procedi per censuras Ecclesiasticas, & sequestrationem, antequam procederetur ad priuationem beneficij : *cap. ex tue 11. §. 1. de clericis non resid.* debent etiam ex forma illius capituli præcedere tria edicta & expectari lapsus sex mensium ab vltimo edicto, Mant. *decif. 12.*
  7. Sed tamen eadem Rota Romana negotio exactè

discusso in *Teralbenf. Rectoria, anno 1619. coram Pirouano in recentior. par. 4. tom. 2. decif. 131. & 163.* Censuit processuras Episcopi non subsistere : quia Parochus cum non fuisset personaliter citatus, contumax dici non poterat, nec contra eum tanquam latitantem, vel fugitiuum seruata fuerat forma tradita per Concil. Trident. *sess. 24. de reformat. cap. 1.* incipiendo à censuris, deinde procedendo per fructuum sequestrationem, & subtractionem ; & super hoc allegatur decisio Eminentissim. Cardinalium Concilij interpretum : nec fuerat Parochus expectatus per sex menses, iuxta dispositionem *dicti cap. ex tue 11. vt habetur in d. decif. 131. par. 4. recent. tom. 2.* Quæ decisio fuit postea confirmata *decif. 163. eadem parte.* Sed istæ decisiones declarantur duplici conclusione.

Prima quando Parochus, aut alius beneficiatus est præsens, & personaliter citatus, vel monitus vt resideat ; tunc cum non possit excusari à manifesta contumacia, non requiritur trina monitio, sed vnica sufficit personaliter executioni demandata : neque opus erit hoc casu expectare lapsum sex mensium post intimationem, imò tempus erit arbitrium. Abbas *in d. cap. ex tue. num. 10. & 13. de cler. non residen.* Garcias *de benefic. part. 3. capit. 2. num. 155.*

Quomocumque se res habeat, Episcopus non grauauerat faciendo Parocho simplex præceptum ; comminatâ dumtaxat, sed non declaratâ priuationis pœnâ.


Secunda conclusio, quando beneficiatus est absens, vel non potest personaliter requiri seu citari ; hoc casu præcedere debet trina monitio, & postea sic monitus expectandus est per sex menses ; quibus elapsis, potest procedi ad priuationem. Ioan. de Selu. *de benefic. part. 4. quæst. 5. num. 3. versic. & istud tenendo, non obstat* Garc. *d. part. 3. cap. 2. num. 154.*

Fallit ista cõclusio, quando ille qui sic abest impedit ne personaliter citetur ; hoc enim impedimẽto probato, eodem modo proceditur contra eum per edicta, quo procederetur si personaliter posset apprehendi, vt probatur *in cap. quoniam frequenter. §. porro. & ibi DD. maxime Bald. num. 2. extra. vt lit. non contest.* Lotter. *de re benefic. lib. 3. quæst. 27. num. 92.*

Sed in vtroque casu, siue agatur contra personaliter citatum, siue in contumaciam aduersus absentem qui non fuit repertus, dependet ab Episcopi arbitrio vtrum velit procedere ad fructuum sequestrationem ; vel ad censuras ; an verò per viam priuationis inchoare præcedentibus monitionibus iuxta distinctionem mox allegatam requisitis : ex traditis superioribus *num. 6.* Et determinat Lotter. *d. lib. 3. quæst. 27. num. 15.* Coccin. *decif. 10. num. 5.*

In Gallia verò, negligentia Diocesanorum causam dederat artic. 5. edicti Aurelianensis, quo annotandorum fructuum potestas data erat aduersus non residentes : sed edicto Blesensi *artic. 15. & 16.* temperamentum adhibitum fuit, vt non nisi consulto Episcopo annotare liceat : vt tradit additio marginalis ad Seluam *d. quæst. 5. in princip.*

Tertium decreti caput nullum quoque grauamen continebat ; cum de iure, absente Parocho, spectet ad Episcopum Vicarij deputatio, cum assignatione salarij competentis : vt restatur Barbof. *de offic. & potest. paroch. d. cap. 8. num. 52. & 64.* Ioan. de Selu. *de benefic. part. 4. cap. 5. num. 2. & versic. hęc tamen & similibus.*



## CAPVT XLIII.

Confraternitates laicorum in Ecclesiis fundatæ, possunt liberè illas Ecclesias dimittere, & ad alias se transferre; sicut & confratres ad aliam confraternitatē, priorēque ad libitum relinquere, quæ non potest ad funus confratris recedentis accedere, maximè inuitis hæredibus. Translatâ autem confraternitate, quid fiet de elemosinis & foundationibus consuetis.

## S V M M A R I V M.

1. *Vasa sacra certæ Ecclesiæ addicta, ad alia transferri non possunt, vel alienari.*
2. *Res sacra potius intuitu Ecclesiæ in dubio data censentur.*
3. *Receptio ad confraternitatem neminem obligat, & est merè voluntaria tam respectu confratrum, quàm respectu Ecclesiæ; & in hoc non datur mandatū de manutenendo.*
4. *Confratres liberè possunt recedere à confraternitate, dummodo nihil de bonis ipsius retineant.*
5. *Corpus confraternitatis non est annexum Ecclesiæ, & cum ea nihil habet commune.*
6. *Canonici sunt vnum corpus cum Ecclesiâ, & monachi cum monasterio.*
7. *Confraternitatum nec persona loco, nec locus personis vnitus est.*
8. *Ecclesiastici possunt liberè dimittere confraternitates.*
9. *Spiritualis coniunctio confraternitatum cum Ecclesiâ durat quandiu in ea confraternitas remanet.*
10. *Confraternitates non possunt accedere ad funera nisi expressè vocentur.*
11. *Si quis à prima confraternitate ad secundam accesserit; funus, secunda; non autem prima confraternitas comitari debet: maximè requirentibus hæredibus.*
12. *Temporale capi potest pro seruitio spiritali, iuxta consuetudinem.*
13. *Ex diurni tēporis annua præstatione oritur obligatio in futurum fauore pia causa.*
14. *Ex quibus dicatur probata laudabilis consuetudo annue præstationis fauore Ecclesiæ, & quòd possessorium in his habeat admixtam causam proprietatis.*
15. *Cessante seruitio Ecclesiæ cessat annua præstatio contemplatione illius debita.*

**C**onfraternitas Aurificum erecta in Ecclesia regulari, ad aliam Ecclesiâ, & ibi exercenda consuetæ pietatis opera se se transferre desiderans; sequentes de iure decidendas proposuit quæstiones.

Prima, vtrū fundata esset religiosorum petitio, agentium ad repetitionem sacri calicis argentei, & ornamentorum Ecclesiasticorum apud Rectores prædictæ confraternitatis existentium.

Secunda, vtrū dicti confratres cogi possint, exercitia pietatis in eadem regularium Ecclesia more solito continuare; an verò liberè ad aliam Ecclesiâ & capellam sibi bene visam transmigrare.

Tertia, vtrū dicti confratres factâ translatione ad aliam Ecclesiâ, cogi possint ad soluendam annuam pecuniarum quantitatem primo illi conuerti, pro celebratione missarum & diuini seruitij, præstari solitam.

Quibus quæstionibus memini me aliàs respondisse. In primis quod ad sacros calices & alia ornamenta attinet, attendendum esse vtrū semel in illa Ecclesia Deo dicata fuerint, an non. † Si enim semper sub libera confraternitatis & Rectorum ipsius custodia remansissent, prout fit in nonnullis confraternitatibus, in quibus vasa argentea nulli certæ, aut determinatæ Ecclesiæ addicta sunt; sed in plena & libera Rectorum & confratrum potestate existunt: non possunt super illis religiosi dictæ Ecclesiæ quidquam prætere. Si verò certæ illi capellæ & Ecclesiæ fuerint addicta & destinata, non poterunt per confratres ad alios vsus conuerti: & propterea si in facto verificatum esset harum rerum custodiam & detentionem apud religiosos illos, longo admodum tempore, ad vsus illius capellæ extitisse; verius videtur confratres istos non posse sacra hæc vasa & ornamenta, non modo ad alios vsus, sed nec ad aliam Ecclesiâ transferre: cum negari non possit vasa hæc, & supellectilem, inter res sacras recenseri, Farin. de furt. quæst. 172. num. 59. & vti tales nec alienari posse, nec ad alios vsus conuerti: cap. 1. & ibi DD. extr. de pignorib. imò nec ad aliam Ecclesiâ transferri, sine solemnitatibus requisitis in alienatione rerum Ecclesiæ. Bonacin. de alienat. bon. Eccles. quæst. vnic. puncto 1. num. 14. & 30. iunctis. † In dubio autem res istæ sacra potius contemplatione Ecclesiæ, quàm personarum, data censentur: Mascard. de probat. conclus. 1248. alias 1254. incipit, Qualitas. num. 119. & conclus. 965. alias 968. incip. Legatum. num. 11.

Quantum ad secundam quæstionem, Dixi nihil esse quod impediatur dictos confratres, quominus liberè recedant ab illa capella & Ecclesia regulari, & ad aliam per eos eligendam se transferant; & ibidem recipi possint: cum dictæ confratriæ neminem obligent, & sint merè voluntariæ; & actus qui fiunt per confratres ex mera voluntate facti non sufficiant vt dictis religiosis concedi possit mandatū de manutenendo: ex traditis per Surd. consil. 127. num. 81. & 82.

Et quamuis per religiosos esset deductum, ipsos esse in pacifica, quæta & immemoriali possessione faciendi seruitium in dicta capella pro illa confraternitate: hoc non releuaret ad effectum de quo agitur; cum debeat fieri differentia inter seruitium de quo in sequenti quæstione agemus, & personas confratrum; ac ea quæ sunt consecutiua confraternitatis, cui liberum est quomodocumque recedere, & ad alium locum transire; nullaque esse possit in istis actibus, quæ ab hominum libera voluntate dependent, coactio. † Aded vt non solum possint confratres à congregatione quomodocumque voluerint recedere, & confratriæ renuntiare, dummodò nihil retineant de bonis illius; alioquin antequam renuncient illa reddere debent: vt docet Iacob. Rebuff. in l. nemo. column. vlt. Cod. de spectaculis. lib. 10. sequitur Petr. Rebuff. in constitut. Regias, tom. 2. tit. de confraternit. num. vlt. fol. mihi 331. Sed etiam totum ipsum confraternitatis corpus ab illa Ecclesia, ad quam accedere consueuerat, possit recedere: † cum nihil commune habeat cum ipsa Ecclesia, vt dicit Natt. consil. 62. num. 6. vbi propterea concludit confraternitates istas non gaudere priuilegio præcedentiæ, quo gaudet Ecclesia in qua sunt institutæ; cum non sint illius membra. Et Castren. consil. 5. num. 3. volum.


- volum. 2. vbi dicit ea de causa posse istas confraternitates liberè ab Ecclesia, in qua institutæ sunt, recedere. Hoc etiam bene determinat Petr. de Vbal. in tract. de canonica Episcop. quæst. 14. princip. num. 9. & 22. Quia quando persona est obligata loco, & inserta loco, † Sicut sunt canonici Ecclesiæ; tunc collegium est in Ecclesia & Ecclesia inest collegio, & vnum sunt; est enim inseparabilis coniunctio: vt in cap. requisisti. 15. ext. de testam. Eodem modo, inter professos & monasterium est inseparabilis coniunctio, cap. sicut. de iureiur. & can. qui verò. 16. quæst. 1.
6. Aliud est in istis confraternitatibus, in quibus nec persona loco, nec locus personæ additus est; & vnum ab altero est separabile, vt bene probat Petr. de Vbal. loc. citat. & sequitur Rot. coram Coccin. decis. 472. vbi concludit quòd sicut confraternitas potest ad libitum recedere; † ita & potest ad libitum per Ecclesiasticos illius Ecclesiæ, in qua erecta est, dimitti: quia constituunt collegium personale, non naturale, reale & necessarium: cum nullam habeant cum Ecclesia coniunctionem, sed per se considerentur. † Non tamen negari potest, quia durante confraternitate, adsit quædam spiritualis inter ipsam & Ecclesiam coniunctio, largo modo sumpta: vt dicit Petr. de Vbal. dist. loco. num. 23. Et hoc fundamento, probabile est, motam fuisse sacram Congregationem rituum, dum decreuit † nullum ius competere confraternitatibus laicorū accedendi ad funera confratrum mortuorum, nisi quatenus ab hæredibus defuncti specialiter & expresse vocentur: cuius declarationis meminit Barbo. de offic. & potest. Paroch. cap. 26. num. 61. & in decis. Apostol. collect. 207. n. 22.
7. † Qua de causa cum nuper esset contentio inter confratres pœnitentium cærulei coloris, & confratres albi coloris faccum deferentes, ambobus corpus defuncti cuiusdam ad sepulturam, vt moris est, portare contendentibus; fuit iuste & sapienter ordinatum à Reuerendiss. Petro Peregrino de Tonduti Vicario generali in præfenti Ciuitate & Archiepiscopatu, ac Rotæ Auditore fratre meo dilectissimo, præferendos esse albi coloris pœnitentes: tum quia defunctus à Cæruleis recesserat, permittens & volens se describi inter Albos; quod, vt supradictum est num. 4. fieri sine dubio potest: tum quia soli Albi ab hæredibus defuncti vocabantur, vnde Cærulei non vocati accedere minimè poterant.
8. Deueniendo ad resolutionem tertie quæstionis propositæ, non leue in ea dubium versari videtur. Quia potuerunt isti religiosi, summas singulis annis per spatium triginta annorum, & amplius solutas, accipere loco alimentorum, cum altari seruiert, & de altari viuere debuerint: ex traditis per Sanch. lib. 2. consil. moral. cap. 3. dubit. 11. vbi fuse ostendit posse accipi res temporales pro seruitio spirituali, loco alimentorum vel sustentationis, Bonacin. de si-
9. mon. disput. 1. quæst. 4. num. 9. † Et per consequens ex tanti temporis præstatione, videtur inducta obligatio continuandi & soluendi in futurum, non obstante quòd præteritis præstationes factæ fuerint voluntariè & iure facultatis; quia hoc est priuilegium causæ piæ, vt ex præteritis actibus per longum tempus continuatis, etiam iure facultatis, oriatur obligatio in futurum: vt per adden. ad Ludouic. decis. 162. in fin. Rot. decis. 360. num. 7. part. 1. recent. vbi deciditur præbiteros qui ornamenta pro vsu cuiusdam confraternitatis commodauerant, nec non campanas suæ Ecclesiæ pro maiori festi diei celebritate; cogi poterant in futurum: quia non dicitur materia facultatiua, quando agitur fauore piæ causæ & cul-

tus diuini, & diximus sup. cap. 39. num. 17. quibus addo Surd. de aliment. tit. 1. quæst. 60. num. 9. & tit. 7. quæst. 3. num. 18. Imò fauore piæ causæ sufficere præstationem decennem, multi censuerunt, ad hoc vt Ecclesiæ aut loco pio detur in similibus præstationibus manentio, Felin. in cap. ad Apostolicam. num. 3. exir. de Simon. cum aliis citatis per Barbo. in d. cap. num. 8. Veral. decis. 166. num. 2. part. 3.

His non obstantibus verius est nullam inductam fuisse consuetudinem sufficientem, per quam confratres in futurum, sublata confraternitate, & in alium locum translata, teneantur continuare solutionem summarum dicto conuentui solui solitarum.

Tum quia non simpliciter iura, & doctrinæ in 14. contrarium allegatæ intelligendæ sunt, sed ita demum si probatum esset quòd confraternitatis populus solutiones præteritas fecisset gratis, & non ad importunitatem clericorum, & nulla præcedente pacto; & quòd totus populus vel maior pars permaneret in seruanda consuetudine laudabili: istis enim non probatis, non potest dici laudabilis consuetudo ex pia fidelium deuotione introducta, vt in similibus terminis docet Gratian. discept. forens. cap. 210. numer. 29. post Castrenf. consil. 363. & 401. volum. 1. Mathesil. singul. 65. numer. 13. qui dicunt hoc casu possessionis simplicem probationem non sufficere, cum possessorium admixtam habeat proprietatis causam: imò si credimus Surd. consil. 62. numer. 18. probandum est præstationes annuas factas fuisse animo consuetudinem inducendi, consentiente maiori parte populi: cuius doctrinam approbavit Rot. decis. 545. numer. 3. part. 3. recentior.

Tum etiam quia, quamuis præstatio annua fuisset facta Ecclesiæ intuitu certi seruitij, & in recompensationem spiritualium; quo casu doctrinas superius allatas locum habere testatur Abbas Panorm. in cap. suam nobis, numer. 7. de Decim. † tamen cum 15. hodie cesseret causa finalis seruitij, & administrationis spiritualium, propter licitam confraternitatis ad aliam Ecclesiam translationem; cessante causa finali talis præstationis, cessare debet & ipsa præstatio respectu primi conuentus, in quo erectum fuerat collegium seu confraternitas; ne ipsa alioquin duplicis præstationis onere grauaretur, hoc est tam respectu Ecclesiæ à qua fit translatio, quàm illius ad quam. Idè supradicta concludunt quidem confraternitatem cogi posse ad continuandum seruitium diuinum, sed non magis inferunt ad vnam, quàm ad aliam Ecclesiam; nec magis ad eam à qua receditur, quàm ad illam ad quam acceditur: sicut enim qui altari seruit, de altari viuere debet; ita qui altari non seruit, de altari viuere non debet: Surd. de alim. tit. 7. quæst. 35. num. 3. Sicut dicitur de vxore, quæ si non sit in obsequio viri, non consequitur alimenta, vt per DD. in l. quod in vxorem. Cod. de negot. gest. Surd. d. quæst. 35. num. 4. Et ita ego pro veritate Respondi confraternitati Aurificum anno 1634. & confraternitati armorum Fabricatorum anno 1642. Sed tamen Missæ & aliæ foundationes non intuitu confraternitatis, sed contemplatione ipsius Ecclesiæ relictæ, recedente confraternitate semper in statu remanent, quod in dubio esse præsumendum supra ostensum fuit, numer. 2. & fuse explicat Mascard. in locis ibidem citatis.



## CAPVT XLIV.

Accusatus in Sancto Officio Inquisitionis, utrùm habeat vocem actiuam & passiuam in electione prouincialis sui ordinis. Quid dicendum sit de eo qui condemnatus fuit ad abiurandum de leui, vel de vehementi. Et quomodo admittendæ sint in actu electionis voces eorum, de quorum potestate eligendi dubitabatur. Et quid in officiis sæcularium statuendum sit, utrùm videlicet pendente officio accusatus ab illius exercitio suspendi possit.

## S V M M A R I V M.

1. *An Guardianus inquisitus possit habere vocem actiuam & passiuam, & officiales deputare.*
2. *Per accusationem irrogari potest infamia facti, iuris verò dumtaxat per sententiam.*
3. *Explicatur Ricc. decis. 327. part. 2.*
4. *Suspectus de hæresi si per triennium emendatus vixerit non excluditur ab officio.*
5. *Condemnatus ad abiurandum non remouetur ab officio superioris sui ordi.*
6. *Duplex est abiuratio vna formalis, alia pœnalis; & hæc vel lenis, vel vehemens.*
7. *Ex constitutione fel. record. Urbani VIII. qui abiurarunt etiam de leui, remouendi sunt ab officio.*
8. *Religiosus suspectus de hæresi & diffamatus suspendi potest ab officio vsque ad sententiam.*
9. *Praxis procedendi ad electionem dum dubitatur utrùm quis vocem habeat.*
10. *Qui de vehementi abiurarunt, non sunt admit- tendi ad audiendas fidelium confessiones.*
11. *In officio qui deliquit suspendendus est ab illius exercitio; imò & ex causa, si extra officium delictum fuerit commissum, num. 12.*
13. *Quomodo procedatur pendente processu ad suspensionem ab officio, & qua sit praxis.*
14. *In officijs iurisdictione carentibus proceditur etiam quandoque ad suspensionem ab officio lite pendente.*

1. **F**Vit aliàs proposita dubitatio, utrùm religiosus in sancto inquisitionis officio de aliquo crimine accusatus, pendente accusatione possit habere vocem actiuam & passiuam in electione canonica Superioris: & utrùm deputationes Guardianorum per eum ex officij sui potestate factæ, de iure subsistant.

Respondi religiosum sic inquisitum, ab officio per solam inquisitionem minimè remoueri; deputationesque Guardianorum per eum factas validas esse; neque defectu potestatis in deputante impugnari posse; & per consequens tam ipsum, quam Guardianos per eum deputatos, habituros esse vocem actiuam in capitulo prouinciali. De passiuam verò, non ita simpliciter statuendum esse respectu personæ ipsius inquisiti; sed cum hac distinctione: Aut enim supponimus accusationem esse talem, vt ex eâ bona fama inquisiti apud probos & graues viros notata fuerit, aut non: primo casu, Guardianus ille accu-

fatus voce etiam passiuam priuandus est: secundo casu, minimè; ex communi resolutione DD. in *cap. omnipotens. 4. de accusat.* vbi concludunt eum qui de aliquo crimine inquisitus, vel infamia præcedente accusatus, aut denunciatus fuit, inhabilem esse ad obtinendas dignitates; obtentis tamen minimè priuari debere, nisi subsecutâ sententiâ. † Cùm enim duplex sit infamia; vna iuris, altera facti; hæc per solam inquisitionem, illa per solam sententiam incurri solet. Infamia iuris per sententiam declaratoriam illata priuat etiam obtentis dignitatibus: infamia verò facti, repellit dumtaxat ab obtentis, Dyn. in *cap. infamibus. 87.* & ibi Boer. in *addit. de reg. iur. in 6. Felin. & alij in d. cap. omnipotens. de accusat.* Nicol. Garcias de *benefic. part. 7. cap. 8. num. 6. & multis seqq.* Barbof. de *potestate Episcop. part. 2. allegat. 43. numer. 19.* & in *d. cap. omnipotens. num. 2.* Bertachin. in *verb. criminosus notorius.* Et optimè docet in terminis electionis Petr. de Biaxio. in *directorio electionum part. 2. cap. 23. per totum.* † Vnde non possum assentiri decisioni relatæ per Ricc. *part. 3. decis. 327.* vbi dicit fuisse ex suo voto iudicatum per quemdam Superiorem regularem, religioso, inquisitione pendente, non competere vocem actiuam: nisi dicamus in casu illo, famam ipsius apud probos & graues viros fuisse notatam, vt mox dictum est ex communi DD. traditione. † Nam in ipso etiam de hæresi suspecto decisum fuit aliàs ipsum non esse officij incapacem, nec ab eo posse remoueri, si bene vixerit, & per triennium emendatus fuerit, quomuis abiurasset de vehementi in sancto inquisitionis tribunali, vt in *decis. criminal. Farin. 51.*

Vnde cùm aliàs quidam religiosus fuisset in sacro inquisitionis officio accusatus, quòd nullâ obtentâ licentiâ quasdam conclusiones Theologicas typis mandari curasset: fuit non obstante tali accusatione dictum, & conclusum per me, de voto grauium virorum, illum non esse propterea à voce actiuam & passiuam repellendum in electionibus sui ordinis. Eum tamen de facto ad vocem passiuam atque actiuam non fuisse admissum, mihi relatum fuit.

Idemque de eo qui condemnatus fuit ad abiurandum de leui; quia librum hæreticum legerat, tradit Hieron. Roderic. *quest. regul. 73. num. 10.* Imò & idem dicendum est de eo qui non tanquam verus hæreticus, sed tanquam de hæresi suspectus, coactus fuit abiurare etiam de vehementi.

Duplex est enim modus abiurandi. Primus, cùm quis condemnatur ad abiurandum, tanquam verus hæreticus. Secundus, quando tanquam de hæresi suspectus; quia videlicet non fuit probatum illum esse verè hæreticum; sed tamen contra ipsum magnæ adfunt præsumptiones: stantibus enim maximis præsumptionibus, reus vt se ab illis purget, cogitur de vehementi abiurare, iurans se hæresim nec incurrisse, nec vnquam incursum: de quo duplici abiurandi modo agit Cæsar Carena in *suo tract. de offic. inquisit. part. 3. tit. 12. de abiurat. num. 7.* intelligendo de abiuratione simplici, non de ea quæ fit ob hæresim formalem, de qua per eundem *loc. citat. num. 4.* Quia ex simplici abiuratione non damnatur quis tanquam hæreticus, nec ei imponitur aliqua pœna propter hæresim formalem: vnde per abiurationem siue leuem, siue vehementem indictam, declaratur quis innocens ab imputatione hæresis, & per consequens purgatur suspicio, & tollitur inhabilitatis impedimentum, Sanch. *lib. 2. in præcep. decalog. cap. 25. num. 12.*

Sed tamen hodie quia ex decreto Sacræ Congregationis autoritate sanctæ mem. Urbani VIII. factæ, regulares



regulares omnes, qui in sancto officio quodcumque pœnæ genus vel pœnitentiæ, exceptis salutaribus, habuerint; redduntur inhabiles ad quæcumque officia, vel dignitates suæ religionis; sequitur in vim talis decreti illos qui abiurarunt de leui, vel de vehementi, inhabiles reddi ad quæcumque officia, & dignitates suæ religionis. Quia abiuratio est pœna, nec vilo modo venire potest appellatione pœnitentiæ salutaris, quæ sola in dicto decreto excipitur.

Quamuis ergo ex sola abiuratione olim non esset religiosus priuatus voce actiua & passiuâ, vt testatur Hieronim. Roderic. & Sanch. *locus citat.* quibus additur Paris. *de resignat. lib. 4. quæst. 3. num. 17.* Ricc. *in prax. rerum fori Eccles. decis. 676. per tot.* hodie tamen vigore dicti decreti aliter statuendum est: & is qui etiam de leui abiurauit, à dignitatibus arcendus est, Caren. *loc. citat. num. 14.* Diana, *part. 4. tract. 8. cap. 64.*

8. Præterea notandum est, quòd si religiosus esset suspectus de hæresi, posset etiam ante sententiam suspendi ab officio & dignitate; quia fama eius esset notata apud graues viros: sed post abiurationem, recuperaret pristinum officium, imò & beneficium, non obstante illius collatione alteri facta, quia per abiurationem purgatur infamia, Ricciul. *de iur. person. extr. grem. Eccles. existent. lib. 5. cap. 19. n. 25.* Rot. apud Farin. *inter criminales, decis. 51. n. 6.* Et hoc intelligendū, nisi obstet dicta Urbani constitutio.

9. Praxis autem & forma procedendi in electione, dum dubitatur vtrū aliquis sit ad vocem inhabilis, talis est; quòd admittatur cum protestatione, vt illius vox valeat in quantum appareat postea eundem electioni interesse potuisse, & non aliàs; & quòd non noceat electioni aliàs legitimæ, quòd non habens seu non habentes vocem fuerint admissi vnà cum alijs, prout ita fieri debere testatur Mirand. *in manual. pralat. regul. tom. 2. quæst. 23. art. 11. in fin. versic. solummodo superest.*

10. Quod autem mox dictum est de abiurantibus, eadem ratione dicendum est, vt qui de vehemēti abiurarunt, nunquam admittantur ad audiendas fidelium confessiones; secūs in abiurantibus de leui, prout decisum testatur Ricc. *in decis. 218. part. 2.* Genuen. *in prax. Archiep. cap. 45. num. 2.* vbi refert declarationem sacræ Congregationis. Diana, *part. 4. tract. 8. resol. 64. in princip.*

11. Quid autem in officiis temporalibus statuendum sit, tradit Griuell. *decis. Dolana 60.* Vincent. de Franch. *decis. 8.* & ibi addentes. Vera resolutio est, quòd aut agitur de delicto commissio extra officium, & tunc pendente accusatione non est locus suspensioni: aut de delicto commissio in officio, & tunc suspensio fieri debet nisi iudex arbitretur accusationem calumniosam aut malitiosam esse: vt dicit Franch. *d. decis. 8.* Ioan. Andr. Georg. *alleg. 42. num. 21.*


12. Si tamen ageretur de tali delicto extra officium commissio, ex quo scandalum, si ille exerceret, resultare posset; perinde interdiceretur administratio ac si in officio deliquisset: teste Sanfelic. *decis. 61. num. 3. versic. sed ampliat. part. 1.*

13. Dices, quomodò sciri potest vtrū quis sit diffamatus ante defensiones reo datas, siue in officiis Ecclesiasticis & regularibus, siue in temporalibus,

Respondeo duas hîc adhiberi causæ cognitiones, vnâ summariam, antequam processus sit publicatus ad effectum suspensionis ab officio decernendæ; alteram plenariam, ad effectum sententiæ in negotio principali proferendæ: de quo duplici iudicio in simili casu tractat Merlin. *part. 1. controuers. cap. 40. num. 15.* & Sanfelic. *dicta decis. 61. num. 4.* Sed in hoc

casu suspensionis, audiendus est etiam summarie reus in suis rationibus, vt idem aduertit.

Porrò licet nonnulli distinxerint inter Officiales 14. iurisdictionem habentes, & non habentes; vt illi suspendi debeant ab officio, hi verò non debeant suspendi: vnde dicunt notarium de falso accusatum, pendente accusatione instrumenta conficere posse, vt notauit Farin. *de falsit. quæst. 155. num. 64.* & adhibitis distinctionibus Pacian. *de probat. lib. 2. cap. 21. numer. 134. & seq. & cap. 22. per tot.* Tamen negari non potest quin iudex etiam in officiis sine iurisdictione, ratione scandali vel infamiæ procedere possit lite pendente, ad suspensionem: vt determinat Capi-blanc. *de iure Baron. prag. 5. num. 80.* Georg. *dict. allegat. 42. num. 21.* Sanfelic. qui ita iudicatum refert *d. decis. 61.* ad instar tutoris qui ob solam suspecti accusationem suspenditur à tutela, *l. eum quem. Cod. de suspect. tutorib. & §. si quis autem. Institut. cod. tit. Griuell. d. decis. 60. num. 9.*



CAPVT XLV.

De validitate legati per Patrem liberis facti cum ea conditione, quòd si ante 25. ætatis annum exirent è Societate Iesu, maiori summa potirentur: vtrū sit contra bonos mores, an verò sit validum? Et de legato facto maioris summæ liberis manentibus in sæculo, quàm Præbiteris, vel Religiosis.

S V M M A R I V M.

1. *Conditio adiecta legato in odium religionis inuvalida est, & pro non scripta habetur.*
2. *Fideicommissum alicui iniunctum casu quo fiat religiosus nullum est, & dispositio pura remanet, & sine grauamine.*
3. *Relictum filio, si præbiter vel monachus fieret, non extenditur ad casum quo filius in sæculo manens sine liberis decedat.*
4. *Quibus casibus valida sit dispositio facta aduersus filios religiosos effectos.*
5. *Explicatur decisio Senatus Tholosani apud Maynard. lib. 5. cap. 14.*
6. *Conditio si religiosus fiat ademptionem legati continens valida est, si facta fuerit principaliter pro conseruatione bonorum in familia.*
7. *Pater plus relinquere potest liberis in sæculo manentibus, quàm religionem intrantibus: & num. 10.*
8. *Attenditur principalis intentio testatoris, licet in consequentiam & secundario religionis ingressus ratio habita sit per testatorem.*
9. *Dispositio in odium religionis valida est, quando in odium certa religionis, vel certi ordinis facta fuit. Secūs si in genere aduersus quascumque religiones.*
11. *Conditio retrahens à nuptiis temporalibus nulla est, & pro non scripta habetur.*
12. *Argumentum non valet à matrimonio carnali ad spirituale, si adsit diuersa ratio.*
13. *Qua sit ratio cur conditio retrahens à nuptiis temporalibus, sit nulla semper; non tamen semper, qua à nuptiis spiritualibus.*

**T**estator filio suo seniori religionem Reuer. Patrum Societatis Iesu ingresso, domum quandam legauerat casu quo ante 25. ætatis suæ annum exiret à dicta religione, & non aliàs, substituendo illi hoc casu eius liberos masculos. Et casu quo ante illam ætatem non exeat à dicta Societate, eandem domum alteri filio suo natu minori, qui nouitius tunc erat in eadem Societate, sub eadem conditione reliquit, ad eandem ætatem restricta: & si non egrediatur ante dictum tempus suæ ætatis 25. annorum, voluit domum illam in globo suæ hæreditatis remanere. Et cuiuslibet ex dictis duobus filijs alia fecit legata sub ea conditione si ante ætatem 25. annorum exiret de dicta religione.

Ex quibus dum quæreretur utrùm legata illa R. Patribus Societatis essent quæsitæ, reiectis & pro non scriptis habitis conditionibus prædictis, Dixi hoc in primis constituendum esse, † Quòd si testatoris intentio fuisset disponendi in odium religionis, & filios suos inuitandi ad dimittendam vitam religiosam, talis conditio tanquam turpis esset rejicienda, & dispositio remaneret pura in fauorem religionis, & religiosi legatarij, Peregr. de fideicom. artic. 28. num. 75. Mohedan. decis. 3. de testam. num. 3. Rot. decis. 480. num. 9. part. 2. recent. Fular. consil. 141. per tot. Qui omnes concludunt † fideicommissum alicui iniunctum, si religiosus vel præbiter fieret, nullum esse, & dispositionem puram & sine onere manere, reprobato Alexandro consil. 100. lib. 4.

3. Vbi plus voluit: † nempe dispositionem illam extendi ad casum quo grauatus non efficeretur præbiter, sed decederet sine liberis: sed in casu Alexandri aliæ concurrebant coniecturæ, ex quibus colligi poterat testatorem non tam ad qualitatem Sacerdotij, quàm ad eius effectum, nempe carentiam liberorum respexisse: vt bene aduertit Card. Mantica. de coniect. ult. volunt. lib. 11. tit. 16. num. 9. † Supradictis accedit Thesaur. Iun. lib. 1. quest. foren. 60. num. 16. vbi explicat consil. Castrens. 336. lib. 1. vt locum habeat, quando constat testatorem dispositionem suam fecisse in odium religionis: & ita videtur quoque intelligendus Simon de Prætis lib. 2. de interpret. ult. volunt. interpret. 2. dubit. 2. solut. 2. num. 193. fol. mihi 219. Galganet. de condit. & demonstr. par. 1. cap. 45. Fular. de substit. quest. 463. num. 9. † Et in hoc etiam sensu procedit decisio facta per Senatam Tholosanum de qua Maynard. lib. 5. cap. 14. vbi cum filius hæres vniuersalis ex semisse fuisset institutus, si Iesuitarum religionem desereret, illa conditio fuit habita pro non scripta, & religiosus ille fuit admissus ad semissem hæreditatis: quia in casu illo pater malum animum in suo testamento expresserat, & odium religionis ostenderat præsertim in illa clausula: *Pour seruir d'exemple à tous ieunes enfans de n'entreprendre tels vœux sans le consentement de leurs Peres qui est contrenenir aux commandemens de Dieu.* Hoc est: *Vt filius meus sit exemplo iunioribus liberis, ne contra diuinum præceptum similia vota, renuentibus & inuitis parentibus, faciant.* Item in illis verbis: *Oubliant sa fante, & la luy pardonnant.* Hoc est: *eius culpa & errori parcens.* Rursus dum dicit: *S'il reuient à moy & à mon obeyssance avec repentance non feinte, ny dissimulée à mon endroit.* Id est: *Si ad me & ad meam obedientiam verà & non fictà pœnitentiã ductus redeat.* Quæ omnia cum manifestum parentis odium erga religionem & statum religiosum ostenderent, non immeritò fuit iudicatum valere relictum, conditione reiecta.

6. Si verò constare possit testatorem non malo animo neque odio religionis talem fecisse dispositionem;


tunc conditio erit valida & obseruanda, neque turpis rejicienda. v. g. si constet testatorem eo modo disposuisse, eo animo vt bona in familia conferrentur, prout fieri solet in maioribus & primogenituris; aut si agatur de feudo, aut re illustri ex qua domus siue familia accipiat denominationem; tunc enim non odio religionis, sed fauore familiæ dispositio facta censetur, Molin. de primogen. lib. 2. cap. 12. num. 54. Castill. lib. 3. controuers. cap. 12. num. 36. Sanches. lib. 1. de matrim. disput. 34. num. 14. Duran. de condit. impossib. part. 2. cap. 3. num. 34.

Sic permittum est patri plus relinquere liberis in 7. sæculo manentibus, quàm religionem profitentibus: cum hoc casu mens testatoris non sit ordinata, vt auertat liberos ab ingressu religionis; sed vt prospiciat rebus suis, & de eis disponat ad commodum eorum, quibus sibi magis visum fuerit eas relinquere. Neque probabile est viros pios ab ingressu religionis auocandos sub prætextu consequendi aliquam pecuniarum summam, aut alia bona temporalia dum de æternis cogitant, & se suaque omnia bona derelinquunt, vt Deo commodius inseruire possint: vt bene dicit Menoch. consil. 169. num. 19. volum. 2. & post ipsum Gratian. discept. forens. 281. num. 21. adden. ad Ludou. decis. 63. num. 25. & 26. & fusè probatur ex traditis per Menoch. lib. 4. præsump. 83. num. 3. vsque ad 27. Fular. de substit. quest. 424. num. 23. iuncto num. 26. † Et generaliter omnes in eo conueniunt, quòd si conditio eà præcipue intentione adiecta sit, vt religioni noceatur, non valebit, & pro non scripta habebitur: si verò præcipua testatoris seu disponentis intentio non tendat in odium religionis, valida remanebit, & obseruanda: vt tradit Fular. loc. citat. num. 25. & quest. 687. num. 13. Beltramin. ad dictã decis. Ludouif. 63. & omnes alij superius citati, Ripol. ad l. Titio centum. §. Titio centum. 1. num. 18. & seqq.

Videndum igitur est, utrùm in casu proposito dispositio testatoris censeatur facta in odium religionis; an verò ad aliquem bonum alium finem: & sanè ad bonum potius finem, quàm in odium religionis factam fuisse, vel ex eo colligitur, quòd per eam non simpliciter liberi relicto priuantur quòd religiosi fuerint, nec eà potissimum intentione vt ipsi à religione possint auerti; cum illis legati fuerint bis mille aurei, siue religiosi fuerint, siue non: & sic nõ priuantur paternâ successione in odium religionis, cum illis multò minus relinquere potuisset, si odio religionis disponere voluisset, & erga religionem malè affectus fuisset: solum ergo dictus testator auxit legatum illud casu quo liberi ante ætatem 25. annorum à religione illa recederent, seu dimitterentur: si verò post illam ætatem recederent, noluit illos plus habere, sed dumtaxat contentos esse legato 2000. scutorum: Quòd si odio religionis disposuisset, illos augmento carere voluisset, siue ante, siue post 25. annos religionem dereliquissent. Quod probatur à simili: † Ad hoc enim vt dispositio in odium religionis facta censeatur, non sufficit illam fieri respectu certi casus; sed requiritur illam fieri generaliter in odium religionis in vniuersum: & propterea non sufficit quòd fiat in odium certi ordinis, seu religionis veluti Sancti Dominici, vel Sancti Francisci, vt dicunt omnes DD. supra citati, & nominatim Galganet. part. 1. cap. 45. in tract. de condit. & demonstr. Eodem igitur modo dicendum videtur legati ademptionem & priuationem, quoad illius augmentum, non videri factam odio religionis, cum non generaliter & indistinctè, sed respectu certæ ætatis facta fuerit. Peregr. de fideicom. artic. 28. num. 75. versic. nisi testator expressisset.

Oportet igitur aliqua alia ratione motum fuisse testatorem, dum liberis post 25. annum à religione recedentibus nihil amplius legauit: fortè quia religiosi Societatis Iesu possunt post prima vota dimitti, & post annum 25. suæ ætatis solent ad sacerdotium promoveri. Cogitabat ergo testator sacerdotes post 25. annum effectos, maiori & ampliori legato non indigere; ideo liberis sacerdotibus professis, vel non professis, nihil amplius relinquere voluit.

- Addatur quòd testator dictis liberis ante 20. annum decedentibus, substituit liberos ipsorum masculos primogenitos, seruato semper ordine primogenituræ; ita vt potius ad familiæ conseruationem, quàm in odium religionis id fecisse videatur: Atque ita insequendo communem DD. opinionem quæ hodie est receptissima, videtur concludendum ¶ testatorem minùs relinquere potuisse liberis in religione perseverantibus, quàm in sæculo manentibus: prout vltra DD. superiùs relatos seruari testatur Mantica. *de coniect. vlt. volunt. lib. 11. tit. 18. num. 32. versic. sed contrariam opinionem.* & alij relati per Fontanell. *de pact. dotalib. claus. 4. glos. 2. num. 34. & 35. Cancr. lib. 1. variar. resol. cap. 24. num. 11. & seq. Sanch. in præcept. decalog. lib. 7. cap. 15. num. 6.*
10. Neque obstat si dicatur conditionem retrahentem à nuptiis nullam esse, & pro non scripta habendam, *l. quoties, 22. l. cum tale. 71. §. Mania. & l. Tutia si nupsit. 99. ff. de condit. & demonst. ergo & indistinctè reiiciendam esse conditionem si religionem ingressus fuerit: cum valeat argumentum à matrimonio carnali ad spirituale. ¶ Quia argumentum illud non procedit quando in vtroque diuersa est ratio, prout in hoc casu, licèt enim status religionis sit perfectior, tamen status matrimonij vtilior est bono communi Reipublicæ, propter procreationem liberorum: ¶ & ideo hoc in casu, ab vno ad aliud non bene infertur: vt explicat Sanches *de matrim. lib. 1. disput. 34. num. 11. Duran. in tract. de condit. impossib. part. 2. cap. 3. num. 32.* status enim religionis potius respicit priuatum ingredientis, quàm commune Reipublicæ bonum, vt per Duran. & Sanch. locis citatis.*



CAPVT XLVI.

De dimidio laudemio de nouennio in nouennium soluendo, cuius temporis æstimatio debeat respici, & quomodò fiat. Vtrum debeat à monasterio non expectatà morte naturali religiosi, tam de iure communi, quàm de iure Gallico.

SVMMARIVM.

1. *Emphiteusis in Ecclesiam vel alias manus mortuas transferri non potest. & num. 3.*
2. *Dominus in concessione emphiteutica potest apponere pacta sibi beneuifa.*
4. *Amortisatio quid sit in Gallia, & vnde duxerit originem, & quomodò ab indemnitate differat.*
5. *Solutio dimidij laudemij vnde duxerit originem & quòd in sola consuetudine rationali fundetur.*
6. *Dominus directus cogere potest Ecclesiam ad vendendam rem emphiteuticam.*
7. *Si tamen eam in emphiteutam approbauerit, po-*

*test vigore consuetudinis petere indemnitate dimidij laudemij.*

8. *Quando Dominus directus cogit manum mortuam ad vendendum, non debetur laudemium ex illa venditione,*
9. *Dominus directus non habet ius prelationis tempore solutionis nouennij, cessante conuentione.*
10. *Solutio dimidij laudemij, seu renouatio emphiteuseos, non est noua acquisitio,*
11. *Nouus titulus non dicitur qui procedit ex causa necessaria in renouatione emphiteuseos.*
12. *Valor bonorum inspicitur de tempore redemptionis, quando nullum fuit definitum pretium.*
13. *Ius prelationis si competat longè post contractum, æstimatio fit iuxta tempus quo fit prelatio.*
14. *Æstimatio fieri debet iuxta tempus ad quod differtur executio contractus, & quo nascitur actio.*
15. *In euictione attenditur æstimatio temporis quo contingit euictio.*
16. *In æstimando bona ad effectum dimidij laudemij, attendi debet valor de tempore solutionis.*
17. *Æstimatio fieri debet de tota re, & non per partes.*
18. *In æstimatione domorum debet haberi ratio expensarum, qua fiunt pro illarum conseruatione.*
19. *Res emphiteutica non debet vri libera æstimari, sed cum suo onere.*
20. *Onera realia in æstimatione rei deducenda sunt.*
21. *Domus an æstimentur ex fructibus, an ex communi valore,*
22. *Quid in domibus rusticis, quomodò illarum æstimatio facienda.*
23. *Emphiteusis, an durante vita monachi transeat in monasterium.*
24. *Durante vita monachi non debetur per monasterium laudemium Domino directo.*
25. *Consensus Domini non requiritur in alienatione à lege inducta.*
26. *Quid si adsit pactum de non alienando in manus mortuas.*
27. *In Gallia monasterium non succedit, & si bona possideat, statim debet amortisationem.*

Quando bona emphiteutica in Ecclesiam vel in aliam manum mortuam transferuntur, variæ quæstiones inter ipsam & Dominos directos oriuntur, quarum decisio erit in praxi vtilissima.

In primis igitur supponendum est, quòd emphiteusis regulariter in Ecclesiam vel in aliam manum mortuam alienari non potest, tùm vigore pacti quod in omnibus ferè recognitionibus appositum reperitur, quo emphiteuta promittunt Dominis directis rem emphiteuticam non transferte in potentiores, nec in manus mortuas, vel in personas à iure prohibitas; ¶ cùm permissum sit cuilibet in concessione rei suæ apponere pacta sibi beneuifa, quibus non obferuatis, emphiteuta priuatur iure suo: Ioseph. Ludouic. *decis. Perus. 22. num. 7. & seq. Corbul. de iure emphiteut. tit. de causa priuat. ob inobseruan. pact. num. 1.*

Tum etiam ex iuris communis dispositione, cùm Ecclesia & similes dicantur potentiores & priuilegiatæ, in quas emphiteusis alienari non potest: Iason *in l. final. num. 97. Cod. de iur. emphiteut. Corbul. in tit. de caus. priuat. ob alienationem, ampliatur. 12. sub num. 1. versic. persona autem. Ludouic. decis. 529. n. 6. & seq.*

4. In Gallia verò dum Rege consentiente bona transeunt ad Ecclesiam, tunc dicitur fieri amortisatio. Quia iure quidem antiquo apud Gallos Ecclesia non erat capax bonorum, insequendo morem ipsius in primæua nascentis origine, dum omnia bona inter pauperes distribuebantur: *cap. futuram Ecclesiam. 12. §. 1.* prout fusè prosequitur Guillelm. Benedictus. *in cap. Raynutius. de testam. in verb. Et uxorem nomine Adelasiam. decis. 1. num. 268.* Et in effectu, *Leui non habuit partem, neque possessionem cum fratribus suis, quia ipse Dominus possessio eius est*: tamen successu temporis permessa est personis Ecclesiasticis bonorum emphiteutica possessio, obtentâ à Regibus licentiâ & dispensatione quàm vocant *Amortissement*, ut notauit Bacquet *du droit d'Amortissement. chap. 40.* datâ tamen indemnitaris compensatione aliquâ vel Regi, vel Dominis directis, ut ibidem notatur. Quod autem Regi ipsi persoluitur, nuncupatur *droit d'Amortissement*. Quod verò Dominis aliis directis, vocatur *droit d'Indamnitè*: de quo etiam iure loquitur Gasp. Roder. *de ann. redit. lib. 2. quest. 22. num. 34.*
5. Quemadmodum autem in Gallia, ita & in aliis partibus introductum est, ut pro Domini indemnitate, manus mortuæ aliquid certo definito tempore persoluant: veluti decimoquinto quoque anno, ut in regno Valentia, prout testatur Hieron. Leo *decis. valent. 77. num. 8.* Apud nos verò ius illud indemnitaris præstari solet dum bona deuenerunt ad manus mortuas, veluti Ecclesias, Collegia, Ciuitates, & similes de nouennio in nouennium: & tunc de consuetudine huius patriæ soluitur dimidiatum laudemium, quod potius in consuetudine quàm de iure communi fundatum esse testatur Leo *d. decis. 77. num. 7. & 9.*
6. Non tamen idè credendum est, quòd alienatione in manus mortuas veluti Ecclesiam factâ, Dominus directus prohibeatur cogere ipsam Ecclesiam, aut aliam manum mortuam ad vendendum rem emptam, vel aliter acquisitam; quinimò hoc ipsi licitum est: ut fusè explicatur per adden. ad Ludouif. *decis. 520. num. 14.* Barbofa *in cap. potuit. num. 169. de locat.*
7. Sed si Dominus directus non reclamauerit, dabitur illi actio pro sua indemnitate ad consequendum ius consueti laudemij dimidij, aut alterius summæ à Dominis directis tempore præfixo exigi solitæ; ut dicit Leo *d. decis. 77. num. 6.* dicens quòd si Dominus recipiendo censum ab Ecclesia, fuerit exclusus à iurè cogendi illam ad euacuandum; non tamen excluditur à iure cogendi illam ad soluendam compensationem sibi debitam ratione amortisationis.
8. Dum autem Ecclesia, aut alia manus mortua cogitur vendere, non debetur Domino directo laudemium ex illa venditione, cum sit alienatio necessaria ex qua nullum debetur laudemium, prout sæpè in facti contingentia vidimus obseruari; & hoc iuri consentaneum est, ex traditis per Amed. à Ponte *quest. laudem. 26.* fusè Burg. *de laudem. part. 2. inspect. 1. num. 13.* cum pluribus per eum allegatis.
9. Soluente autem manu mortua dimidium laudemium Domino directo de nouennio in nouennium, vel aliam indemnitàtem, modo & tempore iuxta regionis consuetudinem solui solito; frustra prætenderet Dominus ( nisi adesset particularis conuentio in contrarium, concedens hanc facultatem Domino directo: ) sibi competere ius prælationis, cum illud ex dispositione *l. final. Cod. de iur. emphyteut.* non competat nisi quando agitur de noua acquisitione, & quando mutatur emphiteuta: ut probatur per tex. in *d. l. final. ibi, Alienare, vel ius emphiteuticum in*

*alium transferre. Item ibi, meliorationes suas aliis vendere, vel ius emphiteuticum in alium transferre. † At-* 10.  
qui solutio ista dimidij laudemij seu alterius indénitatis, quamuis renouationem contineat recognitionis, non dicitur noua adquisitio; sed continuatio vel renouatio prioris: Gratian. *discep. forens. 913. num. 21.*  
† Et cum non proueniat ex aliqua causa voluntaria, 11.  
sed necessaria; non potest haberi pro nouo titulo. Rot. *decis. 201. n. 19. part. 7. recent.* Non potest igitur locus esse iuri prælationis in fauorem Domini directi.

Sed duæ notabiles in hac materia occurrunt quaestiones. Prima quomodo debeat fieri æstimatio bonorum emphyteuticorum, ad effectum liquidandi illud dimidium laudemium, quod Domino directo pro sua indemnitate penditur: vtrum habito respectu ad valorem bonorum iuxta pretium conuentum in contractu venditionis, an verò habito respectu ad tempus solutionis dimidiati laudemij; & aliàs quomodo fieri debeat æstimatio. Ego aliàs in casu proposito Dixi, æstimationem bonorum tam ad effectum iuris prælationis quàm dimidij laudemij quod Domino directo quolibet nouennio ( non quidem ex iuris dispositione, ut mox dictum est, sed ex consuetudine, vel ex peculiari conuentione ) competebar, fieri debere iuxta tempus nouennij, & non iuxta tempus acquisitionis. † Quoad ius retentionis feudalis seu 12.  
prælationis, regula generalis est, attendendum esse rei valorem tempore redemptionis, quando nullum certum pretium est definitum: ut notauit Rip. *in l. 1. ff. de priuileg. credit. num. 21. in fin.* vbi dicit, quòd si fuerit dictum, quòd aliquis poterit retrahere rem pro pretio quo fuit distracta; standum est certo: si verò fuit simpliciter dictum, quòd possit retrahere; hoc intelligitur pro iusto & communi pretio: si autem fuerit dictum, quòd quis præferatur aliis omnibus; hoc intelligitur de pretio quod ab aliis reperiri poterit: quæ etiam videtur esse sententia Tiraquelli *de retract. consanguinit. §. 1. gloss. 18. num. 18.* ex qua doctrina Ripæ, Conarruias *lib. 3. variar. resolut. cap. 14. num. 6. versic. Quarto prætermissa.* † infert 13.  
quòd si quis exerceat ius prælationis statim post primam venditionem; debet haberi ratio pretij illius temporis: quòd si ex interuallo, ex aliqua speciali causa emptor alteri rem emptam vendere cogatur; tunc iustum pretium & æstimatio debetur, nec habetur ratio pretij illius temporis quo res vendita fuit: quia hæc retentio, licet originem ducat ex pacto præambulo, tamen nec datur actio nec petitio ante declarationem domini directi; & propterea inspicenda est æstimatio illius temporis quo retentionem petere & exercere dominus potest: per text. *in l. si hominem. ff. mandati. l. quoties in diem. 59. ff. de verb. oblig.* † vbi dicitur quòd si quis oleum in diem 14.  
vel sub conditione promiserit, eius æstimationem spectare oportet eo tempore quo dies obligationis venit: & ratio ibi redditur his verbis. *Tunc enim ab eo peti potest*, addit Glossa, *cum effectu*: quasi dicat quòd licet antea contracta sit obligatio, non tamen datur actio & petitio cum effectu: & ideo eo tantum tempore fit æstimatio quo oleum peti potest: atque ita declarat Marian. Socin. *in l. ita stipulatus. num. 264. ff. de verb. oblig. volum. 6. Reperent.*

Accedit præmissis, quòd quando executio contractus confertur in tempus futurum; tunc non attenditur tempus contractus, sed tempus executionis: Pinell. *in l. 2. de rescind. vendit. part. 3. cap. 4. num. 6.* † Sicut in euictione valor attenditur qui est tempore 15.  
euictionis, Surd. *consil. 52. num. 50.* & in retrouenditione attenditur pretium temporis illius, quo fit retrouenditio Surd. *ibidem, num. 51.*

16. Et istis considerationibus motus Dixi, in æstimando valore bonorum ad effectum soluendi dimidij laudimij ( nisi aliter conuentum fuerit ) debere attendi pretium temporis solutionis : cùm generaliter in æstimatione faciendâ, attendi debeat tempus & locus quo fieri debet solutio. *d. l. quoties. 59. ff. de verb. obligat.* & ibi DD. maxime Alexand. & *l. si hominem 37. ff. mandat. & in l. vinum. ff. si cert. petat.* & ita in propriis terminis consuluit Æmilius Ferrer. *consil. 21.* vbi dicit quòd communitas Masani tenetur soluere dimidium laudimium Domino illius loci pro molendino, habita ratione ad fructus & redditus qui percipiuntur ex illo molendino de tempore nouennij, quo fieri debebat renouatio & solutio dimidij laudemij : quam sententiam sequitur Burg. *in tract. de laudim. part. 2. inspect. 6. num. 26.*
17. Æstimatio autem rei emphyteuticæ fieri debet hoc casu de tota re, prout tota valet; & non per partes : *l. manius. §. si. al. & ibi Bartol. ff. famul. exerciscund.* Idem Bartol. *in l. si ex falsis. Cod. de transact.* *Glof. & Bart. in l. 1. ff. commun. diuid. Pinell. in l. 2. part. 3. cap. 4. num. 54. Cod. de rescind. vendit. Oldrad. consil. 235.* quem sequitur Thusc. *littera. E. conclus. 670.* vbi quòd totum æstimari debet vt quoddam totum ex partibus collectum, non autem vt singulæ partes, nec habito respectu ad partes, quantum quælibet pars per se considerata valeret: per text. *in d. l. 1. Cod. commun. diuid. Surd. consil. 217. num. 13. Burat. decis. 538. num. 6.*
18. Et in æstimatione domorum & ædificiorum, debet haberi consideratio magnarum expensarum quæ fiunt in illarum manutentione, & reparatione, Seraph. *decis. 952. num. 5.*
19. Similiter res emphyteutica, ad effectum soluendi laudemium, non debet æstimari tanquam libera; sed cum onere subiectionis, & tanquam emphyteutica: Amed. *quæst. laudem. 5. n. 1.* & sic quanti valet vtile dominium, sine directo.
20. Deducenda etiam sunt onera super ipsa re imposita; veluti si magnus canon emphyteuticus soluere-tur: Blancard. *ad quæst. laudem. nota. 5. num. 3.* Licet etiam pro domibus, Castris & ædificiis soluendum sit laudimium: quia ædificium solo cedit, licet redditus sint parui. Boër. *decis. 19. num. 3.* † Tamen, regulariter domus parui fructus & magni valoris non debent æstimari ex valore ædificij, sed ex redditu: quia domus magnæ potius ad ornatum, quam occasione fructuum ædificantur. Ioseph. Ludouic. *decis. Perus. 65. num. 11.* Quod non ita simpliciter verum est: non enim ædificia prætiosa ad rationem quinque pro centenariò æstimanda sunt, vt aduertit Surd. *consil. 151. num. 70.* sequitur add. ad Ludouic. *decis. 553. num. 16.* sed æstimatio fieri debet habito respectu ad materiam & formam: & videndum quanti similia ædificia in illo loco communiter venduntur, non aurem simpliciter quanti materia & opere constant, nec quantos fructus reddunt: vt bene explicat Marefcot. *lib. 2. variar. resolut. cap. 114. num. 13.*
22. Æstimatio autem domus rusticæ non debet fieri principaliter, sed accessorie; in quantum reddit vtilius, vel deterius prædium. Rot. *decis. 457. n. 3. part. 2. recent.*
- Secunda quæstio, vtrum emphyteuta religionem ingressò, Monasterium statim cogi possit ad vendendam rem emphyteuticam, an verò mors naturalis ipsius emphyteutæ religiosi expectanda sit; & per consequens vtrum ius illud indemnitas, (quod apud nos est dimidium laudimium quolibet nouennio soluendum) exigi possit durante vita religiosi: † In hac


quæstione Barbof. *de iur. Ecclesiast. lib. 3. cap. 31. num. 11.* distinguit inter emphyteusim Ecclesiasticam, & profanam; Ecclesiasticam durante vita monachi transire in Monasterium testatur, nisi intra biennium reuocetur: per text. *in authen. de alienat. & emphyt. §. 1. versic. si vero contingeret.* profanam verò in monasterium vita monachi durante indistinctè transire vult. Contrarium tamen in hoc secundo capite in praxi receptum esse testatur, & quamuis agatur de emphyteuli profana, cogi posse monasterium, aut Ecclesiam ad euacuandum intra annum: vt ostendit *num. 13.*

Verum quòd durante vita religiosi non debeat laudemium, cùm bona ipso iure transeant in monasterium, probatur ex tradit. per Felin. *in cap. in presentia. num. 49. extr. de probat. Gratian. discip. forens. 481. num. 69. in fin. add. ad Burat. decis. 394. num. 11.* quia per professionem religiosi monasterium legis potestate succedit iuxta *authen. ingressi. Cod. de sacrosanct. Eccles.*

Consensus autem Domini non requiritur, quando agitur de alienatione à lege inducta, per text. *in l. cum pater. §. cum inter ff. de legat. 2.* secundum vnum intellectum, *Glof. singularis in l. pater. §. Iulianus Agrippa. ff. de legat. 3.* Bartol. *in l. si ita, 95. §. ea lege. ff. de verb. obligat.* † Sed tamen si in contractu recognitionis aut concessionis, emphyteuta expressè promiserit se non alienaturum in manus mortuas, prout plerumque fieri solet; non videtur licita translatio in monasterium: cùm sit de personis prohibitis, *in l. ult. Cod. de iure emphyt. in versic. his tamen personis Glof. in cap. potuit. in verb. prohibentur. extr. de locat. Clar. in §. emphyteusis. quæst. 31.* Quia per tacitam istam dedicationem bonorum factam Ecclesiæ, contraueniretur pacto; quod tamen pro nunc non decido.

Sed Dico quòd in Gallia cessat tacita ista bonorum dedicatio, expressa verò omnino prohibita est; & dicta *authen. Ingressi.* in illo regno abrogata est; & sic non succedit monasterium, etiamsi adesset expressa donatio in eius fauorem facta per ingredientem. Louet *littera C. num. 8.* & ibi addentes fusissimè. Ita vt non possit religiosus siue maior siue minor in Gallia in articulo suæ professionis, aliquid monasterio vel directè vel indirectè legare: vt sancitum fuit ordinatione Regia Aurelianensi *artic. 19.* & Blesensi *artic. 28.*

Statim enim facta professione monachi in Gallia pro mortuis habentur, & vti ex familia exclusi reputantur: vt in dict. addit. ad Louet *littera C. numer. 8.* Ergo statim in Gallia non expectata morte naturali Monachi, cogi potest monasterium ad dimittendum vel ad soluendum dimidium laudimium suo tempore, nempe finito nouennio, aut aliàs iuxta loci consuetudinem.



CAPVT XLVII.

De iure cappæ quod soluitur in receptione Canonicorum, & de validitate statuti quo ius istud solui mandatur, & vtrum valida sit consuetudo soluendi aliquid officarijs capituli in ingressu. Quòd si duo adsint colligantes, quorum vnus tantum capitulariter receptus sit, vtrum duplex ius cappæ debeatur. Obligatio fideiussoris pro

soluendo iure cappæ an sit valida, & utrùm lite pendente seruiens vni beneficio per se, alteri per substitutum ex decreto, vtriusque beneficij fructus lucretur si secundi possessio illi adiudicata sit.

## S V M M A R I V M.

1. Statutum de soluenda certa summa in receptione noui canonici in vtilitatem canonicorum non valet. Sed vide infra.
2. Non licet aliquid capere in ingressu canonici noui, per quod antiqui liberentur ab onere proprio.
3. Noni canonici non debent cogi ad soluendum aliquid pueris chori, campanario, & alijs officarijs capituli.
4. Confraternitates non possunt cogere novos confratres ad aliquid soluendum. Intellige vt num. 8.
5. Valet statutum Ecclesie, vt noui canonici certam summam soluant pro cappa vel pluuiiali.
6. Ampliatur etiam si statutum diceret non esse recipiendos canonicos, nisi prius soluta cappa.
7. Consuetudo soluendi ius cappæ in receptione canonici vel dignitatis non est reprobata à Tridentino.
8. Quomodo noui confratres cogi possint ad soluendum aliquid in ingressu confraternitatis.
9. Cautionem recipere licet pro solutione iuris cappæ faciendæ, & illius obligatio est valida.
10. Quæ tacite insunt, licite exprimi possunt absque vitio simoniae.
11. Licitum est conferre commendam sub conditione soluendi iura consueta.
12. Pactum fieri potest quod resignans fructus beneficij resignati habeat, pro rata temporis quo inseruuit.
13. Valet pactum cum resignante factum, quod resignatarius ultimum in choro locum teneat.
14. Possessio non capitulariter capta, nulla est.
15. Gabella non debetur ex actu nullo, vel non effectnato.
16. Laudemium non debetur ex actu nullo, aut resolutio ex causa existente tempore contractus.
17. Statutum debet intelligi secundum aliud caput eiusdem statuti.
18. Statutum quod loquitur de minoribus debet intelligi de minoribus 20. annorum, iuxta aliud caput eiusdem statuti declarantis minorem ætatem vsque ad annum vigesimum.
19. Non potest capitulum consequi ius cappæ ex receptione canonici impugnata ab ipso.
20. Difficilis est exactio iuris cappæ. Intellige de iure communi, secus ex statuto. num. 21.
22. Ius exigendi cappam non transit ad tertium, cum sit actio personalis.
23. Qui fuit negligens in exigendo pensionem, non habet pro ea actionem contra successorem.
24. Sequestrati fructus debent dari ei cui beneficium fuit adiudicatum.
25. Duplex distributio debetur ei qui ex legis permissione duo obtinet beneficia.
26. Duo iura comperunt ei qui duas sustinet personas.
27. Beneficium incompatibile non dimittere quis tenetur, nisi post adeptam pacificam possessionem.

28. Qui duobus beneficijs inseruit debet vtriusque redditus percipere.

Statuto & consuetudine antiquissima Ecclesie Metropolitanae certum est, vt quicumque ad canonicatus possessionem admittuntur, in ipsa possessionis adeptione certam pecuniarum summam pro iure cappæ soluere teneantur. Cuius quidem statuti vigore, cum capitulum ageret aduersus canonicum hebdomadarium, vt pro iure cappæ suæ possessionis quod iam ipse persoluerat; sed pro iure cuiusdam colligantis qui se eiusdem beneficij possessorem prætendebat, quasi capitulo duplex ius cappæ pro duplici possessione deberetur; & Canonicus ille hebdomadarius vt canonicatus possessore non modò suum, sed & colligantis ius cappæ soluere teneretur, Dixi capitulo petitionem nullo iure niti.

In primis enim supponendum est, statutum hoc de soluendo iure cappæ in adeptione possessionis, varijs obiectionibus impeti posse. Quia statutum hoc vel consuetudo tendere videtur ad priuatam canonicorum vtilitatem, & per consequens inualidum: per text. cum ibi not. in cap. Iacobus 44. de Simon. Liberantur enim canonici ab onere conficiendi ornamenta Ecclesie, ad quod ipsi obstricti fuissent. † Vnde laudabilem non esse consuetudinem, qua canonici recipiendi tenentur aliquid dare pro instauratione vel reparatione bonorum Ecclesie, cum ex eo vtilitas priuata resultet in fauorem ipsorum canonicorum; censuit Nicol. Garc. in tract. de benefic. part. 8. cap. 1. num. 90. vbi refert declarationem Sacre congregationis super hoc factam. † Et hoc maximè procedere videtur; quia pars aliqua istarum pecuniarum soluitur pueris chori, administratoribus, campanarijs, & alijs officialibus vel seruatoribus capituli, quod illicitum est: vt docet Garc. ibidem num. 91. & part. 3. cap. 2. num. 198. vbi refert declarationem Sacre congregationis super hoc factam, vt ibidem declarat. 9. Vnde & hanc consuetudinem aliquid soluendo pro adeptione possessionis tanquam simoniam damnare videtur Rebuff. in concord. tit. de reseruat. §. final. versic. quinto etiam inferitur. licet se remittat ad notata per DD. in cap. cum M. de constitut. Et hac de re multa licet satis confusè tradit Cosm. in glos. pragmat. sanct. tit. de annot. in verb. consuetudinis. Vbi Probus addit, † idem procedere in confraternitatis bus, quæ non possunt condere statuta dicentia quòd quis recipi non possit nisi decem soluat: ad quod allegat Præposit. in cap. 1. distinct. 42. Prædicta confirmantur ex dispositione Concil. Trident. sess. 24. cap. 14. de reform. & ex constitutione Pij V. quæ incipit: Durum nimis, edita anno 1570. pridie Kalend. Iunij, quam refert & explicat Bonac. in tract. de Simon. quest. 7. §. 3. & Scott. Epitome 110. theorem. 298.

Sed tamen necessarium est statutum illud & validum esse & obseruandum, prout quotidie non solum in illa Ecclesia, sed in pluribus alijs Ecclesijs collegiatis & capitulis ita obseruari videmus. Ita & in Ecclesia Tholosana quilibet nouiter receptus tenetur soluere 40. ducatos pro vna cappa siue pluuiiali, quia hoc factum dicitur in fauorem cultus diuini, & sic videtur permutatio spiritualis cum spirituali: vt aduertit Aufrer. ad decis. Capellæ Tholos. quest. 311. versic. sed quid si statuto. † Quod ampliandum est, vt procedat etiam si statuto vel consuetudine caueatur, quòd non admittatur nisi prius soluerit: vt notat Cenedo ad decretales collect. 16. num. 2. vbi propterea dicit consuetudinem antiquam Ecclesie nostræ Dominæ de Pilari validam esse, in qua Canonici, Dignitates,

# Quæst. & Resol. benefic. Cap. XLVII. 67

Dignitates, & portionarij nouiter recepti soluunt certam pecuniam fabricæ eiusdem Ecclesiæ, vt vulgò dicitur pro cappa. † Quæ consuetudo valida est & attendenda ac de iure seruanda, etiã ex mente Concilij Tridentini, quo mandatur obseruari consuetudinem qua aliquid in pios vsus conuertitur, & solutiones duntaxat illicitæ reprobantur: vt etiam notauit Scott. *dicto theorem.* 298. *column.* 2. *versic. per hanc tamen constitutionem.* Bonacin. *d. quæst.* 7. *de Simon.* §. 3. *num.* 5. Zerol. *in praxi Episcop.* part. 2. *in verb. possessio beneficij* §. 5. Barbof. *ad dictum Concil. Triden. sess.* 24. *cap.* 4. *num.* 11.

Ideo non obstant contraria: quia procedunt si pecunia illa conuerteretur in effectu in vtilitatem propriam canonicorum; hoc enim illicitum est: quia esset dare spirituale pro temporali, contra iuris & constitutionum dispositionem: vt patet ex iis quæ mox in medium attulimus.

8. Quod autem de confraternitatibus dictum est, intelligendum est vt locum non habeat, quando pecuniæ illæ pro ingressu exsolui solitæ in pios vsus conuertuntur: tunc enim non solum validum, sed & laudabile statutum esse vel consuetudinem, vt recipiendi aliquid in ingressu soluere teneantur, docet Sanch. *consil. moral. lib.* 2. *cap.* 3. *dubit.* 23. *num.* 8. cum hoc conuertatur in sumptus necessarios confraternitatis, & in vsus pios.

9. Quemadmodum autem licitum est ab ingredientibus, & ab iis qui ad canonicatus possessionem admittuntur ius istud cappæ effectualiter recipere; ita etiã si non realiter exoluatur, licitum est cautionem de ea soluenda exigere: vt tenet Cosm. *in d. glos. pragmat. sanction. tit. de annat.* quod probat per text. *in cap. significasti.* 4. *de elect.* vbi dicitur † ea quæ tacite insunt, licite exprimi posse absque vitio simoniæ: quod & firmat Sanch. *in consil. moralib. lib.* 2. *cap.* 3. *dubio* 25. *num.* 9. *versic. At non est simonia.*

10. vbi dicit † non esse simoniam, imò licitum esse alicui conferte commendam, eo adiecto modo & conditione, vt soluat quadraginta aureos, quos ex ordinis statuto tenetur soluere quisquis eam commendam habuerit: quidquid enim à iure permissum est, potest licite in pactum deduci. Campanil. *in diuersor. iuris canonici, lib.* 11. *rubric.* 27. *num.* 41. Vbi pro-

11. pterea infert † validum esse pactum quòd resignans fructus beneficij lucretur, pro rata temporis quo beneficium possedit: vnde & in *cap. ex insinuatione. de simon.* habetur, † conditionem tenendi vltimum locum in choro, non esse simoniam; quia de iure inest. Bonac. *de simon. quæst.* 6. *punct.* 1. *num.* 7.

12. His ita constitutis, deueniendo ad resolutionem principalis quæstionis propositæ, fundatam non fuisse capituli prætentionem in petendo duplici iure cappæ; probatur ex eo quòd competitor dicti canonici hebdomadarij nunquam acceperat possessionem illius beneficij capitulariter, imò quando comparuit in capitulo, fuit illi responsum iam fuisse competitori datam possessionem, & de fructibus pro eodem be-

13. neficio duobus responderi non posse. † Possessionem autem non capitulariter captam, nullam esse certi iuris est: Paris. *de resig. lib.* 6. *quæst.* 5. *num.* 32. & *lib.* 10. *quæst.* 6. *num.* 42. Cassador. *decis.* 8. *de caus. possess. & propriet.* Gonsal. *ad reg.* 8. *in proemio.* §. 3. *num.* 81. Et in effectu possessio dicti beneficij vni tantum fuit concessa, nempe huic canonico hebdomadario, qui iura cappæ pro sua possessionis adeptio-

14. ne capitulo persoluerat. † Et probatur exemplo gbellæ, quæ ex actu nullo non debetur. Iafon *in l. non dubium. num.* 9. *Cod. de legib.* Vbi idem esse asserit quando tractatur de actu non effectuato, quia

15. verba legis vel statuti intelligi debent cum effectu: l. 1. §. hac verba. ff. quod quisque iuris. fuse Afinius, *de execut.* §. 1. *cap.* 39. *num.* 11. & per tot. † Simili-

16. ter laudemium non debetur ex actu nullo, aut ex actu resolutio ex causa existente tempore contractus. Pap. *lib.* 2. *tit.* 2. *arr.* 29. Qua de re videatur Amed. à Pont. *quæst. laudim.* 38. & 39. Claper. *causa* 66. *quæst.* 1.

Multoque magis præmissa procedunt, quia statutum illius Ecclesiæ, quod astringit ingredientes ad soluendum ius cappæ, debet interpretationem desumere ex illa parte eiusdem statuti, qua prohibetur hebdomadarios admitti nisi qui de gremio eiusdem Ecclesiæ fuerint: & sic dictus competitor qui repellebatur à capitulo, tanquam non existens de gremio, & habebat impedimentum proueniens ex ipsismet statutis eiusdem capituli, † non poterat dici 17. comprehensus in alia parte statuti loquentis de iure cappæ, argumento text. in *l. si cum fundum.* 126. ff. *de verb. signif.* Rot. *decis.* 168. *num.* 5. *part.* 4. *recent. tom.* 1. † vbi propterea dicitur, quòd statutum Urbis dum 18. loquitur de minoribus, debet intelligi de minoribus viginti annis, secundum dispositionem eiusdem statuti in alio capite.

Propterea cum Capitulum semper impugnauerit 19. admissionem dicti competitoris, non potuit ex actu impugnato commodum iuris cappæ reportare: præsertim cum impugnatio sortita fuerit suum effectum, & dictus competitor repulsus fuerit à petitione dicti beneficij: vt per Seraph. *decis.* 620. *num.* 5. *cum similibus.*

Addebatur etiam, quòd difficilis erat exactio con- 20. tra resistentes & repugnantes, pro consequenda solutione istorum iurium: vt dicunt DD. *in dict. cap. cum M.* 9. *de constitut.* Garc. *de benef. part.* 8. *cap.* 1. *num.* 86. sed hæc ratio non militat nisi in terminis iuris communis. † Nam existente capituli statuto 21. legitime confirmato, datur actio & petitio pro consequenda solutione istius iuris cappæ: † nempe con- 22. dictio ex statuto, quæ est merè personalis, sicut & aliæ conditiones §. sic itaque. cum ibi notat. *Instit. de actionib.* & ideo non egrediebatur personam dicti competitoris, & non potest intentari contra dictum canonicum hebdomadarium qui non est successor dicti competitoris, nec ab eo ius meretur; sed est omnino tertius, & extraneus.


Denique dictum capitulum omnino excluden- 23. dum erat, quia facto proprio se ipsum excluderat dum oblatam pecuniam imò & depositam per dictum competitorum expressè recusauerat: & sic, etiam si illi competiisset actio contra successorem in beneficio, quæ tamen (vt dictum est) non competebat, ab ea excluderetur propter culpam & recusationem suam; vt probatur à simili de successore in beneficio, qui non tenetur ad pensiones decursas tempore sui prædecessoris, quando creditor fuit negligens in exigendo. Seraph. *decis.* 1351. Garc. *de benef. part.* 1. *cap.* 5. *num.* 201. Pacific. *de saluian. inspect.* 3. *cap.* 4. *num.* 626.

His rationibus motus Illustrissimus & Reuerendissimus Dominus Guillelmus du Nozet, Dominus meus singularis, Rotæ Romanæ Auditor, tunc Vicelegatus Auenionens. inclinabat in fauorem dicti canonici hebdomadarij, pro exclusione capituli ab illo duplicato iure cappæ.

Aliud tamen subtiliter dubium excitauit, quòd cum dictus canonicus hebdomadarius possideret antea beneficiaturam in eadem Ecclesia incompatibilem sub eodem tecto, iuxta *cap. de multa. de prabendis.* cum similibus. quam beneficiaturam non dimisit, nec dimittere tenebatur, quia canonicatus heb-

domadarius erat litigiosus; videtur quòd non potuit eodem tempore percipere fructus & distributiones vtriusque beneficij incompatibilis.

24. Huic tamen dubio responsum fuit, rem fuisse decisam per decretum in iudicio contradictorio ab eodem Domino Vicelegato factum, quòd fructus hebdomadariae sequantur ad fines restituendi illi cui daretur mandatum de manutenendo: & sic cum dictus canonicus hebdomadarius fuisset iudicialiter manutentus, dictaque decreta interueniente capitulo facta fuissent, mandari debebant executioni, & fructus sequestrati, illi restitui; quia non ad alium finem fit sequestratio, quam vt fructus & distributiones restituantur ei, qui in lite vicerit: Gonzal. ad regul. 8 §. 7. proæmial. num. 241.
25. Addebatur communem esse Canonistarum sententiam, illum, qui duo beneficia obtinet ex legis vel superioris permissione, vtriusque distributiones lucrari, Abbas in cap. cum olim de re iudic. & ibidem Felin. qui de communi testatur, Couarru. lib. 3. variar. resolut. cap. 13. num. 6. Corset. in tract. de verb. geminat. versic. 68. Viuius. libr. 1. comm. opinion. in verb. Archidiaconus. & ita iudicatum fuit per Rotam Rom. in Oriolensi canonicatus, coram Rembordo die 10. Iunij 1619. cuius copia dabatur quæ postea fuit inserta decis. 124. part. 2. recent. tom. 2. vbi dicitur ita fuisse declaratum per S. congregationem Concilij interpretem: & decis. 94. numer. 1. ead. part. 4. tom. 2. Quia ¶ quotiescumque duorum iura in eadem persona remanent, vnumquodque subsistit illæsum, nec ius vnius personæ confunditur cum iure alterius; sed quodlibet de per se consideratur: vt in d. decis. 94. num. 2. & 3. & in alia simili apud Barbos. allegat. 62. num. 22. & seq.
27. Hoc autem in casu, dictus hebdomadarius beneficiaturam simul cum canonicatu illo retinere iure permittente poterat, donec lis super hebdomadaria fuisset terminata. cap. si tibi concessio. & ibi DD. de præbend. Marescot. lib. 2. variar. resolut. capit. 35. num. 111. ne deinde contigisset ipsum vtroque priuari Seraph. decis. 1154. num. 1. & ne cogereur vtroque priuatus in dedecus ordinis clericalis mendicare, Garc. de benef. part. 11. num. 105. Seraph. decis. 953. num. 1. Cum ergo hebdomadaria per substitutum inferauerit, iuxta decretum in iudicio contradictorio factum, beneficiaturæ verò per seipsum, debuit sine dubio fructus & redditus vtriusque beneficij lucrari: cum generalis sit regula, ¶ illum qui duo possidet beneficia quorum vni per substitutum inferuire potest, per se alteri posse inferuire, & vtriusque fructus suos facere, ex traditis per Garc. de benef. part. 11. cap. 5. num. 75. in illis verbis, *num si posset deseruire per alium, non possent dici beneficia incompatibilia ratione residentia*, atque ita per supradictas rationes fuit iudicatum in fauorem dicti canonici hebdomadarij.



## CAPVT XLVIII.

Vtrum Iudæi compelli possint domus parietes tapetibus ornare, sicut faciunt Christiani, quando Sanctissima Eucharistia deferretur processionaliter per ciuitatem, transseundo ante domos quas Iudæi inhabitant. Et incidenter agitur de liberis Iudæorum, an inuito patre, matre, auo, aut vno ip-

forum baptizari possint. Quibus in casibus cogi possint Iudæi ad facienda ea ex quibus honor religioni Christianæ inferri potest. Denique vtrum hodie Iudæi dare possint suis vxoribus libellum repudij.

## S V M M A R I V M.

1. Sanctissimum Sacramentum non debet processionaliter deferri ante domos iudaorum. Intellege vt num. 16.
2. Iudæi ex speciali gratia summi Pontificis habitant in regionibus immediatè subiectis sedi Apostolice.
3. Lex Moysis apud hebraeos seruanda est, & in quibus casibus. Remissinè.
4. Fily iudaorum doli non capaces, non possunt iniuris parentibus baptisari.
5. Fily iudaorum doli capaces baptisantur etiam renuentibus parentibus, si ipsi velint.
6. Si pater, mater aut auus discordent super baptizatione infantis, quis praualeat?
7. Si pater habrans baptisandum obtulerit, an possit pœnitere re integra.
8. Iudæi quoad spiritualia non ligantur legibus canonicis. & num. 9.
10. Fallit quando constitutio specialiter comprehendit iudeos.
11. Dies festos in Gallia heretici obseruare tenentur, ex ordinatione Regia.
12. Iudæi non sunt tolerandi in iis qua tendunt in opprobrium fidei Christiane.
13. Iudæi non possunt cogi formaliter ad exhibendum Deo cultum secundum legem nostram, possunt tamen compelli, ad actus ex quibus honor diuinus oriri posset, quoad actus materialiter consideratos.
14. Actus quidam sunt indifferentes, quorum bonitas vel malitia dependet ex intentione agentis.
15. Actus interiores ab humana voluntate procedentes, nullo modo possunt dependere a voluntate alterius hominis.
17. Iudæi compelli possunt ad audiendam prædicationem verbi Dei.
18. Iudæi hodie non possunt duas vxores viuentes simul habere.
19. Limitatur, vt non procedat, si iudæus prima vxori dederit libellum repudij.
20. Hodiernis temporibus iudeos vxores suas dimittere non posse, etiam dato libello repudij, Doctores grauissimi existimant.
21. Intellige nisi iusta subsistente causa.
22. Sed tamen communis opinio & in praxi recepta est, vt etiam hodiernis temporibus Iudæi vxores suas dimittere possint, dato illis solemniter libello repudij secundum legem Moysaycam.

Qvæstio proposita fuit pro veritate examinanda, vtrum Iudæi compelli possint ad ornandam tapetibus domum, quando processionaliter deferretur Sanctissimum Sacramentum per vias publicas, in die festo sacratissimi Corporis Domini Nostri IESV CHRISTI: quæ variis pro vtraque parte deductis rationibus agitata fuit. ¶ In primis enim adest ordinatio Sacræ Congregationis rituum, qua prohibetur sanctissimam Eucharistiam deferri per loca & plateas in quibus Iudæi habitant, vt retulit Barbof. in tractat. de Episcop. part. 2. allegat. 22. num. 4. & in tractat.



*tractat. de offic. & potest. Paroch. cap. 20. num. 33. & in decis. Apostol. collect. 405. num. 8.* Ergo frustra videtur quærendum vtrum Iudæi cogi possint domus suas, seu illarum parietes tapetibus ornare.

2. Secundò, quia cum Iudæi in terris Ecclesiæ ex benignitate summi Pontificis habitare possint, & ex ipsius gratia speciali, vt dicitur *in decis. 194. num. 14. part. 4. recent. tom. 2.* non sint in eorum lege turbandi,
3. aut legem nostram obseruare cogendi; † Imò apud ipsos lex Moysis obseruanda sit, vt copiosè per plures casus explicat Cyriac. *controuers. 241. per tot. Surd. decis. 133.* Et propterea † filij hæbreorum paruuli qui non sunt capaces rationis, non sunt baptisandi parentibus inuitis: Caualean. *decis. 21. num. 14. part. 2.* Afflict. *decis. 151.* Natta *consil. 434. num. 5.* Benincas. *de pauperi. quest. 11. num. 8.* Gratian. *discept. forens. cap. 658. num. 31.* Pascal. *de parr. potest. part. 1. cap. 7. num. 3.* † Si tamen puer esset doli capax, posset inuito patre baptisari, qualis est ille qui habet ad minus decem annos cum dimidio, Pascal. *d. part. 1. cap. 7. num. 5. & 6.* † Et si concurreret mater conuersa cum patre iudæo, præferenda esset mater fauore religionis: & hoc casu filius inuito patre baptisaretur, quamuis in infantia constitutus: Gratian. *discept. forens. 977. num. 20. & seq.* Imò si adesset auus paternus qui peteret filium infantem baptisari, præferendus esset contradictioni patris, cum auus habeat nepotem in sua potestate, vt copiosè ostendit Gratian. *discept. 977. per tot.* Pascal. *d. cap. 7. num. 4.* Multò minus qui habent vsum rationis compelli poterunt ad obseruandam legem nostram, militem enim voluntarium diligit Deus, vt dicunt omnes DD. supra citati: † adeo vt si pater pœnitentia ductus ante susceptum baptismum filios sibi restitui petierit, tali casu filij patri sint restituendi: vt copiosè consuluit Mart. *consil. 184. per totum.* Si autem hebræi cogentur ad ornandos parietes domus tapetibus in honorem sanctissimi Sacramenti, cogentur legem suam violare; ergo non sunt ad hoc astringendi.
8. Tertiò quia in spiritualibus concernentibus fauorem animarum, Iudæi non ligantur legibus canonicis, neque in sacramentalibus; quia de eorum anima non curamus, cum ipsi de ea non curent: *cap. gaudeamus, de diuor. Thulc. litt. I. conclus. 368. num. 1. & conclus. 369. numer. 24. & 27.* Farinac. *in fragmen. in verb. Iudæi, num. 639.* Viu. *opinion. 392. numer. 3.* ergo cum decretum illud de ornando domum tapetibus respiciat spiritualia, videtur quòd non liget hebræos.
9. In contrarium tamen Respondi contra hebræos, ipsos cogendos esse ad domum tapetibus ornandam, vel potius ornari faciendam: quia licet statuta & ordinationes factæ circa ea quæ cultum diuinum respiciunt, non afficiant infideles; l. *spadonem. 17. §. constitutiones.* & §. *iam autem.* vbi dicitur: *constitutiones sine molestia in ijs solis iubere esse iudæos, per quæ cultus diuinus inquinari videtur ff. de excusat. tutor. & l. 3. §. finali ff. de Decurion.* vbi dicitur, necessitatem iudæis imponere constitutiones, ita tamen vt
10. superstitionum eorum non lædatur. † Tamen quando constitutio aliquid specialiter mandat fieri per iudæos, tenentur obedire; ne per contemptum & inobseruantiam talis ordinationis, videantur illudere Christianis: *cap. quia, & cap. in nonnullis §. diebus. ext. de iudiciis,* vbi prohibetur iudæis ne diebus hebdomadæ sanctæ in publico compareant, aut fenestras vel ostia aperta teneant. Similiter decretum super obseruantia festorum comprehendit Iudæos, quando de ipsis specificam facit mentionem: Ricciul. *in tract. de person. extra grem. Eccles. existen. cap. 8. num. 2.*

& 3. Bertach. *in tract. de gabell. part. 7. quest. 17. num. 38. & 39.* † Sicut & prudenter ordinatione Regia constitutum est in Gallia, vt omnes cuiuscumque religionis, teneantur obseruare dies festos, à sancta Catholica & Romana Ecclesia indictos; nec possint illis diebus laborare, vendere, vel apothecas publicè apertas tenere: vt habetur inter ordinationes Regias apud Theueneau *liu. 1. de l'estat Ecclesiastique tit. 11. artic. 5. & en la conferance des ordonnances Royaux lib. 1. tit. 1. artic. 20.* † Et certum est Iudæos, non esse tolerandos in iis, quæ tendunt ad opprobrium illius qui probra nostra deleuit: *cap. in nonnullis. §. illud autem. de iudæis.* Et nobis fidelibus esset verendum, ne diuinam indignationem incurreremus, si ea fieri pateremur, quæ fidei nostræ confusionem inducunt: *cap. etsi iudæos. eod. tit. Ricciul. lib. 2. cap. 18. num. 2. & 3.*

Præterea aduertendum est, in illa actione tapetibus domus parietes exteriores ornandi, duo considerari: nempe materiam, & actionem ipsam materialem; secundò formalem intentionem honorandi sanctissimum Sacramentum. Respectu huius secundæ capitis, verissimum est non debere cogi iudæos ad adorandam & honorandam sanctissimam Eucharistiam: quia hoc esset contrarium legi, quâ ipsos vt tolerat summus Pontifex, & contra *d. l. 3. §. final. ff. de Decurion.* & alia omnia iura in contrarium allegata: sed quoad ipsam actionem materialem, non potest dici quòd iudæi cogantur legi suæ contrariuere; tum quia nemo impedit quin ipsi mediante pecunia opus hoc per interpositas Christianorum personas exercere possint; sicut aliquibus in locis coguntur verrere viam ante palatium vbi transire debet sanctissima Eucharistia: quod ipsi hebræi per se non exercerent, sed per Christianos quorum operas locant: tum etiam quia cum actio illa domus tapetibus ornandi sit ex se indifferens, nec sit actio honoris & reuerentiæ erga Christum Dominum, nisi quatenus ad id dirigitur ex intentione operantis; non potest dici quòd iudæi cogantur ex hoc violare legem suam: quia non coguntur ad aliquem actum internum honoris & reuerentiæ erga sanctissimum Sacramentum, cum sola causa & intentio ornantis reddat actionem illam bonam inter Christianos, & malam in lege iudæorum. † Et probatur ex iis, quæ circa bonitatem vel malitiam actionum indifferentium copiosè tradit Sanch. *lib. 1. in præcep. decalogi cap. 7. num. 8.* & per totum illud caput. † Actus autem internus honoris non dependet à voluntate præcipientis hominis, sed à mera voluntate & libero arbitrio operantis; quia excedit omnem humanam potestatem: vt dicit idem Sanch. *in præcep. decalogi lib. 6. cap. 2. num. 6.* ergo non potest dici quòd iudæi dum coguntur parietes domus tapetibus ornare, adstringantur ad violationem superstitionum suarum.

Non obstant aduicta in contrarium. Quod enim primo loco dicitur ex resolutione sacræ rituum Congregationis, locum haberet si sanctissima Eucharistia deferretur per plateas & vicos, vbi soli hebræi habitant; non autem quando (prout in casu proposito) adsunt permixta Christianorum domicilia; in quo casu non decidit quidquam Congregatio, cuius tamen decisionem & correctionem me submitto.

Ad secundum Respondetur, iudæos non turbari in exercitio eorum superstitionis: quia non coguntur ad aliquem actum cultus exterioris aut interioris erga sanctissimum Sacramentum; sed ad actum quemdam qui ex se est indifferens, nec recipit bonitatem nisi ex intentione operantis: vt supra dictum est *num. 13. & seqq.*

Ad tertium Respondetur, hinc non tractari de spiritualibus, sed de quodam actu exteriori qui ex se indifferens est: & licet bonus sit ex intentione præcipientis, tamen respectu operantis non dirigitur ad honorem sanctissimi Sacramenti, nisi ratione intentionis; quæ cum bona non sit in iudæis, non potest quoad ipsos dici actus honoris & reuerentiæ erga sanctissimam Eucharistiam: & per consequens non

17. adest vlla coactio ad violandam legem suam: † veluti quando coguntur ad audiendam prædicationem verbi Dei, Ricciol. *dicto lib. 2. cap. 37.*

Similiter quamuis causa matrimonialis sit spiritualis, non tamen in omnibus possunt iudæi sequi leges, & consuetudines iudaicas quoad matrimonia contrahenda: sed canonicis etiam sanctionibus sup-


18. poni possunt: † veluti quoad polygamiam quæ olim apud iudæos frequentabatur, & tamen ea consuetudo iudæorum sublata est, etiam quoad ipsos iudæos ex lege Euangelica, cui ipsi quoad hoc obedire tenentur: vt notat Thomas Sanch. *de matrim. lib. 7.*

19. *disput. 80. num. 12. & 14.* † Non possunt igitur iudæi duas simul habere vxores, nisi primâ legitime dimissâ dato libello repudij: vt dicitur in *l. nemo iudæorum 6. & ibi Bartol. & alij Cod. de iudæis.* † Imò quoad libellum repudij, non licere iudæis vxoribus illud dare post legem Euangelicam, cui in hoc ipsos obedire teneri allerunt Doctores grauiissimi, veluti Sanch. *de Matrim. lib. 10. disput. 1. num. 9. & lib. 5. disput. 12. num. 1.* Basil. Pont. *de matrim. lib. 7. cap. 50.* Bonac. *de matrim. quest. 2. punct. 11.* Barbof. *in rubric. ff. solui. matrim. 2. part. rubric. num. 10.* vbi alios citat. Gatier. *de matrim. cap. 106. num. 2. & 3.* Couarr. *in epitom. 4. decret. part. 2. cap. 7. §. 4. num. 6. & 7.*

21. Sed tamen Hostiensis in *cap. gaudemus. de diuort. colum. antepenult. in fin. in verb. qui autem.* hoc explicat dicens, hoc locum habere si repudium daretur inter iudæos, & diuortium fieret sine iusta causa. Et statim ibi in *verb. repudiauit.* explicat id est sine causa.

22. Maior tamen pars Doctorum existimat licitum esse iudæis aliam vxorem ducere, primâ solemniter repudiata vt testatur Barbof. plures citans in *d. l. nemo. Cod. de iudæis.* & in *cap. de infidelibus, num. 3. de consang. & affinit.* Fatin. *in fragm. litt. l. num. 652.* & ita prædicatur Auenione vt testatur D. de Laurentiis, *decis. Rot. Auenion. 157. Bertrand. consil. 132. volum. 6. & consil. 124. volum. 7.* Tusch. *in verb. Iudæus, conclus. 369. num. 2. 14. & 23. & conclus. 371. num. 74.* Viuius *opin. 533. num. 7.* Alexan. *consil. 72. num. 2. volum. 2.* Abb. *in d. cap. de infidelibus. de consang. & affinit. num. 6.* Hostiens. *ibidem, in fin. in verb. inter eos.* Ioan. Andr. *num. 5.* Zabarel. *num. 4.* Butrius *num. 9.* Alexand. de Næuo, *num. 10.* quos citat Barbof. *in cod. cap. Baiard. ad Clar. in §. fornicatio. num. 37.* Bald. *consil. 428. num. 4. volum. 5.* Menoch. *de arbitrar. casu 420. num. 94.* Ita vt hæc posterior opinio receptior sit, & in praxi apud nos obseruata.

Quidquid sit, concludendum est iudæos rectè cogi posse ad procurandum, quòd eorum domus tapetibus exornentur tempore dictæ processionis; maximè vt euitetur contemptus & scandalum, cum omnes aliæ domus præter hæbraicas tapetibus ornatae sint.



## CAPVT XLIX.

Vtrum licentia prædicandi Religioso data sub ea conditione, vt ante susceptum dia-

conatus ordinem prædicare non possit, de iure sit valida. Quibus in casibus actus qui purè fieri possunt, fieri valeant sub conditione. Et ex quibus, actus dicatur condicionalis, vel modalis.

## S V M M A R I V M.

1. Religiosi, cuius licentiam obtinere debeant, vt prædicare possint; siue intra, siue extra suorum ordinum Ecclesias.
2. Pœna religiosi prædicantis sine Episcopi licentia, quæ sit.
3. Religiosis sine licentia prædicantibus, non potest de iure Episcopus pœnam declarare.
4. Hodie tamen secus est ex constitutione Gregorij XV.
5. Quidquid purè fieri potest, etiam sub conditione fieri potest regulariter: & num. 7.
6. Actus legitimi non recipiunt diem & conditionem contra ipsorum naturam, secus si conditio illorum natura non repugnet.
7. Clerico in sacris nondum constituto, munus prædicandi committi non potest.
8. Verba sub conditione quandoque habent vim modi potius quàm conditionis.
9. Verba sub conditione aliquando potius significant legem actui datam, quàm conditionem.
10. Clausula, & non aliter, nec alio modo, non semper facit conditionem.
11. Duplex est forma; vna substantialis, alia effectualis, quæ non impedit actus perfectionem.
12. Conditio non nocet dum apponitur executioni actus perfecti.
13. Substantialia iudicij inter religiosos seruanda sunt.
14. Religiosi, in casibus in quibus appellatio ipsis prohibita est, possunt recurrere ad superiores per viam querelæ.


Constitutum est in Concilio Tridentino *sess. 5. 1. de reformat. cap. 2. in §. regulares.* quòd cuiuscumque ordinis regulares, etiam in Ecclesiis suorum ordinum, prædicare non possint, nisi à suis superioribus de vita & moribus ac scientia examinati, & approbati fuerint; & de eorum licentia; cum qua personaliter coram Episcopis se præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur antequam prædicare incipiant. In Ecclesiis verò quæ suorum ordinum non sunt, vltra licentiam superiorum suorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in Ecclesiis non suorum ordinum nullo modo prædicare possint. Quod Concilij decretum refert, & explicat Mirand. *in manuali pralatorum regul. part. 1. quest. 50. & seq. Hieron. Roderic. quest. regul. 112. num. 2.* Portel. *in dubijs regul. in verb. prædicatores. num. 11.* † Qui addit, pœnam prædicantis absque Episcopi licentia esse, excommunicationis non latae, sed ferendae sententiæ: *cap. excommunicamus. 13. §. quia verò. de heretic.* † Sed illos sic sine Episcopi licentia prædicantes, non ab Episcopo, sed à suo superiore puniendos esse: iuxta declarationem Sacrae Congregationis. † Hodie tamen ab Episcopo puniri possunt ex constitutione Gregorij XV. Barbof. *in decis. Apostol. collect. 637. num. 2.*

Sed in facti contingentia dubitatum fuit, vtrum valida esset licentia cuidam regulari à suo superiori ad prædicandum concessa, sub ea conditione, vt in effectu

effectu prædicare non posset, nisi post susceptum diaconatus ordinem: & utrùm licentia illa sine causæ cognitione, & inaudita parte potuerit à Vicario generali ordinis reuocari.

5. Validam fuisse nec reuocari debuisse talem licentiam existimari: quia regula generalis est, quidquid potest fieri purè, potest etiam fieri sub conditione. §. *emptio. Institut. de empt. & vendit. §. omnis stipulatio. Institut. de verbor. obligat. l. 2. ff. de in diem addict.* & notat Dynus in *capit. actus. de regul. iur. in 6.*
6. Et licèt actus legitimi non recipiant diem, neque conditionem, *l. actus. 78. ff. de reg. iur. & cap. actus, 50. eodem in 6.* tamen intelligendum est vt locum habeat, quando dies & conditio est contra naturam ipsorum actuum; secus est, quando conditio vel dies non est contra substantiam, vel naturam illorum. † Quia tunc procedit alia generalis regula contraria, de qua supra; nempe quòd quidquid potest fieri purè, potest etiam fieri sub conditione: vt dicunt Dec. & Cagnol. in *d. l. actus. de regul. iur.* Galganet. in *tract. de condit. & demonstr. par. 2. cap. 1. quest. 102. num. 1. & 2.* Conditio autem illa, quòd regularis prædicare non possit, nisi post susceptum diaconatus ordinem, non est contra, sed præter naturam actus.
8. † Quia licèt clerico in sacris non constituto, prædicatoris munus committi possit, vt ex mente Sacræ Congregationis concilij, refert Barbof. in *decis. Apostolicis collect. 592. num. 6.* tamen non est inconueniens quòd superior regularis, ad quem spectat dare licentiam prædicandi, possit illam suspendere ad certum tempus, vel ad certum casum, cum hoc non repugnet naturæ concessionis.
9. Præterea verba *sub conditione*, non semper faciunt conditionem sed sæpè sonant in modum: videlicèt quando actus in se perfectus est, eique adjicitur aliquid quod semper respicit tempus ipsius actus iam perfecti: vt notatur in *l. 1. Cod. de his que sub modo, leg. vel fideicom. relinq. & declarat Glos. in cap. verum. de condition. apposit. l. ea conditione. Cod. de rescinden. vendit. l. quoniam & ibi Bald. Cod. de ver. permut. l. cum vos. Cod. de donat. l. mania. ff. de manumif. testam.* Vnde cum licentia prædicandi sit purè concessa, & illius exequutio dilata ad tempus quo religiosus diaconatum assumpserit; † verba illa *sub conditione*, potiùs legem datam religioso significant, quàm conditionem; & actus approbationis remanet purus, sed eius exequutio dilata ad tempus diaconatus. Tiraquel. de *retract. conuenional. §. 2. gloss. 1. num. 76.* & bene explicat Ioan. Andr. Georg. *allegat. 31. num. 12. & seq. † Qui hoc ampliat num. 23. & seq.* vt locum habeat, etiamsi adiecta fuisset clausula, & non aliter; nec alio modo: quando talis clausula respicit actum perfectum, dicens † duplicem esse formam; vnam substantialem, cuius ommissio vitiat actum, quia impedit perfectionem actus: aliam verò esse formam effectualem, quæ quamuis requiratur effectiue, tamen illius ommissio non vitiat dispositionem; quia respicit actum perfectum, & requiritur ex post facto: vt *ibidem, num. 24. & 25.*
13. Denique, quia etiamsi ageretur de actu conditionali, non nocet illius validitati adiectio conditionis, quando talis conditio appositae fuit executioni, & non substantiæ actus: quod in casu proposito factum fuit; in quo licentia prædicandi purè data fuit, ita tamen quòd effectualiter ante susceptum diaconatus ordinem, facultatem illam exercere nequeat: & probatur in *d. l. mania ibi libertas sub conditione suspensa. ff. de manumif. testam. Deci. in d. l. actus legitimi. num. 7. ff. de reg. iuris.*

Vicarium autem generalem, qui non citatâ parte ad dictæ licentiæ cassationem processit; non minus nulliter, quàm iniuste decreuisse constat. Iniuste quidem, ob rationes superius deductas; nulliter verò, quia citatio est de iure naturali, & de substantia iudicij: & licèt inter religiosos solemnitates iudiciorum non attendantur; tamen substantialia iudicij omninò seruanda sunt. Emanuel. Roderic. *tom. 2. quest. regul. 3. artic. 1. †* Et propterea à tali declaratione potuit appellari, & ad superiores regulares saltem per viam querelæ recurri: ex traditis per Sanch. in *præcept. decalog. lib. 6. cap. 8. num. 110.* vbi dicit quòd in casibus in quibus religiosi appellare non possunt, propter constitutiones & regulas sui ordinis; possunt tamen per viam querelæ ad superiores recurrere: licèt hic recursus non suspendat iurisdictionem Prælati inferioris, donec inhibeatur.



CAPVT L.

Quomoddò, & quandò minor aduersùs beneficij resignationem ex causa læsionis in integrum restitui debeat, tam de iure communi, quàm ex supremorum Gallix tribunalium decretis: & quomoddò probetur læsio, aut circumuentio hoc casu. De resignatione facta in fauorem præceptoris, aut alterius erga minorem habentis authoritatem. Utrùm minor restituatur aduersùs regulam de trienniali. Et de resignatione in fauorem, facta coram Legato, in Gallia non recipienda.

S V M M A R I V M.

1. *Minores habentur pro maioribus in causis beneficialibus.*
2. *Minores & filij familias in causis spiritualibus legitimam habent personam standi in iudicio; etiamsi agatur de simplici fundatione Missarum.*
3. *Minor restituatur aduersùs resignationem stante læsione, vel circumuentione.*
4. *Minor aduersus repudiationem hereditatis paterna restituendus est, etiam re non integra.*
5. *Differentia est inter resignantem beneficium, & repudiantem paternam hereditatem.*
6. *Titulus successionis hereditaria est lucrativus.*
7. *Petens restitutionem aduersùs resignationem beneficij iam adepti, agit de damno vitando.*
8. *Non datur minori restitutio ad reuocanda alienata, si aduersus repudiatam extranei hereditatem illam impleret.*
9. *Minor aduersus læsionem feudi refutationem in integrum restituatur.*
10. *Quamuis minor habeat in casu speciali legitimam personam standi in iudicio; hoc debet intelligi, vt non minus in integrum restitui possit, si læsus fuerit. Et num. 12.*
11. *Minor restituatur aduersus renunciationem beneficij iam obtenti, non autem aduersus repudiationem obtinendi.*
13. *Restitutio in integrum faciliùs in causis spiritualibus concedenda est.*

14. Minor aduersus triennalem aduersarij possessionem non restituitur in Gallia.
15. Minor quatuordecim annorum, quibus concurrentibus beneficium resignare possit.
16. Læso minoris resignantis, ex quibus probari possit.
17. Quibus concurrentibus circumstantijs minor in Gallia aduersus resignationem beneficij restitui solet.
18. Resignatio facta in fauorem preceptoris, gubernatoris, aut alterius potestatem super resignante habentis, irrita est in Gallia.
19. Minor læsus in resignatione, & circumuentus, implorat remedium reintegranda, in Gallia.
20. Reuocatur opinio Craueta consil. 90. num. 4. & aliorum.
21. Clausula, conscientiam oneramus, facit vt commissarius non teneatur procedere in forma iudicij.
22. Probatio per euidenciam facti admittitur contra acta Episcopi commissarij Apostolici.
23. Provisio in Legatione facta in vim mandati conditionalis ad resignandum, non recipitur in Gallia.

**M**inorem, qui beneficium monachale Cluniacensis ordinis possidebat, aduersus illius resignationem per supremam Curiam Parlamenti Delphinatus restituendum esse Censui, propter enormissimam & totalem læsionem. Quia in decimo octauo, vel circiter, suæ ætatis anno constitutus, prioratum illum in fauorem sui Superioris regularis resignauerat, cuius respectu & occasione, iuxta bullas suæ provisionis, professionem in illo ordine emiserat: quâ resignatione sic factâ, nihil ipsi remanebat vnde in illo ordine viuere posset.

1. Quamuis enim minores in beneficialibus pro maioribus habeantur, & contractus omnes facere possint; vt testatur Rot. apud Burat. *decis. 483. num. 7.* vbi agitur de validitate contractus per maiorem 14. annorum, minorem tamen 25. circa pensionem Ecclesiasticam celebrati. † Vnde & minorem, ac filium familias tam agendo, quàm excipiendo, per se, & absque patris interuentu in iudicio stare posse, circa capellaniam pro celebratione missarum fundatam, censuit eadem Rot. *decis. 571. num. 1. part. 4. recent. tom. 1.*
3. Tamen si cum minori ætate concurrat læsio vel dolus resignatarij; concedi debet omninò minori in integrum restitutio, vt tandem concludit Paris. in *tract. de resignat. lib. 3. quest. 7. num. 45.* † Idque etiam si possessio in resignatarium translata fuerit, & res non sit amplius integra: per text. in *l. final. Cod. de repudiand. heredit.* vbi habetur, minorem aduersus repudiatam paternam hæreditatem in integrum restitutionem obtinere posse, quamuis bona in emptores translata fuerint; & sic res non sit amplius integra.
5. Sed hæc ampliatio, licet in se vera sit; non tamen per illum textum probari videtur: quia non eadem est ratio repudiantis hæreditatem, & beneficium resignantis: qui enim hæreditatem repudiat certat de lucro non amittendo, vt probatur in *l. 3. Cod. de iur. & fact. ignorant.* † cum titulus hæreditarius, sit titulus lucratiuus, *l. 1. §. lucratiuus. Cod. de imponend. lucrat. de cript. lib. 10. l. inter stipulantem. §. si rem. ff. de verb. obligat.* Et sic dum minor aduersus repudiatam hæreditatem restituitur, non aduersus dampnum passum, sed aduersus lucrum omissum restitui dicitur. † Qui verò aduersus beneficij resignationem

restitui vult; agit de damno vitando, & de iure iam quæsito recuperando: vnde multò fortius datur restitutio in integrum aduersus beneficij renunciationem læsionem, etiam si iam alteri facta fuerit collatio: per text. in *l. sciendum. cum duabus legibus sequentibus, ff. ex quibus causis maior.*

Et sic non obstat text. in *l. ait prætor. 25. §. Scauola. 8. ff. de minorib.* vbi si non agatur de hæreditate paterna, de qua loquitur text. in *d. l. fin. Cod. de repud. vel abst. heredit.* sed de hæreditate extranei repudiata; non datur minori in integrum restitutio quando bona fuerunt alienata: quia illo casu agitur de lucro; at in casu resignationis beneficij, de damno, & amissione iuris iam quæsiti.

Vnde hanc sententiam vltra Paris. supra citatum 9. tenet Boet. *decis. 350. num. 4. colum. 1. in fin. & seq.* adinstar feudi per minorem refutati, quod reuertitur ad Dominum; & tamen minor aduersus hanc refutationem in integrum restituitur. † Item quia licet minor ex aliqua causa speciali legitimam personam habeat standi in iudicio, non ideo priuatur beneficio restitutionis. Et Guillelm. Benedict. in *cap. Raynuntius. in verb. adiecta impuberi. num. 62.* vbi dicit, † quòd tractans de beneficio obtinendo, videtur tractare de lucro: ideo minor ad beneficium sibi debitum, quod petere omisit, non potest tanquam læsus & damnum passus petere restitutionem: secus in beneficio iam obtento: quia illud resignando læditur, & damnum patitur circa ius quæsitum. In eadem sententia residet Peregr. dicens contrariam non esse tutam, in *tract. de iur. fisc. lib. 5. tit. 2. numer. 47. versic. vel etiam responderi potest.* Couar. *lib. 1. variar. resol. cap. 5. num. 3. versic. contrariam sententiam.* Puteus *decis. 427. lib. 1. in correct.*


Neque obstat quod opponebatur, minores in beneficialibus haberi pro maioribus. Quia responderetur hoc esse verum quoad agendum, & administrandum; non tamen quoad hoc vt excludatur à beneficio restitutionis in integrum; adinstar Ecclesiæ quæ agere potest in iudicio, & tamen non impeditur petere restitutionem in integrum, si læsa fuerit: *cap. 1. de restitut. in integrum.* † Imò fortius in Ecclesiasticis & spiritualibus concedenda est minoribus restitutio: quia Ecclesia non debet tolerare fraudes, & deceptiones in istis contractibus: *argum. cap. cum vniuersorum. de rer. permut.* Et ita ad obiectum respondet Panormit. in *capit. ex parte. numer. 16. de restitut. spoliat.*

Notandum tamen est, quòd si minor passus fuerit aduersarium pacificè beneficium resignatum possidere; difficilè posset in Gallia restitutionem aduersus lapsum triennij obtinere: vt dicit Prob. in *addit. ad glos. pragmatic. sanct. in tit. de pacific. possess. §. 1. in verb. impedimenti. in fin. versic. vnum tamen dico tibi.* quo loco testatur se nunquam vidisse, nec auribus percepisse quòd aduersus decretum de pacificis possessoribus minor fuerit restitutus; nec in eo quod petitorium concernit, nec quoad possessorium coram Iudicibus in Gallia priuatiuè agitari consuetum. Vide Gomes. *ad regul. de trienn. quest. 15.* vbi benè distinguit, ad quem se refert Cokier *ad reg. 31. num. 64. & Pel. in anal. commen. cap. 35.*

Quòd si resignans esset minor quatuordecim annorum, prout vel ex dispensatione vel etiam sine ea, in Gallia beneficium obtinere potest, teste Peleo *lib. 1. act. 48.* tunc solus ille beneficium resignare non posset; sed duo hoc casu requiruntur. Primò, quòd hoc fiat in manibus Superiorum. Secundò, quòd fiat cum causæ cognitione, Guillelm. Benedict. in *dict. cap. Raynuntius. in verb. & adiecta. n. 62. de restam.*

16. Læsionem autem in casu proposito, imò & deceptionem interuenisse constabat: quia minor iste nullum aliud obtinebat beneficium, & vnde viueret condecenter secundum statum suum non habebat: si enim plura habuisset beneficia, & vno ipsorum se exonerasset; nequaquam deceptus dicendus fuisset: vt benè explicat Rebuff. *in praxi. tit. Ratione persona & rei vitiatur resign. num. 5. Gomes. de trienn. d. quæst. 15.* † Qua læsione sic supposita, suprema Gallix tribunalia minoribus, aduersus beneficij resignationem inconsultè factam, beneficio restitutionis in integrum succurrere solent: vt pluribus arrestis iudicatum testatur Mornac. *in l. au prator. 7. in princip. ff. de minoribus.* Louet, & ibi addent. *litter. B. num. 7.* vbi tamen in fine dicit, quòd si ageretur de maiore 18. vel 20. annorum, in quo nulla considerari posset circumuentio, restitutionem Curia aduersus beneficij renunciationem solet denegare. † Verùm si agatur de resignatione facta, ad vtilitatem magistri, præceptoris, vel alterius super resignante habentis auctoritatem; tunc non solùm restitutio conceditur: sed etiam tales resignationes districtè prohibentur. Idem fuit decisum apud Papon *lib. 16. tit. 3. arrest. 3.* vbi dicitur ex sola ætate non concedi restitutionem, nisi alia concurrant: & *lib. 3. tit. 11. arrest. 1.* & ibi addent. Ricc. *collectan. 2977.*
17. Quæst. 15. † Qua læsione sic supposita, suprema Gallix tribunalia minoribus, aduersus beneficij resignationem inconsultè factam, beneficio restitutionis in integrum succurrere solent: vt pluribus arrestis iudicatum testatur Mornac. *in l. au prator. 7. in princip. ff. de minoribus.* Louet, & ibi addent. *litter. B. num. 7.* vbi tamen in fine dicit, quòd si ageretur de maiore 18. vel 20. annorum, in quo nulla considerari posset circumuentio, restitutionem Curia aduersus beneficij renunciationem solet denegare. † Verùm si agatur de resignatione facta, ad vtilitatem magistri, præceptoris, vel alterius super resignante habentis auctoritatem; tunc non solùm restitutio conceditur: sed etiam tales resignationes districtè prohibentur. Idem fuit decisum apud Papon *lib. 16. tit. 3. arrest. 3.* vbi dicitur ex sola ætate non concedi restitutionem, nisi alia concurrant: & *lib. 3. tit. 11. arrest. 1.* & ibi addent. Ricc. *collectan. 2977.*
18. Et hoc casu, quando adest resignatio per minorem inconsultè facta in fauorem, seu ad vtilitatem personæ sub cuius gubernatione existit; potest ab eo intentari remedium reintegrandæ, vt reponatur ad pristinam beneficij resignati possessionem. Charond. *lib. 1. respons. 46.* quem sequitur Ricc. *dict. collect. 2977.*
19. Itavt parum sit curandum de opinione Crauetæ *consil. 90. numer. 4.* & aliorum qui minori denegandam in integrum restitutionem hoc casu existimant: cum aduersus eos sit magis communis sententia; & Rotæ Romanæ, ac plurium supremorum tribunalium superius notata decreta.
20. Addebatur & hoc casu, minùs difficultatis adesse in concedenda restitutione minori resignanti: cum in prouisionibus per resignatarium obtentis, data fuisset commissio Archiepiscopo ordinario, seu eius Officiali de mittendo in possessionem resignatarium, si ipsis constiterit dictum *Andream habere aliunde, vnde commodè viuere possit.* Quæ verba sunt conditionalia; ita vt non verificata conditione, dictus Archiepiscopus non potuerit in possessionem resignatarium inducere.
- Et quamuis Archiepiscopus non teneretur processuras iudiciales desuper facere: quia in commissione adiecta fuerant illa verba, *super quo conscientiam vestram oneramus*, quo casu sufficiunt extraiudiciales informationes, vt notat Garc. *de benefic. part. 6. cap. 2. numer. 247.* † Tamen contrarium per rei euidenciam probari poterit, ostendendo notoriè resignantem nihil habere, vnde commodè viuere possit, non obstante decreto per Archiepiscopum facto: vt probatur per text. *in cap. fin. de atat. & qualis. ordinan. in illis verbis, & per euidenciam facti.*
21. Præmissis accedebat, quòd mandatum ad resignandum in Legatione factum fuerat in fauorem, cum clausula *& non alias, aliter, nec alio modo*, quæ resignandi forma coram summo Pontifice admittitur; sed coram Legato non recipitur apud Gallos: imò nulla est tali casu resignatio. Ratio est quia si Legatus talem resignationem sub conditione factam admittit, pactionem illicitam approbare censetur: si verò spretà mandati ad resignandum formà, prouidet; collatio facta reperitur sub falso vacandi modo: vt

benè arguit addit. ad Louet *littera C. num. 40. in glos. A.* Et ex his dictus resignans per Curiam Parlamenti fuit restitutus, & ad suum beneficium reintegratus.



CAPVT LI.

De quadruplici personarum differentia apud Religiosos Societatis I E S V, inter quas illi qui Scholastici nuncupantur post emissã simplicia vota biennij, quamuis verè Religiosi sint, & votum paupertatis emiserint; possunt tamen bona, beneficia, & pensiones Ecclesiasticas retinere, & de bonis suis disponere; limitatè tamen ad voluntatem, seu licentiam Superiorum. Et quid obseruetur hodie in Gallia. Quid ante Henrici IV. constitutionem. Quid denique statuendum sit quoad bona per eos in Principatu Auraicensi possessa, tam de iure communi, quàm ex Serenissimi Principis constitutionibus.

S V M M A R I V M.

1. *Patres Societatis I E S V, post emissã vota simplicia, sunt verè religiosi,*
2. *Religiosi non habent velle, nec nolle, & de bonis suis disponere non possunt.*
3. *Quatuor personarum genera in Societate I E S V considerari possunt.*
4. *Iesuita post vota solemnia sunt incapaces bonorum, & successionis, saltem ad effectum illa retinendi.*
5. *Coadiutores formati qui sint in Societate I E S V.*
6. *Scholastici qui nominentur inter religiosos dictæ Societatis.*
7. *Religiosi Societatis prædictæ, post emissã simplicia vota biennij, possunt bona sua retinere; vt facilius, si casus occurrat, dimitti possint.*
8. *In Gallia post edictum Henrici IV. Iesuita post emissã vota biennij sunt bonorum incapaces.*
9. *Ante Henrici IV. constitutionem, Iesuita post vota simplicia emissã, erant capaces bonorum.*
10. *Dominij præcipuus effectus est, vt quis de bonis suis ad libitum disponat.*
11. *Arguere non licet ab alijs religiosis ad Iesuitas: quia hi propriis & peculiaribus viuunt regulis*
12. *Iesuita etiam post emissã tria vota simplicia, remanent adhuc in probatione.*
13. *Paupertatis voto non repugnat, quòd vouens bonorum suorum possessionem retineat, restrictam tamen ad superioris voluntatem.*
14. *Quomodò intelligendum sit quod dicitur, Papam non posse dispensare vt monachus proprium habeat.*
15. *Religiosi Societatis nondum solemniter professi quomodò differant, quoad bonorum retentionem, à monachis.*
16. *Qui dominium habet sine administratione, non prohibetur de re sua disponere interuenientibus solemnitatibus requisitis.*
17. *In statu Auraicensi religiosi non succedunt, nisi*

- specialiter & expresse ipsis relinquatur, factâ mentione incapacitatis ipsorum.*
18. *De iure communi religiosi testari, & de bonis suis disponere non possunt.*
  19. *Explicatur constitutio Serenissimi Principis Auracæ, sub titulo Quartæ Trebellianicæ.*
  20. *Verba statuti vel constitutionis, quantum fieri potest, interpretationem accipere debere à iure communi.*
  21. *Authen. Ingressi. Cod. de sacrosanct. Eccles. debet intelligi de illis qui effectualiter professionem emisserunt.*
  22. *Religiosi per ingressum & professionem bona sua & seipfos Deo offerunt.*
  23. *Iesuita emittendo vota simplicia, reseruant sibi dominium bonorum, iuxta constitutiones Societatis.*
  24. *Emissio votorum biennij in dicta Societate, non facit professos; cum in illa uouentes promittant se professuros quando placuerit Superioribus.*
  25. *Iesuita semper expelli possunt non obstantibus votis simplicibus, etiam sine culpa sua, sed non sine causa.*
  26. *Votum non debet operari contra intentionem uouentis.*
  27. *Votum est lex ex sola uouentis intentione cogensurgens.*
  28. *Tempore Apostolorum, & multò post, religiosi simplicibus votis contenti erant.*
  29. *Religiosi Societatis IESV similes sunt religiosis antiquis, & primi temporis Ecclesia.*
  30. *Primis Ecclesia temporibus religiosi uouentes paupertatem, bonorum suorum dominium retinebant; & de ijs disponere poterant.*
  31. *Reseruatio dominij regulata ad voluntatem superioris, etiam in solemnij professione religionis, valida est.*

**D**VM de validitate donationis vniuersalis inter viuos factæ per quemdam religiosum Societatis IESV disputabatur, eo quòd post emissâ vota simplicia in dicta Societate, elapso nouitiatus biennio, nondum tamen securâ solemnij professione, facta fuisset; pro validitate donationis post longam disputationem iudicatum fuit, quæstione in duo capita distinctâ. Quorum alterum donationis illius validitatem aut inualiditatem respiciebat, iuxta iuris communis dispositionem: alterum verò referebatur ad specialem Principatus Auracensis constitutionem, sub titulo *de la Quarte Trebellianique, artic. 15.* quâ monasterijs & religiosis successio tacita prohibetur; nisi expresse, & factâ mentione incapacitatis ipsorum, vocati sint.

1. In primo capite, res dubia primo intuitu videbatur: quia nemo negat, quin Patres dictæ Societatis ante solemnem professionem, emissis tamen votis simplicibus, sint verè religiosi: vt determinauit Gregor. XIII. duplici constitutione edita anno 1582. & 1584. quod Doctores omnes vnanimi consensu fatentur. † Si verè sunt religiosi, non habent velle, nec nolle, nec de bonis sibi obuentis testari, vel disponere possunt. *Authen. ingressi. Cod. de sacrosanct. Eccles. can. quia ingredientibus. 19. quest. 3. Michael Grass. §. testamentum. quest. 34. num. 1. Tamburin. de iure Abbat. tom. 2. disput. 22. quest. 18. num. 1. & seq.*
3. Pro resolutione huius difficultatis supponendum est in hac clarissima Societate, quatuor personarum conditiones considerari posse. Primò enim, quidam

sunt nouitij, qui nondum aliquod voti genus emisserunt: & de his non est quæstio nostra; cum indubitatum sit illos de bonis suis ad libitum disponere posse: & si non disposuerint, ipsis intra annum nouitiatus decedentibus, bona illorum ad successores ab intestato deuenire debere: vt notatur *in cap. fin. de success. ab intestat.*

Secundum genus est eorum, qui vota emisserunt quæ solemnij nuncupantur, ad differentiam simplicium, quæque iuxta formas in dicta Societate præscriptas fieri solent: & de his similiter non agimus; quia isti sunt incapaces bonorum, & successionis, saltem ad effectum bona retinendi: *Burat. decis. 245. Gabriel. consil. 28. lib. 1.* nam quoad effectum bona vendendi, & illorum pretium in vltus necessarios conuertendi, non obstante professione, capaces sunt: vt notauit *Marta consil. 11. num. 41.*

Tertium genus est Coadiutorum formatorum siue spiritualium, qui desumuntur ex religiosis quarti generis, siue etiam coadiutorum temporalium, qui licet solemnij vota non emittant; non tamen ex constitutione capaces sunt dominij, nec condere possunt testamenta, nec hæreditates adipisci quandiu sunt intra Societatem; nam ab ea expelli possunt, & quotidie (grauioribus ex causis) expelluntur: & de his similiter modò non agimus; cum religiosus de quo agitur tempore donationis, intra quartum dictæ Societatis statum constitutus esset.

Quartum itaque genus est eorum quos scholasticos vocant, qui votum quidem castitatis, paupertatis & obedientiæ emisserunt, simplex tamen: & inter hos aliqui futuri sunt sacerdotes, alij in statu laicali remansuri cum titulo coadiutorum temporalium: & isti remanent perpetuò obligati Societati, sed Superior Generalis potest eos semper dimittere cum causa, etiam absque illorum culpa, non obstantibus dictis votis, iuxta statuta dictæ religionis, & constitutiones à sede Apostolica confirmatas: & isti possunt de bonis suis cum autoritate Superiorum disponere, & bona temporalia possidere. † Nam vt Societas maiorem haberet libertatem illos, si opus esset, dimittendi; sapienter prouisum fuit eos posse possidere bona sua, ne si postea dimitterentur, omnibus suis bonis spoliati, in dedecus ordinis clericalis mendicare cogentur: vt expresse disponitur in constitutione prædicta Gregor. XIII. quæ incipit, *Ascendente Domino. 8. Kalend. Iun. 1584.* & omnes DD. vnanimi consensu testantur, *Anthon. Ricciul. de iur. person. extr. grem. Eccles. existen. lib. 8. cap. 9. num. 2. Garc. de benef. part. 7. cap. 10. num. 62. Barbof. de iur. Eccles. cap. 41. num. 191. & 192.* & ita determinauit Rota coram Andrea. *decis. 78. num. 8. & seq.* quæ est repetita *decis. 246. part. 4. recent. num. 4.* vbi etiam *num. 8.* ita testatur hanc esse communem & vniuersalem obseruantiam inconcussè practicatam; vt illi qui finito nouitiatus anno vota simplicia emisserunt, ius & dominium bonorum suorum retineant. Quæ omnia nuper Perillustris & excellentissimus frater meus dilectissimus Dominus Ioannes Bapt. de Tonduti, Dominus loci de Blouuac iuris Pontificij Professor & Regens ordinarius eruditissimè more suo testamentorum materiam tractans, publicis prælectionibus explicabat.

Et quamuis in Gallia post constitutionem Henrici I V. anno 1603. editam, & anno 1604. mense Ianuario verificatam; non solum professi, sed illi etiam qui vota simplicia emisserunt, sint successionis incapaces; vt habetur in addit. ad Louet. *litter. C. num. 8. versic. pour ce qui est des Iesuites, fol. mihi 75. col. 1.*

9. Tamen ante edictum illud sæpe iudicatum fuit tales religiosos, nondum emissa solemniter professione; dominij, successionum & bonorum esse capaces: teste Chopino *lib. 2. monastic. titul. 3. num. 9. fol. mihi 316.* vbi duo arresta refert: alterum, 4. Idus Octobris anni 1581. alterum 10. Kalend. Ianuarij 1592. in Curia cameræ inquestarum prolata. Chenu apud Papon *lib. 21. tit. 8. arrest. 9.*
10. Vnde sequitur dictos religiosos votis simplicibus religioni obstrictos de bonis illis disponere posse: maximè in vita; cum præcipuus dominij effectus sit, vt quis de re sua ad libitum disponere queat, quod probatur per text. in *d. authen. ingressi. Cod. de sacrosanct. Eccles.* vbi assertur ratio propter quam religiosi de rebus suis disponere non possunt: quia videlicet non sunt bonorum Domini, vt patet in illis verbis, *utpotè nec domini rerum*: Ergo supposita dominij retentione, cessat ratio finalis propter quam sic dispositum fuit in illa Authentica; & per consequens qui dominium retinent, de bonis suis disponere possunt, non obstante professione. Quod probatur à simili: nam religiosi de fructibus beneficiorum regularium eodem modo disponere possunt, quo cæteri de beneficiorum suorum secularium fructibus disponunt. Rota *decis. 772. numer. 4. part. 1. diuers.* vbi alij citantur.
11. Et ex prædictis non erit difficilis responsio ad argumentum superius oppositum: quia non est par ratio religiosorum Societatis IESV, & aliorum; cum illi propriis regulis & constitutionibus ab aliis planè diuersis vtantur; ita vt ab his ad illos, & è contra, arguere non liceat: vt notauit Burat. *decis. 245. n. 5. Andr. d. decis. 78. num. 19. Menoch. consil. 1014. sub num. 14.* Et propterea quamuis alij religiosi, post emissa vota regulata, efficiantur bonorum & successionis in particulari ac dispositionis incapaces: non ex hoc quidquam inferri potest aduersus dictos Patres: † qui non obstantibus tribus votis sine solemnitate factis, remanent adhuc veluti in probatione, vt ex eorum constitutionibus bene comprobatur Rota apud Andr. *decis. 78. num. 17.*
12. Sed nec paupertatis voto successio aut dispositio ista repugnat: cum hæc de bonis disponendi facultas non simplex sit, & libera; sed ad superioris voluntatem restricta, & limitata, Abbas in *cap. 2. num. 4. in 3. notab. de stat. monachor. Rot. d. decis. 772. num. 1. part. 1. diuers.* & *decis. 216. num. 12. & 13. part. 2. diuers.* vbi dicitur hoc locum habere non solum ad effectum retinendi, sed etiam ad effectum alienandi, donandi & disponendi cum permissione superiorum.
13. Eadem ratione, & multò fortius dicendum est non fieri præiudicium voto paupertatis, si religiosus propria bona retineat de voluntate Papæ, ideo dum dicitur in *cap. quoad monasterium. de stat. regular.* quòd Papa non potest dispensare vt monachus proprium habeat, vt potè quòd hoc sit voto paupertatis contrarium, & cum eo incompatible: intelligendum est de monachis, & aliis religiosis qui votum paupertatis generaliter, & indefinitè in religione fecerunt. Aliud statuendum est quoad illos, qui votum & paupertatem restringere voluerunt, & referre ad certum paupertatis modum, secundum particularis religionis sanctiones à sede Apostolica approbatas; quibus dominium istud, & dispositio bonorum ad certum tempus, vel sub certis modis & formis limitatè conceditur: vt optimè explicat Emanuel. Roderic. *quæst. regul. tom. 1. quæst. 1. artic. 4.*
14. † Præsertim cum tales religiosi nondum solemniter professi, solum retineant dominium, & non vsum; nec administrationem sine licentia Superiorum: in

quo differunt ab aliis regularibus, qui vsum & administrationem habere possunt; sed non dominium: vt per Emanuel. Roderic. *loc. citat. Mirand. in manual. pralator. regul. part. 1. quæst. 10. artic. 3. in 2. conclus. in respons. ad 1.*

Licet autem dominium habeant religiosi dictæ Societatis sine administratione, non propterea inferitur eos disponere non posse Superioris interueniente consensu. Sicut filius familiæ, cuius bonorum administratio legitima penes patrem est; sed non propterea disponere prohibetur, si patris consensus & auctoritas interueniat: *l. fin. §. filijs autem.* & ibi Gloss. *Cod. de bon. que liber.*

Secundi capitis difficultas petitur ex ordinationibus Serenissimi Principis Auracensis sub titulo *de la Quarte Trebellianique artic. 15.* cuius hæc sunt verba: *Monasteres & religions ne pourront succeder & entrer en succession, representans la persone de leurs religieux ou religieuses pour raison d'iceux, quand lesdits religieux, ou religieuses seront appelez raisement, & non specialement par la disposition de leurs parens ou autres; si il n'est expressement lesdits monasteres, ou religions soyent appelez, & à eux expressement delaisse, faicte mention expresse de leur qualité, & incapacité.*

Ex quibus verbis colligi videtur religiosos, seu potius monasterium ex persona ipsorum esse successionis, & per consequens dispositionis incapaces, ratione bonorum in dicto principatu Auracensi existentium.

Alia difficultas in hoc secundo capite proponi potest, quòd cum Princeps velit in suo principatu, iuris communis sanctiones obseruari; de iure autem iuxta *d. Authen. ingressi.* religiosi testari, aut aliàs de bonis sibi obuentis disponere non possint: & dicti Patres Societatis IESV sint verè religiosi, vt supra ostensum fuit: sequitur dicendum, quòd in dicto Principatu recipi non debet dispositio per eos de bonis facta; idque non obstante quacumque iuris Canonici aut alia Pontificia constitutione.

Sed tamen, non obstantibus istis difficultatibus, firma remanet conclusio pro validitate dispositionis per dictum religiosum facta. Quod enim ad superius descriptam Principis constitutionem attinet; illa nullo modo ad casum propositum adaptari potest; cum non agatur modò de Monasterij successione ex persona religiosi, in vim tacite bonorum dedicationis, quæ in ipso professionis ingressu fieri solet: vt per Gloss. & omnes DD. in *d. authen. ingressi.* sed de successione ipsius R. Patris de quo agebatur, & de dispositione per eum facta; siquidem in illa ordinatione nullo modo adest verbum de successione personarum, sed ibi tantum fit sermo de successione monasteriorum & religiosorum ordinum, vt patet ex illis verbis: *Monasteres & Religions ne pourront succeder.* Item dum dicitur, *Representans la personne de leurs religieux,* nos autem fatemur Collegia dictæ Societatis, nec non Domos professas, ipsasque etiam probationis Domos à tacita illa successione vigore Principalis illius ordinationis excludi; nec non à tacita bonorum religiosorum dedicatione. Quod etiam cauetur prædicta Gregorij XIII. constitutione, quæ incipit, *Ascendente Domino.* Qua de causa ex illa Principis Auracensis lege, nihil ad casum nostrum inferri potest; in quo de Monasterij ipsius successione non agitur: sed de religiosi capacitate quoad bonorum retentionem, & dispositionem, qui casus non est in illa lege comprehensus: vnde quòd constitutio non dicit, nec nos dicere debemus. *l. si verò negotium. §. de viro. ff. solut. matrim.*

20. Præterea verba cuiuscumque statuti vel constitutionis, quantum fieri potest, interpretationem accipere debent à dispositione iuris communis, per text. notab. in cap. cum dilectus. §. quia nobis. de conuer. vbi Panormit. num. 2. Sed de iure communi, religiosi dictæ Societatis ante votorum solemnium præstationem de bonis suis, disponere possunt; at tunc quod votum paupertatis per illos sub tali reservatione emittitur, vt superius ostensum fuit, & mox probabitur in responsione ad secundum dubium. Igitur dicta Principis ordinatio trahi non debet ad casum dispositionis per vouentem reservatæ, de quo non loquitur, sed iuxta iuris communis terminos intelligenda est.

Deueniendo igitur ad secundam difficultatem, Dixi ex iuris communis dispositione, religiosi dictæ Societatis competere facultatem disponendi de bonis suis cum licentia & consensu suorum Superiorum. †

21. Quia d. authent. Ingressi. intelligenda est de his qui verè professionem emiserunt; & locum habet professione effectualiter subsequuta; quia ante professionem quis non dicitur ingressus, nec bona illius ante monasterio acquiruntur, quam professio facta fuerit expresse, vel tacite. † Si quidem per talem ingressum, religiosi se & sua dedicant Deo, vt dicit Glos. 1. Bart. Bald. Salicet. Castrens. & alij passim. in d. authent. ingressi. Cod. de Sacrosanct. Eccles. Riminald.

22. iun. consil. 477. numer. 9. 10. & 11. † Atqui religiosi dictæ Societatis, dum emittunt tria vota simplicia, non solum bona sua Deo non dedicant expresse, nec tacite; sed potius eorum dominium sibi expresse reseruant; cum vota illa emittant iuxta constitutiones dictæ Societatis, & Bullas summorum Pontificum, per quas dominium bonorum illis expresse reseruat; vt adueniente casu expulsionis, commodius & sine difficultate eici possint. † Imò quod plus est, tempore nouitatus elapso; non profitentur expresse, nec tacite; sed duntaxat se professionem facturos promittunt, dum, & quando ita Superioribus placuerit; & sic nec sunt verè nouitij, nec verè professi; sed quidpiam medium inter nouitios & professos; quod medium inter vtrumque, in alijs religiosis ordinibus non potest dari. Imò in dicta Societate, religiosi trium votorum simplicium, videntur quadam ratione magis accedere ad nouitios, quam ad professos; cum sint adhuc in statu probationis; †


23. & semper eorum causa, etiam sine culpa sua expelli possint; prout etiam considerauit Rota dicta decis. 246. vlt. part. 4. recent. Cum ergo non sint professi, sed tantum promiserint profiteri, concludendum est etiam inspecta iuris communis dispositione, dictæ Societatis, religiosos ante solemnem professionem, successionis esse capaces; & bona sua donare posse. Omnia tamen remittendo ad constitutiones dictæ Societatis.

24. Nec facit ad propositum quod obijci possit, si hoc admitteremus, sequi quod votum contra vouentis intentionem operaretur; cum tamen iuxta illam debeat regulari tam quoad substantiam, quam quoad circumstantias. Hoc enim fatemur; sed retorquendo argumentum dicimus, legem non aliter obligare, quam legislator obligare intendit, ut potè quæ ex sola legislatoris voluntate obligandi ius habeat. †

25. Votum autem est, sicut à sola vouentis voluntate dimanans, & ex illius intentione consurgens. Quare dum de vouentis intentione apparet, quod paupertatis votum ad regulas, & constitutiones illius Societatis regulare voluerit, absolum esset dicere ipsum ad maiora & grauiora onera teneri, quam illius religionis

26. (quam respicit) ordinationibus caueatur, & illum solum propriam intentionem obligari; ita Sanchez. in praecep. decalog. lib. 6. cap. 28. in fine. vbi dicitur, In hac autem voti forma, nulla adest paupertatis institutio contraria circumstantiis. Non enim semper religiosi votis solemnibus constituntur, quin potius notissimum est tempore Apostolorum, & multo post, nempe primo, secundo, tertio, vel quarto ab Apostolis seculo, religiosos simplicibus votis fuisse contentos; & votorum solemnitate Ecclesie constitutionibus fuisse adiuuentam; vt aduertit Basil. Pontius in tract. de matrimonio lib. 7. cap. 22. †

27. Vbi propterea ignorantia arguit eos, qui religiosos dictæ Societatis verè religiosos esse negant; cum sint antiqui illius temporis religiosi non absumiles. Qui quidem antiqui religiosi licet paupertatis voto se se adstringerent; bonorum tamen suorum dominium retinebant; & de illis, disponere poterant; vt idem author fuse comprobat lib. 7. cap. 12. per tot. Eadem ergo ratio subsistit dominij reservatione, in simplicibus prædictæ Societatis votis, facta ad ius antiquæ illius religiosorum viuendi normæ præsertim cum & generalis consuetudo, & Rota Romanae auctoritas, & supremorum Galliarum tribunalium decreta ante præfatam Henrici IV. constitutionem edita, ita sapius declarauerint, & dispositiones similes verè bonas & validas admiserint. † Et cum reservatio non sit liberæ disponendi facultatis; sed regulata & limitata sub potestate & auctoritate Superioris, quo casu non solum in simplici voto paupertatis, sed etiam in solemnij professione, reservatio illa subsisteret; atque ita per Sacram. Cardinalium Congregationem declaratum refert. Tamburini. de iur. Abbat. tom. 3. disput. 6. quæst. 16. numer. 14. & 15. Quod tamen quomodo intelligendum sit, cum excedat terminos propositæ quæstionis, videatur Sanchez. in praecep. decalog. lib. 5. cap. 4. numer. 91. Barbos. de iur. Eccles. lib. 1. cap. 142. numer. 150. cõsequ.

Et ex his iudicatum fuit, donationem de qua ageretur esse validam, per supremam Araucan. Senatuum anno 1644. 

CAPVTLII

Virum non obstante consuetudine immemoriali cuiusdam insignis Ecclesie, quod

Canonici assistere duntaxat certis horis teneantur, voluti horis matutinis & vespertinis magni officij; & Missæ Episcopus cogere illos possit ad assistendum omnibus officijs tam maioribus, quam minoribus, & horis canonicis.

S. V. M. M. A. R. I. V. M.

Consuetudo est valida, vt Canonici qui certis tantum horis choro interfuerint, integras distributiones lucrarentur.

Concilium Tridentinum mandauit tertiam partem fructuum conuerti in distributiones quotidianas, quando nulla sunt, vel minus remouentur.

Episcopi deputantur à Concilio ad applicandos fructus in distributiones quotidianas.

Concilij Tridentini due sanctiones in hoc capite distributionum quotidianarum explicantur.



5. *Capitulum simul cum Episcopo facit constitutiones super distributionibus quotidianis.*
6. *Capitulum solum sine Episcopo circa quotidianas distributiones statuere potest.*
7. *Paruum officium Gloriosissima Virginis, & mortuorum; quando & à quibus recitari debeat, ad hoc ut lucrentur distributiones quotidianas.*
8. *Officia parua predicta, vtrum extra chorum recitanda sint ex obligatione.*
9. *Consuetudo legitime introducta inseruendi per alium in choro, est valida.*
10. *Cap. vnic. de Cleric. non residentib. quomodo intelligendum.*
11.  *Applicatio distributionum debet fieri proportionabiliter.*
12. *In applicatione distributionum debet haberi ratio onerum.*
13. *Portio distributionum assignanda iuxta Concilium quanta esse debeat.*

**V**era resolutio quæstionis propositæ, vtrum Episcopus possit cogere Canonicos Ecclesiæ Cathedralis ad assistendum omnibus tam maioribus, quam minoribus officiis, omnibusque horis canonicalibus, obstante antiquissima & immemoriali consuetudine percipiendi integras distributiones, dummodò assistat horis matutinis, & vespertinis magni officij, & Missæ maiori; dependet ex sequentibus conclusionibus,

1. Prima Conclusio, validam esse consuetudinem vt distributiones quotidianæ acquitantur illis canonicis, qui aliquibus & certis duntaxat horis diuino seruitio in Ecclesia interfuerint: vt colligitur ex *Clem. 2. de atat. & qualit. & ibi Glos. in verb. certis horis. & ibi tradit Ancharan. numer. 8. Cardin. quest. 17. Imol. numer. 33. circa med. Duen. reg. 206. limit. 2. Roch. de Curt. in tract. de consuetud. num. 485. Moneta de distribut. quotid. part. 2. quest. 3. num. 43. quos refert & sequitur Barbof. de Canon. & Dignit. cap. 21. num. 22. & in tract. de iur. Eccles. lib. 3. cap. 18. numer. 33. Quamuis contradicat Grass. decis. aur. part. 2. lib. 3. cap. 14. de cleric. non residen. num. 20. ex autoritate Henrici Bohic, in cap. nonnulli. de cleric. non resident. qui tamen non loquitur de consuetudine; sed de statuto per canonicos facto: ideo à priori sententia cõmuniter recepta non est recedendum.*
2. Secunda Conclusio, ex dispositione Concilij Tridentini *sess. 21. de reformat. cap. 3.* ne diuinus cultus minuatur, statutum fuit; in omnibus Ecclesiis tam cathedralibus, quàm collegiatis; in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ; aut ita tenues, vt verisimiliter negligantur, tertia pars fructuum & quorumcumque prouentuum & obuentionum tam Dignitatum, quàm canonicatum, personatum, portionum & officiorum separetur; & in distributiones quotidianas conuertatur, quæ inter dignitates obtinentes, & cæteros diuinis interessentes, proportionabiliter iuxta diuisionem ab Episcopo etiam tanquam sedis Apostolicæ delegato faciendam diuidatur: non obstantibus exemptionibus, & consuetudinibus etiam immemorialibus, & appellationibus quibuscumque.
3. Tertia Conclusio, ex eiusdem Concilij dispositione permissum est Episcopis tertiam partem fructuum dignitatum, personatum & officiorum in Ecclesiis cathedralibus vel collegiatis, in distributiones diuidere per eos amittendas, qui personaliter qualibet die competens seruitium non impleuerint; & ipsius Ecclesiæ fabricæ, vel alteri pio loco applicandas: ita statuit Concil. *sess. 22. cap. 3.*
4. Quarta Cõclusio, Inter duas illas sacri Cõcilij sanctiones, magna est differentia: nam prior quæ est *sessio*

21. c. 3. fit ex necessitate: posterior quæ est *sessio 22. c. 3.* arbitrio Episcopi cõmittitur. Prior fit, quando nullæ vel tenues sunt distributiones: posterior non requirit distributiones tenues. Illa vult portiones non inseruientium accrescere seruientibus: hæc portiones illas non quidem inseruientibus, sed fabricæ Ecclesiæ, aut aliis piis operibus applicari mandat: vt notauit Nicol. Garc. in tract. de Benef. part. 3. cap. 2. num. 465.

Quinta Conclusio, non ad solum Episcopum, sed ad ipsum quoque capitulum spectat statuere, quænam distributionum portio, cuilibet horæ canonicæ seu alteri functioni Ecclesiasticæ applicanda sit: quia spirituale regimen Ecclesiarum collegiatarum ad Episcopum simul cum capitulo pertinet: vt notatur in cap. cum omnes. de constit. & tradit Monet. de distribut. quotid. part. 2. quest. 3. n. 15. & 16. per textum & Glos. in c. vnic. de cleric. non resid. lib. 6. in versic. statumus. in illis verbis: *iuxta Ecclesiæ cuiuslibet ordinationem. iuncta ibidem in verb. ordinationem.* quæ sic explicat vt putà quòd detur tantum ei qui interfit: ita communiter DD. Tusch. liter. D. conclus. 5 15. Bonacin. de hor. canonic. disput. 2. quest. 4. punct. 1. num. 4.

Imò in terminis constitutionis eiusdem Concilij, censuit ibi Moneta, hanc distributionem seu portionum assignationem singulis horis à solo capitulo, sine interuentione Episcopi fieri posse: ex traditis per ipsum *part. 2. quest. 13. num. 25.* vbi dicit valere statutum canonicorum sine consensu Episcopi, circa modum diuidendi quotidianas distributiones.


Sexta Conclusio, nulla Ecclesia cathedralis vel collegiata tenetur de iure communi recitare communiter officium Gloriosissimæ Virginis Mariæ si tamen adsit consuetudo, vel peculiare statutum mandans illud recitari in choro; Canonici omnes qui volunt maioris officij distributiones lucrari, tenentur etiam huic paruo officio interesse: quod eadem ratione de officio mortuorum dicendum est, ex Monet. loc. citat. *par. 2. quest. 3. num. 4. & seqq.*

Circa quod aduertendum est, quòd ex bullis Pij. V. & Clement. VIII. quæ in principio Breuiarij Romani continentur; nemo tenetur extra chorum ad recitanda parua illa officia, exceptis Ecclesiis in quibus consuetudo est illa recitandi: ita Bonacin. loc. citat. *disp. 1. quest. 3. punct. 1. n. 12. & bene explicat disp. 2. quest. 4. punct. 1. num. 5.*

Septima Conclusio, quòd legitima consuetudine præsertim immemoriali induci potest; vt quis per alium in choro inseruiat, & distributiones lucretur: Monet. in d. tract. part. 2. quest. 12. num. 48. & fusè Berous q. 114. per tot. vbi dicit eos qui resident, & interfunt per capellanos, vel per vicarios, per quos superioris autoritate, aut ex consuetudine inseruiunt Ecclesiæ: haberi pro interessentibus ad effectum lucrandi distributiones quotidianas: quia talis consuetudo immemorialis habet vim legitimæ cõcessionis, & priuilegij. Alios plures citat & sequitur Bonac. loc. citat. *disp. 2. qu. 5. punct. 6. n. 17.* Et propterea cum in quadam Ecclesia cathedrali, canonici inseruiunt ex consuetudine, omnem hominum memoriam excedente, per mansionarios & anniuersarios ac stipendiatos, qui sunt omnes clerici eiusdem Ecclesiæ; qui recipiunt salaria & stipendia à dignitatibus, canonicis & capitulo, à quibus fundati fuerunt de propriis eorum redditibus, ne cultus diuinus desereretur; Censui aliàs & Respondi, sufficere Dominos de capitulo interesse singulis horis canonicis, dum illis interfunt per substitutos, quòd fit sine vilo scandalo; cum officium honorificè fiat per præbiteros eiusdem Ecclesiæ in numero sufficienti, & absque vilo notabili detrimento cultus diuini. Et iuxta præmissa

fuit hæcenus obseruatum, & conqueuit animus Episcopi qui nihil nisi iustum, & rationi consonum desiderabat.

10. Neque obstat *cap. unic. de cleric. non residen. in 6.* & Concil. Trident. quibus consuetudines omnes reprobantur, absentibus lucrum distributionum quotidianarum tribuentes. Quia Respondetur eos qui inferuunt per se ipsos fictione iuris; cum ob id Ecclesia damnum non pariat, nec vlla perturbatio in Ecclesia sequatur, interessente eo qui alias interesse consueuerat. Ultra quod quando Concilium reprobatur quamcumque consuetudinem contrariam, non censetur reprobare eam quæ iusta ex causa introducta fuit: vt notauit Bonacin. *in tract. sup. citat. disput. 2. quest. 1. punct. 5. num. 3.*
11. Octaua Conclusio: in casibus in quibus Episcopus tertiam partem fructuum seu prouentuum distributionibus applicat, hoc debet facere proportionabiliter; vt qui plus contribuit, plus lucretur; seruata semper consuetudine distribuendi: vt voluit Costa *in tract. de rat. quest. 106. numer. 9. 10.*
12. & 11. † vel (& melius) iuxta declarationem Sacræ Congregationis, vt illis à quibus nihil debetur, & à quibus multum aufertur, multum detur: vt voluit Zerol. *in praxi Episcop. part. 1. in verb. distributiones quotidiane num. 3. in 2. & 3. dubio.*
13. Nona Conclusio: non est necesse omnino tertiam partem assignari pro distributionibus, in casibus in quibus locus est executioni decreti prædicti Concilij Tridentini: sed sufficit talem portionem pro distributionibus destinari, quanta sufficiat ad constituendas distributiones, quæ singulis horis verisimiliter minime negligantur: Vgolin *de potest. Episcop. cap. 19. §. 2. num. 4. versic. portio hæc autem.* Quod conforme est sacre Congregationis declarationi, quam retulit Garc. *de benefic. part. 3. cap. 2. num. 484. versic. unde in vna abulensi.* Et ex his resoluta manet quæstio proposita.



## CAPVT LIII.

De nullitate susceptionis ordinum ab eo qui alias non sanæ mentis fuerat. Super quo defectu Episcopus ad ordinum susceptionem dispensare non potest; sed solus Papa. De differentia inter nullitatis declarationem, & dispensationem super ordinibus susceptis. Quando maritus iuuenis facit votum continentie, vtrum vxor validè profiteri possit: & declarata nullâ pro marito ordinum susceptione, vtrum professio religionis facta per coniugatam reuocari possit: aut saltem marito præmortuo, vxor ad religionem quam professâ fuit redire cogatur.

## S V M M A R I V M.

1. Episcopus habet suam intentionem fundatam pro cognitione omnium causarum Ecclesiasticarum, & spiritualium, in prima instantia; tam de iure communi, quam in Gallia ex Concordatis.

2. Concordata Gallia præseruant Episcopalem iurisdictionem.
3. Nullitas professionis ex Concilio Tridentino intendenda est coram Ordinario, & Superiore regulari, apud quem facta fuit professio.
4. Cessante diuisione Concilij, cognitio nullitatis professionis spectat ad Episcopum ordinarium.
5. Causa nullitatis susceptionis ordinum coram Episcopo tractanda est, in prima instantia.
6. Quæ sit differentia inter dispensationem super susceptis ordinibus, & sententiam declaratoriam nullitatis ipsorum.
7. Dispensationis nomen aliquando improprie, & largo modo sumitur.
8. Quando bene probatum fuit aliquem fuisse furiosum, vel mente captum; omnes actus postea facti, præsumuntur euenisse tempore furoris vel dementia.
9. Ex eo quod quis sit furiosus, vel mente captus, oritur irregularitas.
10. Qui semel delirauit & mente captus, aut furiosus fuit; non est habilis ad sacros ordines in futurum suscipiendos, propter periculum reincidentie.
11. Episcopus non potest dispensare, vt is qui semel demens fuit postea sacros ordines suscipiat; sed solus Papa id potest, quando agitur de magna & permanenti dementia: si verò agatur de eo qui iam ante furorem vel dementia ordines suscepit, potest Episcopus illorum exercitium permittere arbitrio suo, facto prius sanæ mentis experimento.
12. Ordinum susceptio ex causa metus nulla redditur.
13. Professio mulieris coniugata, marito etiam iuvene existente, si nihil aliud obstat, tenet quoad ipsam.
14. Vxor religionem professâ si à marito reuocetur, in casibus in quibus illius reuocatio conceditur; tenetur ad religionem quam professâ est redire, mortuo marito.
15. Quando maritus est iuuenis & de incontinentia suspectus, vxore votum religionis & professionem emittere cupiente; non debet esse contenta voto continentie per maritum emittendo, sed ambo debent ingredi religionem.
16. Si tamen maritus votum castitatis fecerit validum, & sub eo prætextu vxor fecerit professionem; sibi imputare debet, nec illam reuocare poterit.
17. Si mariti votum continentie, & susceptio ordinum sit nulla; poterit hoc casu vxor, non obstante professione, à religione per maritum reuocari.
18. Professio vxoris est valida, quamuis ommissa fuerint requisita accidentalia.
19. Vtrum ex sola iuris ignorantia mulieris coniugata professio sit nulla declaranda.
20. Si maritus per vim & metum consenserit vt vxor religionem ingrederetur; vel tempore consensus non sanæ mentis fuerit; poterit vxorem reuocare.

Vt quidam, ex illustri familia oriundus in partibus Gallie, agebat coram Archiepiscopo loci Ordinatio, ad nullitatem susceptionis factorum ordinum: cumq; Ordinarius decreuisset, quod ipse in primis doceret de legitima summi Pontificis dispensatione à suscepto subdiaconatu; & postea super eius petitione prouideretur,

uideretur, prout iuris : ipse appellauit, & causam appellationis alicui ex vicinioribus Episcopis in Gallia, vt fieri solet, committi curauit. Vnde disceptatum fuit primò de validitate appellationis, & iusta causa grauaminis. Secundò vtrum in effectu, ipse fundatus esset in sua prætentione nullitatis subdiaconatus susceptionis; sub eo prætextu, quòd alijs ante subdiaconatum fuerat coniugatus; sed eo consentiente vxor ipsius, emisso per eum continentia voto (quod à subdiaconatus ordine pendet) religionem ingressa fuerat, & in ea professionem emiserat. Quæsitum fuit tertio vtrum declarata nullà susceptione & collatione subdiaconatus, posset vxorem professam ad suum consortium & cohabitationem, non obstantem illa professione, euocare.

1. Ad primam quæstionem Censui iusto cum grauamine ab Ordinarij decreto fuisse appellatum. Supponendo in primis, verum quidem esse quòd Episcopi sunt iudices omnium causarum Ecclesiasticarum, & spiritualium in prima instantia: cap. cum contingat. de for. comper. & habent suam intentionem fundatam in iurisdictione ordinaria causarum suarum diocesis: cap. cum persona. de privileg. in 6. DD. in d. cap. cum contingat. & in cap. 1. de offic. Ordin. can. omnes basilica. 16. quæst. 7. Bertachin. in tract. de Episcop. lib. 4. part. 2. quæst. 35. num. 80. Rot. decis. 15. num. 2. part. 1. & decis. 248. num. 1. part. 2. recent. & per decretum Concilij Trident. sess. 24. cap. 20. & præsertim in Gallia ex concordatis tit. de causis §. statutus quoque. & Et in specie dum agitur de professione nulla declaranda, cognitio huius rei spectat ad Episcopum loci Ordinariam, cum interuentu Superioris regularis: quod etiam notauit Ricc. in prax.
4. rerum fori Eccles. cap. 20. & Aliàs, cessante Concilio, cognitio nullitatis professionis spectaret ad Episcopum, Barbos. in tract. de Episcop. allegat. 101.
5. numero 1. & Et in specie casus propositi, quòd cognitio nullitatis susceptionis ordinum spectet ad Episcopum tradit Sayr. in florib. decis. tit. 23. decis. 3. post Nauar. consil. 4. aliàs 2. de his que vi metusue caus.
6. Secundò supponendum est magnam esse differentiam, inter dispensationem, & sententiam declaratoriam nullitatis: hæc enim, quod de iure inest declarat, & detegit, illa quod de iure minimè competeat, concedit: siquidem dispensatio omnis supponit ius esse in contrarium. Bald. in l. 2. Cod. de iur. iur. num. 2. Castrenf. Alex. & Iaf. in l. decem. ff. de verb. obligat. Surd. consil. 552. n. 12. Rot. decis. 497. num. 5. part. 1. recent. & decis. 524. num. 3. Quia quod fit per viam dispensationis, fieri non posse dicitur: Tiraquel. de retract. consang. §. 32. gloss. 1. num. 59.
7. Sanch. de matrim. lib. 8. disput. 1. num. 1. & Licet dispensatio aliquando sumatur improprie, pro iuris declaratione: cap. quinta uallis. de iur. iur. Specular. in tit. de dispensat. §. dispensatio. paulò post princip. Sed in casu proposito, dispensationis nomen non aliam, quam propria habere poterat significationem. Quia cum processus esset instructus ad ius dicendum super nullitate collationis ordinis subdiaconatus; dominus Iudex à quo, qui debebat iudicare vtrum valida esset vel inualida ordinis susceptio; Deceuit fieri fidem in primis de dispensatione aduersus dicti ordinis susceptionem; & sic loquutus est de dispensatione proprie sumpta, prout opponitur iuris competentis declarationi. Et ex his conclusum fuit in primo capite, dominum Iudicem à quo grauasse, dum non reddidit ius super declaratione petita nullitatis; & dispensationem exegit vbi non erat necessaria: cum petitio fundata esset super declaratoria nullitatis; &

fic super remedio incompatibili cum Pontificia dispensatione: iuxta prædicta.

Quod autem attinet ad secundum caput, concernens nullitatem adeptionis ordinis subdiaconatus; non est opus in medium adducere probationes dementia, in negotio & facto de quo agitur concurrentes; quæ iustis de causis onerantur; sed posito pro nimis vero quòd vir iste nobilis, ex morbo melancholico in dementiam incidit; postea verò, cessante morbo & animi alienatione, relicta coniuge, subdiaconatus ordinem susceperit, nullà à summo Pontifice irregularitatis dispensatione obtentà, præsumptio iuris est donec contrarium probetur, collationem ordinum etiam tempore dementia factam fuisse. & Quando enim probatum est aliquem semel 8. dementem fuisse, vel furiosum; omnes actus postea per ipsum gesti, præsumuntur facti tempore dementia, vel furoris; Gratian. discip. forens. cap. 843. n. 36. nam passiones animi vehementes semper durare præsumuntur, Mascard. de probat. conclus. 825. num. 2. & nominatim in furioso, quamuis haberet dilucida interualla, cuius actus præsumuntur facti tempore furoris. Mascard. conclus. 824. num. 4. Paris. de resignat. benefic. lib. 3. quæst. 8. num. 11. post Rebuff. in praxi Regul. de infirm. resignant. gloss. 2. n. 20. Barbosa in collect. in cap. cum inter. 21. num. 10. de elect. & in cap. fin. num. 13. de success. ab intestat. vbi plures alios allegat.

Verum quia præsumptio ista contrariis probationibus elidi potest, & in effectu prætendebatur probatum in contrarium dementiam cessasse tempore collationis subdiaconatus: ideo dubitatum fuit, vtrum rectè diceretur ad sacros ordines facta promotio personæ, quæ licet aliàs non sanæ mentis fuisset, eo tamen tempore quo sacris ordinibus initiatus est, ad sanam mentem redierat.

Dixi tamen nec hoc casu validam esse ordinum collationem, imò nullam & sine effectu declarandam esse. & Certum enim est in primis, omnes factuos, dementes & furiosos irregulares esse, & sacrorum ordinum omninò incapaces, teste Nicol. Plouio in tract. de irregul. regul. 1. & Quod non solum procedit in eo qui tempore promotionis erat mente captus, verum etiam in eo qui aliàs mentis delirium continuum passus est, ita vt verè fatuus, demens, vel furiosus dici potuerit; quamuis postea ad sanam mentem rediisset: per text. in can. maritum. 33. distinct. in illis verbis: neque illum, qui in furiam aliquando versus insaniuit. Quod ita statutum est ad euitandum scandalum, ne iterum ad furiam vel insaniam redeat. & Adeo vt Episcopus non potuerit ipsi ordines concedere, nec super ista irregularitate etiam ob præteritam dementiam contracta, dispensare. Quia ad Episcopum non pertinet dispensatio huiusmodi, sed illa summo dumtaxat Pontifici reseruata est, cui prius constare debet de recuperata mentis sanitate, etiam si tales dementes, aut furiosi pristino statui perfecte fuissent restituti; cum hac tamen distinctione: quòd si post promotionem ad sacros ordines furor superuenerit, poterit Episcopus dispensare, seu verius permittere vt talis sic reintegratus pristinae mentis sanitati; ordines, quibus ante furorem aut dementiam initiatus fuit, exercere possit; factò prius experimento per spatium vnus anni, aut alterius temporis, arbitrio ipsius Episcopi statuendi. Si verò furor ante susceptionem ordinum superuenerit, & ageretur de suscipiendis post finitum furorem, seu dementiam ordinibus; tunc non dispensat Episcopus vt suscipi possint ordines, sed solus Papa: intelligendo semper de magna & perma-

menti animi alienatione, qualis erat ea quæ in casu proposito interuenerat. Ita docet Maiol. *de irregulari. lib. 2. cap. 14.* Vgolin. *in eod. tract. cap. 53. & 54.* Nauarr. *in manual. confess. cap. 27. numer. 203.* Auil. *de censur. part. 7. de irregular. disput. 3. dubit. 4. in 1. & 2. conclus.* cum pluribus aliis, quos citat & sequitur Bonacin. *par. 1. in tract. de irregular. disputat. 7. quest. 2. punct. 1. num. 23.* Vnde non erat opus docere, quod subdiaconus iste dispensatus fuisset, ad reclamandum aduersus ordinum susceptionem; prout Ordinarius iniuste decreuerat: sed sufficebat docere de furore præterito, cuius occasione contracta fuerat irregularitas, super qua nulla summi Pontificis rehabilitatio produci poterat; cum in effectu obtenta non fuisset.

12. Accedebat vis & metus per consanguineos illatus: quibus probatis, sequebatur vel ex hoc solo capite, susceptionem facti subdiaconatus ordinis nullam & irritam remanere, per text. *in cap. 2. & ibi Glos. de his que vi metusue caus. sunt.* vnde nec ad illum ordinem aliqua orta fuit obligatio. Dum de nullitate loquor, intelligo de ipsa in ordine vt ad functiones, non quoad characterem.

In tertio capite non eadem adhiberi debet consideratio quoad vxoris professionem, quæ circa susceptionem ordinum respectu mariti: sed actus vnus, separatas habet rationes ab actu alterius. † Nam si vxorem respiciamus, quamuis maritus esset iuuenis & de incontinentia suspectus; nihilominus valida est vxoris in religione facta professio. Non enim requiritur pro substantia & validitate vxoriæ professionis, vt maritus ipse religionem quoque ingrediatur, ibique professionem emittat: vnde peruersio illius ordinis, seu defectus illius circumstantiæ & conditionis non substantialis, non vitiat vxoris professionem: vt notauit Sanch. *de matrim. lib. 7. disput. 33. numer. 2.*


14. † Et ideo in casibus in quibus maritus vxorem reuocare potest, eo quod in vxoris professione non fuerat obseruatus ordo iuris, & alia requisita non substantialia; veluti si maritus non modò religionem non fuisset ingressus; verùm etiam quantumuis iuuenis & incontinentiæ suspectus, nequidem simplex castitatis votum fecisset, quamuis per maritum reuocaretur, & cum eo cohabitare cogeretur ad euitandum periculum incontinentiæ ipsius; si tamen postea contingeret maritum præmori vxori, teneretur vxor mortuo marito redire ad monasterium in quo religionem professa fuerat: vt notauit Sanch. *lib. 7. de matrim. disput. 33. num. 5. & est text. in cap. ex parte 9. de conuers. coniugat.* in illis verbis: *eâ tamen sublata de medio, votum sine salutis suæ periculo non potuit violare.*

15. Si verò mariti personam consideremus, quamuis verum sit quod cum ipse esset iuuenis, oportebat illum religionem ingredi, & profiteri; ad hoc vt vxor validè religionem ingrederetur: neque sufficebat maritum emittere votum castitatis, aut sacros ordines suscipere: per text. *in cap. cum sis. 4. & in cap. vxoratus. 8. & in cap. ad apostolicam. 13. de conuers. coniugat.* Gutier. *in tract. de matrim. cap. 95. num. 1.* Dian. *resolut. moral. tom. 2. tract. 4. cap. 73. in principio.* Gratian. *discept. forens. capit. 102. numer. 21. & 22.*

16. Tamen hoc casu maritus vxorem à monasterio, quod de ipsius consensu ingressa est, reuocare non poterit: † nisi consensum illum nulliter, aut inualidè interuenisse supponamus. Ratio est, quia maritus manens in sæculo, se castitatis voto alligauerat: & ideo cum volenti non fiat iniuria, si mariti consensus aut promotio ad sacros ordines, alio ex capite non

reddatur inualida; non poterit vxorem professam à monasterio reuocare: vt notatur per Sanch. *d. lib. 7. disput. 33. numer. 9.* † Quia conditio illa quod maritus ipse professionem emittat, vxore proficiente, non est substantialis; sed accidentalis: vt dictum est post Sanch. *d. disput. 33. numer. 2.* Gutier. *de matrim. d. cap. 95. numer. 11. & 12.* Sed si promotio mariti ad sacros ordines nulla & inualida declaretur: quidam existimarunt posse hoc casu vxorem reuocari, vt cum marito habitare debeat: Sanch. *loc. citat. num. 12. † 19.* Sed tamen idem *numer. 15.* concludit differentiam fieri debere, inter vxorem & maritum, agentes ad reuocationem professi coniugis. Nam quoad vxorem in sæculo manentem, si habuerit scientiam iuris quo cauetur vxorem iuuenem debere ingredi religionem, sicut maritus; non poterit virum professum reuocare: secus verò si fuerit illius iuris ignara. Sed quoad maritum, siue iuris esset ignarus, siue non; eo ipso quod vxori licentiam profitendi concedit, censetur vouere, ac proinde non potest vxorem reuocare.

In casu tamen proposito cum maritus non esset sanæ mentis, & consensum per vim & metum præstitit: talis consensus habetur pro non præstito. † 20. Ideo verè dici potest vxorem professionem emisisse, absque consensu mariti, eaque ratione maritum, recuperatâ pristina mentis sanitate, ius habere vxorem reuocandi, per text. *in cap. quidam 3. & in cap. placet 12. de conuers. coniugat.*



## CAPVT LIV.

De fundatore laico beneficij cum reseruatione iurispatronatus, & facultatis de illo disponendi pro libito suæ voluntatis, & liberè, tam inter viuos, quàm causâ mortis; vtrùm vigore huius reseruationis, potuerit disponere in fauorem laici sine licentia & approbatione Episcopi. Et an posterior donatio eiusdem iurispatronatus facta in fauorem Ecclesiæ, vel loci pij, etiam sine approbatione Episcopi; præualere debeat priori donationi.

## S V M M A R I V M.

1. Donatio iurispatronatus est irrevocabilis: & inter duas illius donationes, prima debet posteriori præualere.
2. Qui habet facultatem eligendi, vel nominandi unum ex pluribus certis; tam in vita, quàm in morte; factâ semel electione, variare non potest.
3. Donatio iurispatronatus facta laico, nulla est; si non interueniat Episcopi consensus.
4. Episcopus unico actu potest approbare fundationem & reseruationem iurispatronatus, & illius translationem.
5. Approbatio vnus donationis facta per Episcopum, non extenditur ad futuras & ad alias donationes, sed qualibet donatio suum requirit consensum.
6. Fundator si sibi, & Titio reseruauerit iurispatronatus, qui cum Titio simul presentauit, non potest alteri remittere iurispatronatus in præiudicium

1. *Quando in patronatus transfertur a laico in laicum*  
 2. *Quamvis amphiteusis transferatur in personam*  
 3. *Reservatio facultatis disponendi facta sine præsente*  
 4. *Libere disponendi facultatem sibi reservant*  
 5. *Consensus Episcopi prima donationi facta laico*  
 6. *Posterior donatio non confirmata ab Episcopo facta in favorem Ecclesie*  
 7. *Consensus Episcopi prima donationi facta laico*  
 8. *Idem de prima facie concludendum*  
 9. *Et licet Gratianus præsupponat necessarium*  
 10. *Verum his non obstantibus*

sanguinei ipsius fundatricis invalidam esse; posterior-  
 rem vero factam per ipsam fundatricem in favorem  
 capituli validam esse, & legitimam; & in patrona-  
 tus beneficii fundati ad capitulum, non autem ad  
 donarium laicum pertinere.  
 Quia licet fundatrix in instrumento foundationis  
 sibi reservaverit in patronatus, & post obitum suum  
 voluerit illud pertinere ad suos heredes, & deficien-  
 tibus dictis heredibus, voluerit dictum in patrona-  
 tus pertinere, & devolutum esse dicto capitulo, nisi  
 aliter ipsa domina fundatrix de eodem iure patronatus  
 in favorem aliorum, siue inter vivos, siue causa mor-  
 tis disponere voluerit, & sibi placuerit: quam volun-  
 tatem, & liberam disponendi facultatem sibi per ex-  
 pressum reservavit; tamen facultas illa de dicto iure  
 patronatus aliter disponendi, debet intelligi sub ea  
 conditione quod interveniant omnia de iure requisi-  
 ta; & sic Episcopi consensus accedat. Nam licet ti-  
 tulo institutionis hereditaria, vel donationis univer-  
 salis interveniente, in patronatus a laico in laicum  
 transferri possit, quia transit cum universitate bono-  
 rum; tamen secus est dum agitur de donatione  
 particulari facta de dicto iure patronatus in favorem  
 laici: tunc enim consensus præstitus in una donatio-  
 ne non se extendit ad futuras; sed qualibet dona-  
 tio suam requirit consensum: ut notavit Lambertus  
 de iure patron. lib. 1. part. 2. quest. 2. principalis artic. 2.  
 numer. 6. fol. mibi 132. versic. certe proxime dicta  
 quamvis in casu in quo dispositio facta fuit in fa-  
 vorem heredum sanguinis, relinquat cogitandum  
 quia retinet aliquid ex qualitate hereditaria.  
 Et ad præmissa confert consilium Calderini 20. de  
 iure patron. quod approbat Roch. de Curte in tract.  
 de iure patron. in verb. ipse velis a quo. numer. 33. fol.  
 mibi 49. ubi dicit quod fundator cum consensu Epi-  
 scopi reservaverat in patronatus sibi, & Titio, vel  
 aliis, quos ipse edificans pro libito voluntatis eligere  
 voluisset; contigit quod dictus Titius bis præsentat-  
 vit una cum fundatore; postea, eueniente casu tertii  
 præsentationis, fundator volebat Titium excludere,  
 & alium tertium sibi ad præsentandum adiungere.  
 Concluditur ibi, quod cum in creatione huius benefi-  
 cij fuerit actum cum auctoritate Episcopi, ut ius  
 præsentandi fundatori & Titio competere illa clau-  
 sula, vel aliter per ipsam pro libito voluntatis eligen-  
 de non poterat præiudicare Titio, cuius persona iam  
 fuerat ab Episcopo approbata; Ratio ratione, cum  
 Episcopus fundacionem de qua agitur approbasset  
 in favorem capituli in defectum heredum; necesse  
 erat id dictum in patronatus deficientibus fundatricis  
 heredibus, solum capitulo competere & clausulam  
 nisi aliter ipsa disposuerit, non posse sortiri effectum  
 in favorem consanguinei laici, cuius persona ab  
 Episcopo non fuerat approbata in præiudicium capi-  
 tuli cuius erat qualicumque per fundacionem Episcopi  
 auctoritate confirmata; & per specialem dona-  
 tionem eiusdem in patronatus, quamvis tempo-  
 re posteriorem: de qua inferius agemus num. 140. 101.  
 Siquidem quotiescumque in patronatus transfertur  
 a laico in laicum, non sufficit tacitus consensus Epi-  
 scopi; sed requiritur expressus: nec satis est Episcopus  
 in genere assensum & auctoritatem præstare,  
 sed debet adesse specialis approbatio; quia tractatur  
 de actu pioso, & de translatione huius iuris in per-  
 sonam donationis particularis incapacem. Et ex ge-  
 nerali & tacito consensu, non potest Episcopus indi-  
 care, ac discutere rationes ob quas expediat in pa-  
 tronatus in alium laicum transferri, & verum hæc  
 translatio sit iusta sit utilis Ecclesie, & verum contra-  
 ctus sit licitus, vel illicitus, & si in iacis; & an per-  
 sona

sona inquam fit translatio, sit talis cui voluerit aut debuerit Episcopus gratiam facere. Ideo iuspatronatus ante approbationem Episcopi, semper remansit apud fundatricem, non autem penes donatarium: qui tempore donationis erat Episcopo incognitus; nec per consequens eius persona potuerit ab Episcopo approbari; prout determinat Ferret. *consil. 343. num. 2. versic. sed utrum. & sequentib.*

8. Et hoc probatur à simili. Nam quidquid Doctores disputent circa emphyteusim, hoc certum est; quòd filius aut alius nominatus in investitura feudali, tenetur nihilominus consensum Domini, & illius approbationem petere: per text. in *cap. 1. quo temp. miles &c. in vsib. feudorum*, & ibi DD. Et ratio est, quia emphyteusis continet onera realia, sicut feudum personalia: ideo persona emphyteutæ & eius capacitas pro solutione onerum realium; & feudatarij pro præstatione personalium, à Domino approbati debet. Eadem ratione cum consensus Episcopi circa translationem iuspatronatus, respiciat personæ approbationem, quæ Episcopo nominata, & ab eo cognita vel approbata non fuerat tempore foundationis; consequens est, ut in dicta translatione nouus Episcopi consensus interuenire debeat.

9. Quod tantò magis procedit, quia reservatio facultatis disponendi de iurepatronatus, sicut & alia in dicta foundatione contenta, non fuerunt simpliciter ab Episcopo approbata, sed cum clausula præseruatiua, *citra præiudicium iurium nobis & successoribus nostris competentium, & competitorum*: ita ut prætendi non possit quòd Ordinarius sibi præiudicare voluerit, quominus ab eo peti debeat approbatio, & confirmatio translationis in personam laicam faciendæ: cum clausula illa præseruet omnia iura concedentis. *Mart. de claus. part. 1. claus. 158. num. 1.*

10. Neque obstat si dicatur licuisse fundatrici, iuspatronatus illud in laicum, etiam sine Episcopi consensu vel auctoritate transferre: cum auctoritate ipso Episcopo in limine foundationis sibi reservauerit ius, de illo liberè disponendi: quod verbum *liberè* significat etiam sine Episcopi auctoritate translationem fieri potuisse: iuxta *Glof. in Clem. plures. versic. & ut facilis. de iurepatron. in verb. liberè* Barbos. *de diction. cap. 190. num. 2.* qui plurimos allegat.


11. Quia responsum fuit dictionem illam *liberè*, varias habere significationes: ut norat *Surd. consil. 265. num. 30. & consil. 316. num. 94. & seq.* nec significat quòd actus potuerit fieri propria auctoritate, quando potest aliud operari, prout hinc: quia operatur ut liberè possit disponere, habito respectu ad hæredes, & capitulum; non autem habito respectu ad superiorem, auctoritatem dictæ foundationi præstantem: tum quia ipse hoc fecit sine præiudicio iurium sui Episcopatus, ut mox dictum fuit; tum etiam quia in dicta auctorisatione nihil in dubio contra se ipsum, & suam auctoritatem facere voluisse censendus est; cum in qualibet dispositione semper censeatur excepta persona loquentis: *l. inquisitio. Cod. de solut. Surd. consil. 47. num. 20.*

12. Et facultas libera debet intelligi secundum subiectam materiam, & secundum leges & iura de illa materia loquentia: *Alex. consil. 80. num. 12. volum. 1. Gozadin. consil. 58. numer. 22. Seraphin. decis. 576. num. 4. Gonfal. ad regul. 8. gloss. 53. numer. 24. Surd. dicto consil. 313. num. 94.*

Constat igitur ex præmissis donationem iuspatronatus factam laico consanguineo fundatricis, cuius persona non fuerat approbata, nullam esse; & propterea, illà non obstante, licitum fuisse fundatrici de dicto iurepatronatus disponere in fauorem capituli,

in præiudicium primi illius donatarij, cuius donatio subsistere non poterat; & multò magis in præiudicium suorum hæredum: † quamuis in vltima donatione facta capitulo non interuenisset Episcopalis approbatio, quæ non requirebatur in hac vltima translatione iuspatronatus facta capitulo, vel alteri loco pio: *Roch. de Curte in tract. de iurepatron. in verb. ipse vel is à quo. num. 30. Ferret. d. consil. 343. num. 5. per text. in cap. 1. & ibi Geminian. & Franc. de iurepatron. lib. 6. Molin. de primogen. lib. 1. cap. 23. num. 13. Steph. Grat. discip. forens. 177. n. 3. † Optimè Duran. lib. 2. decis. 463. vbi loquitur de duabus donationibus iuspatronatus: quatum prior facta fuerat in fauorem laici; sed sine confirmatione Episcopi: posterior verò facta fuerat etiam absque consensu Episcopi, sed in fauorem loci pii; & concludit pro validitate secundæ donationis. † Addens non valere confirmationem Episcopi subsequutam primæ donationis, in præiudicium secundi donatarij, cui ius erat intermedio tempore quaesitum.*

Hæc causa fuit transactione sopita: quia durum est contra stimulum calcitrare, & lex foundationis erat admodum clara. Ideo consului concordiam, & ita factum fuit.



## CAPVT LV.

De casibus in quibus puella, vel sponsa, aut vxor sequestrari possit. Quomodo, quibus ex causis & quibus obseruatis sequestratio fieri possit, & apud quos. Et vtrum talis sequestratio duret vsque ad sententiam, & illius executionem; an verò, & quando etiam post latam sententiam. Et quid statuendum sit de muliere agente ad thori separationem, vel ad illam in ius vocata, instante marito.

## S V M M A R I V M.

- 1 *Sponsa sequestranda est, si ex parte mariti allegetur iustus timor violentiæ.*
- 2 *Sponsa traducta ad domum mariti non sequestratur, sed restituitur marito, saltem quoad cohabitationem; non autem quoad copulam.*
- 3 *Si periculum sit ne sponsus per verba de presenti traductam, sed nondum cognitam sponsam vi comprimat; non est restitutioni locus: sed procedendum est ad sequestrationem.*
- 4 *Puella, cui periculum est ne tutores immaturas, aut inæquales procurent nuptias, sequestranda est.*
- 5 *Matri binuba non debet permitti, ut puellam suam nubilem extra locum solita habitacionis traducat, & multò minus extra Monarchiam.*
- 6 *Si duo contendant de aliqua sponsa, ipsa debet lite pendente sequestrari, ne postea contingat executionem reddi illusoriam.*
- 7 *Mulier nupta, traducta & cognita debet remanere apud virum, nec locus est sequestrationi pendente iudicio nullitatis matrimonij.*
- 8 *Limitatur nisi adessent euidentes & clara nullitatis matrimonij probationes: tunc enim mulier non redderetur viro; sed lite pendente locus esset sequestrationi.*

9. *Differentia quoad sequestrationem statuitur inter virginem, & corruptam.*
10. *Iudex non debet confouere peccatum sub pretextu matrimonij, dum de eo sibi clarè constat; sed debet etiam ex officio partes separare.*
11. *Mulier rupta, de adulterio conuicta, etiam post sententiam manere debet in sequestro.*
12. *Qua sit praxis procedendi in causa separationis thori ex capite sauitia.*
13. *Mulier lite pendente super separatione thori sequestranda est: non tamen precisè requiritur quod hæc sequestratio fiat in monasterio, sed potest fieri in alio loco honesto & tuto.*
14. *Post sententiam separationis thori ex culpa viri, vxor libera ab omni sequestratione dimittenda est.*
15. *Que obseruanda sint à iudice, ad mulieris, vel puella sequestrationem deueniente.*
16. *Sequestratio non debet fieri apud affines mulieris vel puella, si suspecti sint.*
17. *Relatio peritorum nulla est, si pars in eorum deputatione citata non fuerit.*
18. *Iudex non potest nominare peritos nisi in casum discordiæ, vel contumaciæ.*
19. *Cessante causa finali sequestrationis mulieris, cessare debet sequestratio.*
20. *Sponsa cogenda est per executiones & censuras, ad obseruationem data fidei; etiam si non inuenierit iuramentum in promissione. Amplia, etiam si diceret se fide promississe, num. 21.*
22. *Sponsa, contra quam agitur ut fidem obseruet; debet manere in sequestro vsque ad finem litis: & num. 23.*
24. *Quando agitur duntaxat de exploranda voluntate mulieris; facta exploratione, finitur sequestratio.*
25. *Quandoque, sed magnâ cum circumspectione, sequestrationis mulieris vicem subit cautio.*
26. *Nonus casus in quo dubitari potest, an sit locus sequestro; remittitur ad cap. 79. infra.*

1. **C**ertum est puellam quæ cum aliquo sponsalia contraxit sequestrandam esse, quando sponsus iustam habet causam timendi, ne ipsi à parentibus aliqua inferatur violètia; si forsan ipsis insciis contraxit: quod de iure communi licet (quidquid sit de iure Gallix.) Probat per text. in cap. cum locum. quem ibi sic intelligit Abbas num. 5. de sponsalib. in versic. ex quo inferitur. vbi dicit quod ad matrimonium contrahendum non sufficit purus consensus, sed debet esse cum plena libertate & securitate: & ideo quando est indagandus animus puellæ, iudex debet ex officio prouidere vt collocetur in domo, vbi nullum metum nullamque violentiam timere possit. Quamobrem si timeatur de violentia, puella sequestrari debet in monasterio monialium, vel apud honestos ipsius consanguineos, Caroc. in tract. de sequestr. quest. 1. 6. quest. princip. num. 2.

2. Supradicta procedunt, quando agitur de sponsa per verba de futuro; secus esset dicendum, si ageretur de sponsa de præsentis: quia tunc distinguendum esset, vtrum illa ad domum mariti traducta fuisset, an non: si traducta sit, & nondum cognita, maritus debet munuteneri in possessione suæ vxoris quoad cohabitationem, & alia obsequia per vxorem debita; non tamen quoad copulam, in cuius possessione nunquam fuit; & si spoliatus fuerit debet reintegrari: & sic nullus erit hoc casu sequestrationi locus, secundum Thom. Sanch. de matrim. lib. 7. di-

spur. 112. num. 8. † Si tamen hoc casu timor esset ex parte mariti, ne violenter copulam extorqueret, dum de sponsæ restitutione disputatur; tali casu non esset restituenda, donec de illius exceptionibus cognitum esset: vt ibidem tradit Sanch. num. 10. Et hoc casu existimo maritum iuste petere posse sponsæ suæ per verba de præsentis sequestrationem, si timor adfit subornationis: per text. in cap. penult. de probat. in illis verbis: *Ponatis interim in illo monasterio quod intravit, vt ibi securè valeat commorari, donec iudiciali sententia quid agi debeat decernatur.*

Tertius est casus in quo sequestratio peti potest, quando agitur de puella quam tutor nimis festinanter, nuptui tradere vult; aut illi inæquale matrimonium procurare: tunc enim ipsa sequestratur, Caroc. in dicto tract. de sequestr. quest. 6. princip. quest. 1. num. 1. vbi etiam dicit sequestrari à vitrico ex causa suspicionis. † Vnde in casu occurrenti Consului, & sic obseruatum fuit; quod puella iuuenis, cuius mater extra Monarchiam nupserat, & ad secunda vota conuolauerat, sequestraretur in monasterio donec de eius matrimonio fuisset actum, & ad illius perfectionem deuentum: quia timor erat ne mater illam abduceret extra Monarchiam, vbi citationes exequi, & iurisdictio curiæ Episcopalis ordinaria exerceri non posset; quæ postea fuit tradita viro idoneo, & è monasterio, in quo sequestri nomine existerat, abducta; ex traditis notanter per Rot. decis. 255. numer. 21. part. 6. recent. vbi dicitur multum conuenire iuri & æquitati, ac saluti filiorum, vt non abducantur è loco suæ originis, & habitationis; & iudicem posse etiam ab ipsa matre exigere cautionem, de illos non abducendo extra illum locum.

Quartus casus est in quo conceditur sequestratio; si duo contendant de aliqua sponsa, quam vterque sibi prætendit matrimonio coniungendam esse: tunc enim, lite pendente, puella sequestrari, & copula interdici debet: per text. in cap. 2. & in cap. tua fraternitas 4. de spons. duor. & in cap. tenor. 10. §. final. iuncta glos. in verb. accedat de sentent. & re iudic. per quæ iura ita tenet Natt. consil. 250. num. 9. sequitur Gaill. lib. 1. obseruat. 112. num. 15. attestans ita fuisse in camera Imperiali obseruatum, quanquam in iuribus per eos allegatis prohibeantur quidem geminata sponsalia, sed de sequestratione ibi non fiat mentio: sed melius probatur per text. in d. cap. cum locum 14. de sponsalib. secundum primam lecturam, quam exponit Gutier. de matrim. cap. 37. num. 1.

Quintus est casus, dum agitur de muliere nupta post matrimonium consummatum, ad cuius tamen nullitatem vxor agit; & hoc casu non est decernendum sequestrum: quia maritus sua possessione spoliaretur: vt probatur per text. Glos. & DD. in d. cap. cum locum. iuncto cap. 1. vt lit. penden. & quamuis DD. in d. cap. cum locum. dicant mulierem esse sequestrandam, quando timetur quod executio propter potentiam aduersarij fieri non possit: tamen loquuntur quando mulier est virgo; vel si est corrupta, ipsa stat contra matrimonium: sed quando ipsa non stat contra matrimonium; sed is, contra quem agitur ad matrimonij nullitatem, illam possidet; & matrimonium illius est plenè probatum, & consummatum; tunc non est locus sequestro: sed mulier debet remanere apud virum, qui in eius possessione reperitur, vt fuit decisum apud Puteum decis. 248. lib. 3. in correctis, vbi notatur in margine, causâ iterum propositâ, fuisse decisum non esse locum sequestro. † Neque obstat, quod agatur de materia peccati. Quia etiam in hac materia fit restitutio vxoris marito; quando non adfunt claræ & euidentes probationes in contrarium: per

per text. in cap. litteras. de restit. spoliat. Rot. apud Post. decis. 241. num. 3. & 4.

Dixi, quando non adlunt probationes in contrarium. Quia si iudici notoriè constaret de peccato, non essent coniuges in eo confouendi; sed confestim separandi: vt in d. cap. litteras. 13. ibi, & probationes offeruntur incontinenti. de restit. spoliat. & tradit additio margin. ad Pute. d. decis. 248. lib. 3.

9. Vnde in casu occurrenti, Dixi, verum quidem esse maritum lite pendente & consummato matrimonio manutendū esse; quāuis agatur de materia peccati: vt præter supra deducta probatur per Gratian. *discept. forens. cap. 850. n. 6.* vbi docet hoc casu non esse locum sequestrationi vxoris. Postius, *de manutent. obseruat. 10. num. 97. & 98.* vbi id benè explicat, vt locum habeat si ageretur de virgine; quia ipsa sequestrada est: secus de muliere corrupta, cōsummatōque matrimonio; præsertim si ex eo liberi procreati fuerint: quam distinctionem etiam facere videtur Rot. apud Ludouic. *decis. 351. num. 45.*
10. Tamen quia notoriè constabat illam mulierem viuere cum peccato; quia matrimonium non fuerat contractum coram proprio Parocho, neque denunciations in Gallia ex ordinationibus requisitæ interuenerant; sed solū instrumentum matrimonij sumptum per notarium, & mulier illa retenta fuerat à viro per aliquod tempus tanquam focaria seu concubina; Consului vt ipsā prius dimissā, vir instaret ad matrimonij perfectionem in facie Sanctæ Matris Ecclesiæ, prout fuit factum; & lis introducta ad obtinendam matrimonij celebrationem; non obstantibus alijs impedimentis, & oppositionibus affinium: quia alioquin ipse iudex Ecclesiasticus partium ordinarius potuisset ad separationem consortij & cohabitationis procedere ex officio, lite durante: Gemin. *consil. 76. in princip. Thusc. litter. P. conclus. 441. num. 14.* Postius *de manutent. dicta obseruat. 10. num. 95. add. ad Burat. decis. 815. num. 22.*
11. Sextus casus est, quando agitur de muliere nupta, quæ propter adulterium separatur à marito: & hæc sequestranda est omninò, si maritus hoc petat, & expensas offerat, in loco in quo peccandi occasio omninò tollatur: veluti in monasterio, (in locis in quibus adlunt monasteria conuertitarum) vt fusè comprobatur Farin. *de delict. carnis, quest. 141. numer. 19.* idque non solū durante lite, sed etiam ipsā finitā; quia hoc illi datur loco pœnæ: vt ibi per Farinac.
12. Septimus casus, quando vxor agit ad separationem thori propter culpam mariti; veluti propter eius sæuitiam, aut adulterium; & datur iudici fumus periculi imminentis casu quo vxor cum marito habitaret: iuxta praxim quam assertit Sanch. in *tract. de matrim. lib. 10. disput. 18. numer. 30.* vbi dicit quòd iudex debet capere summarias informationes, etiam parte non citatā; super iusto timore futuræ & irreparabilis sæuitiæ; qui sufficit ad obtinendam separationem ad tempus: † tunc mulier sequestrari debet, & poni in loco tuto, donec causa fuerit decisa: Farin. *quest. 143. numer. 218.* veluti in domo alicuius mulieris honestæ, in qua vir, vel eius affines, & consanguinei aliquam iniuriam aut violentiam inferre non possint: & vicissim mulier non habeat occasionem malè viuendi, aut etiam in aliquo monasterio monialium: quia non exigitur præcisè quòd ipsa sequestraretur in monasterio, neque ad id præcisè per iudicem cogi potest: sed ad iudicis officium pertinet; vt prouideat de loco commodo & securo ac honesto; & vt possit securè ac liberè suam causam agere; vt decisum fuit in Rot. apud Burat. *decis. 684.*
14. Octauus casus est, quando fuit lata sententia sepa-

rationis thori propter viri sæuitiam, aut culpam: & hoc casu, non solū vxor marito non est restituenda; sed etiam liberanda à sequestro iam facto: ita vt ipsa possit sibi eligere habitationem prout sibi placuerit: & si timeat offendi à marito, possit se ipsam constituere in loco tuto, & securo, per eam eligendo: quod probatur per text. in cap. ex transmissa. 8. in fin. *de restit. spoliat.* vbi mandatur vxorem sequestrari in loco tuto, donec lata fuerit sententia: ergo latâ sententiâ in fauorem vxoris, cessat sequestratio: alioqui pœnam vxor innocens pateretur, quod esset absurdum: ita determinat Cyriac. Niger, *controuerf. 172. num. 109. iuncto num. 5.*

Cæterum in casibus in quibus locus est sequestrationi mulieris, virginis, vel desponsatæ, seu etiam coniugatæ; iudex, penes quem huius negotij cognitio est, ad multa aduertere debet. Primò enim si de matrimonio puellæ contententes viri sint potentes, debet sumere summarias de fide matrimonij data informationes, rixas & querelas ex officio, quantum fieri potest, impedire; etiam indictis pœnis, & inuocato si opus fuerit brachio sæculari: puellæ repositiones non in domo parentum accipere, sed in loco ab omni suspitione remoto, vbi libera sit illius voluntatis declaratio. † Eaque de causâ dicebam aliàs, Responsiones personales cuiusdam nobilis puellæ factas super fide data matrimonij, & super illius voluntate, minus rectè habitas fuisse; quia examinata fuerat in domo affinium, qui quotidie maximo cum animi ardore instabant, vt matrimonium tanquam metu celebratum, nullum & inualidum declararetur: vt testatur Ricc. in *praxi rer. fori Ecclesiast. tit. de praxi matrimon. decis. 247.* † Idque non obstant prætenu allegatæ infirmitatis, de qua non constabat, nisi per relationem peritorum nulliter in ciuitate Tholosana nominatorum; nempe parte non citatâ, iuxta doctrinam Bart. in l. *Theopompus. n. 11. ff. de dot. præleg. Pacian. de probat. lib. 1. cap. 47. numer. 20.* Barz. *decis. Bononiens. 22. numer. 6. & 10.* qui omnes requirunt partis citationem in nominatione peritorum: † cū non possit iudex peritos ex officio nominare, nisi in casum discordiæ partium in nominando, vel contumaciæ: vt per Barz. *d. num. 6. & 10.* Cū ergo non constaret de infirmitate puellæ, per relationem peritorum legitime factam; nec quòd infirmitas esset talis, quæ illam ad locum non suspectum deduci impediret; saltem adhibitis pro eius sanitate debitis præcautionibus; sequebatur dictæ puellæ responsiones personales vt minus legitime factas, esse in loco non suspecto repetendas. Totam huiusce rei praxim ponit ad longum Gutier. *d. cap. 37. num. 2.*

Præterea debet iudex considerare qua de causa, & ad quem finem fiat sequestratio puellæ, vel mulieris. Si enim fiat simpliciter ad explorandam illius voluntatem, factâ exploratione cessabit sequestratio. Si vt puella, vel mulier sit securo & immunis ab omni violentia; durabit sequestratio quamdiu durabit occasio & timor violentiæ. Si denique vt sententiæ proferendæ executio non reddatur inutilis, durabit vsque ad finem litis, & sententiæ executionem: quod benè explicat Gutier. *d. cap. 37. de matrim. num. 3.*

Vnde aliàs inferebam, quòd cū quædam puella alicui fidem suam per sponsalia legitime contracta dedisset; lite desuper pendente sequestranda erat; nec à sequestro dimouenda, donec lis fuisset terminata: ne sententia proferenda in illo iudicio, defectu executionis redderetur elusoria. Non enim fiebat sequestratio ad explorandam illius voluntatem, quia imò cogenda erat ad obseruantiam iuratæ promissionis, Ricc.



S V M M A R I V M.

- Ricc. in dicta prax. matrim. decis. 331. & decis. 233. num. 6. vbi hoc locum etiam habere vult, etiam si non interuenisset iuramentum: Bonacin. de matrim. quæst. 1. punct. 2. num. 1. Talisque coactio fieri potest etiam per capturam personarum, & per censuras Ecclesiasticas, Sanch. de matrim. lib. 1. disput. 29. num. 4. in princip. Ricc. collectan. 231. Seraphin. decis. 1112. num. 1. † Ampliatur etiam si mulier diceret se fictè, & animo se non obligandi promississe. Bonacin. loc. citat. n. 4. versic. Dico ex vi iuramenti.
22. Itaque cum non ad explorandam voluntatem, sed pro securitate executionis fieri debeat sequestratio; non debebat amoueri à sequestro donec lis fuisset plenè terminata. Gutier. dict. cap. 37. num. 3. versic. & quidem primo casu. Alex. consil. 161. num. 10. lib. 5. Crauet. consil. 190. per tot.
23. Eadem ratione in illa causa matrimoniali Tholofana, de qua supra, num. 16. Dicebã puellam vsque ad exitum causæ in loco tuto sequestrandam, nec à sequestro amouendam donec lis fuisset finita; iuxta conclusiones supradictas, & per text. in dict. cap. cum locum. de sponsalib. his verbis: Mandamus quatenus puellam, de cuius matrimonio quæstio ventilatur, in domo in qua nihil eam timere oporteat, facias honestè teneri, donec prædicta causa terminata fuerit; & sententia sine contradictione cuiusquam valeat executioni mandari. Ratio est, quia agebatur contra ipsam ad obseruationem fidei datæ.
24. Et è contrario, in alia matrimoniali Montis Adhemarij, in qua solum tractabatur de exploranda voluntate sponsæ, quæ in quadam arce detenta declarauerat se nolle illud matrimoniũ: deinde verò ad libertatem reducta, contrariam fecerat declarationem; & primam reuocauerat. Dixi locum quidem esse sequestro, sed sponsam, factã suã spontaneã declaratione, dimittendam esse; nec in sequestro amplius detinendam: iuxta conclusiones prædictas, & tradita per Gutier. dicto cap. 37. num. 3. versic. & videtur, & versic. ceterum. & num. 5. Et ex eodem fonte deducuntur ea, quæ de muliere coniugata in sequestro retinenda, vel dimittenda; superius diximus num. 7. & seq. quæ hinc non repetuntur.
25. Vltimò aduertendum est post Gutier. dict. cap. 37. numer. 3. in 2. casu, versic. quod sic ex meritis causæ. posse iudicem, si iura sint in ambiguo, puellam nondum nuptam parentibus committere, datis fideiussoribus idoneis: qua tamen in re iudex circumspectus admodum esse debet, & aduertere vtrum fideiussor sufficiat: vt per eum sententiæ proferendæ executio, non reddatur elusoria: qua in re multum poterit illius arbitrium.
26. Nonus casus in quo dubitari potest, vtrum sit locus sequestrationi; nempe quando vxor allegat mariti impotentiam: exponitur inferius c. 79.

1. Ecclesia metropolitana, vel cathedralis, est communis parochia totius dioecesis.
2. Quilibet potest recipere sacramenta in Ecclesia cathedrali.
3. Qui in festo Paschatis communicat in Ecclesia cathedrali, satisfacit præcepto Ecclesie.
4. Ecclesia cathedralis, ob ius parochialitatis, habet regulariter fundatam suam intentionem in exactione decimarum.
5. Ecclesia inferiores censentur in dubio constructæ ad auxilium & succursum cathedralium.
6. Ecclesia inferiores erectæ in parochiales, habent titulum collatiuum & perpetuum.
7. Non potest procedi ad erectionem parochie per viam separationis ab Ecclesia cathedrali, nisi de consensu ipsius Ecclesie cathedralis.
8. Concil. Triden. sess. 21. de reform. cap. 4. non habet locum quando in loco remoto adest oratorium, aut Ecclesia succursalis.
9. Ecclesia in qua sacramenta administrantur nomine Ecclesie cathedralis per presbiteros deputatos, & amouibiles; dicitur succursalis, seu auxiliatrix Ecclesie cathedralis.
10. Matricis Ecclesie nomen varias quidem habet significationes, sed præcipuè applicatur Ecclesie cathedrali.
11. Sacerdos Ecclesie auxiliatricis non dicitur Rector, sed officiator.
12. Amouibilis presbiter, non proprio, sed deputantis nomine; possidet.
13. Possessio deputati ad tempus, finito tempore expirat, & non est manutenibilis.
14. Amouibilis Vicarius in Parochiali deputatus, potest amoueri sine causa; sed non animosè, aut ex odio: hoc enim casu posset iudicis officium implorare.
15. Dato sumo perpetuitatis, possessio longi temporis manutenibilis est.
16. Officia Ecclesie amouibilia dari possunt ad vitam cum consensu capituli, & auctoritate Papæ.
17. Episcopus non potest reuocare concessionem ad vitam officij manualis, si Papæ confirmatio accesserit.
18. Qui semel officium amouibile consensit dari ad vitam, non obligatur ad id in futurum.
19. Amplia vt per talem consensum, si de eius animo, vel protestatione appareat; sibi non præiudicet in petitorio, nec in possessorio.

**E**cclēsia Cathedralis curam animarum per vicarium temporalem, & ad nutum amouibilem exercere solita, in quodam ciuitatis suburbio; semel vicarium, durante eius vita, in illius suburbij Ecclesia pro sacramentorum administratione deputauerat. Illo autem vitæ functo, quidam vicariam illam sub nomine perpetui beneficij impetrauarat: Vnde quæsitum fuit vtrum talis impetratio subsisteret? Et negatiuè responsum fuit.

In primis enim supponendum est Ecclesiam Metropolitanam seu Cathedralē esse communem totius dioecesis parochiam: probatur in cap. 2. & ibi Gloss. & DD. de pœnitent. & remiss. in 6. in verb. suo subdito. vbi dicit Archipresbiterum Ecclesie cathedralis, quoad sacramenti pœnitentiæ administrationem, reputari Vicarium Episcopi. † Et de iure quilibet potest sacramenta recipere in Ecclesia cathedrali,

CAPVT LVI.

Ecclesiam Cathedralē, quæ propriè Matrix dici potest, totius dioecesis esse parochiam: & fundatam habere intentionem in Ecclesiis auxiliatricibus, quas Succursales vocant, ibique non esse cogendam Vicarium perpetuum constituere; præsertim si sit in immemoriali consuetudine presbiteros amouibiles, & salarios deputandi.

- & maiori; quæ dicitur parochia totius diocæsis: Glof. in cap. officium. 3. in verb. à foris veniunt. de offici. Archipresb. Card. in Clem. dudum. §. verum. de sepultur. Barbos. in dicto cap. officium. num. 4. Vnde & quoad administrationem sacramenti matrimonij, Archipresbiter Ecclesiæ cathedralis dicitur ad hunc effectum proprius Parochus: exceptis tamen locis, in quibus de consuetudine talis illi potestas non conceditur; ex notatis per Sanch. de matrim. lib. 3. 3. disput. 28. num. 1. & 2. † Eademque ratione, quamuis omnes vtriusque sexus fideles, semel in anno teneantur in propria parochia sanctissimam Eucharistiam sumere; ex cap. omnes vtriusque sexus. de pœnitent. & remission. tamen præcepto satisfaciunt, si sacram synaxim accipiant in Ecclesia cathedrali. Bonacin. de sacram. Eucharist. disp. 4. quest. 7. punct. 4. 2. num. 11. † & ista Ecclesia cathedralis, tanquam matrix, habet intentionem fundatam in decimis, ob ius parochialitatis: cap. cum coningat. 29. & ibi Glof. in verb. de iure communi. De decim. & ibidem 5. Barbos. num. 7. † Aliæ verò Ecclesiæ intra diocesim constructæ, nisi habeant suos limites distinctos, cum iuribus parochialibus separatis; censentur erectæ & fundatæ ad succursum Ecclesiæ cathedralis; si erectæ ea ratione probentur post foundationem ipsius cathedralis, Rebuff. de decim. quest. 6. num. 20. Monet. 6. cap. 7. quest. 1. num. 30. † Sed Ecclesiæ in parochiales erectæ, cum suis limitibus distinctis, & separatione, & dismembratione iuris parochialis; habent ritulum collatiuum & perpetuum; & suo nomine proprio habent fori pœnitentialis exercitium; & constituitur in illis, verus Ecclesiæ parochialis Rector. Rota decis. 272. num. 2. par. 1. recent.
7. Secundò supponendum est, quòd si Ecclesia matrix non consenserit separationi, & distinctioni parochiæ; non potest ad talem separationem procedi, propter magnum præiudicium quod ipsi inferretur. Rebuff. in praxi, tit. de erectione in curatam, & paroch. num. 4. Costa de subsid. remed. 75. num. 3.
8. Verum quidem est, quòd ex Concilij Tridentini dispositione sess. 21. cap. 4. de reformat. quando propter loci distantiam parochiani, sine magno incommodo ad audienda diuina officia accedere non possunt; prout in hoc casu; in quo locus erat satis remotus; Episcopi inuitis Rectoribus nouas parochias erigere possunt: sed hoc intelligendum est vt locum non habeat, quando in loco illo remoto & difficilis accessus, adest Ecclesia seu oratorium cum fonte baptismali, ibique Rector apponeret vnum Sacerdotem in sui adiutorium. Ricc. in praxi rer. for. Ecclesiast. decis. 554. num. 6. Menoch. consil. 477. num. 9. Cost. de subsid. remed. 75. num. 10.
9. Quamobrem Ecclesia ista, quæ in suburbio erecta fuerat in adiutorium tantum Ecclesiæ matricis, seu cathedralis; non erat parochia distincta, & independens à matrice; sed erat potiùs Ecclesia succursalis, seu auxiliatrix addita Ecclesiæ matri, DD. in d. cap. ad audientiam 3. de Eccles. adificand. Petr. Gregor. de benefic. cap. 10. num. 16. Decius in cap. ex parte 10. 2. num. 1. & 2. de rescript. Non negamus tamen quin Ecclesia matrix dici possit quæcumque alias habens sub se; licet non sit cathedralis: vt dicit Rot. d. decis. 272. par. 1. recent. sed propriè loquendo, matrix vocatur Cathedralis Ecclesia: vt dicit Dec. in d. cap. ex parte. 2. de rescript. num. 2. & est text. in cap. venerabili 22. in fin. de verb. signific. ibi, Nos enim per Matricem Ecclesiam, Cathedrales intelligi volumus.
11. Sacerdos autem, qui in ista Ecclesia auxiliatrice deputatur, non dicitur Rector, sed officiator; &

est capellanus ad nutum amouibilis: vt dicit ibidem Dec. num. 1. Bald. consil. 18. num. 2. volum. 5. titulus enim canonicus Rectoris non potest conferri nisi à Diocesano: vt dicit Baldus ibidem.


Et talis conductitius non possidet nomine proprio, sed nomine conducentis: Bellamer. consil. 38. per tot. maximè in versic. nec secundum dici potest. Ideo dicitur habere simplex salarium, & non titulum: Garc. de benefic. part. 1. cap. 2. num. 93.

Neque ex deputatione talis curati amouibilis, illiusque nominatione, prætendi potest aliqua possessio manutenibilis: quia possessio ad tempus limitata concessa, finito tempore expirat. Garc. d. cap. 2. num. 87. part. 1. Gratian. discip. forens. cap. 167. num. 22.

Si tamen deputatus iste ad exercenda iura parochialia, quantumuis amouibilis, expelleretur ex mera animositate, & in odium accusationis, atque animo vindictæ; tali sic remoto competeret officium iudicis, seu superioris: Gratian. d. cap. 167. num. 22. Cessante autem malitiâ, potest ad libitum remoueri, etiam sine causa: Rot. decis. 778. num. 1. & 2. part. 1. diuers. Gratian. vbi sup. num. 27. quia remouens vitur iure suo. Caualer. decis. 72. num. 5. † qui tamen num. 1. dicit, quòd si possessio esset longi temporis, daret aliquem statum considerabilem ad effectum manutentionis, vel reintegrationis: cap. querelam. de elect. dummodò prætenderet beneficium esse perpetuum, & de eo sumum daret. Post. de manutent. obseruat. 52. num. 24.

Possunt tamen ista officia manualia & amouibilia concedi ad vitam deputati, accedente consensu capituli, & autoritate Superiorum: Rebuff. consil. 110. num. 8. vbi dicit, quòd si Vicarius de consensu Episcopi fuerit deputatus ad vitam, † & ista deputatio fuerit autoritate sedis Apostolicæ confirmata, non poterit deinde ab Episcopo reuocari. Sicut in simili, valet conductio decimarum facta ad vitam conductoris: vt dicit Monet. de decim. cap. 5. num. 65.

Sed ex vnica concessione non colligitur mutatio status, nec propterea cogendum est capitulum post mortem secundarij, seu adiutoris, aut vicarij istius; alium perpetuum nominare, seu constituere: cum constet de mente concedentium, qui noluerunt sibi in futurum præiudicare. Nicol. Garc. de benefic. d. par. 1. cap. 2. numer. 114. quia vltimus status in beneficialibus attenditur in dubio, secus quando constat clarè de intentione illius, qui noluit sibi in futurum præiudicare. Garc. d. numer. 114. † Adeo vt nec in petitorio, nec in possessorio ius quæsitum dicatur, ad effectum inducendi perpetuitatem. Rota apud Garc. loc. citat. num. 94. vbi dicitur hoc multò magis procedere, quando in tali concessione ad vitam facta, fuit expressa protestatio præseruatiua iurium concedentis. Et par. 10. cap. 2. num. 16. vbi dicitur non attendi vltimum statum, si non constet de erectione vicariæ perpetuæ. Et ex his fuit conclusum, illum qui vicariam istam amouibilem vt beneficium perpetuum impetrauerat, non esse in sua impetratione fundatum: & illa vicaria semper amouibilis remansit.



## CAPVT LVII.

De interpretatione ordinationis Regiæ, quæ cauetur deuolutarios omnes teneri cauere idoneè, antequam in iudicio recipiantur.

Vtrum

Vtrum cautio hæc post litem contestatam peti possit. Vtrum parte non petente. Quis sit effectus denegationis audientiae. Vtrum danda sit cautio, quamuis ante annum possessor impeditus fuerit. Et vtrum Graduati, Nominati, vel Indultarij ad hanc cautionem adstringi possint.

S V M M A R I V M.

1. Deuolutarij omnes in Gallia, antequam in iudicio recipiantur, cauere idoneè tenentur.
2. Deuolutarijs, si non eligant domicilium, & idoneè caueant; denegatur audientia.
3. Audientia denegata, si procedatur ad ulteriora, processus erit nullus.
4. Cui audientia denegatur, vtrum denegetur appellationis remedium. Remissiuè.
5. Deuolutarius ita demùm cauere tenetur, si ab eo cautio petatur.
6. Quando quis ex statuto cauere tenetur, intelligitur dummodò pars id petat.
7. Cautio ante litem contestatam à deuolutario peti debet, aliàs remissa censetur.
8. Dictio, Auant que d'estre receu, ordinem substantialem denotat.
9. Cautionem etiam post litem contestatam peti posse indicatum fuit.
10. Praxis tamen contrarium obseruat, vt omninò ante litem contestatam petenda sit.
11. Cautio, vtrum danda in fauorem possessoris non annalis, in Gallia, per deuolutarium? Quòd sic. num. 12.
13. Graduati, Nominati, & Indultarij vigore sua nominationis, gradus, vel indulti impetrantes, cauere non tenentur.
14. Ius conferendi datâ negligentia collatoris ordinarij, deuoluitur ad alios collatores: vt ibi exponitur.
15. Si collator ordinarius infra sex menses à die requisitionis non prouiderit Graduato, aut Nominato; locus est deuolutioni.
16. Deuolutio non fit omisso medio, excepto summo Pontifice, vel Legato.
17. De collatione iure deuoluti facta. Remissiuè.
18. Graduatus si alio iure impetret quàm in vim gradus, tenetur cauere.
19. Impetrans Graduatus, debet esse talis tempore impetrationis.
20. Tempus possessionis resignantis in anno non computatur.
21. Successor quoad tempus possessionis non inuatur possessione auctoris.

I. Vre Gallico statutum est beneficia viuentium certo modo vacantia impetrantes, quos deuolutarios vocant; cuiuscumque qualitatis & conditionis existant, & de quibuscumque beneficijs agatur, antequam audiantur & recipiantur in iudicio, teneri domicilium eligere, & cauere in fauorem possidentium beneficia in Gallia sita, datis idoneis fideiussoribus de iudicatum soluendo, secundum formam iuris, & aliàs prout in Regia ordinatione Blesensi, anno 1580. edita, artic. 46. continetur: & in alijs insertis in Codic. Henrici IV. & en la Conference des Ordonnances. lib. 1. tit. 3. artic. 45. & alibi passim. Circa cuius ordinationis interpretationem, & praxim; sequentia notanda sunt.

Primò deuolutario cautionem idoneam non danti, 2. audientiam denegari: vt colligitur ex illis verbis Regiæ ordinationis, auant que d'estre receus aux actions qu'ils voudront poursuiure, & ita tenet Louet. in sum recollect. arrestor. litter. D. num. 18. in principio. † 3. Et per consequens si ad ulteriora procederetur in causa, nullâ datâ cautione, processus esset nullus. Peregr. consil. 87. numer. 4. volum. 1. & est communis opinio teste Imola & Alexand. in l. 1. §. sublata. ff. ad Trebell. Vant. de nullitate ex defectu mandati, num. 52. & 53. vbi dicit processum agitatum cum eo, cui à lege viua, vel mortua denegatur audientia; esse ipso iure nullum. Francisc. Salgad. de Regia protect. part. 2. cap. 8. numer. 4. † vbi etiam fusè exponit 4. quando denegetur appellatio illi, cui denegatur audientia.

Secundò notandum est, ea quæ mox, de deuolutario ante datam cautionem non admittendo ad iudicium, dicta sunt; intelligenda esse, dummodò reus conuentus cautionem sibi præstari postulet; eo enim non opponente, iudicium subsistit: ita DD. omnes Galli ordinationem declarant, & inter ceteros Mornac. ad l. furti. 6. ff. de his qui notant. infam. his verbis: cauere enim datis fideiussoribus tunc tantum necesse est, cum ab aduersario petitur. Theuen. ad ordinat. Reg. lib. 1. de l'estat Ecclesiastique, tit. 22. artic. 1. in verb. Auant que d'estre receus.

Et generale est, vt quando statutum aut constitutio dicit non aliter valere actum, quàm si prius cautio vel fideiussio præstetur; non tamen ob defectum cautionis præstandæ is vitietur, aut nullus reddatur, si à parte fideiussio vel cautio petita non fuerit: l. peto 69. §. fratre. & ibi Castrens. numer. 3. ff. de legat. 2. Minfing. centur. 1. obseruat. 6. Gaill. lib. 1. obseruat. 124. in fin. Carpan. ad statut. Mediolan. par. 1. cap. 44. num. 12. & 13. & cap. 131. num. 533. & 534. & cap. 64. num. 4.

Tertiò, vtrum cautio ista præstanda sit ante litem contestatam, vti exceptionis dilatoriae vim obtinens; an verò etiam post litem contestatam, & processu ad iudicandum instructo; anceps est quæstio. Nam quòd ante litem contestatam sit petenda; & factâ contestatione, remissa censetur; videntur ostendere verba ordinationis: auant, id est priusquam recipiatur in iudicio. † Quæ verba ordinem inducunt; cuius peruersio actum fieri impedit. Abb. in cap. literis. in 5. notab. de restitut. spoliat. Ergo ante litem contestatam petenda est, nec aliter cautionis admittenda petitio, quàm seruando ad vnguem ordinem à Regia constitutione definitum. Atque ita fuit iudicatum apud Louet. d. litter. D. num. 8.

Contrarium tamen iudicatum fuit anno 1598. die 23. Aprilis. imò nullum hactenus iure suo cecidisse testatur Mornac. ad d. l. furti. 6. ff. de his qui notant. infam: ) vel quia non cauisset; vel quia contestatione factâ, omnes formulas non impleuisset, quæ ad instruendum intra data ab edicto tempora præscriptæ sunt. † Sed in praxi prior opinio seruatur, vt cautio ante litem contestatam petenda sit: teste Theueneau d. tit. 22. artic. 1.

Quartò videtur dicendum, illi non esse imponendum cautionis onus, qui beneficiũ aduersus eum impetrauerit qui nondũ per annũ & diem possederat: vt colligitur ex verbis ordinationis: Qui auront obtenu leurs deuoluz sur les paisibles possesseurs par an & iour. Licet verba illa ordinationi post illius editione à cõpilatore addita fuisse, & ex regula 35. de ann. poss. desũpta fuisse dicat Theueneau. Et quamuis alius effectus consideretur in regula, alius in constitutione Regia, semper tamen idem sit finis: vt scilicet improbi lites

exquirentium motus; & odiosa, beneficia aliena aucupantium desideria reprimantur.


11. Verùm licet regula de triennali in suo casu obseruari debeat, & obseruetur in Gallia: tamen cautio à deuolutario exigì potest iuxta ordinationem, siue impetratio fiat aduersus eum qui per annum, siue qui minori tempore beneficium impetratum possidet; prout dicto arresto anni 1616. decisum fuisse testatur Mornac. *in d. l. furri. circa finem.* sequitur Brodeau ad Louer. *lettre D. num. 18.* Atque ita iudicatum ex sententia Theuen. *loco citato.*
13. Quintò, à cautionis necessitate eximuntur Graduati, Nominati, Indultarij, & alij impetrantes virtute suorum graduum, nominationum, vel indultorum; ob recusationem collatorum ordinariorum, vel propter collationem factam personis non graduatis, nominatis, aut qualificatis: quia tunc ius conferendi deuoluitur ad superiorem: iuxta ea quæ fusè explicat Rebuff. *in Cõcord. tit. de collationib. § si quis vero. in verb. dispositiones, & in verb. deuoluantur;*
14. *versic. & hoc ius deuoluitur, & passim in toto illo §. †* Vt in simili, si ius conferendi pertineat ad capitulum, deuoluitur ad Episcopum; datà negligentia capituli intra sex menses non conferentis: & si Episcopus habeat ius conferendi, facultas post sex menses deuoluitur ad capitulum; si ad Episcopum simul & capitulum, deuoluitur ad Metropolitanum: *ex cap. 2. de concess. præbend. †* Et per illum textum dicit Rebuff. *consil. 28. num. 9.* Quòd si post sex menses impetratio fiat coram Episcopo collatore ordinario à die requisitionis computandos, non valebit collatio: quia ius conferendi post sex menses pertinebat ad
16. Archiepiscopum: iuxta *d. cap. 2. de concess. præben. †* hoc tamen non impedit, quin omisso medio recurri possit ad Papam, vel Legatum, quibus competit ius præuentionis: Rebuff. *d. consil. 28. num. 1. 2. & 3.* in aliis collatoribus gradatim, & cum ordine procedendum est: vt *ibidem num. 2.*
17. De eadem collatione iure deuoluti facta (quia est extra materiam huius capituli) multa paucis dicit Anthon. Fab. *in Cod. tit. de episcop. & cler. definit. 17.* Redeundo igitur ad materiam Dico, quòd si graduatus aut qualificatus impetret in vim gradus & qualitatis iure deuoluto; non debet onere cautionis
18. grauati: † si verò alio iure impetret, adstringendus erit ad cautionem, sicut & cæteri: vt colligitur ex verbis modificationis, prædictæ ordinationis; quam refert Papon. *lib. 3. tit. 7. arrest. 1.* & in Codice Henrici IV. *lib. 1. tit. 23. artic. 4.* in illis verbis: *Impetrans des deuolus, par vertu de leurs degrez, nominations, & indults; au refus des Prelats ou Collateurs ordinaires.* Et colligitur ex iis quæ habentur, *in artic. 1.* apud Charond. *d. tit. 23. circa finem annotationis.* Quia (inquit) qui vigore gradus, aut nominationis vel indulti impetrant, censentur id facere in vim illius iuris: ideo si alio iure impetrent, tenentur sine dubio ad cautionem: quia id faciunt tanquam quilibet extraneus.
- Et propterea dum casus occurrit, Consului aliàs anno 1614. vt is qui beneficium impetrauerat, Doctoratus, seu gradus inutilem pro illa vice expensam euitaret; duplici quidem ratione motus. Primò, quia impetratio non fuerat facta iure deuoluto, iuxta formam *d. cap. 2. de concess. præbend.* sed propter incapacitatem possessoris, & non in vim gradus, vel nominationis, aut indulti: vnde non poterat euitari præstatio cautionis. Secundò, quia adeptio gradus qui subsequeretur impetrationem nihil iuaret.
19. † Quia qui impetrat beneficium tanquam Graduatius, vel Nominatus, debet esse talis tempore impe-

trationis; nec suffragatur qualitas postea superueniens: Rebuff. *in concord. tit. de collat. §. statumus 2. in verb. modo præmisso qualificatis, versic. secundo requiritur.*

Sextò, si alicui placeret opinio, quòd impetrans aduersus eum qui minori vnus anni tempore possedit; non teneatur ad præstationem cautionis: pro qua (vt dictum est) aliqua supremarum Curiarum arresta lata fuerunt: notandum erit † tempus possessionis resignantis non esse computandum, sed solum tempus quo resignatarius possedit. Vnde quamuis resignans possederit per annum, etiam si aduersus resignantem deuolutum obtentum fuerit, & deuolutarius possessionem acceperit, ante resignarium audietur impetrans, & dabitur illi recedentia seu manutentio, factà fide de incapacitate resignantis, etiam nullà datà cautione: prout iudicatum fuisse mense Iulij, anni 1598. testatur Nicol. Frerot, *en la Conference des Ordonnances, lib. 1. tit. 3. §. 45. num. 33. circa finem. †* Cùm de iure successor non possit se iuare tempore sui prædecessoris, vt dicatur per tempus à lege requisitum possedisse. Rebuff. *in concordat. tit. de mandat. Apostolic. §. declarantes. in verb. successores. versic. & hic annus computandus est.* Ludou. Gomef. *super regul. de triennali, quest. 13.* quia (vt iam dictum est) modificatio illa Regiæ ordinationis facta fuit ad instar regulæ de annali, quæ est 35. inter regulas Cancellariæ in fauorem possessionis, & odium illius qui intra annum negligens fuit in impetrando beneficium vacans. Vnde nulla potest impetranti imputari negligentia, si aduersus simoniacè resignantem, qui per triennium, & amplius beneficium possederat, breui tempore post commiss. m simoniam impetrauit; cùm antea impetrare non posset. Faciunt tradita per Rebuff. *ad d. regul. 35. Cancellaria, in verb. immediatè precedentem, & ita tenet Bouchel in summa benefic. in verb. deuolutaires. colum. 2. versic. Caution doit estre baillée.*

Cætera, quæ ad dictæ ordinationis explicationem pertinent, videri poterunt apud DD. superiùs citatos, & Tournet. *in arrestis benefical. littera D. num. 25. & seq.*

Sed hodie deuolutarij in Gallia tenentur possessionem capere intra annum, & postea litem instaurare infra sex menses, ex declaratione facta anno 1638. artic. 15.



## CAPVT LVIII.

De congrua portione Vicario assignanda: quæ in ea computentur, & quanta esse debeat. Vtrùm in illius computatione debeat haberi ratio incertarum obuentionum, & vtrùm acceptans portionem tenuem sibi debeat imputare. Quando, & quomodò quis aduersus talem acceptationem in integrum restituendus sit.

## S V M M A R I V M.

1. Curam animarum exercenti congrua portio ex decimis assignanda est, ex qua commodè viuere possit.
2. In computatione congrua portionis, non est habenda ratio emolumentorum qua extra Ecclesiam percipiuntur.

3. *Non est etiam habenda ratio obuentionum incertarum.*
4. *In contrarium videtur esse Bulla Pij V. qua mandat omnia etiam incerta emolumenta imputari in congruam.*
5. *In quibus casibus incerta computentur in congruam.*
6. *Imputandum est illi, qui nimis tenue beneficium acceptauit.*
7. *Si congrua portio sit ita tenuis, vt ex ea curam exercens, viuere non possit: non nocet illi acceptatio tenuis illius portionis, cum agatur de præiudicio totius ordinis clericalis.*
8. *Sed hæc insufficientia probanda est per allegantem.*
9. *In taxatione congrua portionis, multum deferendum est iudicio Episcopi.*
10. *In congruis portionibus assignandis præsumitur pro decreto Episcopi.*
11. *Congrua portionis taxatio remittitur arbitrio Episcopi.*
12. *Ex Bulla Pij V. congrua portio non debet esse minor quinquaginta, nec maior centum scuis.*
13. *Quandoque ex loci, temporis, fructuum, & qualitatis personarum, circumstantiis; congrua centum scuta excedere potest.*
14. *In assignatione seu taxatione congrua portionis, attendi debet consuetudo regionis.*
15. *Debet etiam haberi ratio onerum, veluti si adhibendi sint plures adiutores propter magnum numerum animarum: quo casu congrua excedere potest centum scuta.*
16. *Populus non tenetur ad præstationem congrue Vicario, nisi in casibus in quibus nullas, vel ita tenues soluit decimas, vt ad sustentationem Rectoris non sufficiant.*

**P**Etente vicario aduersus capitulum congruam portionem, eo quod sex tantum tritici salmatas & undecim scuta in pecunia singulis annis percipiebat; quam minus sufficientem esse assererat: Episcopus per modum prouisionis Decreuit, capitulum teneri in futurum singulis annis decem salmatas illi persoluere, & octodecim scuta in pecunia numerata: cui decreto acquieuit, & in illius executionem per aliquod tempus solutionem suæ congruæ recepit. Postea verò videns maximum laborem, & expensam in illius curæ exercitio requisitam, ob magnum populi numerum aliàsque circumstantias: Quæsiuit vtrum fundatus esset in petitione maioris, & magis congruæ portionis.

1. Dixi nullum esse dubium, quin Parocho curam animarum exercenti, & sacramenta administranti congrua portio debeatur: *cap. extirpanda. §. qui vero. vbi Gloss. & DD. de præbend.* Et quod Episcopus, aut alius decimas percipiens, ex illis teneatur congruam portionem præstare: *cap. 1. decima sexta. quæst. 7. Abb. in cap. cum contingat. num. 7. extr. de decimis.* Quod verum est, nisi adsit conuentio, aut transactio in contrarium: debetque talis portio esse sufficiens vt Parochus commodè possit sustentari: *Glos. in cap. vnic. in verb. absque penuria. de statu regul. lib. 6. † Neque habenda est ratio emolumentorum, quæ curatus extra Ecclesiam percipere potest: quia ex eo altari cui seruit, etiam viuere debet, cap. cum secundum. de præbend. & cap. ex his. 12. quæst. 2.*
3. † Nec etiam haberi debet ratio oblationum, vel aliarum obuentionum incertarum, quæque ad certam summam redigi non possunt: quia venter non debet

pendere ab incerto euentu. *Rebuff. de congrua. num. 83. & 86. Mantica. decis. 269. numer. 6. Rot. decis. 5. num. 3. part. 2. diuers. & decis. 449. num. 6. part. 2. recent. & decis. 420. sub num. 2. part. 1. recent.*

Quantquam in contrarium videatur facere Bulla Pij V. vt notauit Barbof. *de iur. Eccles. vniuers. lib. 3. cap. 6. num. 44.* in illis verbis: *Computatis omnibus etiam incertis emolumentis, & aliis obuentionibus communiter percipi solitis.* *Massobr. in praxi concurs. ad parochial. requis. 1. dub. 23. numer. 10.* & consuluit *Gutier. consil. 8. per tot.* desumens fundamentum ex verbis dictæ Bullæ, quæ mandat omnia emolumenta, & obuentiones etiam incertas in computanda congrua portione numerandas esse.

In hac contrarietate adhibenda est illa distinctio: 5. quod emolumenta incerta duplicis sunt generis. Alia enim sunt quæ ad quandam certitudinem reduci possunt, vt sunt decimæ frumenti, vini, aliisque fructus, emolumenta & obuentiones quæ penes Parochum sunt incertæ, quoad quantitatem: nam aliquando sunt maiores, aliquando verò sunt minores, iuxta abundantiam vel penuriam fructuum qui ex prædiis percipiuntur. Alia verò sunt emolumenta, & obuentiones quæ percipiuntur ex labore & officio Parochi, veluti eleemosinæ altaris, funeralium, & similia. De emolumentis primi generis, Bulla intelligenda est; vt ea computentur in congruam: sed emolumenta secundi generis nullo modo computanda esse decisum fuit in *Rot. decis. 230. num. 3. & 4. part. 6. recent.* & ita etiam distinguit *Barbof. d. cap. 3. num. 44.*

At in casu proposito, dictus Parochus non erat fundatus in petitione augmenti congruæ portionis: sibi enim imputari debet, quod curam sub tali congrua portione acceptauerit; & deinde illius augmentum obtinuerit cui acquieuit; portionem suam per aliquot annos iuxta decretum Episcopi recipiendo: vnde nunc non potest petere vt iterum augeatur: † 6. sed ipsi imputandum quod acceptauerit beneficium nimis tenue. *Gloss. in cap. quanto. in verb. indulgenus. de censib. & ita sapius determinauit Rot. & nominatim decis. 239. num. 1. part. 2. recent.*

Verum quidem est, quod si congrua sit ita tenuis, 7. vt curam animarum exercens non possit viuere, nec onera Ecclesiæ sustinere; tali casu, saltem per viam restitutionis in integrum, succurritur illi; aduersus assignationem congruæ: nec dicitur isto casu sibi præiudicasse per assignationem, & acceptationem tenuis illius præstationis: cum non agatur solum de præiudicio suæ personæ, verum etiam de præiudicio Ecclesiæ, & totius ordinis clericalis: vt per *Rot. bene declarantem decis. 449. num. 5. part. 2. recent.* addent. ad *Ludouis. decis. 439. num. 8.*

Difficilem autem existimari probationem dictarum circumstantiarum, scilicet quod Parochus commodè ex illa assignata portione viuere non posset; † 8. quod tamen omninò erat probandum, vt iam diximus, & tenet *Rota d. decis. 239. num. 7. part. 6. recent.* duplici quidem ratione.

Primò, quia contra Parochum adest iudicium Episcopi, † cui in hac materia plurimum deferendum 9. est; cum iura conscientias Ordinariorum onerent hac in re: *Clement. 1. de iurepatron. † Et ideò in congruis assignandis, præsumitur pro decreto, seu sententia Ordinarij; nisi constet, de euidenti iniustitia, & iniuritate illius. Seraph. decis. 123. num. 1. & 2. † & 11. portio congrua remittitur de iure arbitrio Ordinarij, Seraph. decis. 550. num. 1.*


Secundò, quia dicta congrua portio videtur sufficiens, cum Bulla Pij V. velit illam non esse minorem 12.

50. nec maiorem 100. scutis : vt etiam obseruauit Seraph. *decis. 93. num. 6.* Ista autem taxatio grani, ad quatuor scuta pro qualibet salmata, ascendit ad sexaginta circiter aureos, vnde die 13. aprilis. 1624. Consului dicto Parocho, vt à sua prætentione desisteret, prout in effectu desistit.

13. Est tamen aduertendum circa præmissa, quòd licet ex bulla Pij V. congrua non debeat excedere summam centum scutorum : tamen aliquando Rota Romana maioris quantitatis assignationem factam approbavit; ea ratione, quia in eius assignatione debet considerari locus, quantitas fructuum, & onerum; consuetudo regionis, qualitas personæ & similia: vnde non mirum si attentis his circumstantiis maior quantitas quandoque assignetur : vt per Rot. *decis. 220. num. 11. part. 6. recent. ex traditis per Rebuff. in tract. de portion. congr. quest. 9. †* Multum etiam in hac materia attendi debet consuetudo regionis: quia in vno loco carius viuitur, quàm in alio : vt dicit Rebuff. *dict. quest. 9. & admonet Rota decis. 595. num. 6. part. 4. recent.*
15. Considerandum quoque est, vtrum adsit ingens animarum numerus, pro quarum cura necessarii sint plures coadiutores, & aliæ expensæ magnæ faciendæ. Item si agatur de persona multum qualificata, cui vberiores expensæ debentur; vt iudicauit Rot. *decis. 437. numer. 5. part. 3. recent.* vbi approbata fuit congrua 450. ducatorum propter magnum numerum animarum; ratione cuius necessarii erant quatuor coadiutores, & propter alias circumstantias.

Itam autem portionem regulariter soluendam, & petendam esse ab eo qui decimas percipit, supra *num. 1. diximus ex traditis per Rotam decis. 239. n. 3.*

16. *part. 2. recent.* Vnde † populus ad eius solutionem non tenetur, nisi in casibus in quibus nullas soluit decimas, vel ita exiguas, vt ad Rectoris sustentationem non sufficiant. Rot. *decis. 437. n. 4. in fin. part. 3. recent. & decis. 420. num. 8. part. 1. recent.*



## CAPVT LIX.

De Appellatione interposita in examine ad parochialem inter concurrentes facta: & vtrum Episcopus minus idoneum, omisso magis idoneo, in concursu eligere possit. Quæ requirantur vt peti possit nouus concursus. Quæ circumstantiæ considerandæ sint in examine ad parochiales per concursum. Et quæ sint necessaria, vt quis dicatur intrusus.

### SVMMARIVM.

1. In concursu ad parochiales non licet appellare à non publicatione votorum, quæ per examinatores data sunt.
2. A votis examinerum in concursu ad parochiales, non datur appellatio suspensiuæ, neque deuolutiuæ.
3. A decretis interlocutoriis non datur tacita appellatio.
4. Episcopus, inter idoneos in examine ad parochiales concurrentes, potest vni ex illis gratificari.
5. Episcopus potest eligere idoneum, omisso magis idoneo in concursu.

6. Nouus concursus ad parochiales nunquam conceditur, nisi docto de dolo & irrationabili iudicio Episcopi.
7. Qui caret beneficio præferendus est ei, qui iam est prouisus, ceteris paribus: & *num. 12.*
8. Coniectura referuntur ex quibus prouisus habere præsumitur animum resignandi.
9. Qui habet animum resignandi, vel dimittendi beneficium, non debet ad concursum admitti.
10. In dubio præsumitur pro iudicio Ordinarij, nisi de dolo & irrationabilitate constet.
11. In concursu debet haberi ratio plurimum circumstantiarum.
12. Qui iuxta munus cui præficitur aptior est, ceteris est præferendus.
13. Intrusus dici non potest, qui habet titulum coloratum.
14. Intrusionis pœnas non incurrit, qui nullos fructus percepit.
15. Rehabilitatio cum noua gratia, purgat vitium intrusionis.

Appellatum fuerat à iudicio Episcopi, quo in concursu parochialis quemdam alteri concurrenti, præuio examine, iuxta sacri Concilij Tridentini formam facta; prætulerat. Primò quidem ex eo quia appellans petierat vota examinerum aperiri, & illorum copiam sibi tradi, vt ad superiores recursum habere possit: quod tamen illi fuerat denegatum. Secundò ab ipsa relatione examinerum, & ab irrationabili Episcopi iudicio, super quibus in Legatione per viam appellationis disputatum fuit.

Pro eo, qui ab Episcopo nominatus fuerat, Dixi<sup>1.</sup> appellationem prædictam subsistere non posse: cum præcipuum illius fundamentum fuerit ex eo, quòd denegata sibi fuit publicatio votorum: quia sæpius declaratum fuit per Sacram Congregationem, examinerum vota quidem, inter ipsos palam danda esse; dum super idoneitate concurrentium inter se conferunt: sed non teneri vota in scriptis publicare, imò sufficit quòd apud acta testentur se reperisse talem idoneum ex pluralitate votorum: vt notat Barbof. ad Concil. Trident. *sess. 34. cap. 18. numer. 120.* Nic. Garc. *de benefic. part. 9. cap. 2. num. 107.*

Similiter non datur appellatio suspensiuæ, neque<sup>2.</sup> deuolutiuæ à votis examinerum teste Garc. *dict. part. 9. cap. 2. numer. 241. & 242.* Intelligendo tamen vt hoc procedat solum in casu proposito, nempe dum agitur de beneficiis curatis, de quibus loquitur Concilium *dict. cap. 18.* secus in beneficiis simplicibus, in quibus licet præsentati, seu electi, vel nominati à personis Ecclesiasticis non debeant institui, nisi prius fuerint ab Ordinariis nominati; & non possit aliquis sub prætextu appellationis euitare examen: vt habetur in *dict. Concilio session. 7. cap. 13.* tamen à relatione & reprobatione examinerum datur appellatio suspensiuæ, & deuolutiuæ; quando agitur de beneficiis simplicibus vt dicit Garc. *dict. cap. 2. num. 244.*

Et licet appellans prætenderet appellationem suam extendendam esse ad grauamen per eum prætentum, malam & irrationabilem electionem sui aduersarij; tamen eius pretensio non erat fundata. † Quia ista<sup>3.</sup> decreta tanquam habentia naturam interlocutoriæ, requirunt expressam appellationem quæ hinc non erat interposita, nisi à recusatione publicationis votorum. Rot. *decis. 591. num. 3. part. 1. recent.*

Et quamuis constaret appellationem prædictam<sup>4.</sup> ab electione, & nominatione Episcopi fuisse interpositam: non tamen ideo fundata esset, cum Episcopus in

in concursu plurium qui sunt idonei possit gratificari vni, omiſſis aliis idoneis; nec in tali casu detur graua-  
men considerabile, in quo fundari possit appellatio. Rot. d. decis. 591. num. 5. part. 1. recent. vbi dicitur  
ita fuisse iudicatum in vna Rauennatenſi coram  
Card. Arrigonio quæ inferitur apud Garc. de benef.  
5. sic. d. part. 9. cap. 2. num. 250. † Imò ex mente Sacræ  
Congregationis relata apud Garc. dict. cap. 2. num.  
109. Episcopus non tenetur sequi pluralitatem vo-  
torum, & sufficit quòd eligatur idoneus, omiſſo ma-  
gis idoneo: quia alias omnes electiones litibus &  
controuersis essent suppositæ: vt fuit dictum apud  
Ludouif. decis. 11. numer. 8. quanquam in parochiali-  
bus verius sit, non solum in foro interiori, sed etiam  
in foro exteriori eligendum esse magis dignum; alias  
electionem nullam esse: vt notauit addit. ad Ludo-  
uif. dict. decis. 11. in littera E. in prima, & secunda  
conclusionone.

6. Nunquam tamen decerni debet nouus concursus,  
nisi appellans doceat de doloſo & irrationabili iudi-  
cio Episcopi, seu eius Vicarij: alias sequeretur quòd  
semper posset appellari ab electione Episcopi per cõ-  
cursum. Rot. decis. 223. num. 6. post consilia Farina-  
cij, & in dict. decision. 11. apud Ludouif. num. 1. & in  
decis. 521. numer. 1. vbi dicitur iudicium Ordinarij &  
examinatorum, in concursu ad beneficium, in fauo-  
rem alicuius; non posse reuocari in secunda instan-  
tia: nisi appareat illud fuisse irrationabile, doloſum,  
& carnalitatſis, aut humanæ passionis affectu prola-  
tum. Ricc. in praxi rerum fori Ecclesiast. decis. 426.  
numer. 2. vbi dicit quòd de dolo & irrationabilitate  
Episcopi euidenter constare debet, cum Bulla Pij V.  
conditionaliter loquatur; & ibi nonnullas doli, &  
irrationabilitatis coniecturas affert: veluti si fami-  
liarem & consanguineum suum eligat; si Doctorem  
& vnum ex compatronis reiciat; & similia: quam-  
uis ob solam Doctoris qualitatem; admissio illius,  
qui Doctoratus gradum non habet, non dicatur irra-  
tionabilis: vt declarauit Rot. decis. 551. numer. 4.  
part. 3. recent. cum multæ aliæ qualitates considera-  
ri debeant, vt mox ostendemus. Et quòd de irratio-  
nabili iudicio, & dolo Episcopi liquidè constare de-  
beat, docet etiam Mareſcot. lib. 1. variar. resol. cap.  
52. num. 24.

7. Et tamen tantum abest, vt de irrationabili iudi-  
cio Episcopi constare posset, quin potius multa con-  
currerent ad fauorem prouisi, qui nullum aliud ha-  
bebat beneficium; cum tamen exclusus, esset proui-  
sus de sufficienti reditu, tam ex beneficio, quam ex  
pensione: cum de iure, is qui beneficio caret præ-  
ferendus sit ei qui aliud obtinet: cap. is cui. de præ-  
bend. in 6. & habetur in d. decis. 223. num. 2. post con-  
silia farinacij.

8. Rursus multæ aderant coniecturæ ad præſumen-  
dum, quòd præfatus appellans, habebat intentionem  
dimittendi illud beneficium suo nepoti: quia habebat  
beneficium duplo pinguius, quod per viginti annos  
possederat: aderant illius epistolæ, & confessiones  
nepotis, qui etiam constitutus fuerat procurator à  
patruo ad litem hanc prosequendam; & ipse nepos  
declarauerat se de propriis pecuniis expensas litis so-  
luisse: vnde nullo modo fundata erat intentio dicti  
9. appellantis. † Cum certum sit ad concursum non  
admitti eum, qui habet intentionem resignandi: per  
text. in cap. commissa. §. ceterum. de elect. lib. 6. Vgo-  
lin. de offic. & potest. Episcop. part. 2. cap. 50. §. 6.  
num. 5. vbi addit quòd Romæ iurare cogitur con-  
currrens, se non habere tunc animum renunciandi: &  
in seipſo hoc ita obseruatum fuisse testatur. Præte-  
rea multæ aliæ haberi potuerant considerationes per

dominum Vicarium Episcopi, & examinatores syno-  
dales: vt Quòd reiectus, esset necessarius ad exerci-  
tium curæ animarum in alio prioratu, quem obtine-  
bat: Quòd senilis eius ætas non adeo apta erat ad  
beneficium de quo contendebatur, cuius Ecclesia  
parochialis sita erat extra oppidum, intermedio exi-  
stens flumine, quod hyeme, & ætate pertransire de-  
bet Parochus. † Denique pro iudicio Episcopi, vel  
10. Vicarij in hac materia præſumendum est, nisi de dolo  
& irrationabilitate illius constet: cap. in presentia.  
de renunciat. Rot. d. decis. 223. num. 1. & alibi passim.


Neque obstare Dixi quandam declarationem exa-  
minatorum synodalium factam in contrarium. Quia  
ipsi non retractarunt votum suum, sed dixerunt se in  
eo non habuisse rationem ætatis & doctrinæ, dum  
declararunt quis esset magis idoneus; sed ex eo mo-  
tos fuisse, quia prouisus nullum aliud habebat bene-  
ficium; reiectus verò aliud satis bonum obtinebat,  
in quo necessarius erat pro salute animarum: quod  
nocere non potest electo. † Quia vt iam diximus, 11.  
non solius doctrinæ & ætatis habenda est ratio in  
concurſu, sed aliarum etiam circumſtantiarum. Gon-  
fal. ad regul. 8. glos. 4. numer. 113. & seq. Mareſcot.  
lib. 1. variar. resol. cap. 52. num. 25. 26. & 27. Rot. in  
Faentina Parochialis, decis. 521. 551. & 563. part. 3.  
recent. † Et in specie, quòd præferri debeat destitutus 12.  
beneficio, beneficium habenti tenet Rota dict. de-  
cis. 223. numer. 2. post consilia Farinacij, & qui iuxta  
munus & rem cui præſicitur aptior est. Mareſcot.  
dict. cap. 52. num. 28.

Non obstat etiam quòd de intrusione electi oppo- 13.  
nebatur. † Primò quia non poterat dici intrusus, cum  
haberet titulum ab Illustriss. Domino Vicelegato, sal-  
tem coloratum; qui præbet excuſationem: Rota de-  
cis. 741. num. 8. part. 2. recent.

Item nullos fructus perceperat; cum tamen ad 14.  
hoc vt quis dicatur intrusus, oportet vt fructus per-  
ceperit. Puteus decis. 45. lib. 3. Rot. decis. 531. num. 2.  
in fin. part. 2. recent.

Denique in omnem euentum Responſum fuit ipsum 15.  
fuisse rehabilitatum, & nouam gratiam & prouisio-  
nem obtinuisse; quod sufficit: Garc. de benef. part.  
11. cap. 10. num. 225. maximè autem ante fructuum  
perceptionem, Idem, num. 235. & in terminis Paris.  
de resignat. lib. 8. quest. 9. num. 90.

Re maturè disculſa, post longas altercationes, &  
varias Sacræ Congregationis declarationes, Rota iu-  
dicauit secundum hæc scripta in fauorem R. D. Ho-  
ratiij Laurentij, super prioratu loci de Rocabeliera in  
Niciensi Parochialis, 13. Martij 1628. quæ decisio  
inferitur apud Burat. decis. 137. confirmata part. 5.  
recent. decis. 260. & 344.



C A P V T L X.

Monasterium ex quibus proberetur esse exem-  
ptum ab omnimoda Episcopi iurisdictione, &  
immediatè subiectum sedi Aposto-  
licæ. Et quomodo possit prætendere iuris-  
dictionem quasi Episcopalem, in omnibus  
causis tam matrimonialibus, quam crimi-  
nalibus. Et vtrum huic iurisdictioni fiat  
præiudicium per actus contrarios, factos à  
Religiosis contra formam priuilegiorum  
Apostolicorum.

## S V M M A R I V M.

1. *Exemptio realis monasterij à iurisdictione Episcopi comprehendit personas, & bona.*
2. *Per exemptionem censetur derogatum omnibus iuribus Episcopi, si ampla fuerit.*
3. *Per quas clausulas concessa censetur monasterio iurisdicção quasi Episcopalis.*
4. *Per exemptionem amplissimis verbis conceptam, censetur creatum nouum, & separatum territorium à reliqua diocesi.*
5. *Prior & conuentus habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, vocari possunt Diocesani illius territorij à diocesi Episcopi separati.*
6. *Territoriorum separatio probatur ex separato exercitio iurisdictionis in certo loco, independenter ab Episcopo.*
7. *Exemptio à iurisdictione Episcopali in certo territorio potest acquiri per immemorabilem prescriptionem.*
8. *Regulares possunt exemptionem ab Episcopali iurisdictione acquirere, prescriptione immemorabili.*
9. *Quamuis cognitio causarum matrimonialium & criminalium spectet de iure, & ex Concilio Tridentino ad Episcopum: tamen potest aduersus eum, ius de eis cognoscendi acquiri prescriptione immemorabili: quam Concilium tollere non intendit.*
10. *Cessante dispositione Concilij, sufficeret prescriptio quadragenaria ad acquirendam exemptionem, aduersus Episcopum; & iurisdictionem circa causas spirituales; si cum ea adesset titulus.*
11. *Quando agitur de obseruantia interpretatiua, non est necesse ut probentur omnia ad prescriptionem requisita: sed sufficit solum obseruantiam probare.*
12. *Acquiescentia Episcoporum, imò sola suspicio se posse repelli, tribuit quasi possessionem monasterio iurisdictionem quasi Episcopalem exercenti.*
13. *Scientia possessionis aduersarij presumitur ex longi temporis possessione, & ex actuum multiplicitate.*
14. *Iurisdicção, & quæuis alia possessio per prescriptionem quesita, censetur acquisita priuatiuè, & non cumulatiuè.*
15. *Religiosi exempti à iurisdictione Ordinarij, & sanctæ sedis Apostolicæ immediatè subiecti, non possunt per quoscumque actus in praiudicium sedis Apostolicæ praiudicare suæ exemptioni; & se supponere iurisdictioni Ordinarij.*
16. *Si Episcopus aduersus exemptum prescripserit; illemet, qui prescriptionem passus est, potest opponere de iure sedis Apostolicæ aduersus Episcopum.*
17. *Episcopus ad locum exemptum, qui aliàs erat de eius diocesi, accedens, non potest exigere iura honorifica in loco exempto, & habente iurisdictionem quasi Episcopalem; nisi eo modo quo debetur honor & reuerentia cuiuscumque Episcopo extraneo, ratione sui gradus & dignitatis.*

**I**N quæstione proposita Censui in primis Conuentum esse prorsus exemptum ab Episcopali iurisdictione, stantibus Bullis plurium summorum Pontificum, quibus Ecclesia & prioratus, de quo agitur,

cum suis pertinentiis; in ius & proprietatem, ac protectionem sancti Petri, & sedis Apostolicæ recipiuntur; & ab omni potestate & dominio, ac iurisdictione omnium Ordinariorum perpetuò ex certa scientia eximuntur; & exempta declarantur: dictusque Conuentus ad Ecclesiam Romanam, immediatè dicitur pertinere. † Quæ exemptiones cum sint reales, non solum personas; sed etiam res, & bona, ac loca ipsa comprehendunt. Rot. decis. 205. num. 1. part. 6. recent. & apud Tamburin. decis. 55. numer. 7. eadem Rota decis. 43. num. 4. d. part. 6. † vbi dicitur quòd per talem exemptionem, censetur derogatum omni iuri, Ordinario competenti: & decis. 156. eadem part. num. 1. vbi alia iura allegantur.

Ultra dictam exemptionem, Dixi competere prefato Conuentui, seu Priori & religiosis illius, vigore dictarum Bullarum Apostolicarum iurisdictionem Episcopalem: cum possint habitatores dicti loci, & exteros illuc aduenientes cogere, ad audienda diuina; & ad confitendum & communicandum tempore opportuno; nec non inobedientes punire in casibus, in quibus veri Diocesani suos subditos compellere possunt. Item absoluerè à censuris, & casibus referuatis, & casus sibi referuare; ornamenta Ecclesiastica, nec non Ecclesiam ipsam & Cemeterium in casum violationis benedicere. Verum quia quæ sunt ordinis non possunt ab Episcopali autoritate separari; concessa fuit dictis religiosis facultas, Episcopos sibi beneuolos inuitandi, vt omnes sacros ordines in eodem loco quibuscumque personis sæcularibus, aut religiosis conferre possint, aut si maluerint, ordinandos ad quoscumque voluerint Antistites dimitendi: Chrisma, & oleum sanctum ab Episcopis sibi beneuolis recipiendi: curam animarum exercendi per se, vel presbiteros sæculares per Priorem instituendos; absque eo quòd occasione dictæ Curæ rationem reddere teneantur; aut alicui Diocesano penitus subiecti sint.

Ex quibus omnibus resultat euidenter probatio autoritatis quasi Episcopalis; cum tales actus non conueniant nisi habentibus illam potestatem, & iurisdictionem: vt determinauit Rota coram Pamphilio apud Marchesan. de commiss. tom. 1. tit. de commiss. appellat. in possessorio & saluiano fol. 980. num. 1.

Neque existimandum est, iurisdictionem dicto Priori & conuentui competentem, cumulatiuè concessam esse; quin potiùs priuatiuè: vt probatur ex tenore dictarum Bullarum Apostolicarum, per quas Ecclesia, & locus prædictus omninò positus fuit extra diocesim, & factus veluti territorium separatum, & noua diocesis, Gratian. discip. forens. cap. 212. num. 9. & seq. Quia licet locus ille ex natura, & originaliter esset de diocesi; tamen per priuilegium Apostolicum ab illa subtractus & separatus est Roland. à Vall. consil. 33. num. 28. volum. 3. † & Prior ac religiosi dicti conuentus dicuntur Diocesani illius loci, excluso Episcopo. Felin. in cap. cum olim. 18. in princip. in versic. secundò limita. de prescriptionibus. Et de his plura habet Gratian. d. cap. 212.

Et ex eo quòd dicti Prior, & Religiosi omnimodam exercet iurisdictionem in dicta Ecclesia, & locis illius, aut ab ea dependentibus; eo ipso probatur territoriorum separatio: Rot. decis. 207. num. 5. versic. quæ quidem. part. 2. diuers. Balbus de prescript. part. 5. quæst. 11. num. 7. & 8. Seraph. decis. 1278. num. 4. Tamburin. decis. 69. num. 12. & decis. 70. num. 2.


Prædicta confirmantur, eo quòd dicti Prior & Conuentus à tempore immemorabili, videntibus & non contradicentibus Episcopis, imò ipsis consentientibus; iurisdictionem ordinariam priuatiuè prescripserunt.



7. scripserunt † De iure autem, quamuis priuilegia Pontificia cessarent, totalis exemptio à iurisdictione Ordinarij cum iurisdictione quasi Episcopali, etiam priuatiuè, & status nullius diœcesis præscribi potest: *cap. cum persona. §. si autem. de priuileg. in 6.* Balbus *de præscript. par. 5. quæst. 11. num. 4.* † vbi loquitur etiam de Præfato regulari, Rot. *decis. 145. num. 5. par. 2. d. uers.*
9. Quod etiam locum habet ratione iurisdictionis, & cognitionis causarum criminalium, & matrimonialium: quia licet Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 20. §. ad hæc.* Huiusmodi causarum cognitionem soli Episcopo tribuerit; non tamen excludere voluit præscriptiones immemorales: vt sapius sacra Congregatio declarauit. Rot. apud Postium *de Manuten. decis. 306. num. 3.* & antea coram Aldobrandino 1. Iunij 1565. apud Tambur. *decis. 39. & de is. 43. num. 5. & decis. 44. num. 6.* † Cùm aliàs sufficeret quadragenaria cum titulo, vt locus ille censeatur effectus proprium territorium dicti Prioris & Conuentus; & non dicatur amplius de diœcesi antiqua, sed nullius diœcesis. Rota apud Tamburin. *de iur. Abbatum decis. 40. & decis. 48. num. 8.* idem Tamburin. *in dicto tract. rom. 1. disput. 15. quæst. 9. num. 16. & 17.*
11. Sed in casu isto, præscriptio immemorialis potius est interpretatiua titulorum præcedentium, & concessionum ex priuilegiis Apostolicis Priori & Conuentui factarum; quam noui iuris inductiua: quo casu, sufficit probare solam obseruantiam, quamuis non probentur requisita ad præscriptionem. Rot. apud Postium *decis. 71. num. 1.* interueniente potissimum scientia, & expresso consensu Episcoporum; † Quos sufficiebat acquiescere repulsiõni factæ per Religiosos exemptos, aut aliàs se habuisse pro spoliatis ad effectum acquisitionis, seu potius conseruationis iuris, & iurisdictionis quasi Episcopalis. Innocen. *in cap. dilectus. num. 3.* & ibi Hostiens. *num. 1. versic. ex prædictis. de capell. Monach.* cum aliis quos citat & sequitur Rot. apud Tamburin. *loc. citat. decis. 53. num. 9. & decis. 63. num. 15.* † Imò scientia Episcoporum, cessantibus etiam prædictis probationibus, præsumeretur ex actu multiplicitate, & temporis diuturnitate: Rota *decis. 685. num. 4. par. 5. recent.* Seraph. *decis. 306. num. 5. & 7.* & apud Postium *decis. 139. num. 7.*
14. Imò iurisdictione per præscriptionem acquisita censeatur priuatiuè, & non cumlatiuè: quod generaliter obtinet in quacumque possessione acquisita per præscriptionem; vt priuatiuè quæsitæ censeatur: Felin. *in cap. pastoralis. num. 5. in 8. limitat. de offic. Ordinar.* Ioan. Bapt. Ferret. *consil. 142. num. 13.* Menoch. *lib. 2. præsumpt. 18. num. 24.*
15. Quæ adeo vera sunt, vt quamuis religiosi dicti conuentus aliquos actus fecissent, in præiudicium præfatæ exemptionis; nullum tamen ex eo ius quæsitum fuisset: quia cùm conuentus sit immediatè subiectus Summo Pontifici, non potuit per aliquos actus factos inter Priorem, religiosos, & Episcopum; præiudicium inferre sedi Apostolicæ, seu iuribus ipsius: Gloss. *in cap. dilectus. in verb. generetur. de capell. monach.* Seraphin. *decis. 1025. num. 23.* † Adeo vt ipsemet exemptus, contra quem forsan Episcopus præscripsisset, opponere possit de iure sedis Apostolicæ, & ea ratione Episcopi præscriptionem eludere. Abb. *in cap. ad audiendam: sub num. 12. in versic. in contrarium tamen de præscriptionib. quam sequitur ibidem Felin. sub num. 17. versic. & nota benè.* Lotter. *de re benefic. lib. 1. quæst. 24. num. 244. & 245.*
17. Hinc sequitur, quòd Episcopo ad illum locum accedenti non sunt debita iura honorifica, neque re-

uerentialia, quæ ratione iurisdictionis Episcopis exhiberi solent: sed ea duntaxat, quæ cuilibet Episcopo extraneo ratione suæ Episcopalis dignitatis deberentur: cùm exemptio sit plena, & eius priuilegium emanauerit à summo Pontifice: iuxta tradita per Puteum *decis. 114. lib. 3. in correct.* post Felin. *in cap. cum inter. de re iudic. Rot. decis. 111. numer. 16. part. 5. recent.*

Vnde hodie dicti Religiosi, & Conuentus manentur in possessione, seu quasi, dictæ iurisdictionis; priuatiuè: in vim dictarum Bullarum, & priuilegiorum Apostolicorum: non obstantibus quibuscumque Episcopi reclamationibus.



CAPVT LXI.

An, & quando, & in quibus casibus Episcopus teneatur sibi assumere duos adiunctos ex capitulo, dum procedere vult contra capitulares, vel contra ipsum capitulum in casum delicti. Et quando capitulares dicantur præscriptione acquisiuisse ius cognoscendi de causis suorum capitularium, priuatiuè ad Episcopum. Vtrum priuatio distributionum aduersus negligentes, vel delinquentes, sit actus iurisdictionalis; & vtrum mala fides authoris noceat successori in beneficio. Denique de scientia, & patientia aduersarij in præscriptione in certis casibus non requisita; & de actibus factis post completam præscriptionem.

S V M M A R I V M.

1. Episcopus de iure communi habet potestatem corrigendi, & puniendi omnes Ecclesiasticos suæ diœcesis.
2. Concilium Tridentinum mandans causas tractari coram Episcopo, cum duobus adiunctis per capitulum deputandis; non habet locum nisi quoad capitula exempta.
3. Contra capitula exempta, & personas capitulares, Episcopus potest sine adiunctis procedere in visitatione.
4. Capitulares qui bona Ecclesie administrarunt, cogi possunt per Episcopum ad reddendas rationes administrationis, in visitatione.
5. Extra visitationem, Episcopus sine adiunctis procedere potest ad informationes, & ad ipsam capturam in crimine concubinitus, & aliis grauioribus.
6. Quando totum capitulum delinquit, potest Episcopus procedere sine adiunctis.
7. Confirmatio aicitur facta ex certa scientia, quando totus tenor priuilegij, vel rei confirmata, inseritur in Bullis vel litteris confirmationis.
8. Episcopus potest præscribere etiam priuatiuè aduersus capitulum iurisdictionem, ex priuilegio aut aliter capitulo competentem.
9. Præscriptio priuatiua iurisdictionis inducit in fauorem Episcopi aduersus capitulum, cui iurisdictione competeat; si non obstante oppositione capituli, & illius contradictione, Episcopus iurisdictionem exercuerit.

10. *Priuationo distributionum contra negligentes, vel delinquentes, non est actus ex quo capitulum possit pretendere se iurisdictionem exercuisse.*
11. *Mala fides authoris non nocet successori in beneficio, aduersus alium, ad utilitatem sua Ecclesia prescribere volenti; quamuis dum agitur de alio successore uniuersali in prophanis diuersa sint DD. sententia, vtrum heredi noceat mala fides authoris.*
12. *Observatio transactionis in certis capitibus, non nocet quoad alia eiusdem capita non obseruata.*
13. *Iurisdictionis reductus ad primariam causam fauorabilior est, & facilius admittendus.*
14. *Contraria obseruantia aduersus transactionem, qua tollebatur Episcopi iurisdictionis, inuat Episcopum etiam non probata scientia capituli.*
15. *Prescriptio completa non tollitur, nisi per aliam prescriptionem completam.*

**P**retendente capitulo aduersus Episcopum iurisdictionem, & potestatem corrigendi, visitandi, & criminali iudicio puniendi, in personas capitulares; vigore transactionum antiquarum à sede Apostolica confirmatarum, & statutorum eiusdem capituli, nec non antiquæ possessionis: Dubitatum fuit de validitate, & executione dictarum transactionum & confirmationis ipsarum; & quomodo ad praxim deduci deberent, eueniente casu delicti per aliquem ex canonicis commissi.

1. Resolutio fuit data in primis, quòd si iuris communis dispositionem attendamus; Episcopi iurisdictionem habent, & auctoritatem visitandi, & corrigendi omnes personas Ecclesiasticas in eius Diocesi delinquentes; & nominatim canonicos Ecclesiæ cathedralis: *cap. 1. & cap. cum Episcopus. de offic. Ordin. Clem. 1. eod. tit. Glof. Pragmat. Sanctionis, titulo de concubinar. versic. quòd si ij. in verb. pertinet.*
2. Et Quamuis per Concil. Tridentin. *sess. 25. cap. 6. de reform.* Episcopus in dictis causis criminalibus contra personas capitulares intentatis, teneatur vocare duos adiunctos à Capitulo deputatos; illa tamen constitutio locum habet duntaxat in capitulis exemptionem ab Episcopali iurisdictione prætententibus, seu exemptis; prout declarauit Sacra Congregatio, nec non Rota Rom. apud Seraph. *decif. 493. num. 1.* Vnde cum non cõstaret de exemptione capituli prædicti, frustra prætendebat Episcopum teneri, in causis criminalibus aduersus canonicos motis, procedere seruatâ formâ Concilij, circa adiunctos.
3. Imò quamuis de exemptione constitisset, poterat nihilominus Episcopus in visitatione sui capituli procedere sine adiunctis, iuxta dispositionem eiusdem Concilij Tridentini *sess. 6. cap. 4. Barbof. in collectan. ad d. Concilium. sess. 25. cap. 6. de reform. num. 17. & 18.* corrigendo potius quam pœnâ delicti ordinariâ puniendo. † Et in eadem visitatione cogere potest administratores bonorum, & reddituum Ecclesiæ, ad reddendam rationem administrationis, etiam sine adiunctis. *Rot. in recent. decif. 440. part. 1.*
3. Extra visitationem autè, potest Episcopus aduersus exemptos, sine adiunctis facere processum informatiuum, & procedere ad capturam, & detentionem effectiuam personarum; quando agitur de concubinariis, & aliis grauibus delictis, depositionem aut degradationem requirentibus, vbi de fuga timetur; ne iudicium reddatur elusorium: vt expressè statuit Concil. Triden. *d. sess. 25. de reformat. cap. 6. versic. in*

*criminibus tamen. fusè Rota decif. 4. per totam, part. 7. recentior.*

Potest etiam solus Episcopus aduersus canonicos 6. exemptos, & sine adiunctis procedere; quando agitur de delicto commissò à toto capitulo, Seraph. *decif. 1050.* Quia si totum capitulum delinquat, nemi- nem dempto; nullus superest canonicus qui possit esse adiunctus: cum nemo iudex in causa propria esse debeat. Si verò sit aliquis in capitulo qui non deliquerit, ille erit adiunctus: quia ius capituli in vno ex canonicis conseruatur. Quòd si totum capitulum deliquerit, aduersus ipsum Episcopum, seu Archiepiscopum: non procedet Episcopus seu Archiepiscopus, nec adiunctis opus erit; quia Episcopus iudicaret in causa propria: sed hoc casu, cognitio illius delicti ad superiorem pertinebit: vt *ibidem* bene comprobatur Seraphinus.

Cæterum obtare videbatur quædam antiqua trans- 7. factio inter capitulum, & Episcopum inita, & à summo Pontifice confirmata ex certa scientia, & in forma specifica; (quandoquidem totus illius tenor erat in Bulla confirmationis insertus, iuxta dispositionem textus *in cap. cum dilecta. & in cap. penult. de confirmat. utili vel inutili*) per quam conuentum fuit iurisdictionem in causis canonicis tangentibus, inter Episcopum, & capitulum fore communem: quam etiam transactionem per aliquod tempus obseruatam fuisse supponitur.

Sed huic transactioni obstat legitima præscriptio 8. postea subsequuta; cum per legitima tempora Episcopus plurimos & diuersos actus priuatiuæ iurisdictionis in canonicos exercuisset per se, vel Vicarios generales; qui soli ad cognitionem & decisionem causarum criminalium aduersus canonicos processerunt, sine interuentione capituli, aut deputatorum seu adiunctorum ipsius. Vnde priuatiuè fuit præscripta iurisdictionis in fauorem Episcopi. *Panormit. in cap. auditis, num. 7. de prescript. & in cap. pastoralis, num. 7. versic. quoad secundum, de offic. Ordin. & ibidem Felin. num. 5.*

Et hoc tantò magis locum habet, quia cum pro parte capituli & canonicorum fuisset facta aliàs oppositio, sub eo prætextu quòd asseriebant solum Episcopum in causis capitularium procedere non posse: fuit non obstante huiusmodi denegatione & oppositione processum ad vltiora in illis negotiis, seu litibus per solum Episcopum; quo casu, à tempore denegationis, inchoata est præscriptio, & possessio priuatiua: *Abb. & Felin. in d. cap. pastoralis. Menoch. lib. 2. presumpt. 18. num. 24.*

Quamuis autem nullus alius actus, ex quo possit 10. prætendi iurisdictionis, factus fuerit per capitulum; tamen ex eo quòd processit sæpius ad priuationem aduersus negligentes, aut delinquentes, prætendebat interrupisse priuatiuam illam Episcopi possessionem: sed male, nam isti non sunt actus iurisdictionales; sed leuis duntaxat correctionis, & potius quoad mores, quam quoad iustitiam exteriorem: *Panormitan. in cap. cum contingat. num. 28. de foro comperen. Glossa in pragmat. sanction. tit. de concubinar. §. quòd si ij. in verb. pertinet. Rot. decif. 432. part. 3. lib. 3. diuers. Papon. lib. 1. tit. 3. arrest. 3. vbi dicit fuisse declaratam nullam carcerationem cuiusdam canonici factam auctoritate capituli, & causam remissam ad Archiepiscopum: quia Capitulum solam habet iurisdictionem correctionalem ad priuationem vocis in capitulo, & distributionum ad tempus, & ad similia.*

Neque potest opponi de mala fide Episcoporum: 11. quia quidquid sit de aliis successoribus secularibus,


utrum hæres possit incipere præscriptionē à persona propria: de qua varia dixerunt Gratian. *disc. forens. cap. 403. num. 15.* Idemque *cap. 52. num. 25.* Honded. *consil. 82. n. 47. lib. 1. addit. ad Ludouif. decis. 249. n. 6.* Thesaur. *jun. lib. 1. quæst. 41. num. 11.* Tamen quando agitur de successore in Episcopatu, vel beneficio, aliâue dignitate Ecclesiastica; mala fides authoris non nocet successori, Abb. Panormit. *consil. 29. numer. 11. lib. 2.* Roman. *consil. 201. num. 5.* Alex. *consil. 50. num. 7. lib. 2. & consil. 63. num. 11. & seq. lib. 4.* Tusch. *litter. M. conclus. 22. n. 25. 28. & 51.*

12. Et licet transactio illa, de qua superius *num. 7.* actum est; probaretur in certis casibus in ea contentis obseruata: quia tamen capita erant separata, & planè diuersa à iurisdictionis articulo: ideò obseruantia illa in diuersis capitibus, non præiudicaret quoad caput iurisdictionis: Rot. *decis. 354. num. 3. par. 4. diuers. per Gloss. in cap. si de terra. in verb. tanto tempore. in fin. de priuilegijs.*

13. Quod multò magis locum habet, quia per obseruantiam transactioni contrariam, circa illum iurisdictionis articulum iurisdictionis redit ad primæuam naturam; nempe ad Episcopum, qui in ea (ut *sup. num. 1.* dictum est) habet de iure intentionem fundamentam: ut dicit Gloss. *in d. cap. si de terra.*

14. Et contraria hæc obseruatio, per quam iurisdictionis redit ad Episcopum, non indiget probatione scientiæ, vel patientiæ capituli: Couarr. *in cap. possessor. in 2. part. releet. §. initium. numer. 10.* Ludouif. *decis. 249. numer. 9. per text. in l. si partem. §. si fundum. ff. quemadmod. seruit. amitt. videlicet fauore libertatis, & quia res redit ad primæuum statum. Vnde si quis habeat priuilegium non soluendi decimas; non exigitur eius scientia, & patientia, ut Ecclesia pristinum ius circa decimarum exactionem recuperet: per text. in *cap. si de terra. de priuileg. ut ibidem bene explicat Couarr. cum notat. in cap. vigilanti. de præscript. ubi ostenditur etiam contra ignorantes præscribi saluo remedio restitutionis in integrum: ex traditis per Thesaur. *decis. 133. & 134.* Aliud esset, si ageretur de præscribendo, vel possessionem acquirendo in præiudicium ipsius Episcopi: tunc enim illius scientia, & patientia esset probanda: Rot. *decis. 600. num. 14.***

15. *par. 3. tom. 3. recent. †* & actus aliqui contrarij facti per capitulum in præiudicium Episcopi, cui iam ius erat quæsitum per præscriptionem; nullo modo nocent Episcopo, tanquam facti post completam præscriptionem: quia completa semel præscriptio non tollitur nisi per aliam præscriptionem completam, *l. nemo §. temporarios. ff. de reg. iur. Burat. decis. 734. num. 10.*



CAPVT LXII.

De eadem materia iurisdictionis aduersus Episcopum, per transactionem, aut præscriptionem acquisitæ; in causis personas capitulares concernentibus. De confirmatione summi Pontificis; an, & quando dicatur facta ex certa scientia. Quòd non obstantibus exemptionibus Episcopus per modum visitationis habeat morum correctionem. Cui competat ius conuocandi capitulum, & priuandi absentes, aut delinquentes distributionibus.

S V M M A R I V M.

1. Canonici Ecclesia cathedralis de iure communi sub iurisdictione Episcopi.
2. Capitula multa sunt qua exemptionem habent à iurisdictione Episcopi: veluti in Ecclesia Burdegalensi, & alijs: sed hoc casu solet Episcopus procedere cum adiunctis per capitulum deputandis. Et an Episcopus de iure communi procedere possit sine capitulo. Quid de consuetudine seruetur. Ibidem.
3. Propter Episcopi sanctitatem, capitulum potest petere se eximi ab eius iurisdictione. Et ex quibus iurisdictionis priuatiuè concessa dicatur. Ibidem.
4. Iurisdictionem capitulo priuatiuè ad Episcopum competere probatur ex diuturni temporis obseruantia.
5. Transactionibus à sede Apostolica confirmatis, non censetur per quascumque clausulas generales derogatum.
6. Papa capitulum ab Episcopi iurisdictione in totum eximere potest.
7. Capitulum exemptioni suæ non præiudicat, quamuis eà usum non fuerit, eo quòd existimabat illis transactionibus fuisse derogatum per Concilium.
8. Confirmatio dicitur facta ex certa scientia, quando in ea totus tenor priuilegij, vel transactionis confirmata, fuit insertus.
9. Clausule generales non operantur circa scientiam rei confirmata, sed in contrarium probationem admittunt.
10. Quando de Principis voluntate probanda agitur, si ad hoc certa forma non fuit data, sufficit quòd de illa quomodocumque legitime constet.
11. Ex geminatione confirmationis colligitur illam ex certa scientia factam fuisse.
12. Certa scientia Papa colligitur ex mentione litispendentia facta in rescripto.
13. Facilius presumendum est confirmationem factam fuisse ex certa scientia, quando agitur de transactionibus & concordijs; quam si ageretur de statutis confirmandis.
14. Papa dicitur habuisse scientiam alicuius negotij, quando illam habuit mediantibus commissarijs ab ipso deputatis.
15. Episcopus, non obstantibus exemptionibus, potest solus procedere contra capitulares quoad morum correctionem; per viam visitationis.
16. Non tamen sub pretextu visitationis potest procedere iudicialiter, nec formare processum.
17. Capitulum habet ius cogendi per viam subtractionis distributionum.
18. Conuocare potest Episcopus capitulum, quando non agitur de ipsius interesse.
19. Episcopus non potest conuocare capitulum in casibus, in quibus ipse iudex esse non potest.
20. Episcopus licet in certis casibus possit conuocare capitulum, in eo tamen votum dare non potest.

Casus istius capituli non modò diuersus, sed etiam contrarius est præcedenti; cum hîc supponamus capitulum ex transactionibus per summos Pontifices in forma specifica confirmatis, acquisiuisse, & confirmasse iurisdictionem priuatiuè quoad Episcopum, non obstante iuris communis dispositione:

1. † per quam Canonici & alij Ecclesiastici supponuntur Episcopali iurisdictioni : *can. cum omnes Basilica. 16. quest. 7. cap. conquerente. de offic. Ordin. cap. cum Episcopi. eod. tit. lib. 6. & saepius fuit iudicatum per Rotam, vt decis. 525. part. 3. recentior. & alibi passim.*

2. Nec nouum est, vt capitulo priuatiuè competat iurisdictione : nam illam multa capitula ex transactionibus, aut alijs legitimis titulis quæsitam habent : ita vt Decani, Canonici & Capitulum, Beneficiati & alij capellani, aliique Ecclesiæ inseruientes, exempti sint à iurisdictione Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum officialium ; quorum causæ debent recognosci & iudicari per vnum, aut plures iudices à capitulo deputandos ; prout in Ecclesia Biturricensi, Lemouicensi, & Pictauiensi : vt testatur Chopinus de sacra politia lib. 2. tit. 4. & monasticon. lib. 1. capis. vlt. & simile ius prætendunt plures aliæ Ecclesiæ : vt testatur addit. ad Papon. lib. 1. tit. 3. arrest. 3. pro quibus diuersimodè secundum facti circumstantias, & transactionum ac præscriptionum varietatem iudicandum est, circa competentiam, vel incompetentiam iurisdictionis.

Vtrem autem de iure communi Episcopus solus sine capitulo procedere, & iurisdictionem exercere queat ; an verò capituli consensum, vel consilium capere reneatur : disputatum fuit aliàs apud Puteum, *decis. 91. lib. 3.* Sed apud Verall. *decis. 202. part. 2.* dicitur Episcopum de iure communi sine capitulo causas criminales cognoscere non posse : *can. Episcopus nullus. 15. quest. 7. Mantic. decis. 207. numer. 2.* Quidquid sit ; ex consuetudine generali, Episcopi, cessante transactione, aut contrario titulo ; de omnibus causis soli, & sine capitulo solent cognoscere ; vt quotidie fieri videmus : & testatur post Geminianum & Bellameram, Card. Thusc. *lister. C. conclus. 259. numer. 12.*

Vnde cum ex antiquis transactionibus capitulum acquisierit iurisdictionem ; & facultatem deputandi iudices, notarios, & officiales ; & de causis canonicorum, & aliarum personarum dictæ Ecclesiæ priuatiuè ad Episcopum cognoscendi in prima instantia : non solum propter personam ipsius Episcopi, & illius sæuitiam, † quæ iustam præbebat causam exemptionis ab eius iurisdictione, Achil. de Grass. *decis. 16. de priuileg.* sed etiam propter ius fundatum in priuilegijs, & statutis antiquis ; quorum originalia dicebantur fuisse furto sublata à quibusdam Episcopi domesticis : & à summo Pontifice dictæ transactiones fuerant approbatæ & confirmatæ. Tandemque vltimo loco alia transactio accesserat per summum etiam Pontificem confirmata : sequitur non esse de capituli potestate disputandum.

Nam per hanc vltimam transactionem confirmatam, vt supra, conuentum fuerat & concordatum inter Episcopum & Capitulum : Quòd de cætero dominus Præpositus & Capitulum dictæ Ecclesiæ possent creare & instituere, nomine eiusdem capituli vnum iudicem, Procutorem, Graffarium, & vnum seruientem pro exercitio iustitiæ in causis ciuilibus, & pecuniarijs ; qui inter canonicos, personatus, habituosque dictæ Ecclesiæ, & quoscumque alios, causas contra dictos canonicos & habituos mouere volentes, in prima instantia, vsque ad appellationem cognoscat, nec non excessus, & delicta prædictarum personarum intra ciuitatem corrigat, certis in dicta transactione criminibus exceptis ; dummodò intra tres menses dicta delicta puniat, & de illis iustitiam faciat, & aliàs prout in dicta transactione plenius continetur. Cum pacto expresso quòd

omnes & singuli successores in dicto Episcopatu teneantur in eorum ingressu, & adeptione dignitatis Pontificalis, præstare debitum iuramentum eidem capitulo, de obseruando dictam compositionem : prout in effectu dictus Dominus Episcopus eandem transactionem tam per se, quàm per Dominos Antistites successores suos in eodem Episcopatu canonicè intrantes, & eo nomine se celebrare dixit, & declarauit. Fuitque dicta transactio postea per summum Pontificem legitimè confirmata, vt sic sine dubio, afficiat etiam omnes in dicto Episcopatu successores, iuxta *cap. veniens. de transactionibus.*

Sequitur non esse dubitandum, quin capitulo iurisdictione in prima instantia, quoad prædictas causas, priuatiuè competat : quia licet in dubio cumulatiua tantum iurisdictione concessa censeatur, quando agitur de præiudicando Episcopo, cui ordinaria competit iurisdictione : tamen hoc intelligendum est, nisi constet de contraria mente : Coccin. *decis. 316. num. 7.* aliàs, cessantibus coniecturis in contrarium, semper concessio est cumulatiua : Burat. *decis. 912. num. 4. & 5.* vbi dicitur hoc procedere, etiam si in concessione adesset dictio taxatiua. Gonsal. *ad regul. 8. §. 2. præmiali num. 30.*


Tamen animus concedentis colligitur, tum ex eo quòd concessio facta fuit fauore certarum personarum, quarum interest alios non habere iudices : Ludouif. *decis. 4. num. 6.* tum etiam quia concessio iurisdictionis, non fuit facta à summo Pontifice motu proprio ; sed ad partis requisitionem : hoc enim casu, non cumulatiuè, sed priuatiuè censetur data iurisdictione. Rot. *decis. 37. numer. 1. part. 1. recent. Trentacinq. lib. 1. tit. de iurisdic. num. 4.* adden. ad Ludouif. *d. decis. 4. num. 20.* tum & denique quia Episcopo non referuatur per dictam transactionem iurisdictione, nisi in duobus capitibus ; nempe in secunda instantia, & in casum negligentia semestris deputatorum à capitulo in prima : exceptio igitur certorum casuum, firmat regulam in alijs : vt sunt iura vulgata.

Sed ad omnem tollendam difficultatem, capitulum allegabat antiquam & immemoriam obseruantiam priuatiuæ iurisdictionis, quæ sola sufficeret : Rot. *decis. 717. numer. 5. part. 4. diuers.* & generale est, vt quando vtrumque concurrat, nempe titulus, & possessio immemoralis ; iurisdictione acquisita censeatur priuatiuè, & non cumulatiuè : *cap. irrefragabili. §. excessus. de offic. Ordin. & ibi Felin. numer. 5.* Ioann. Baptist. Ferret. *consil. 142. num. 13.* Barbof. in *l. 1. artic. 4. num. 39. ff. de iudic. Menoch. lib. 2. præsumpt. 18. num. 24.* Mantic. in nostris terminis *decis. 296. num. 1.*

Neque dicta transactio per summum Pontificem confirmata, fuit abrogata per Concilium Trident. *sess. 25. de refor. c. 6. & sess. 6. cap. 4.* Quia licet ibi addit clausula, *Non obstantibus quibuscumque consuetudinibus, conventionibus & iuramentis*, non tamen per eam sublata censeatur transactiones à sede Apostolica confirmatæ : quia illis per quascumque clausulas generales non censetur derogatum ; Puteus *decis. 172. num. 2. lib. 3.* Rot. apud Achill. de Grass. *decis. 3. de pact. num. 2.* Barbof. ad Concil. Trident. *sess. 24. de reformat. cap. 20. num. 88.* supposito quòd concordia & transactiones sint à sede Apostolica confirmatæ ex certa scientia : Gonsal. *ad regul. 8. Cancell. glos. 25. num. 14.* vbi propterea concludit capitula Ecclesiæ Burgenfis, & Sagontinensis, & alia similia non subesse visitationi Episcopi ; etiam post Concilium : quia ante illud habebant cum Episcopis desuper concordias à sede Apostolica, ex certa scientia confirmatas.

- matas. Ideo non obstat Concilium Tridentinum disponens, non obstantibus quibuscumque consuetudinibus, etiam immemorialibus; nec non concordias, & transactionibus; quæ suos tantum obligent auctores. Quia talis clausula non comprehendit concordias, à sancta sede Apostolica; ex certa scientia confirmatas. Ita etiã fuit decisum per Rot. *decis. 715. part. 4. divers.* vbi concluditur aliud statuendum esse, quando confirmatio fit in forma communi.
6. De potestate Papæ nefas esset dubitare: quia nemo negat, quin Papa possit in totum eximere capitulum ab Episcopi iurisdictione: Achill. de Grass. *decis. 15. de priuil.* Multò magis id facere potuit in casibus, per transactiones specificatis, & limitatis.
7. Plus dico; quòd si capitulum credens per Concilium Tridentinum fuisse dictis concordias, à sede Apostolica ex certa scientia confirmatis, derogatum; sub hac falsa opinione non fuisset vsum præfatis transactionibus, etiã per plures annos; iuribus suis minimè præiudicasset. Gonsal. *ad regul. 8. gloss. 31. num. 42. & gloss. 25. n. 14.* vt per Eminentissimos Cardinales Concilij interpretes fuisse declaratũ, testatur Barbosa.
8. Quòd autem dictæ transactionis confirmatio, per summum Pontificem facta fuisset ex certa scientia; constabat ex eo quòd licet totus illius tenor ad longum non fuisset insertus in libris confirmationis: tota tamen illius substantia narrata fuerat: nam dicta littera hoc in effectu continebat: quòd cum aliàs inter Dominũ Episcopum, & capitulum fuissent intentatæ lites super iurisdictione, & cognitione causarum ciuiliũ & criminalium; prætedente capitulo singulis annis duos ex canonicis eligere, qui in canonicos, & alios in dicta Ecclesia habituos, cum omnimoda exemptione ab Episcopi iurisdictione illam exercerent: quod ipsis primò concessũ, postea verò per alias litteras ad Episcopi requisitionem fuerat reuocatum: tandem processum fuit ad huiusmodi transactionem; videlicet quòd de cætero capitulum vnum Iudicem seu Officiale, cum vno procuratore, & Notario, deputare posset pro iustitiæ exercitio; qui nomine capituli iurisdictionem exercerent; & coram illo iudice omnes causæ tam ciuiles, quàm criminales; per canonicos, habituos & alias personas dictæ Ecclesiæ inter se, seu per alios contra eos, etiam pro tempore mouendæ; in prima instantia tractari, & per appellationem ad Episcopum pro tempore existentem, deuolui deberent: quòdque delinquentes, exceptis tunc expressis casibus, infra semestre post denunciationem delicti punirentur; aliàs causa ad Episcopum seu eius Officiale deuolueretur. Et sic cum summo Pontifici fuerit in effectu expositus totus tenor transactionis; concludendum est illius confirmationem ex certa scientia factam fuisse: Rot. *decis. 166. num. 3. part. 5. recent.* vbi dicitur, sufficere summo Pontifici, totius facti substantiam fuisse narratam; (post Abbat. *in cap. qui diuersitatem numer. 9. in fine, de concess. præben.*) & *decis. 338. n. 2. & 339. num. 3. part. 1. recent.* vbi post plures DD. concluditur; rescriptum, mandans Commissario de confirmando concordiam; concessum in forma specifica & ex certa scientia, censendum esse; quando summo Pontifici totus tenor transactionis, aut illius substantia narrata fuit.
9. Non tamen fieri debet magnum fundamentum in clausulis confirmationis, veluti in clausula, *ex certa scientia*, & similibus: quia istæ clausulæ generales non multum operantur; & admittunt probationem in contrarium. Thusc. *litter. C. conclus. 340. num. 28.* Barbof. *de clausul. cap. 59. num. 41.* sed præcipuum fundamentum ex quo confirmatio ex certa scientia facta dici potest, desumendum est ab expressione totius substantiæ transactionis: vt aduertit, & bene quæstionem examinat Garc. *de benefic. part. 3. cap. 2. numer. 230. & seq.* † Quidquid sit, cum certa scientia, & determinata ac enixa Papæ volõtas omnia faciat hac in re: sufficit vt illa, quomodocumque concludenter probetur; cum in eius declaratione non sit data certa forma, quamuis in dubio adsit præsumptio contra eum, qui certam scientiam allegat; quæ onus probandi in eum transfert: prout hæc bene explicat Sanch. *in præcept. decalog. lib. 7. cap. 29. num. 144.*
- Colligitur etiã alia ratione certa Pontificis scientia, & voluntas ex actuũ geminatione; cum idem summus Pontifex de lite, quæ tunc vertebatur inter Episcopum, & capitulum; bis rescripserit: vnde cum postea ex interuallo iterum super eodem negotio rescripserit, & transactionem confirmauit, præsumitur de omnibus informatus, & ex certa scientia ad talem confirmationem processisse: Thusc. *litter. C. conclus. 341. num. 10.* † cum etiam in rescripto confirmationis facta fuerit expressa mentio litis pendentes, ex quo resultat præsumptio certæ scientiæ Pontificis confirmantis, Thusc. *d. conclus. 341. num. 11.* Maxime quia summus Pontifex, præuia illius litis euocatione, processit ad confirmationem; cum sufficiat quomodocumque probari scientiam, & voluntatem confirmantis. Thusc. *ibidem. num. 12.* Sanch. *loco proximè citato, Rot. decis. 166. num. 6. part. 5. recent.* vbi sufficit quòd voluntas Papæ ex præcedentibus, & sequentibus eliciatur. Imò certam scientiam summi Pontificis confirmantis, etiam per testes probari posse determinat Rota. *decis. 210. num. 2. in fin. part. 1. recent.*
- Multò autem facilius hoc in casu admittenda est certæ scientiæ probatio; cum non agatur de confirmatione plurium rerum in genere, sicut quando tractatur de confirmandis statutis; tunc enim non ita facile existimandum est summum Pontificem illorum omnium certam, & specificã habuisse notitiam. Aliud dicendum est quando agitur de confirmatione rei particularis, veluti vnus concordia circa certam litem: quia in actu indiuiduo, & in particulari, magis præsumitur certa scientia; quàm dum disponens se refert ad plures actus: prout explicat Aretin. *consil. 8. num. 6.* quem sequitur Thusc. *litter. C. conclus. 708. num. 14.*
- Et cum Papa Commissarios deputauerit, mandans illis vt postquam de dicta concordia legitime constituerit, & prout in ea continetur; omnia & singula in ea contenta approbent, & obseruari mandent; satis dicitur habuisse plenam omnium notitiam, cum illam habuerit per commissarios ab ipso deputatos. Rot. *decis. 192. num. 3. part. 1. recent.* Thusc. *d. conclus. 341. num. 2.*
- Negandum tamen non est, quin Episcopus per viam visitationis, & correctionis morum procedere possit contra capitulares, & alios eiusdem capituli habituos: tum quia hoc non fuit sublatum per transactionem: tum etiam quia ex Concilij Trident. dispositione derogatum est omnibus conuentionibus, & consuetudinibus etiam immemorialibus à sede Apostolica ex certa scientia non confirmatis. Rot. *decis. 62. num. 2. part. 1. recent.* Non enim potest dici quòd Papa per suam confirmationem voluerit plus concedere partibus, quàm peteretur; vel in transactione confirmata contineretur. Alioquin si id Papa nominatim expressisset, non videretur per Concilium huic expressæ confirmationi derogatum: vt supra diximus, *numer. 5.* sed de hoc nihil in transactione: ergo nec in confirmatione il-

16. lius. † Non tamen sub prætextu visitationis, poterit Episcopus procedere in forma iudicij, nec processum formare, nisi datâ capituli officialium negligentia iuxta formam transactionis. Rot. decis. 168. part. 1. recent.
17. Quod autem attinet ad capitula iurisdictione carentia; certum est illis nihilominus competere ius corrigendi, & castigandi seu coercendi personas in Ecclesia sua habitatas; veluti per subtractionem fructuum, & distributionum, seu vocis in capitulo ad tempus; quod habet in se quamdam iurisdictionis speciem. Abbas in cap. cum contingat, colum. 9. numer. 28. de for. competen. & habetur in pragmat. sanctione, tit. de concubinariis, §. quòd si hi ad quos, in verb. pertinet. & notatur in cap. quanto, de offic. Ordinary. & dixi cap. precedenti, numer. 10.
18. Quia verò pro parte eiusdem capituli quæsitum fuit, an & quando Episcopus possit congregare capitulum, & quam in eo authoritatem habeat? Responsum fuit posse Episcopum conuocare capitulum in loco capitulari consueto, canonicorum vota exquirere, & collectis votis conclusionem elicere; exceptis tamen casibus, in quibus de eius, aut suorum interesse agitur: vt notat Barbos. de Episcop. part. 3. allegat. 73. num. 16.
19. Intellige vt capitulum conuocare possit Episcopus in casibus, in quibus iudex esse potest; secus in aliis in quibus iudex esse nequit: vt idem Barbosa testatur d. allegat. 73. num. 18. & ad Concil. Trident. sess. 25. cap. 6. num. 42. & seq. † In quo capitulo vocem non habebit Episcopus: vt probatur ex verbis Concilij, vota exquirat: Barbof. d. sess. 25. cap. 6. numer. 47.



## CAPVT LXIII.

Vtrum confratres capellæ intra limites parochiæ, nouiter erectæ, possint petere se manuteneri in quasi possessione vsus campanarum aduersus Parochum prohibentem. Et ad quem spectent oblationes quæ fiunt in illa capella, de custodia clauis Ecclesiæ Diuo Petro consecratæ, & elemosinæ quæ dantur ob applicationem ferri candentis, ijs qui laborant morfu canis rabidi. Et Vtrum noua capella possit ædificari in præiudicium Ecclesiæ parochialis. Et in quo consistant iura parochialia, tam circa sepulturas, quàm alia ad explicationem clausulæ, saluâ iustitiâ Ecclesiæ Parochialis.

## S V M M A R I V M.

1. Cura campanarum Ecclesiæ pertinet ad officium custodis.
2. Confraternitas, quæ est in quasi possessione vsus campanarum, potest petere se in ea manuteneri.
3. Quando agitur de cultu diuino, non potest dici materia facultatiua.
4. Pulsatio campanarum permittitur confraternita-

- tibus in eorum capellis, sine præiudicio seruitij Ecclesiæ parochialis.
5. Pulsatio campanarum spectat ad inferiores clericos.
  6. Non est permittenda laicis pulsatio campanarum sine licentia custodis Ecclesiæ, vel presbiteri parochialis.
  7. Pulsans campanas sine licentia presbiterorum, dat operam rei illicitæ; ideo si sequatur homicidium, tenetur. Fallit stante consuetudine in contrarium.
  8. Oblationes spectant ad Parochum, non ad Rectorem capellæ: distingue vt ibi.
  9. Ex perceptione oblationum arguitur curam ad eum, qui illas percipit, spectare.
  10. Elemosina, quæ dantur ob applicationem clauis Ecclesiæ ad curandos canum morsus, pertinent ad Parochum: & de hac clauis applicanda consuetudine.
  11. Administratio oblationum ad certum usum factarum pertinet ad Parochum.
  12. Custodia clauium Ecclesiæ non spectat ad laicos.
  13. Ostiarij ordo sacer est, & ad eum pertinet custodia clauium Ecclesiæ: & alia, de quibus ibid.
  14. Per traditionem clauium ostiario factam imprimatur character secundum Canonistas, contra Theologos.
  15. Indignum est laicos munus exercere, quod Christus ipse exercere voluit; dum dixit, Attollite portas, &c.
  16. Noua capella sine Episcopi licentia nequit ædificari.
  17. Ecclesiæ parochialis potest nuuciare nouum opus ædificanti capellâ, intra limites suæ parochiæ.
  18. Cum quibus moderationibus, & conditionibus concedi possit facultas nouam capellam, vel Ecclesiam intra limites parochiæ erigendi. Et qua sit vis, & effectus clausulæ, saluâ iustitiâ Ecclesiæ parochialis.
  19. In quo consistant iura parochialia.
  20. Iura parochiæ primò consistunt in eo, quòd quilibet diebus festis missam audiat in sua parochia: sed hoc est de consilio, non de præcepto.
  21. Secundò, vt parochiani sacramenta ab Ecclesiâ parochiali recipiant.
  22. Tertio, vt ius sepeliendi competat parochiæ, nisi sepultura fuerit in aliâ Ecclesiâ electa; vel alibi sit sepulchrum maiorum.
  23. Quarto, ius quarta funeralis competit parochiæ, quæ in hoc habet intentionem fundatam.
  24. Quintò in iure decimarum.
  25. Sextò, in iure percipiendi oblationes, & alias spirituales obuentiones.
  26. Vtrum Ecclesiæ parochialis possit facere officium in aliena Ecclesiâ, ad quam corpora defunctorum portantur tempore funeris? Refertur decisio Rota quòd parochia non possit ibidem officium facere; sed hoc spectat ad illam Ecclesiam, in qua corpus sepelitur.
  27. Parochi non possunt cogere vt officia nouemdiaria, & finis anni, pro mortuis fiat in eorum Ecclesiis; quando corpus sepultum est in aliâ Ecclesiâ.

Prior quidam & Parochus cupiens euitare præiudicium, quod iuribus suis inferebatur per erectionem confraternitatis, & capellæ nouiter erectæ intra limites suæ parochiæ; varias proposuit difficultates, quarum resolutio ex sequentibus conclusionibus elicitur.

1. **P**rima ergo conclusio est, quod licet regulariter cura campanarum ad populum conuocandum vt diuina audiat officia, pertineat ad officium custodis; *capit. 1. de offic. custod. in illis verbis: In canonicis horis signa tinnabulorum pulsanda, ipso Archidiacono iubente, ab eo pulsentur, &c.* † Si tamen aliqua confraternitas, vel capella sit in quasi possessione vsus campanarum cuiusdam Ecclesiæ, in ea manuteneri debet: cum illa possessio non sit acquisita per modum facultatis; † attento quod
2. agitur de cultu diuino, quo casu non est materia facultatiua. Abbas *in cap. suam nobis. numer. 8. de simon. Ludouif. decis. 162. in addit. litter. C. versic. tertio vbi agitur.* Vnde in *dicta decis. 360.* conclusum fuit, dandam esse confraternitati reintegrationem in quasi possessione recipiendi ornamenta necessaria pro diuinis officiis celebrandis; nec non vsus campanarum ab Ecclesia collegiata eiusdem loci.
3. Secunda conclusio. Casu quo pro parte confraternitatis probata fuisset legitima quasi possessio vsus campanarum: illa tamen non deberet concedi, nisi cum clausula, *sine praiudicio seruitij Ecclesie parochialis:* argumento *text. in extranag. quia cunctos. de offic. custod. vbi prohibetur religiosi ne in futurum plures, sed vnam duntaxat campanam habeant, ne cultui diuino & officiis Ecclesiarum praiudicium fiat: & in capit. patentibus 10. de priuilegiis. vbi Templariis, Hospitalariis, & aliis permittitur vsus campanarum; ita tamen vt non fiat praiudicium aliis Ecclesiis.*
4. Tertia conclusio. Pulsatio campanarum spectat ad clericos inferiores: *capit. perlectis. 26. distinct.* Abbas *in capit. Ioannes. de homicid.* † Ideo talis pulsatio campanarum non est laicis, sed solis clericis permittenda: cum omnes Ecclesiarum parochialium Rectores teneantur secum habere clericum inferuentem. Laici autem sine permissione custodis, Ecclesiæ campanas pulsare non debent, vel nisi ex licentia presbiteri parochialis. † Aliis qui campanas pulsant, dicitur dare operam rei illicitæ: vt notat Abbas *in dict. cap. Ioannes. vbi dicit, quod si, laico campanam sine licentia presbiteri pulsante, tintinnabulum cadens hominem occidat; laicus punitur, vt dans operam rei illicitæ. Quod tamen intelligendum est, nisi consuetudo esset in contrarium, vt laici campanas pulsarent: vt ipse fatetur. num. 4. in fine.*
5. Quarta conclusio. Oblationes, quæ fiunt in capella nouiter ædificata, pertinent ad Parochum; non autem ad Rectorem capellæ. Barbof. *de offic. Parochi. cap. 24. num. 22.* ita vt si quid relictum fuerit intuitu ipsius capellæ, ipsi quidem capellæ debeatur, ad vsum videlicet ad quem oblationes factas esse constat: si verò non constat, in dubio spectant ad Parochum. Ad ipsum tamen Parochum in omni casu spectat administratio istarum oblationum: quia si proprietas ipsius est, quando non dantur ad certum vsum; multo magis illarum administratio, quando dantur ad vsum definitum. Barbof. *dict. cap. 24. num. 30.* Ioan. Bapt. Ferret. *consil. 143. num. 4.* Rota *decis. 489. numer. 3. part. 3. recent.* † Vbi ex receptione oblationum facta per Rectorem, arguitur curam apud ipsum esse; non autem apud capellanum qui oblationes non percipiebat. Borell. *in summa omnium decis. lib. 1. tit. 18. num. 22.* † Quod locum eadem ratione habet in omnibus obuentionibus spiritualibus, qualis est ea quæ procedit ex elemosinis, quæ dantur propter applicationem clavis feruentis, Ecclesiæ sancti Petri, factam iis qui morsu canis rabiosi læsi

fuerunt: prout de omnibus obuentionibus spiritualibus generaliter loquitur Troil. Maluet. *in tractat. de oblation. part. 4. numer. 11. fol. mibi 317. volum. 15. tractatum antiquor.* Et ita determinatum fuit per Rotam Romanam oblationes spectare ad Parochum, nisi fuerint in determinatum vsum datæ. † Et eadem, ac maiori ratione ad eundem Parochum spectat administratio oblationum, quæ in certum vsum erogatæ sunt: coram Merlino *decision. 37. à numer. 9. ad 12. part. 5. recent.*

Quinta conclusio. Claves Ecclesiæ, siue templi, in manibus laicorum esse non debent: cum pro custodia clauium Ecclesiæ institutus fuerit ordo Ostiarij, qui vnus est ex minoribus ordinibus: ille enim est qui ianuis templi præficitur: *capit. clericos §. Ostiarij. 21. distinct.* † Et ideo Ostiarij munus est, sacras ædes tueri; aperire & recludere, & omnia quæ intus & extra sunt custodire; fideles recipere & infideles ac excommunicatos repellere. Ideo ei qui ad hunc ordinem promouetur, verba hæc per Episcopum in traditione clauium profertur: *sic age quasi redditurus Deo rationem pro iis rebus quæ his clauibus recluduntur:* † & Ostiario imprimitur character in traditione clauium, de Grass. *part. 2. libr. 1. capit. 9. numer. 18. & numer. 6.* Carol. de Grass. *de effectibus cleric. in prelud. numer. 283.* Canonistæ siquidem magis communiter tenent imprimi characterem contra Theologos Rot. *decis. 50. num. 6. & 24. part. 5. recent.* † Indignum igitur est laicos id muneris exercere quod Christus ipse exercuit, dum à templo eiecit vendentes, & ementes; & dum dixit, *Attollite portas, & eleuamini porte æternales, &c.* vt dicit de Grass. *loc. citat. & notatur in capit. Ostiarius. 23. distinct.*


Sexta conclusio. Noua capella ædificari non potest, sine licentia Episcopi; Gloss. *in capit. placuit. in verb. dotem. 1. quest. 2.* Calderin. *consil. 20. de iure Patronat. Ricc. in praxi aurea variar. resol. capit. 11. per tot.* textus est in *authent. ne quis orator. citr. scient. Episc. adific. collat. 5.*

Septima conclusio. Ecclesia Parochialis seu Rector illius potest nouum opus nunciare ædificanti nouam Ecclesiam, intra Parochiæ suæ limites; propter interesse quod habet ratione oblationum, sepulturarum, & aliarum obuentionum: vt tenet, & decisum refert Guid. Pap. *decis. 360. per totam.*

Octaua conclusio. Non potest intra limites parochiæ, inaudito Parocho, noua Ecclesia ædificari; cum in omni licentia quæ conceditur in simili casu apponi soleat clausula, *sine praiudicio Ecclesie Parochialis:* vel, *saluâ iustitiâ Ecclesie parochialis:* & quod excipiantur dies Natalis Domini, Resurrectionis, & Pentecostes; in quibus ibi celebrare non liceat, Barbof. *de potest. Paroch. libr. 1. cap. 1. num. 26. & cap. 11. num. 1. & 2.* vbi refertur sacræ Congregationis declaratio.

Nona conclusio. Iura Ecclesiæ parochialis sunt ea quæ sequuntur, iuxta Abbat. *in rubric. de Paroch. num. 2.* † Primò, vt Parochiani diebus festiuis missam audiant in propria parochia: *capit. 2. de Paroch.* Sed hoc non obseruatur; imò satisfit præcepto, audiendo missam in alia Ecclesia; neque possunt Parochi cogere suos parochianos vt in propria parochia Missam audiant: hoc enim est de consilio, sed non de præcepto; prout sacram Congregationem determinasse refert Prax. Episcop. *part. 1. in verb. Missa §. 6.* † Secundò, ius parochiæ in eo consistit; vt parochiani in Ecclesia parochiali, seu ab illius

- illius præbiteris sacramenta percipiant : *capit. nulus. de Paroch. can. Episcopus in diœcesi. 7. quest. 1.*
22. † Tertio, in iure sepeliendi, nempe vt omnes Parochiani in Ecclesia Parochiali sepeliantur; nisi alibi sepulturam eligant; vel alibi sit sepulchrum maiorum. *cap. omnis. de pœnitent. & remiss. Clement. dudum. cum ibi notat. §. verum. de sepulturis. † Quarto, si quis in alia Ecclesia sepeliatur, Parochi iura consistunt in quarta funerali: dict. Clement. dudum. †*
24. Quinto, in iure decimarum. † Sexto, in iure oblationum, & aliarum obventionum: de quibus plura dici possent quæ consulto omittuntur; cum non concernant principalem huius capituli materiam. Quæ omnia post Abbatem in rubric. de Parochis. recenset Rota *decis. 552. numer. 3. & seq. part. 5. recent.* † Vbi etiam notanter concluditur, quod quando defunctorum corpora delata fuerunt in Ecclesias non Parochiales, in quibus sepultura fuit electa; Parochus non potest ibi facere officium; cum hoc non sit de iuribus Parochialibus: vt *ibidem* concluditur *num. 23. & multis sequentibus.* † Sicut nec possunt Parochi cogere, vt officia nouendialia, & finis anni, fiant in Ecclesia Parochiali; si sepultura alibi electa sit. *Rot. in Elnensi Iurium Parochialium 6. Iunij 1631. coram Illustrissimo Domino Queipo inserta post 7. partem Diana.*



## CAPVT LXIV.

De professione monialis fraudulenta, facta in articulo mortis eo animo, vt bona ad Monasterium deuoluerentur in præiudicium substitutorum; vel venientium ab intestato. In quibus casibus professio in articulo mortis sit valida; finito, vel non finito anno nouitiatus: & de variis coniecturis fraudis in hac materia concurrentibus,

## S V M M A R I V M.

1. Professio Nouitij in mortis articulo, ante elapsum nouitiatus annum, ex constitutionibus Pontificiis est valida quoad animam; sed non quoad bona.
2. Professio illius, qui integro nouitiatus anno fuit infirmus, facta lapsa anno nouitiatus; valida est fraude cessante; ex veriori sententia: quamuis nouitius mox esset moriturus.
3. Professio in ordine minimorum est valida: quamuis nouitius toto anno propter infirmitatem carnibus, ouis, & lacticinis usus fuerit.
4. Fraus non probatur ex hoc solo in præiudicium successorum, vel substitutorum; quod in mortis articulo matrimonium, vel professio facta fuerit.
5. Professio accelerata, etiam finito nouitiatus anno, non nocet successoribus; si fraudis adsint coniectura.
6. Substitutus non excluditur per Monasterium, quando adsunt coniectura fraudis.
7. Coniectura fraudis oritur ex professione facta in mortis articulo.

8. Cur potius colligatur fraus ex professione facta in mortis articulo, quam ex matrimonio.
9. Aliud est professionem esse validam quoad animam, aliud quoad successionem.
10. Fraus facilius colligitur, quando tractatur de præiudicio tertij.
11. Matrimonium carnale plus operatur quoad successiones, quam spirituale.
12. Gesta tempore magna infirmitatis, presumuntur facta in frauem.
13. Ex multiplicatis, & affectatis actibus elicitur fraudis coniectura; veluti ex resignationibus multiplicatis.
14. Professio clandestine facta presumptionem habet fraudis.
15. Fraus presumitur aduersus eum qui promissa non seruat.
16. Professiones monialium non solent redigi in contractum publicum coram Notario, & testibus.
17. Ex actibus precedentibus cum cautela, & subtilitate gestis; fraus presumitur.
18. Ad professionem superior admittens nouitium incapacem functionis religionis, peccat: sed professio est valida.
19. Tempus professionis, lapsa nouitiatus anno, prorogari ex causa potest, & debet.
20. Ex nimia præcipitatione fraus colligitur.
21. Dotem monialis præcipitanter professæ non acquiri Monasterio, fuit sæpe decisum.

VT certior habeatur resolutio propositæ difficultatis, super professione cuiusdam puellæ, quæ licet exacto nouitiatus anno facta fuerit; non pauca tamen fraudis & præcipitationis proponuntur coniecturæ: præsertim quod, cum integro nouitiatus anno continuâ febris hecticâ, & miserâ cæcitate laborasset, die 4. Augusti professionem emisit; & paulò post nempe die 16 eiusdem mensis è vita migravit: varij casus considerandi sunt.

Primus casus est, quando nouitius in articulo mortis constitutus, nondum elapso probationis anno, professionem emisit: quod facere potest ex priuilegio Pij V. religiosi sancti Dominici concessor: prout in eius constitutione 109. edita anno 1570. Quod priuilegium aliis etiam religiosi ordinibus communicatum fuit: & hoc casu, certum est professionem validam esse duntaxat pro consequutione indulgentiarum, & solatio animæ; non autem vt sic professus bona sua transferat in monasterium: prout declarat Mirand. in *manual. prelator. regul. tom. 1. question. 22. artic. 10.* & in istis terminis loquitur Ricc. in *prax. aur. cap. 493. in princip. usque ad numer. 6.* quamuis Sanch. in *præcep. decalog. libr. 5. cap. 4. num. 16.* contrariæ sit opinionis; nempe eodem modo succedere Monasterium huic ex priuilegio profitenti, quo succederet si finito nouitiatus anno professionem emisisset. Verum opinio ista mihi iure non probatur, nec eam iudex æquus admittere debet: cum non alia fuerit summi Pontificis intentio, quam vt nouitij, aut nouitiæ dum morti viciniore sunt, beneficio religiosorum quoad animam, & forum interius perfruantur; & maiori cum solatio Deo suo animam reddant: non autem vt proximiorum successioni fiat præiudicium; imò & noua professione opus est, si finito nouitiatus anno pristina sanitas redierit: vt notat Hieron. Roderic. in *quæst. regul. cap. 101. num. 40.* per iura, & rationes ibi allegatas.

Secundus casus est; quâdo monachus, aut monialis, finito



finito integro nouitiatus anno profitetur, seruatis seruandis; non obstante graui & incurabili qua laborat ægritudine: & hoc casu, quamuis variæ sint Doctorum sententiæ; verius tamen videtur atque receptius, ex hoc solo non priuari monasterium successione; si nullæ fraudis coniecturæ concurrant: quamuis nouitius tempore professionis mox moriturus esset. Ratio est, quia professio ista emissâ fuit lege permittente, & non in alterius iniuriam, aut præiudicium principaliter intentum: dum enim monasterium iure suo vitur, non dicitur alicui inferre iniuriam: idque non obstante quod nouitius, integro nouitiatus anno, omnes regulæ austeritates probare non potuerit; propter suæ infirmitatis impedimentum: quia sufficit quod expertus fuerit religionis austeritatem in genere: vt dicit Tamburin. *de iure Abbat. tom. 3. disput. 6. quæst. 3. num. 25.* Atque ita per Sacram Concilij Congregationem determinatum fuisse testatur Barbol. *de iure Eccles. vniuers. lib. 1. cap. 42. numer. 170.* vbi tamen non loquitur de eo, qui toto nouitiatus anno fuit infirmus; quod repetit in *decis. Apostolic. cap. 612. num. 16.* † Vnde nouitij illius validam esse professionem dicit Tamburin. *vbi supra*, qui in ordine Minimorum nouitiatus annum agens, continuò carnis & lacticiis propter infirmitatem vsus est. Bonacin. *in tract. de clausur. quæst. 2. punct. 10. difficult. 2. num. 10.* vbi dicit professionem illius qui propter morbum, vel senectutem, impotens est ad seruandam religionis regulam; non posse ex eo irritari: cum substantia religionis consistat in tribus votis castitatis, paupertatis & obedientiæ; quæ corporis viribus non nituntur, sed voluntate & affectu voluntatis: reliqua verò religionis præcepta obligent tantum iuxta vires corporis, seu nisi iusta causa excuset: Sanch. *in præcept. decalog. lib. 5. cap. 4. n. 52.* & ita fuit decisum in Rot. *decis. 346. num. 2.* post consilia Farin. † Ita vt nec ex hoc solo fraus aduersus Monasterium præsumenda sit. Casanat. *consil. 21. & 22. per tot.* vbi fusè agit de matrimonio in mortis articulo, in præiudicium substituti, contracto; & *d. consil. 22. num. 10.* ostendit non oriri fraudem ex actibus in articulo mortis factis: per text. in *l. finali ff. de condit. institut.* & in *l. suus quoque. 4. §. final. ff. de hered. instit.* vbi quod conditio potest adimpleri, in vltimo vitæ momento; etiam si ex eo fiat damnum substituto Fufar. *de substit. quæst. 424. num. 78.* Sanch. *in præcept. decalog. lib. 7. cap. 16. num. 58. & 59.* Intrigliol. *de substit. centur. 3. quæst. 63. num. 74.*

3.  
4.  
5.  
6.  
Tertius casus est, quando nouitius aut nouitia in infirmitate constituta, finito nouitiatus anno profitetur in mortis articulo existens; concurrentibus coniecturis quod professio fuerit accelerata, & præcipitata in præiudicium & fraudem proximorum, ad quos successio spectabat: & hoc casu dicendum est, professionem non subsistere; nec per eam impediri, quominus proximiores ab intestato venientes ad successionem, excluso Monasterio, admittantur. Ratio est, quia quilibet actus tempore magnæ infirmitatis, aut in mortis articulo factus, tendens in præiudicium alterius habentis ius ad rem, vel spem probabilem; licet ex hoc solo quod fiat in mortis articulo non præsumatur fraudulentus; tamen si concurrant aliquæ fraudis coniecturæ, Doctores omnes conueniunt talem actum non subsistere in præiudicium tertij. Giouagnon. *libr. 2. respons. 45. num. 34.* & probat text. in *capit. de his. de sepult.* Surd. *consil. 382. numer. 50. in fin. & consil. 384. numer. 62.* † Vnde licet quis grauatus fuerit de restituendo hæreditatem, sub conditione *si sine liberis*; & relicto Mona-

sterio, qui vicem obtinet liberorum, è vita excesserit; substitutus non excludetur à monasterio, si adsint coniecturæ fraudis circa professionem interuenientis. Mantica. *de coniect. vltim. voluntat. libr. 10. titul. 4. numer. 19. & 20.* Casanat. loquens de matrimonio carnali *dict. consil. 22. numer. 8.* Molin. *de primogen. libr. 2. capit. 5. numer. 27. & libr. 4. in fin. in annotatione, numer. 8.* Barbol. in *capit. si presentia. numer. 6. de probat.* & in terminis professionis fraude interueniente, decidit sacra Congregatio apud Barbol. in *decis. Apostol. collect. 612. numer. 17.*

Plures autem in casu proposito, concurrebant fraudis coniecturæ. Prima, quia dicta nouitia tempore professionis erat desperatæ salutis, & in mortis articulo constituta: licet enim magis communiter receptum videatur, filios per matrimonium in mortis articulo contractum legitimatos, pro legitimis haberi in præiudicium successorum, & substitutorum; † longè tamen est dispar ratio matrimonij spiritualis, seu professionis: nam si fraudandi alterius causa, matrimonium spirituale seu professio fiat, id sine peccato fieri nequit: ideòque per talem professionem non excluditur successor ab intestato: vt probatur per text. in *capit. final. 19. quæst. 3.* † vbi fraus circa religionem efficit, vt bona, quæ monasterium habuerat, restituere teneatur; quamuis professio firma remaneat. Præterea licet professio efficiat, vt monasterium succedat in dote religiosæ constituta, ad exclusionem patris; hoc constitutum est contra dispositionem legis, in *l. dos à patre. Cod. solut. matrim.* ita vt hæc successio Monasterij in dote puellæ, non sit ita latè interpretanda; provt fieret, si iuri communi & ordinario contraria non esset; & ideo facilius ex fraudis suspitione cessare debet Monasterij successio: quibus addi poterit text. in *dict. capit. de his. de sepult.* † vbi licet ingressus religionis, & votum in articulo mortis factum valeat; tamen si vouens in eadem infirmitate decedat, non fit præiudicium tertio, ratione bonorum, quorum non ita liberam dispositionem habebat: & hanc differentiam inter matrimonium, & professionem bene explicauit Sarmient. *selèct. interpret. libr. 1. capit. 6. numer. 9. versicul. ex his apparet.* quem sequitur Roderic. *tom. 2. quæst. regul. 77. articul. 5.* † Et matrimonium spirituale non est eiusdem efficacitæ, & virtutis; sicut matrimonium carnale: quia Monasterij ingressus non potest efficere, vt Monasterium sit verè filius ingressi; at in matrimonio carnali, is qui legitimatur est verè filius contrahentis; & Matrimonium carnale omnem maculam & fraudem tollit: quod in matrimonio spirituali, eodem modo constitutum minimè reperitur: vt bene explicat Bammacarius *ad titul. si de fundo defunct. fuer. controuers. in capit. naturales. quæst. 7. num. 82. 83. 84. & 85.*


Et generalis est regula; ex iis, quæ tempore magnæ infirmitatis gesta sunt, fraudis coniecturam elici: vt notauit Surd. *dict. consil. 384. numer. 54.* vbi plura exempla & iura ad hoc allegat, sicuti & Tusch. *litter. F. conclus. 478. num. 27.*

Secunda coniectura oritur ex eo quod dicitur, professionem illam factam fuisse primò quidem, die 1. Augusti; iterùm autem, die 4. eiusdem mensis: ex quibus sic geminatis professionibus colligitur magna affectio, & ardens animus monialium ad capefenda bona istius puellæ: sicut dicimus de resignationibus multiplicatis, ex quibus præsumitur fraudem fuisse commissam in præiudicium expectantis. Rebuff. *in concord. titul. de collator. §. volumus.*

*in verb. vacantia. in 8. coniectura. Mascard. de probat. conclus. 815. num. 17.*

14. Tertia coniectura fraudis oritur ex eo, quòd dicta professio facta fuit clam, & secretò intra conuentum; non in Ecclesia, vt fieri semper solet; nec vocatis patre, matre, & affinis: imò Abbatissa affectante, & procurante, vt professio fieret illis insciis, & ignorantibus: quòd fraudis argumentum præbet, ex Mascard. *de probat. conclus. 815. num. 33.*
15. Quarta: quia conuentum fuerat inter Abbatissam, & Patrem puellæ; quòd fieret contractus publicus, per quem dicta nouicia, mediante summa 600. scutorum realiter dicto Monasterio soluenda; renuntiaret iuribus paternis & maternis: qui autem promissa non seruat, fraudis suspitione non caret: *l. dolus. ff. mandat. l. 1. §. est autem. ff. depositi. Menoch. lib. 5. præsumpt. 3. num. 63.*
16. Quinta fraudis coniectura oritur ex nimia, & insolita cautela: Quia licet non soleat apud nos fieri instrumentum per manus Notarij de emissionem trium votorum, & professione religionis, sed solum professiones notentur in libris ipsius Monasterij in quo fit professio; tamen Abbatissa voluit de illa professione fieri instrumentum apud acta Notarij publici: fraudem autem colligi ex nimia, & insolita diligentia, seu cautela certum est: *Theaur. iun. lib. 3. quest. 16. num. 11. Menoch. lib. 5. præsumpt. 3. num. 102.*
17. Denique cum fraus arguatur ex actibus præcedentibus, & sequentibus, cum nimia subtilitate gestis; ex Mascard. *conclus. 815. num. 16.* consideratum fuit, quòd Abbatissa desiderans Patrem puellæ reddere actorem, induxit eum, aliquot ante puellæ professionem diebus, vt sibi mutuò daret summam eius doti promissæ æquivalentem; quam, fraudulentâ professione factâ, non solum recusabat reddere; sed omnia eius bona longè maioris valoris sibi adiudicari prætendebat; & puellam febrî hectica laborantem, & cæcam mórque morituram, & sic functionum ordinis incapacem admisit ad professionem, contraueniendo ea ratione constitutionibus Apostolicis. † Quo casu, licet professio non sit nulla aliis circumstantiis minime concurrentibus quoad forum interius; tamen superior illam admittens peccat, & subiicitur pœnis contentis in constitutionibus Apostolicis: de quibus Bonacin. *de clausur. quest. 2. punct. 10. §. 6. difficult. 2. numer. 11.* † Poterat enim, imò debebat ex iustissima illa causa tempus professionis aliquantulum prorogari, non obstante lapsu anni nouitiatus: teste Nouar. *lib. 1. decis. 50. Tambur. de iur. Abbat. tom. 3. disput. 6. quest. 18. num. 4. & 5.* † Præcipitatio igitur ista fraudem arguit: *Tusch. litter. F. conclus. 477. numer. 11.* quæ sola licet non sufficeret; tamen aliis iuncta multum operatur. † Vnde dotem puellæ, illiusque bona non esse applicanda Monasterio; sed ad successores ab intestato resolutum fuit in pluribus causis: vt videre est apud Peregrin. *consil. 25. volum. 6.* vbi dicit professionem quoad animam esse validam, vt factam in casu licito: verum, ex præsumpta fraude, propter admissam mox morituræ professionem, & ob nimiam diligentiam monialium, quæ dotem puellæ ante professionem sibi remitti curauerant, sub prætextu depositi; deprauatam illarum intentionem colligi; & ad illius successionem admittendos esse proximiores excluso Monasterio. Atque ita decisum fuisse testatur Ricc. *in prax. aurea, cap. 493. à num. 6.* vbi casus noster deciditur in puncto: quia professio illa fuit admissa contra constitutiones ordinis, cum puella esset infirma, hectica, cæca, & moribunda; & propterea, cessantibus omnibus & quibuscumque oneribus matrimonij spiritualis, per mortem statim su-

peruenientem; debebat & successio cessare: sicut non dicitur nupta, quæ virum pati non potest, *l. quod pupilla. 30. & penult. ff. quando dies leg. vel fideicom. ced. & per quinque rationes ibidem per Ricc. allegatas, quas hîc non repetemus: loquitur enim de professione facta post completum nouitiatus annum à puella, quæ propter infirmitatem non erat capax austeritatum regulæ.*



## CAPVT LXV.

De translatione monialium ad aliud Monasterium. Vtrum translata personam transferantur etiam bona. Proponitur peculiaris constitutio, seu consuetudo in ordine sancti Dominici. Quid verò in aliis ordinibus statuendum sit, cuius conuentus religiosus dicatur filius, & vtrum affiliatio transferri possit ad aliud Monasterium. De triplici forma professionis, & de diuersitate affiliationum. Dos religiosæ, soluto matrimonio spirituali, penes quem remanere debeat. De alimentis religiosæ translatae præstandis. De forma executionis translationis quæ fit vigore Bullarum Apostolicarum: vtrum in ea requiratur noua professio, & vtrum delegatus executor Bullarum possit subdelegare.

## S V M M A R I V M.

1. In ordine sancti Dominici bona professi remanent in primo Monasterio, non obstante translatione.
2. In eodem ordine alimenta debentur translato ad aliam domum regularem.
3. Non fit translatio bonorum in ordine sancti Dominici ad alium conuentum, nisi interueniente auctoritate Generalis, & consensu Monasterij, seu conuentus interesse habentis.
4. Triplex est vouendi religionem modus. Primus in genere, per quem bona non applicantur certo Monasterio. Secundus in specie, quando quis affiliatur certo ordini. Tertius in indiuiduo, quando affiliatio fit respectu certi conuentus particularis tantum. Et quis sit effectus, huius triplicis voti.
5. Quando tractatur de renunciatione, illa haberi debet à conuentu, respectu cuius facta est affiliatio.
6. Translatio ad tempus non transfert bona, sed illa remanent semper in primo conuentu.
7. Per professionem dos religiosa acquiritur irrevocabiliter Monasterio, in quo fit professio.
8. Quoad dotem magna est differentia inter matrimonium carnale, & spirituale.
9. Monasterium coactè recipiens monialem translata debet illius dotem consequi, ex Sanchez.
10. Proprietas dotis non potest esse penes religiosam, cum ipsa sit bonorum incapax.
11. Dotem cum monialis persona transferri multi censent

consent, quorum rationes proponuntur, & refutantur.

12. Secunda opinio existimantium dotem spectare ad primum monasterium, etiam quoad usumfructum.
13. Tertia opinio distinguens inter quesita ante, & post translationem, & inter proprietatem, & usumfructum.
14. Dos ibi esse debet, ubi sunt onera matrimony.
15. Alimenta, cessante consuetudine, vel conuentione contraria, præstanda sunt religiose translatae per primum monasterium, sub moderata taxatione.
16. In taxatione alimentorum religiose translatae debet haberi ratio obsequiorum, & seruitiorum secundo monasterio per translataam præstandorum.
17. Debet etiam in taxandis alimentis translata haberi ratio, quod primum monasterium amittit iura superioritatis in personam translataam.
18. Datur resolutio proposita questionis, & quid super ea fuerit decisum.
19. Littera Apostolica translationis possunt mandari executioni, etiam per censuras.
20. Episcopi gloria est obedire litteris summi Pontificis, qui in beneficialibus, & in translatione Monachorum plenam habet potestatem.
21. Monialis translata ad aliam regulam, tenetur nouam facere professionem.
22. Fallit stantibus clausulis appositis in Bullis Apostolicis.
23. Religiosa, donec translatio pacificum sortita fuerit effectum, aut per eam non steterit; remanet semper religiosa primi monasterij.
24. Executor in Bullis deputatus etiam cum clausula, super quo conscientiam tuam oneramus, subdelegare potest alium qualitates similes habentem.
25. Episcopus non potest se intromittere, quando commissio data est eius Officiali.
26. Clausula, quatenus vos, vel duo &c. & clausula per te, vel per alium dant facultatem præueniendi, & subdelegandi.

**T**Ractata sæpius fuit hæc controuersia in diuersis supremis tribunalibus, in qua, secundum varias facti circumstantias; diuersimodè responsum & iudicatum fuit: utrùm translato religioso, vel moniali; dos, aut alia bona ipsius (in locis ubi monasteria succedunt) ad primum monasterium à quo, vel ad secundum ad quod translatio facta fuit; pertinere deberent. Et sanè cum aliàs proponeretur, duas ex illustrissima familiâ sorores, factâ prius professione in monasterio sub regula Sancti Dominici in quadam Gallix ciuitate erecto; ad aliud monasterium in patria Aluernix fuisse vocatas, ut ibi nouum eiusdem ordinis monasterium instituerent, & eiusdem moniales instruerent; fuit ex certis particularibus circumstantiis resolutum, dotem harum monialium ad primum monasterium tam quoad proprietatem, quàm quoad fructus pertinere, & apud ipsum remanere debere. † Si quidem hoc suppositum fuit, quod ex inuolabiliter obseruata in monasteriis regulæ S. Dominici suppositis constitutione, dos per religiosam ad certum monasterium allata, in eodem monasterio in quo professio facta est, perpetuò remanere debet: & religiosi ac religiose monasterio, in quo professio facta est, affiliari; & in affiliatione persistere, non obstante translatione ad aliud mo-

nafteriū facta, quod eiusdè sit ordinis; tam quoad proprietatē quàm quoad fructus. † Eodèque casu translatio-  
 2. tionis eueniente monasteriū illud, ad quod translatio facta fuit pro aliorū instructione, aut alia de causa; tenetur ad alimenta religiosi, aut religiose translatae: prout veri cabatur ex litteris patētibus Reuer. Patris Generalis eiusdem ordinis sub die 1. Ianuarij 1642. † Adeo ut bona non transferantur cum persona, nisi  
 3. interueniente autoritate eiusdem R. P. Generalis S. Dominici, & interueniente consensu interesse habentium: quo casu transferri potest ad aliud monasterium affiliatio, & non aliàs: ut notat Sanch. in  
 4. præcep. decalog. lib. 7. cap. 32. num. 54.

Siquidem sciendum est tribus modis aliquem pro-  
 4. fiteri posse in religione. Primus professionis modus est, quando illa fit in genere generalissimo, absque expressione alicuius certi ordinis, religionis, vel conuentus. Secundus, quando professio fit in genere subalterno, per quam profitens se se obligat quidem ad certum ordinem, aut religionem; sed non habet respectum ad particularem aliquem eiusdem ordinis conuentum, aut domum regularem. Tertius est, quando profitetur quis obedientiam, & alia vota, habito respectu ad certum, & determinatum conuentum: veluti si dicat; *Ego profiteor, & voueo Deo, & vobis R. P. Priori Conuentus Auenionensis.* In secundo casu, quando professio fit de regula Sancti Dominici, quamuis non exprimat certus conuentus; tamen ex constitutionibus eiusdem ordinis, religiosus remanet filius conuentus, in quo profitetur: & in his terminis loquitur Sanch. d. num. 54. Sed in tertio casu (qualis est ille de quo agitur) etiamsi nulla adesset specialis constitutio, cum professio restricta fuerit ad certam domum & monasterium; profitens remanet semper filius illius monasterij, & bona seu dos spectant semper ad primum monasterium, in quo professio & affiliatio facta fuit. Ista distinctio bene deducitur per Calderin. consil. 23. de regularib. Abb. in cap. in presentia. num. 64. & seq. de probat. Rot. decis. 4. num. 1. & 6. par. 6. recent. Sanch. d. lib. 7. cap. 32. num. 55.

Et ea de causa, cum aliàs tractaretur de obtinen-  
 5. da renunciatione iurium cuiusdam religiosi, in fauorem consanguineorum in hac ciuitate, ubi datur monasterio successio; Dixi adhibendum esse consensum monasterij Auenionensis, in quo facta fuerat professio, restricta ad illum certum conuentum; quamuis, de eo tempore, ipse in alio conuentu Reueren. Patrum Sancti Martialis de Gentilino habitaret, ex Superiorum voluntate.

Consideratum etiam fuit in casu proposito, non  
 6. agi de perpetua, sed de temporali translatione dictarum monialium: quo casu, etiam supradictis constitutionibus cessantibus, dos & bona religiose sic translatae omninò remanent apud primum monasterium, cuius est semper vera religiosa. Lopus allegat. 62. de regular. numer. 7. in fin. & numer. 8. versic. respondetur.

Protestatae quidem fuerant istæ religiose, dum dotem suam in priori monasterio auxerant, se id ea cum reseruatione facere, ut casu quo ad alterius monasterij erectionem, vel institutionem vocarentur; salua sibi esset facultas dotes suas ad posterioris monasterij vtilitatem secum deferendi: sed hæc illarum protestatio prodesse non poterat; tum quia deficiebat superioris autoritas, quæ in illa protestatione reseruata fuerat; imo R. Pater Generalis illius ordinis per suas litteras expressè suum dissensum declarauerat: nullus quoque Episcopi ordinarij consensus adhibitus fuerat: tum etiam quia protestatio

illa (quæ secundum iuris dispositionem intelligenda erat) procedere quidem potuisset, si translatio in perpetuum facta fuisset; cum tamen contrarium apparet ex conclusione capitulariter per moniales facta, per quam duas illas religiosas ad nouiter erigendi Monasterij instructionem ea lege destinabant; vt post instructionem, ad primum Monasterium redire tenerentur; & sic temporalis esset translatio, nec affiliationi primi Monasterij vlla ratione præiudicaret: vt superius ostensum fuit. Et quod plus est totum capitulum, dictis duabus monialibus præsentibus, & consentientibus, præsentem etiam confessario, & Vicario ordinis; expressè declarauit translationem fieri sub ea conditione, vt dos ipsarum semper in primo Monasterio tam quoad proprietatem, quam quoad vsumfructum remaneret: vnde nec quamuis secundum Monasterium aliam regulam ex superiorum concessione seruatis seruandis amplecteretur, dimouenda esset dos à primo Monasterio: †

7. cum ipsi semel & irreuocabiler pro ea ius quæsitum esset: vt notat Sanch. *in præcep. decal. lib. 7. cap. 32. num. 12.* Hieron. Roderic. *quæst. regul. 54. num. 7. & quæst. 98. num. 10.* qui veriorē censent illam sententiam, quæ vult dotem Monasterio per professionem acquiri irreuocabiler, nec personam sequi; licet ad aliud transeat Monasterium: qua de re copiosius inferius agemus. † Interim placet Sanch. differentia inter dotem carnalem & spiritualem allata; illa quippe apud eum remanet, qui sustinet onera matrimonij; & soluto per mortem matrimonio restituenda est: Ista per professionem quaritur irreuocabiler Monasterio, nec in ea locum habent

8. regulæ, dotis soluto matrimonio restituendæ. † Verum si secundum Monasterium non voluntariè, sed coactè religiosam admitteret; tunc cum ei nihil esset imputandum, dotem ad secundum Monasterium cum persona transire existimat. In casu proposito, admissio erat purè voluntaria; ideo dos personas non sequebatur: maximè quia in matrimonio spirituali, dos non potest pertinere ad monialem, quæ spiritualiter nubit per professionem: quia cum ipsa emittat votum castitatis, paupertatis, & obedientiæ;

9. † proprietates dotis penes ipsam existere non potest: sed omnino ad Monasterium spectat. Ideo erroneum est hoc casu dicere, quòd bona personam sequantur. Mirand. *in manual. prelat. regul. quæst. 31. artic. 24. conclus. 2.*

Cæterum, quia supradicta resolutio fundata fuit ex specialibus ordinis constitutionibus, & ex aliis facti circumstantiis; non eadem resolutio afferenda videtur si generaliter de monialis, aut religiosi translatione agatur: nam variæ fuerunt hac in re Doctorum sententiæ. † Aliqui enim asserunt dotem cum monialis persona ad secundum transferri Monasterium. Glos. *in cap. 3. in verb. redire. de cleric. coniugatis* & ibi Hostiens. *num. 4.* Butrius *num. 9.* Ioan. And. *num. 7.* Anchar. *num. 9.* Zabarel. *in 4. oppos. Boich. num. 2. & 3.* Summa Angel. *in verb. Monasterium. num. 6.* Menoch. *de arbitr. casu 156. à num. 25.* plures alios citat Sanfelicius, post hæc scripta visus, *decis. 322. num. 8.* triplici ratione. Prima, quia dos personam sequi debet: sed ad hanc responsum fuit supra, hoc procedere quidem in matrimonio carnali, sed non in spirituali: quia in hoc dos non pertinet ad religiosam, quæ propter votum paupertatis bonorum incapax est. Secunda, quia bona dicuntur quæ sita primo Monasterio sub conditione, quamdiu erit in eo religiosus, aut religiosa: sed hoc etiam falsum est, cum ex generali consuetudine dos, etiam mortuam religiosam, ad Monasterium, in quo professio fa-

cta fuit; pertineat: prout etiam supra *num. 8.* firmauimus post Sanch. *in præcep. decal. lib. 7. cap. 32. num. 12. in fin.* Tertia, quia illud matrimonium spirituale contrahitur cum Christo Domino, qui æquè sponsus est animæ deuotæ in alio Monasterio, quam in primo: sed hæc tertia ratio non concludit, nisi quando professio facta fuit in genere: secus quando habitus fuit respectus ad certum & determinatum Monasterium, cuius respectu fuit factum spirituale matrimonium: vt etiam superius ostendimus *num. 4.*

Alij autem existimant dotem omnino tam quoad proprietatem, quam quoad vsumfructum ad primum Monasterium spectare; non obstante translatione personæ. Sanch. *d. lib. 7. cap. 32. num. 12.* dummodò voluntaria sit, non coacta translatio: vt mox dictum est. Mirand. *in manual. prelat. regul. tom. 1. quæst. 31. artic. 24.* plures citat Barbof. *ad cap. 3. num. 4. de cleric. coniugat. & Sanfelic. d. decis. 322. num. 1. & seq.*

Tertia fuit opinio eorum qui distinguunt, inter bona monialia quæ sita ante translationem, & ea quæ post translationem acquiruntur: vt hæc quidem post translationem quæ sita ad secundum Monasterium pertineant; quæ verò ante translationem, ad primum spectent iure proprietatis, ad secundum verò iure vsumfructus; ne scilicet iste licitè translatus, sit posteriori Monasterio onerosus: qui tamen vsumfructus, post mortem translatis cum sua proprietate in fauorem primi Monasterij consolidatus remaneat. Tusch. *in verb. Monachus. conclus. 322. num. 2. & 4.* Chopin. *lib. 2. monast. tit. 3. num. 24. versic. & quid verò.* Rebuff. *in concord. tit. de Regia ad prelat. nominat. §. vlt. in verb. concessa. versic. quid si monachus.* cuius hæc sunt verba: *Si monachus dederit aliqua bona priori Monasterio, & postea translatus fuerit in aliud Monasterium; vsumfructus bonorum acquiritorum primo Monasterio, dabitur secundo Monasterio, ne onerosus eidem existat.* Idem author *loc. citat. versic. item nominato.* subdit primum Monasterium teneri ad alimenta præstanda monacho, qui ad secundum Monasterij prioratum vocatus est, donec plenam illius possessionem adeptus fuerit; nisi tamen esset in mora, & per eum staret quominus adipisceretur.

In hac opinionum varietate, Ego aliàs interrogatus pro monialibus Sanctæ Ursulæ Montis Adhemarij in eam inclinabam sententiam, vt fructus dotis ad secundum Monasterium spectarent. † Quia dos ibi esse debet saltem quoad fructus, vbi sunt onera: *l. si is qui 57. ff. de iur. dot.* quæ opinio æquior videbatur, vt dicit Chopin. *d. lib. 2. monast. tit. 3. num. 24. versic. at rectius.* sed non didici quid super eo iudicatum fuerit.

Post aliquot autem annos, iterum consultus pro veritate per moniales Sancti Andreae in principatu Auraicensi, super dote cuiusdam religiosæ quæ ad arctiorē regulam Carmelitarum in ciuitate Carpentoractensi conuolauerat, vnà cum viris eruditissimis Respondi, dotis quidem proprietatem ad primum Monasterium pertinere ex rationibus superius adductis: † Sed tamen illud teneri ad alimenta moderanda iuxta dotis quantitatem, ad quæ sufficere dixi pensionem annuam 25. scutorum, quam hæc puella sibi referuauerat: nec non fructus 200. scutorum ad eam spectantium, ad rationem quinque pro quolibet centenarij iuxta cursum communem huius patriæ: ex iis quæ tradit Menoch. *consil. 193. num. 12.* quem citat & sequitur Surd. *in tract. de Alimentis, tit. 9. quæst. 27. num. 23. versic. tamen intellige.* † Cum enim secundum Monasterium operas & seruitia tran-

latæ monialis habeat, non conuenit vt illi integer bonorum vsusfructus tradatur: cum qui altari seruit; de altari viuere debeat; ita concludit relatis varijs opinionibus Tamburin. *de iur. Abatiff. & Monial. disput. 21. quæst. 8.*

17. Quamuis etiam quoad alimenta id non transeat sine difficultate, quando maiora sunt vsufructu ipso dotis: quia cum primum monasterium amittat ius superioritatis in personam religiosæ, videtur etiam exonerandum alimentis vsufructu maioribus: ex *Surd. d. tit. 9. quæst. 27. numer. 17.* Quia religiosus per secundum ingressum, efficitur quodammodo nouus homo: vt ibi *Surd. num. 24.* † Senatus tamen alimenta secundo monasterio adiudicauit, & taxauit; bonorum proprietate penes primum monasterium relicta: quæ etiam fuit mens Senatus Neapolitani apud Sanfelice. *d. decis. 322. num. 12. & 13.* de eâ quæstione tractat Tamburin. *de iure Abbatum, tom. 3. disput. 7. quæst. 6. num. 7. & seq. & Rot. decis. 109. & 115. par. 2. recent.*


- Quia verò circa executionem translationis dictæ monialis Montis Adhemarij, de qua supra *numer. 14.* ortæ fuerunt quædam difficultates; ideo sequentes resolutiones super illis datæ fuerunt. † Et primò quidem, quia translatio fiebat autoritate summi Pontificis, & vigore Bullarum, quibus dicta religiosa constituebatur alterius monasterij Abbatissa: Dixi in casum oppositionis alterius monasterij procedendum esse per censuras Ecclesiasticas in forma consuetæ; absque eo quòd Episcopus ordinarius litterarum Apostolicarum executionem impedire possit. † Sufficit enim Episcopo obsequij gloria, cum penes summum Pontificem sit suprema, & plena potestas; præsertim in beneficiorum collationibus, & regularium translationibus. *Glos. in cap. quoad translationem. de offic. deleg. quod copiosè deducitur in quodam litigato inserto apud Bouchel in summa benefic. in verb. translation, versic. premierement le Sieur Euesque.*

19. Præterea fuit aduertendum, quòd ista monialis translata non tenebatur nouam facere professionem in secundo monasterio, quamuis in isto noua & distincta à priori regula obseruaretur: quamuis Emanuel Roderic. *tom. 3. quæst. regul. 52.* regulam proponat in contrarium; nempe translatione factâ, opus esse noua professione. Quia regula illa in se vera quidem est; † sed locum non habet stantibus clausulis quæ in litteris translationum apponi consueuerunt; & in illis de quibus agebatur appositæ erant: nempe *Decernentes te, cum primum possessionem dicti prioratus fueris adeptus, de primo dicto monasterio ad dictum prioratum, eo ipso, autoritate Apostolicâ transferendam; teque inibi in monialem recipendam, ac sincerâ in Domino charitate tractandam.* Ita decisum fuit in *Rot. decis. 115. num. 9. part. 2. recent.* iuxta tradita per *Rebuff. in prax. in tit. de translat. monachor. num. 2.* quem sequitur *Barbos. de iure Eccles. vniuerso lib. 2. cap. 42. num. 83.*

20. Remanet tamen religiosa primi monasterij, donec secundi possessionem pacificam adeptus fuerit; dummodo per eam non steterit quominus adipiscatur; *Rebuf. in concord. tit. de Regia ad pralat. nominat. §. ultimo in verb. concessa. in fin.*

21. Executor autem per Bullam deputatus subdelegare potest, etiam si in litteris adesset illa clausula, *super quo conscientiam tuam oneramus,* *Garc. de benefic. par. 6. cap. 2. §. 1. numer. 99. & seq.* † Neque potest Episcopus se immiscere executioni, quando eius Officiali commissio data est. *Garc. d. par. 6. cap. 2. num. 20.* tantò magis potest fieri subdelegatio, licet plu-

res deputati fuerint executores per eum, qui præuenit aduersus alios: quia adsunt clausulæ in Bullis Apostolicis id permittentes: † nempe, *quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum; posteaquam vobis huiusmodi littera fuerint presentata, per vos, vel per alium, seu alios, dictam Lucretiam in possessionem inducatis.* Quæ clausula facultatem continet vni sine alijs procedendi; vel etiam personas idoneas & qualitatis requisitæ subdelegandi: *l. 1. & ibi DD. ff. de offic. conf. Barbos. de claus. cap. 125. num. 6. & 7.* Atque ita executum & practicum fuit.



CAPVT LXVI.

Quibus in casibus successor in prælatura, vel beneficio, teneatur stare locationi factæ per antecessorem: & quando dicatur locatio utilis Ecclesiæ. Quid si conductor fecerit expensas in re conducta ab Ecclesia: & utrùm interim lite pendente conductor manutenendus sit. De locatione rerum Ecclesiæ ultra triennium non concedenda: & quomodo hoc triennium intelligatur. De successore in beneficio per obitum, vel per renunciationem simpliciter factam, vel in fauorem. Quæstio plenè examinatur: & concluditur indistinctè successorem non teneri stare locationi. Quid super hac re obseruetur, & iudicetur in Gallia. Denique an, & quâdo solutio anticipata liberet colonum, seu conductorem rerum Ecclesiæ.

S V M M A R I V M.

1. Successor in beneficio tenetur stare locationi factæ per antecessorem nomine Ecclesiæ, secus si nomine proprio.
2. Omnis administrator tenetur ratam habere locationem administratorio nomine factam per antecessorem.
3. Locatio quando dicatur facta nomine Ecclesiæ.
4. Locationem nomine Ecclesiæ factam fuisse colligitur ex coniecturis quæ enumerantur.
5. Quando conductor rerum Ecclesiæ fecit multas expensas, potest continuare inuito successore beneficij vsque ad proximam fructuum recollectionem.
6. Ampliatur etiam si fructus essent difformes, & recollectio pluribus annis absolueretur.
7. Conductor lite pendente potest petere se manuteneri in sua detentatione.
8. Locatio bonorum Ecclesiæ ultra triennium nulla est.
9. Locatio facta ultra triennium utrùm subsistat pro triennio; an verò in totum corruat.
10. Quando pretium locationis distributum est in singulos annos, locatio valet ad triennium; & vitatur tantum in excessu.
11. Locatio rerum Ecclesiæ fieri potest ad sex annos, quando fructus alternis annis colliguntur.
12. Successor in beneficio tenetur stare colono, si succedat per resignationem. Contra, num. 14.
13. Quando vsusfructus finitur factò vsufructuarij, successor tenetur stare locationi.

14. Multi existimant prouisum per resignationem non teneri stare locationi antecessoris.
15. Si quis locauerit sciens se breui resignaturum, non obligat successorem ad obseruandam locationem.
16. Licet locatio non afficiat successorem beneficij, afficit tamen heredes, & fideiussores locatoris.
17. Differentia ponitur quoad locationem inter successorem ex pura, & conditionali resignatione.
18. Sed hac differentia reuocatur num. 18. & seq.
19. Factum resignantis non nocet resignatario, qui est tertius; & non habet ius a resignante, sed a conferente: & num. 20. & 21.
22. In quacumque resignatione successor in beneficio non tenetur stare locationi antecessoris.
23. Quod procedit etiam in resignatione facta in fauorem certa persona.
24. Resignans habetur pro mortuo in beneficio resignato.
25. Etiam in resignatione in fauorem ius nouum acquiritur mediante collatione.
26. Quae sit differentia inter usufructuarium, & beneficium in materia locationis.
27. Explicatur Caroc. de locat. part. 2. tit. de usufruct. quaest. 2. num. 6.
28. Explicatur Baldus consil. 371. lib. 1.
29. In Gallia non passim admittitur illa distinctio pura, & conditionalis resignationis, in materia successoris obligandi ad continuandam locationem.
30. Explicatur Regia constitutio declarans successores in beneficio non teneri stare locationi antecessoris. Et num. 31. & 32. referuntur casus in quibus successor tenetur, vel non tenetur illi stare ex sententia supremorum Gallia tribunalium.
33. Solutiones anticipatas prohibet Concilium.
34. Ante Concilium non ita rigorosa erat prohibitio anticipata solutionis.
35. Quando dicatur solutio facta per anticipationem.
36. Solutio beneficiario facta ante fructus perceptos, non liberat conductorem.
37. Fallit, si pecunia essent versa in utilitatem Ecclesiae, saltem pro rata versionis.
38. Referuntur Doctores de singulari successore in materia locationis tractantes.

**M**ortuo collegij cuiusdam monachalis Rectore, varia propolita fuerunt controuersia inter successorem, & colonos; tum circa validitatem locationis, tum etiam circa illius continuationem, nec non ratione solutionum anticipatè factarum: pro quorum omnium resolutione, sequentes adductae fuerunt conclusiones.

1. Prima conclusio. Quando locatio facta fuit nomine Ecclesiae, successor stare tenetur locationi per antecessorem in beneficio factae: si verò facta fuerit nomine proprio ipsius locantis, successor illi stare non tenetur: ita docent Peregr. in tract. de fideicom. artic. 40. num. 98. Mantica. de tacit. conuent. lib. 5. tit. 10. num. 22. in 5. limit. versic. & quidem successor.
2. Anthon. de Marin. lib. 1. resol. cap. 259. num. 18. † Si quidem generalis est regula, administratores omnes teneri ratam habere locationem factam per antecessorem. Couar. lib. 2. variar. resol. cap. 15. num. 6. versic. ego verò. † Nominis Ecclesiae locationem factam fuisse tunc existimauit Couar. loc. citato versic.

igitur ubi locatio. quando reditus non ad praelatum, qui simplex administrator est, pertinent; sed ad Ecclesiam: nam si reditus ad Rectorem proprio nomine pertinuissent; non Ecclesiae, sed proprio nomine locatio facta diceretur, licet nomen Ecclesiae fuisset expressum; & moriente Rectore expiraret locatio: quod & voluisse videtur Gratian. decis. 99. n. 14. † 4. Quamquam & ex aliis coniecturis locationem nomine Ecclesiae factam fuisse colligat Socin. sen. consil. 34. num. 4. volum. 3. veluti si contrahat expressio officij nomine, dummodo locatio sit utilis Ecclesiae. Item si onus Ecclesiae fuerit iniunctum, sicut è contra praesumitur nomine proprio factam fuisse locationem si onus ipsi Rectori fuerit iniunctum; vel si ipse, proprio nomine expresso, vocatus fuerit locator. E contra, si plura sint apposta pacta Ecclesiae utilia, nomine Ecclesiae praesumetur facta locatio: & plures alias coniecturas, & circumstantias considerat Socin. ibidem. Sed copiosius Cardinalis Mantica ad quem recurrendum est, cum casus occurrerit, lib. 5. de tacit. & ambig. conuent. tit. 13. num. 16. & seq.

Secunda conclusio. Quando conductor fecit expensas necessarias in certis praedijs, vel ante expulsionem facturus est; poterit in illis praedijs continuare usque ad integram fructuum perceptionem, nec ante fructus perceptos expelli poterit. Gratian. discep. forens. cap. 606. numer. 17. Caroc. in tract. de locat. par. 3. quaest. 1. tit. de reb. Eccles. locand. numer. 61. fol. mihi 778. † Quod procedit etiam si fructus percipiendi essent difformes: nam expectanda esset integra omnium fructuum perceptio, nec antea conductor rerum Ecclesiae expelli posset. Gratian. ibidem. num. 19. Sicut autem non potest expelli, ita nec conductionem dimittere potest. Gabriel. consil. 68. lib. 1. ubi loquitur de praedio, quod singulis quinque annis fructum reddit; videlicet duobus annis frumentum ultra alios fructus; alijs verò tribus annis praedia locantur ad pascendas pecudes: & dicit illud quinquennium pro vno anno computari, & colonum ac dominum debere stare illi locationi, nec vnum alio inuito abspsa recedere posse.

Tertia conclusio. Conductor lite pendente interrim in sua detentione manutenendus est; & illi competunt remedia possessoria. Rot. apud Caualer. decis. 182. num. 2. Ricc. collect. 2850. versic. ego autem. cum alijs per Post. de manuten. obseruat. 52. numer. 17.

Quarta conclusio. Locatio bonorum Ecclesiae ultra triennium nulla est; ex constitutione Pauli II. quae incipit ambitiosa. in extrauag. sub tit. de reb. Eccles. non alienand. super qua plura notauit Scort. in select. Pontif. constit. theorem. 115. Quarant. in sum. Bullar. tit. alienat. rer. Eccles. num. 18. † Adeo ut multi existimauerint locationem factam ultra triennium, esse in totum nullam; & non solum vitari in eo, quod triennium excedit; sed etiam in totum, saluo tamen anno, in quo colonus iam fecit expensas, & culturas: vt supra dictum est num. 5. Quam opinionem secuta est Rot. decis. 30. num. 3. par. 1. recent. licet Rot. decis. 210. apud Pacif. numer. 7. id videatur nimis restringere ad casum, quo fructus sunt de proximo colligendi: ex notatis per Adden. ad Burat. decis. 482. num. 18. Caualcian. decis. 44. num. 15. versic. tertio. Surd. decis. 52. numer. 12.

Quinta conclusio. Quando locatio rerum Ecclesiae facta fuit pretio in singulos annos distributo; verius est illam sustineri pro triennio, & in excessu duntaxat vitari: quia tempus utile ab inutili separari potest. Barbof. de offic. & potest. Episcop. part. 3. alleg. 95. num. 11. & seq. Et hanc opinionem magis communiter receptam esse; maxime sub illa distinctione pretij

pretij distributi, vel non distributi in singulos annos; testatur Quarant. loco citato num. 18. versic. hunc ar-  
ziculum. Quia summi Pontificis mens in illa extrava-  
ganti fuit impedire, ne ultra triennium fierent rerum  
Ecclesiasticarum locationes: & ne conductor in effe-  
ctu remaneret ultra triennium. Unde satisfit summi  
Pontificis intentioni, si finito triennio conductor re-  
cedat: ita tenet Anth. de Marin. lib. 1. quotid. resol.  
cap. 6. num. 7. versic. contrarium.

11. Sexta conclusio. Quando fructus prædiorum alter-  
nis tantum annis percipiuntur; non solum ad qua-  
driennium, sed etiam ad sex annos fieri potest loca-  
tio rerum Ecclesiæ: quia non anni, sed fructuum  
perceptiones sunt computandæ. Mantie. de tacit.  
conuent. lib. 5. tit. 13. num. 32. Quarant. in verb. alie-  
natio rer. Eccles. num. 18. Barbof. d. allegat. 95. num.  
4. & de iur. Eccles. lib. 3. tit. 30. Ricc. in prax. rer.  
for. Eccles. decis. 115. num. 2.
12. Septima conclusio. Licet locatio sit valida, tamen  
successor in beneficio non tenetur illi stare, si succes-  
serit per obitum; nisi locatio facta esset nomine Ec-  
clesiæ, & sub modificationibus supra deductis: si  
verò successerit per resignationem, tenetur stare loca-  
tioni, nec illam impugnare potest. Ratio differentiæ  
est, quia prouisus per obitum, ius habet à collatore:  
prouisus autem per resignationem, ius habet à resi-  
gnante: ita tenet Gratian. discep. forens. 606. num.
13. 10. ob illam rationem, quia † quando vsufructus  
finitur facto vsufructuarij, successor tenetur stare  
conditionibus prioris possessoris: Prælati si quidem,  
aut Rector habetur loco vsufructuarij, Gratian.  
ibidem plures allegans. numer. 6. Sed hæc ratio  
Gratiani quam ex Polydoro Ripa desumpsit, &  
sequitur Hodier. ad Surd. decis. 33. numer. 4. con-  
cludit generaliter successorem teneri stare colono,  
quando facta fuit resignatio per beneficij possessorem  
siue simpliciter, siue in fauorem alterius facta sit:  
quia utroque casu vacat beneficium facto possessoris;  
& sic generaliter loquuntur præfati DD. Cui tamen  
propositioni aduersatur.
14. Primò, quòd contrarium simpliciter tenuerunt alij  
multi, nempe successorem etiam ex causa renuncia-  
tionis prouisum, non teneri stare locationi factæ per  
antecessorem: ut tenet Barbof. in l. si filiofamilias.  
26. §. final. ff. solut. matrim. num. 19. versic. amplia  
hanc conclusionem. Alex. Trentacinq. libr. 3. variar.  
resol. titul. de locat. & conduc. resol. 3. numer. 8.  
post Castrenf. consil. 4. numer. 4. & 5. vol. 1. Couar.  
lib. 2. variar. resol. capit. 15. numer. 6. ante medium
15. versic. idem erit, ubi Rector. † Quæ doctrina indi-  
stinctè vera esset, si Prælati aut Rector Ecclesiæ  
sciens se breui renunciaturum faceret talem locatio-  
nem; tunc enim ratione fraudis, successor illi stare  
nullo modo teneretur. Barbof. de offic. & potest. Epis-  
cop. par. 3. allegat. 94. num. 6.
16. Procedit tamen effectus locationis sine difficultate  
ad effectum, ut conductor agere possit contra fide-  
iussores, & hæredes Prælati locantis, ad consequen-  
dum suum interesse. Barbof. d. l. si filiofamilias. 26.  
§. fin. num. 22. ff. solut. matrim. & in tract. de potest.  
Episcop. d. allegat. 94. num. 12.
17. Secundò, quòd alij distinxerunt inter resignatio-  
nem beneficij factam purè, & simpliciter; ut tunc  
successor locationi sui antecessoris stare non teneatur:  
secus si facta fuisset in fauorem, per rationem supra  
deductam num. 12. & tradit Louet in sua recollectione  
arrest. litter. S. num. 11. in addit. in fin.
18. Ego in hac controuersia existimo in primis, ratio-  
nem allatam per Surd. in tract. de alimen. tit. 9. quæst.  
42. num. 13. quem simpliciter citat & sequitur Gra-

tian. discep. forens. cap. 37. num. 21. sic generaliter  
intellectam non posse subsistere; dum volunt suc-  
cessorem teneri stare locationi, quando locator re-  
nunciavit suo beneficio, rationem reddentes: † 19.  
Quia factum renunciantis non nocet conductori.  
Siquidem illa ratio procedit quoad præiudicium  
locatoris, & eius hæredis, aut fideiussoris, contra  
quos non impeditur conductor agere ad interesse:  
ut supra diximus num. 16. Sed in præiudicium tertij  
ratio illa non subsistit: quia successor in beneficio di-  
citur tertius, cum ius habeat, à collatore, non à  
resignante.

Præterea dico, quidquid distinguat Louet loc. ci- 20.  
tai. & alij nonnulli DD. Galli, verius esse nullo mo-  
do teneri successorem in beneficio siue per obitum,  
siue per renunciationem, stare locationi factæ per  
antecessorem, etiam in casu licito; veluti ad trien-  
nium: siue resignatio simpliciter facta fuerit, siue in  
fauorem. Ratio est, quia † successor in beneficio 21.  
non potest repræsentare personam antecessoris, nec  
potest dici successor vniuersalis, cum non succedat 22.  
omnibus bonis; imò nec succedit ex persona, nec  
ex iure cedentis; sed ex nouo iure quod creatur  
tempore collationis, & in eum transfertur: ut  
benè explicat Panormit. in capit. cura 11. numer. 5.  
de irrepatr. ubi dicit successorem in beneficio non  
succedere ex persona antecessoris; sed ex iure sibi  
collato, ab habente potestatem conferendi: &  
ideo malam fidem authoris non nocere successori  
in beneficio. Quæ ratio æquè concludit in resigna-  
tione pura, & in conditionali facta in fauorem  
nominati, & ad vtrumque casum applicantur ra-  
tiones allatæ à Doctoribus, ad probandum succes-  
sorem in beneficio non teneri stare locationi ante-  
cessoris: & nominatim per Barbof. in d. l. si filio-  
familias 26. §. final. num. 18. † & prædictam sen- 22.  
tentiam, tam in resignatione simpliciter facta,  
quàm in ea quæ facta fuit in fauorem; generali-  
ter amplectuntur absque vlla distinctione Parif. de  
resignat. libr. 1. quæst. 16. numer. 47. Couar. dist.  
libr. 2. variar. resolut. cap. 15. numer. 6. in 2. arti-  
culo. versic. idem erit ubi Rector. Trentacinq. libr.  
3. titul. de locat. resolut. 3. numer. 8. Cancer. lib. 1.  
variar. resolut. cap. 14. numer. 45. † Et nomina- 23.  
tim de resignatione in fauorem, quod resignatarius  
non teneatur stare locationi factæ per resignantem,  
tenet Barbof. in d. l. si filiofamilias. 26. §. final.  
num. 19. versic. amplia hanc conclusionem. Anthon:  
de Marin. quorid. resolut. capit. 259. numer. 11.  
quia mors, & resignatio beneficij æquiparantur: † 24.  
& resignans dicitur quasi mortuus in beneficio resi-  
gnato: & ideo omnes obligationes eius occasione  
præstitæ, per resignationem admissam extinguntur:  
ut diximus supra, cap. 35. num. 11. & 12.

Nec obstant rationes in contrarium allegatæ: nam 25.  
ad eam, qua supponitur per resignationem factam  
in fauorem, ius acquiri resignatario ex persona re-  
signantis; fuit superius responsum, resignationem  
esse quidem medium acquirendi, sed ex sola colla-  
tione ius consequi resignatarium; & ab ipso collatore  
non à resignante tribui: ex traditis per Panormit. in  
d. cap. cura. num. 5. de iure patronat. & per alios de  
quibus supra num. 21. Barbof. d. §. final. num. 18.  
versic. non obstat secundum.

Ad æquiparationem autem vsufructuarij & bene- 26.  
ficiati Respondetur, quòd licet illa vera sit, & pas-  
sim à Doctoribus admittatur; tamen non in omni-  
bus procedere potest: & præsertim ubi diuersa est rati-  
o, prout in hoc casu: nam quando vsufructuarius  
renuntiat in fauorem proprietarij, vel alterius; suc-  
cessor

cessor ille ius & causam habet à renunciante: quod in resignatione beneficij secus est: quia resignatarius ius deriuat à collatione potestatem habentis; nec in Ecclesia dantur successiones hereditariæ, nec ex iure authorum, sed ex collatione superiorum, vt mox dictum est: ideo succedens in usufructu, ex facto usufructuarij, tenetur stare colono; sed non is qui succedit in beneficio: quia quomodocumque succedat, ius consequitur non ab antecessore, vel à resignante; sed à superiore qui contulit. Roman. *consil.* 201. num. 5. Alexand. *consil.* 63. num. 11. & 12. lib. 4.

27. Neque Carocius in *tract. de locat.* quo nititur Polydor. Ripa, & alij qui eum sequuntur *part. 2. tit. de usufruct. quest. 2. num. 6. & 7.* seu vt in libro meo *part. 2. quest. 43. num. 6. & 7.* videretur facere ad casum nostrum: quia ibi proponitur casus decisis per Bald. *consil.* 371. incipit, *Mathiolus. lib. 1.* vbi dicitur quòd Dominus directus, in cuius fauorem emphiteuta renunciauit, cogitur stare locationi quæ ante renunciationem facta fuerat per emphiteutam: † quia Baldus ibi mouebatur pluribus aliis rationibus; & nominatim, quia ista non est simplex renunciatio, nam emphiteuta non potest renunciare dominio: vt in *l. si quis vi. 17. §. differentia. ff. de acquir. possess.* ibi, *dominium eius manet, qui dominus esse non vult.* & sic est quoddam pactum nouum, & nouus contractus, qui non potest nocere tertio cum quo non est celebratus: sed in beneficialibus non fiunt pacta, & conuentiones, neque resignatarius habet causam à locatore; quod tamen etiam in casu suo considerauit Baldus: ergo cum extinctum planè sit ius resignantis per acceptationem, collationem, & possessionem resignatarij; cessant omninò considerationes quibus Bald. & Caroc. nitentur.
29. Vnde etiam in Gallia, non tam facilè admittitur illa distinctio inter putam, & conditionalem renunciationem in hac materia: nam licèt eam amplectatur Louet *dict. litter. S. numer. 11. in addit. in fin. Mornac. ad l. si quis fundum. 9. §. si fructuarius. ff. locati.* & alij per eos citati, Addentes ad Papon *lib. 1. tit. 13. arrest. 6.*
30. Imò Regià Caroli X. constitutione anno 1568. apud Sanctum Maurum edita, cauetur expressè locationes omnes beneficiorum, per resignationem, dimissionem, aut obitum beneficiati expirare: quia verò ordinatio non distinguit, multi interpretes recurrerunt ad distinctionem illam resignationis simpliciter, aut in fauorem factæ; & nominatim Theueneau *lib. 1. ordinat. Regiar. tit. 18. artic. 1.*
31. Nihilominus ad tollendas fraudes, sapius in supremis Galliarum tribunalibus iudicatum fuit, successorem tam in casu mortis, quàm resignationis siue simpliciter, siue in fauorem factæ; teneri, & cogi posse ad obseruantiam locationis factæ per antecessorem, teste Chopin *de demanio lib. 3. tit. 13. num. 4. Maynard. lib. 1. cap. 63. num. 1.*
32. Exceptis quatuor casibus, quos refert Bleyne *de benefic. cap. de patrimonio Ecclesia, num. 41. in glos. D. Primus, si redditus locati pertineant ad dignitatis subsidia, veluti ad victum, & alia onera v. g. prioris claustralis. Secundus, si agatur de redditibus absque labore plurium annorum percipi consuetis, veluti de decimis. Tertius, quando agitur de beneficio curato, cuius redditus Parochus residendo desiderat per seipsum percipere. Quartus quando successor vult restituere colono damna, & summas per eum anticipatè solutas. His enim casibus, in Gallia, successor colonum remouere potest, vt dicit præfatus Author. loco citato.*

Ostaua conclusio. Si conductor mercedem, seu pretium suæ conductionis anticipatè soluerit, non liberatur erga beneficij successorem; sed agere duntaxat potest contra hæredes, & bona locatoris defuncti. Caroc. *de locat. part. 3. quest. 1. de reb. Eccles. locand. num. 75. fol. mibi 781. Amat. var. resol. cap. 29. num. 21. Menoch. consil. 1134. num. 6. volum. 12.* & per totum illud consiliũ, vbi tractat de materia anticipatæ solutionis. Ferret. *consil. 151. num. 3.*

Et licèt Tusch. *litter. L. conclus. 419. num. 21. post Abbat. diuersos casus distinguat; tamen post Concilium Tridentinum generaliter constituendum est, iuxta cap. 11. sess. 25. de reform.* locationes factas per anticipatas solutiones, quocumque priuilegio non obstante, nullas & inuvalidas esse in præiudicium successorum; quamuis agi possit contra hæredem locatoris, si sit soluendo: Amat. *dict. resol. 29. n. 2. & 3. Barbof. dict. l. si filiofamilias. 26. §. final. num. 27. ff. solut. matrim.*


Dicitur autem anticipata solutio, non solum si fiat pro futuris annis; verum etiam pro eodem anno; sed ante fructuum collectionem: quia Rector beneficij, si decedat ante fructus collectos, & à solo separatos; illos non facit suos, nec de illis disponere potest; sed reseruandi sunt successori, illique debentur. prout generaliter de omnibus fructibus inexactis constitutum est per Bullam Iulij III. confirmatam per fel. record. Vrbanum VIII. die 5. Aprilis, 1628. nec non ex iuris communis dispositione, quam sapius Rota Romana sequuta est, vt apud Seraph. *decis. 594. num. 5. & seq. & in recent. decis. 19. num. 5. & 6. part. 6. †* Et ideo solutiones factæ per firmarium, seu conductorem, pro fructibus nondum per perceptis; non liberant soluentem tanquam factæ non legitimo creditori: vt concludit Glos. *in cap. fin. ne pralati vices suas. in verb. terminum. in fin.* quæ loquitur de Rectore qui percepit mercedem suæ locationis, & decessit ante fructus perceptos: imputandum siquidem est conductori, qui sciebat mortem locatoris superuenire potuisse. Ioan. Baptist. Ferret. *consil. 225. num. 5. & 6.* quia in hac materia non debet attendi tempus promissæ solutionis, sed duntaxat tempus perceptionis fructuum. Castill. *de usufruct. cap. 77. num. 21. & 22. Honded. consil. 85. num. 25. volum. 2.*

Verum tamen est, quòd si conductores probarent pecunias solutas Rectori mortuo, fuisse conuersas in vtilitatem Ecclesiæ; successor illas repetere non posset, saltem pro rata versionis, Barbof. *in d. l. si filiofamilias. 26. §. final. num. 27. in 2. limit. ff. solut. matrim.* Ferret. *d. consil. 151. num. 2. Ruin. consil. 60. num. 1. volum. 1.* Idem si pecuniæ probentur versæ in alimenta studentium eiusdem collegij. Barbof. *de offic. & potest. Episcop. allegat. 94. num. 9.* post Rebuff. *de priuileg. scolar. priuileg. 26. num. 92.* Quia successor tenetur soluere debita contracta per antecessorem pro alimentis, maximè fauore studiorum: vt ibi per Rebuff.

Cætera quæ concernunt materiam successoris, tam in beneficialibus, quàm in aliis; an & quando effectus locationis ad eum transeat; videri poterunt vltra authores supra citatos apud Tusch. *conclus. 418. 419. & 420. sub litter. L. Ricc. collect. 4000. & alibi. Caualer. decis. 44. Barbof. in cap. final. num. 6. ne pralati vices suas. & fusè in l. emptorem. 9. Cod. de locato & conduct. & de anticipatis solutionibus ad sess. 25. de reform. cap. 11. Concil. Trident. Surd. decis. 33. & 40. fusè Anthon. de Marin. d. resol. 259. per rotam Pacific. de saluian. interd. inspect. 4. cap. 1. n. 8. & seq. Marefcot. lib. 1. variar. resol. cap. 18. Cancer. lib.*



lib. 1. *variar resol. cap. 14. num. 31. & multis sequentib.*  
 Mant. & alij citati per Adden. ad Burat. 482. num.  
 20. Rot. Auen. *decif. 108.* Rota. Rom. *in recent. de-*  
*cif. 28. part. 4.* Hodiern. ad Surd. *d. decif. 33. &*  
*decif. 225. num. 5.* Thesaur. iun. *lib. 2. quæst. 3.* Lu-  
 douif. *decif. 68.*



CAPVT LXVII.

De decimis animalium soluendis. An valeat consuetudo illam soluendi in minutioribus totius gregis animalibus. Quo tempore soluenda sit: & quomodo numeranda animalia tam domini, quam pastoris. Et quid si sub eodem baiulo, siue pastore, plures & diuersi sint animalium domini; vtrum singulorum animalia separatim numerari debeant. Et vtrum animalia vnus anni, possint facere numerum pro supputatione decimæ alterius anni.

S V M M A R I V M.

1. *Præscribi potest decima quoad quotam, & quoad modum soluendi.*
2. *De essentia consuetudinis est, ut sit æqua & rationalis: & quomodo differant præscriptio, & consuetudo, in materia decimali. Ib. dem.*
3. *Non valet consuetudo etiam antiqua soluendi decimam in animalibus minutioribus, & deterioribus.*
4. *Quidquid decimum venit, pro decima animalium præstandum est.*
5. *Si non possit discerni quid ex animalibus veniat decimum, solutio decima debet fieri non in melioribus nec in deterioribus animalibus; sed in mediocribus.*
6. *Decima animalium debetur eo tempore, quo amplius lacte non indigent.*
7. *Valet consuetudo, quod loco decima animalium, solvatur certa quantitas pecunia.*
8. *Decimam animalium esse decimam pastorum, non terrarum; quidam asserunt.*
9. *Verius est decimam animalium, nec simpliciter personalem, nec realem, sed mixtam esse.*
10. *Decima animalium potius accedit ad realem, & debetur in loco vbi degunt.*
11. *In computanda decima animalium; non ad prædia, sed ad ipsorum animalium numerum respectus haberi debet.*
12. *In numero animalium, debet separatim fieri calculus cuiuslibet domini; licet pecudes sint sub eodem baiulo, & pastore.*
13. *In rebus commixtis, & inseparabilibus, numeratio totius corporis fieri debet; quamuis essent plures domini.*
14. *Commixtio animalium exemptorum non præiudicat, quamuis admixta sint non exempta; idque propter eorum separabilitatem.*
15. *Si plures domini animo deliberato societatem animalium inierint sub eodem pastore, non fit separatio; sed omnia animalia in globo numerantur.*
16. *Si commixtio animalium incidenter, & casu for-*

*tuito facta sit; quilibet remanet dominus suorum animalium: & ideo singulorum dominorum animalia separatim numeranda sunt, pro calculo decimæ.*

17. *Qui dicit animalia gregis alieni ad se pertinere, id probare tenetur.*
18. *partiaris tenetur soluere decimam animalium, pro sua portione.*
19. *Portio partiarum numeratur, nullâ factâ cumulatione partis dominicæ.*
20. *Numerus animalium vnus anni; coniungi non potest cum numero animalium alterius anni.*

Cum dubitaretur de solutione decimæ ex animalibus præstandæ; & de forma solutionis, ac numerationis animalium ad decimum, vel vigesimum, aut alium numerum faciendæ; fuit conclusum inspiciendum in primis esse tenorem transactionum, quæ vel à summo Pontifice confirmatæ sunt, ad hoc vt successores afficere queant; iuxta text. *in cap. veniens. de transact.* vel saltem ex antiqui temporis obseruantia, præsumptionem inducebant omnium solemnitatium in eis adhibitarum; vel vim habebant legitimæ præscriptionis, propter tanti temporis interuallum. † Cuius præscriptionis vis magna est in materia decimali, cum non de tota decima; sed de eius quota, vel certo soluendi modo præscribendo agitur: Camil. Borell. cum pluribus per eum citatis *in summ. decif. lib. 1. tit. 19. n. 53.* Rot. *decif. 23. num. 3. part. 6. recentior. vbi num. 4.* ostenditur quæ sint necessaria, ad hoc vt præscriptio in hac materia dicatur legitimè probata.

Secundò quoad casus per transactionem non decisos, standum esse consuetudini; dummodo non contineat fraudem, & abusum in præiudicium Ecclesiæ; & non præbeat occasionem delinquendi. † Cum de essentia consuetudinis sit; vt in æquitate, & ratione fundetur: *cap. ex parte. de consuet. Gaill. lib. 2. obseruat. 31. n. 12.* Burat. *decif. 800. n. 10.* quomodo autem differant consuetudo, & præscriptio; notat Ludouif. *decif. 191. num. 4. & 6.* & in specie, quæ sit vis præscriptionis, & quæ consuetudinis in materia decimarum; copiosè explicat D. Ludouic. Bellus, *consil. 47. & 48. per tot.*


Tertiò, ex his inferitur, quòd quamuis per longum tempus rustici animalia minutiora, & deteriora Parocho pro decima per dolum, & astutiam præstiterint; talis consuetudo non est legitima, nec recipienda: imò sic delinquentes, & decimam fraudantes puniendi sunt. † Quia non debet de deterioribus animalibus præstari, sed fideliter quidquid venerit decimum, vel vigesimum, aut aliàs secundum numerum consuetum; soluendum est: iuxta Leuitici, *cap. 27.* Ita vt factâ computatione nouem animalium, id quod cadit in decimum debeatur; vel factâ computatione nouemdecim, id quod cadit in vigesimum; & sic de cæteris numeris, iuxta cuiuslibet loci morem: & similiter id quod commutatum est, & id cum quo commutatum est: per text. *in cap. omnes decimæ. 16. quæst. 7.* his verbis: *Oues, boues, & capræ, quæ sub virga pastoris transeunt; quidquid decimum euenerit, sanctificabitur Domino: non eligatur bonum, neque malum, nec in alterum commutabitur; si quid commutatum est; & quod mutat, & quod mutatum fuerit; Domino sanctificabitur; & non redimetur.* Rebuf. *de decim. quæst. 11. num. 2.*

Quartò, sit discerni non possit quod si decimum animal, vel secundum datam consuetudinem vigesimum;

- gesimum; tunc nec de melioribus animalibus, neque de peioribus soluenda erit decima; sed de mediocribus arbitrio boni viri, Oldrad. *consil.* 236. *numer.* 2. *versic. si verò.*
6. Quintò, non debetur hæc decima, statim ubi nata sunt animalia; sed ubi non amplius indigent lacte materno, alioquin inutilia apud Ecclesiam remanent, & animalia morerentur. Oldrad. *dict. consil.* 236. Barbof. *in cap. cum homines. 7. n. 5. de decim.* Rebuf. *de decim. quest.* 6. *num.* 30.
7. Sextò, valida videtur consuetudo, quòd loco animalium soluatur certa pecuniatum summa, nomine decimæ; vt tradit Rebuf. *loco. citato quest.* 6. *num.* 31. Ratio est, quia potest introduci consuetudo, vt nulla prorsus de animalibus decima præstetur: ergo multò magis vt loco illius pecunia soluatur. Rebuf. *ibidem quest.* 13. *num.* 51. seruanda ergo erit hoc casu consuetudo.
8. Septimò, quamuis apud Seraph, *decis.* 346. *num.* 2. legatur decimam animalium esse potiùs personalem, quàm prædialem; & potiùs esse decimam pastorum quàm terrarum; tamen iura & DD. per eum allegati hoc non dicunt: citatur enim in illa *decis. text. in cap. peruenit. 5. de decim.* & Rebuff. *in dict. tract. quest.* 8. *num.* 4. & Paris. *consil.* 73. *num.* 17. *vol.* 4. ubi nihil penitus simile legi potest: & qui hoc ita intelligeret, vt illa decima personalis esset;
9. contra communem DD. sententiam sentiret. † Verius enim est decimam illam esse mixtam, vt ostendit Monet. *de decim. cap.* 3. *num.* 9. Rebuff. *quest.* 3. *num.* 33. quia partim prouenit ex prædiis, in quibus pascuntur animalia; partim ex custodia personali. † Imò potiùs tales decimæ accedunt ad naturam prædialium, & debentur illi parochiæ, in qua animalia degunt, & pascuntur. Barbof. *in cap. ad Apostolica. 20. numer.* 6. *de decim.* Zabarel. *in Clem. ne religiosi. numer.* 15. *de decimis.* idem Barbof. *de iur. Eccles. vniuers. libr.* 3. *capit.* 26. *numer.* 37.
10. Vnde sequitur in soluenda ex animalibus decima, non simpliciter habendum esse respectum ad personam pastoris nec simpliciter ad prædia, ex quibus pascuntur animalia: sed potiùs ad ipsum numerum animalium, habito respectu partim ad dominum, partim ad colonum; ita vt fieri debeat distinctio portionis dominicæ. Et quoad portionem quidem domini, toties fiat numeratio animalium, & toties incipiatur quot sunt diuersi domini.
11. Quia licet pecudes sint sub eadem virga, seu pastore; & in eodem grege; & videantur facere, & constituere vnum corpus, habito respectu ad gregem; tamen quilibet dominus retinet dominium separatim cuiuslibet indiuidui ex suis animalibus: cum agatur de pluribus inuicem quidem commixtis, sed separabilibus: *l. quidquid. 27. §. final. ff. de acquir. rer. domin. l. lacus. 12. §. final. l. adeo. 7. §. voluntas. ff. eod. tit.* Vnde si gregis sim dominus, utpote quòd in eo duodecim v.g. mea sint capita, & tria ad te spectent; gregem quidem vindicare poterò: sed duodecim tantum venient in restitutionem: reliqua verò quæ tua sunt, tu separatim vindicare poteris: vt explicat Cuiac. *in l. 2. ff. de rei vindicat.* & probatur ibi per *text. in versic. sed si maiorem numerum alter habeat, vt detracto alieno nihilominus vindicaturus sit, in restitutionem non veniunt aliena capita:* quod ibi abundè explicat Gloss. & DD. † Secus autem esset si ageretur de rebus commixtis non separabilibus; veluti si ageretur de oleo duorum commixto, quod separari non potest: *argum. text. in cap. quod in dubijs. 3. de consecrat. Eccles. vel altar.* ubi oleum non consecratum admixtum oleo consecrato, assumit naturam consecrati: sed pecora non sunt huiusmodi, quia separari possunt: vnde cum existimaret Trebatius I. C. cum amplior numerus animalium ad aquam appellitur, quàm debet appellari; posse vniuersum pecus impunè prohiberi: quia iunctum pecus pecori cui appulsus debebatur, totum corrumpit pecoris ad aquam appulsium: tamen præualuit Marcelli sententia sentientis quòd si quis ius habet pecoris ad aquam appellendi, plura pecora appulerit; non in omnibus eum esse prohibendum: & ratio est, quia pecora separari possunt: vt dicit *text. in l. 1. §. Trebatius & §. Marcellus autem ait. ff. de aqua quotid. & astiu.* † Vnde ob eandem rationem, si animalia illorum, qui habent priuilegium exemptionis à solutione decimarum, commixta sint cum animalibus non exemptionum; non amittunt priuilegium: sed singula separatim considerantur: vt decidit Iacob. de Grassis *part. 2. decis. aurearum, lib. 2. capit.* 27. *numer.* 49.
15. Quod quidem verum est, si diuersi animalium domini in communionem non consenserint; sed quilibet separatim animalia conductori, vel pastori tradiderit: nam si animo deliberato, & non incidenter plures illi domini communionem inierint, vel societatem super illis animalibus sub eodem pastore & virga existentibus; tunc quia quilibet ex dominis remanet dominus gregis pro indiuiso; verius videtur quòd totum illud integrale gregis, ex pluribus animalibus compositum, pro vno eodémque corpore decimabili haberi debeat; & per consequens numeratio ad effectum decimæ fieri debeat tanquam de vno toto: & sic inspecto toto grege, absque vlla distinctione diuersorum dominorum: vt probatur *ex l. 1. §. per hanc autem. & l. 2. ff. de rei vendic. & ll. sequent.* iuncta Gloss. & maximè *in l. sed si par. in verb. quis vindicabit.* † ubi dicitur quòd si animalia casu fortuito, & incidenter commixta fuerint; quilibet remanet dominus suorum animalium; quia sunt separabilia: sed si fuerit inducta communitio, & societas; quilibet remanet dominus totius gregis pro indiuiso; & potest rei vindicationem intentare similiter pro indiuiso. Idémque dicit Bartol. *in dicto §. per hanc. versic. venio ad legem.* & alij DD. *in d. l. 2. ff. de rei vendic.*
16. Sed quæritur, ad quem spectet probare animalia, quæ sunt sub eodem grege, spectare ad alium, quàm ad dominum gregis? Respondetur probato quòd grex ad aliquem pertineat, onus probandi certa capita animalium pertinere ad alium ad hoc vt separatim numerentur. Quia præsumendum est omnia spectare ad eum qui gregis est dominus. Admittitur tamen in his probatio coniecturalis, vel ex depositione pastorum, custodum, ac similiarum peritorum: vt bene dicit Alberic. *in d. l. 2. ff. de rei vindicat. numer.* 3.
17. Probari etiam potest, cuius sunt animalia per impositionem signi, seu stigmatis alicuius: vt tradit Mascard. *de probat. conclus.* 160. *numer.* 5. & *conclus.* 91. *per tot.*
18. Quod autem attinet ad portionem colonicam, si colonus sit partarius, soluere debet decimam animalium pro rata portionis suæ colonicæ Monet. *de decimis, cap.* 6. *num.* 42. Vnde cum respectu illius agatur de vno eodémque grege, & de ouibus ad eundem dominum pertinentibus; non videtur considerabilis

rabilis persona aliorum dominorum, qui illi animalia pascenda tradiderunt; sed eius portio tota, (separatim tamen ab omnibus aliis portionibus dominicalibus) consideranda est: ex traditis in *l. per hanc. & l. seq. ff. de rei vendicat.*

19. Denique ad id quod quæsitum fuit, vtrum animalia vnus anni possint coniungi cum animalibus alterius anni sequentis, ad numerandam decimam; veluti si hoc anno fuerint quindecim, & anno sequenti sex; vtrum ex illis confici possit vigesimus primus numerus ad supputandam, & exigendam decimam? Respondetur negatiue, quia quot sunt anni, tot sunt decimationes; & quot sunt decimationes, tot sunt diuersæ numerationes; aded vt multi existimauerint, decimas vno anno non petitas, peti non posse anno tunc sequenti. Codex Fabrian. *libr. 1. titul. 2. distinct. 66.* de cuius tamen decisionis veritate nunc non agemus; sufficiat indicare contrarium tenuisse Borell. *in summa decis. part. 1. titul. 19. numer. 28.* ea ratione quia parochiani tenentur decimas deferre, aut illas absque interpellatione soluere: ergo non soluendo cum sint in mora, quomodo potest imputari negligentia Parochi non exigentis. Existimo tamen non posse coniungi numerum animalium vnus anni, cum animalibus alterius, ob rationem supradictam.



CAPVT LXVIII.

Quando numerus canonicorum Ecclesiæ collegiatæ augetur mediante noua fundatione, vtrum canonici antiquæ fundationis cogantur novos admittere, cum iisdem conditionibus in noua fundatione contentis; an verò alias adiciere possint. In quibus participare debeant canonici eiusdem fundationis de nouo recepti. In quibus iuribus, & emolumentis capituli concurrant cum antiquis; veluti in laudemis, distributionibus non antea diuisis, mortuariis, & similibus

S V M M A R I V M.

1. Capitulum, cum auctoritate Episcopi, statuere potest circa res suæ Ecclesiæ.
2. Quando agitur de iis quæ ad solos canonicos spectant, canonici statuere possunt.
3. Quando cura pertinet ad capitulum, potest super illius exercitio fieri statutum, aut deliberatio per capitulum.
4. Multo magis valet statutum capituli per quod ad ius antiquum reditur.
5. In omnibus statum Ecclesiæ concernentibus potest statutum fieri à capitulo.
6. Commutatio vltima voluntatis non potest fieri sine assensu sedis Apostolicæ.
7. Episcopus ne quidem cum consensu patroni, pias fundatorum voluntates commutare potest.
8. Quando agitur de fundatione nondum executioni demandata, Episcopus potest fundatoris voluntatem alterare.
9. Quando non tractatur de præiudicio alicuius, fa-

cilius Episcopus potest alterare voluntatem fundatoris. Ampliatur, vt procedat etiam in eius Vicario generali num. 10.

11. Episcopus non potest fundatorum voluntates alterare sine causa, secus si iusta adsit causa.
12. Fundatoris voluntas facilius commutatur in accidentalibus, seu potius alteratur.
13. Superueniente noua fundatione, si canonici antiqui protestentur; non fiet præiudicium ipsorum distributionibus & emolumentis.
14. Canonici nouæ fundationis participant, etiam reuuentibus antiquis, in obuentionibus mortuuariorum, & similibus in quibus nihil diminuitur de iuribus antiquorum.
15. Canonici nouæ fundationis participant de mortuariis capitulo post eorum receptionem relictis: quamuis admissi sint cum clausula, sine præiudicio antiquorum.
16. Fructus non distributi debent equaliter distribui inter canonicos eiusdem fundationis, quamuis eorum nonnulli recenter sint ad capitulum admissi. Intellige, vt num. 19. & 20.
17. Eademque ratione isti noui canonici tenentur ad onera capituli concurrere.
18. Capitulum idem semper manet, ideo debita & credita capituli debentur per canonicos de nouo venientes, vt subrogatos in locum antiquorum.
19. Fructus consistentes in massa grossa, dicuntur fructus capituli, non singulorum.
20. Laudemium conuentum, & non solutum; si deinde solvatur tempore admissionis noui canonici, iste de nouo receptus participabit cum antiquis.
21. Emolumenta antiquarum fundationum non possunt à canonicis auferri per nouam fundationem, nisi de antiquorum consensu.
22. Dismembrata cura ab vno capitulo, & alteri Ecclesiæ applicata, non propterea ius exigendi decimas quod tali capitulo compete- bat, censetur translatum in Ecclesiam, cui cura concessa fuit.

FVndata quondam fuerat parochialis, & collegiata Ecclesia reseruato iure patronatus laicali capitulo, & operariis, ac certæ confraternitatis Rectoribus. Successu temporis mulier quædam in augmentum cultus diuini duos alios fundauit eiusdem Ecclesiæ canonicos, sub eodem iurepatronatus; eâ lege, vt isti duo canonici perpetuò curam animarum exercerent sub salario consueto, & sub aliis conditionibus in eius vltima voluntate contentis. Capitulum fundationem quidem acceptauit, sed nouis adiectis oneribus, veluti quod isti noui canonici perpetuò curam exercerent sub salario decem scutorum, & quod quoties vnus ex canonicatibus tam nouis quam antiquis vacabit per obitum, ille qui canonicatum obtinebit per obitum tantum vacantem, teneatur exercere dictam animarum curam: quæ quidem acceptatio cum conditionibus & qualitatibus in ea contentis, fuit auctoritate Archiepiscopali roborata.

Vnde quæsitum fuit vtrum capitulum, cum auctoritate Archiepiscopi, potuerit talem acceptationem faciendo, nouas & à mente fundatricis alienas adiciere conditiones.

Pro cuius quæstionis resolutione, considerandum in primis; † quod capitulum cum auctoritate Episcopi statuere potest, circa res suæ Ecclesiæ: *Glof. in capit. 2. in verb. statutum, de verbor. signif. DD. in capit. cum omnes. de constitut. & in*

- cap. cum accessissent, num. 9. eod. tit. Abbas in cap. 1. num. 14. de his que fiunt à maiore parte capituli. †
2. Quod potissimum locum habet, quando agitur de iis quæ ad solos canonicos spectant; & dum de ipsorum duntaxat præiudicio agitur. Seraph. decis. 707. num. 4. Ideo cum hoc casu cura animarum spectet ad capitulum in genere, & curæ directio capitulo fuerit
3. à fundatore demandata: † sequitur potuisse canonicos, in iis quæ pertinent ad administrationem, & exercitium curæ, & ad formam & modum illam exercendi; conclusionem & statutum facere, Archiepiscopo autoritatem præstante. Ludouif. decis. 66. numer. 11. vel ex eo potissimum, quod per huiusmodi conclusionem, & acceptationem, nullum nouum onus impositum fuit canonicis seu nouæ, seu antiquæ foundationis: non quidem antiquis, quia cum antiqui curam animarum haberent, saltem in vniuersum; excusserunt istud iugum, & illud canonicis per obitum vltimo loco recipiendis imposuerunt: nec similiter nouis canonicis, recentérque fundatis aliquod onus fuit impositum; quia cum ex fundatione curam perpetuò exercere tenerentur, ab ea tamen per aduentum canonicorum per obitum impetrantium liberantur; siue noui isti possessores per obitum obtinentes, sint ex noua, siue ex antiqua fundatione: nullum ergo nouum onus canonicis imponitur, sed illud quod prius inerat modificatur. † Ideo facilius capitulum conclusionem illam seu statutum facere potuit, per quod antiquus Ecclesiæ status retinetur, vel ad illum reditur Rot. decis. 375. num. 2. part. 2. recent. Addent. ad Ludouif. decis. 175. num. 5. † Et generaliter quod capitulum, cum autoritate Episcopi, statuta condere possit in iis omnibus, quæ statum Ecclesiæ concernunt, tradit Rot. decis. 21. num. 2. part. 2. recent.
4. Neque obstat Clem. quia contingit. de religiof. domib. vbi disponitur fieri non posse commutationem vltimæ voluntatis, nisi saluâ autoritate sedis Apostolicæ, cui conforme est Concil. Trident. sess. 25. cap. 5. de reformat. in fin. † ita vt Episcopus, nequidem accedente Patroni consensu, derogare possit qualitibus in fundatione appositis: prout declarauit sacra Congregatio Concilij interpres, teste Nicol. Garc. de benef. part. 7. cap. 1. num. 112.
5. Quia Respondetur obiectionem procedere posse, si ageatur de voluntate testatoris, & fundatoris, iam executioni demandata; secus est dum versamur in ipso limine fundationis, & capitulum illam acceptare recusat, nisi sub certis modificationibus: sanè hoc casu Episcopus approbare potest modificationes à capitulo desideratas, ac propositas; & super illis autoritatem suam interponere: ex traditis per Rot. decis. 1122. lib. 3. part. 3. diuers. † Præsertim cum qualitates & modificationes adiectæ, non tendant in præiudicium alicuius tertiæ personæ: Sarmient. libr. 1. select. interp. cap. 8. num. 24. Ricc. collect. 558.
6. versic. secunda causa. † vbi addit, non solum Episcoporum, verum etiam illius Vicarium generalem, huiusmodi voluntatem fundatoris nondum executioni demandatam alterare posse.
7. Præterea verum quidem est, Episcopum vltimas fundatorum voluntates alterare non posse, nullâ subsistente causâ; secus si id fiat ex iusta aliqua, & legitima causa: vt patet ex dispositione Concilij Trident. sess. 22. cap. 6. vbi dicitur Episcopum, ex causa quæ suo arbitrio iusta videatur, alterare posse pias defunctorum voluntates: & tradit Maceraten. lib. 1. variar. resol. cap. vlt. casu 40. in fin. Barbof. de offic. & potest. Episc. allegat. 83. num. 5.


Hic autem iustissima aderat causa, nempe consen-

sus totius capituli, & requisitio canonicorum vtriusque foundationis, de quorum interesse agebatur: concurrebat antiqua fundatio, quæ curam animarum canonicis tribuebat: concurrebat etiam noua, quæ canonicos suos eodem onere grauabat. Optimè igitur actum est, vt capitulum semper curæ præminentiam obtineret; illius verò exercitium, quod omnibus canonicis demandatum erat, per solos canonicos vtriusque foundationis vltimo loco per obitum impetrantes, fieri deberet.

Rursus non agebatur de commutanda dispositione 12. fundatricis substantia, sed de alterandis duntaxat illius qualitibus accidentalibus: quod fieri potuit autoritate Episcopi interueniente. Mohed. decis. 1. de iure patronat. Ricc. collect. 1270. in 2. limit. part. 4. Moneta de commut. vltim. voluntat. capit. 5. numer. 336. Atque ita conciliandæ sunt variæ Doctorum conclusiones, & iura quæ inuicem contraria videntur; vt Episcopus vltimas pias voluntates alterare possit, mutare non possit: Mohedan. dicta decis. 1. de iure patronat. videndus de materia Barbof. in tractat. de Episcop. alleg. 83. num. 1. & sequentibus.

Denique quia verum est de iure, quod quando nu- 13. merus canonicorum augetur, canonici nouæ foundationis non debent lucrari distributiones quotidianas, de communi massa capituli, quando canonici primæ & antiquæ foundationis in limine receptionis nouorum, protestati sunt quod nouos admittebant sine præiudicio iurium suorum, vt dicit Castrenf. consil. 170. num. 1. lib. 1. versic. hæc omnia: Rationem reddens, quia antiqui canonici de adiunctione nouorum non debent tristari & dolere, ne pro laudibus decantandis canant illud: *Multiplicasti gentem, & non magnificasti lætitiâ*; & ne retrahantur ipsi à diuinis, quia durius est illis perdere, de eo quod recipere consueuerunt, quam pro nouis nihil recipere; unde noui canonici qui ex mera voluntate veterum recepti sunt, non habent quod conquerantur: vt dicit Castrenf. loco citato, † & multum acquirunt noui, 14. dum admittuntur ad lucrum mortuuariorum, candelarum, cereorum & pecuniarum quæ distribuuntur singulis, absque damno & diminutione antiquorum. Tusch. litter. D. conclus. 514. num. 12. & 13. † Sed 15. tamen noui isti canonici etiam sine præiudicio veterum admissi, licet non participant de mortuariis præteritis relictis capitulo; tamen participare debent de mortuariis futuris capitulo relictis: quia ipsi sunt de capitulo: & licet fiat in hoc aliquod præiudicium antiquis, quia aliquid minus percipiunt; tamen ius publicum priuato præferendum est, ita tradit Tusch. loc. citat. post Castrenf. d. consil. 170. colum. 2. versic. super secundo, & per totum. Hæc de canonicis nouæ foundationis.

Fructus autem non distributi annis elapsis, an distribuendi sint inter antiquos canonicos, seu illorum hæredes; an verò inter nouos, quamuis sint omnes canonici eiusdem foundationis, disputatum fuit: † 16. Resolutio est non esse fructus illos inter antiquos, sed inter nouos canonicos distribuendos. Quia sicut canonici noui tenentur ad onera, ita etiam emolumenta quæ debentur capitulo non exacta; debentur nouis canonicis per modum distributionis, quando non fuerunt exacta tempore canonicorum præteritorum, etiamsi tempus illorum respiciat: quia singularibus canonicis non sunt debita: sed ipsi capitulo: ita tradit Calderin. consil. 21. de præben. in fin. aliàs 242. † vbi dicit quod eadem ratione canonici noui 17. tenentur ad onera quæ imponuntur capitulo etiamsi præterita respiciant. Sequitur Card. Tusch. litt. O conclus. 130. num. 11. & 12. † Ratio est, quia debita, 18. vel



CAPVT LXIX.

Vtrum assequenti beneficium incompatibile quod postea euincitur, liceat redire ad primum beneficium dimissum, vel animo pinguioris obtinendi simpliciter resignatum. Regressus quando, & quæ de causa concedi solet in beneficijs Gallia. Quando datur regressus, vtrum liceat illum exercere propria authoritate. Quæ sit differentia inter dimissionem, & resignationem. De duplici simonia nempe vera, & interpretatiua & de vtriusque effectu. Permutatione non sortita effectu, vtrum liceat maximè in Gallia redire ad priora beneficia, sine noua collatione. Et quomodo probetur facta collatio. Et quando res non dicatur integra hoc casu.

S V M M A R I V M.

1. *Secutâ euictione beneficij incompatibilis dimissi, licet redire ad primum beneficium.*
2. *Regressus datur ad primum beneficium euictum, etiam post possessionem secundi per mensem.*
3. *Decretum de dimittendo intelligitur post duos menses à die pacifica possessionis.*
4. *Euicto secundo beneficio, qui vult ad primum redire, debet id facere sine mora.*
5. *Redire volenti ad primum beneficium, euicto secundo, competunt remedia possessoria.*
6. *dimissio debet esse simplex, & non in fauorem alterius; alias non suffragatur.*
7. *Dataria quandoque solet obtinentibus incompatible resignationem primi in fauorem, permittere; illamque admittere.*
8. *Dimissionis, & resignationis differentia.*
9. *Dimissionis ius pendet à futuro euentu.*
10. *Forma simplicis dimissionis beneficij, quanam sit.*
11. *Regressus ob non solutionem pensionis sublatos esse in Gallia, quidam existimant.*
12. *Regressus ob primum incompatible, euicto secundo beneficio, non denegatur in Gallia.*
13. *Regressus in multis casibus admittuntur in Gallia, & primò, in casu permutationis.*
14. *Secundo si resignatarius licitas condiciones non adimpleat veluti ob non solutionem pensionis contra aliorum sententiam num. 11. allatam. Ampliatur num. 15. etiamsi ageretur contra successorem beneficij. Conciliantur dua opinioniones, num. 16.*
17. *Tacitè semper in Gallia reseruatus censetur regressus, ob non solutam pensionem.*
18. *Regressus datur in Gallia quando resignatio in fauorem non fuit sortita effectu.*
19. *Possessionis beneficij dimissio pendet ab animo resignantis.*
20. *Resignatarius in fauorem si moriatur ante ipsam possessionem, resignans non amittit beneficium, nec illius possessionem, etiam in Gallia.*
21. *Regressus datur graduatis nominatis, si beneficium pinguius*

vel credita quæ sunt capituli, nec respiciunt particulares personas canonicorum, etiamsi noui accesserint debentur semper capitulo, quod non mutatur, ideo distribuuntur inter canonicos tempore solutionis, vel exactiois existentes: Gonzal. ad reg. 8. glos. 37. numer. 26. & 27. Nicol. Garc. de benefic. part. 3. cap. 2. numer. 49. Idque quatenus tunc tales canonici sint de capitulo, vt post Calderin. loc. citato. dicit Rota decis. 322. numer. 9. par. 4. recent. tom. 2.

19. † Quod intelligendum est de distributionibus quæ consistunt in massa grossa, quia si canonicus moriatur ante illarum diuisionem factam; non acquiruntur illius hæredibus; sed accrescunt capitulo & diuiduntur inter Canonicos tempore diuisionis existentes; quia non sunt singularium personarum, sed capituli: vt post Calderin. dict. consil. 21. de præbend. decidit Rota decis. 576. numer. 29. & 30. part. 4. recent. tom. 3.
20. † Cui non est absurdum quod tradit Surd. consil. 84. quem sequitur, licet corruptè in meo libro alleget Burg. de laudem. part. 1. inspect. 7. numer. 27. Quod si inter capitulum, & emphiteutam, fuerit conuentum super laudemio soluendo: si nouus recipiatur canonicus ante solutionem; hic participabit de laudemio: quia inspicitur tempus solutionis, & agitur de summa debita capitulo: vnde omnes qui tempore solutionis sunt de capitulo, partem habere debent.

Imò noui canonici, quamuis ex noua fundatione capitulo adiuncti, dum simpliciter admissi fuerunt ad omnia emolumenta, non habent quod conquerantur: quia participabunt non solum de mortuis, sed etiam de omnibus capitulo relictis, aut capitulo debitis, & non distributis: cum antiqui canonici nullam de his protestationem facere voluerint; sed eos omnium iurium capitularium participes fecerint: quo casu, omnia debita capituli inter ipsos, & alios diuidenda sunt; ob iura, & rationes prædictas. Quæ licet loquantur de canonicis eiusdem fundationis, in locum mortuorum subrogatis; tamen eadem ratione procedunt in istis canonicis de nouo fundatis, & ad omnia iura capitularia sine protestatione indistinctè admissis.

Non possunt ergo noui canonici antiquorum consensu vt, & in vim illius participare de emolumentis capituli, nisi illum acceptent cum suis qualitatibus: l. post legatum. ff. de his quib. vt indig. quia agens ex actu reciproco, tenetur implere pro parte sua etiam in minimo, l. cum proponas. 21. & ibi

21. Glos. & DD. Cod. de pact. † Ergo si noui canonici non obseruent condiciones, sub quibus ab antiquis admissi fuerunt; non tenebuntur eos antiqui participes facere emolumentorum prouenientium ex antiquis fundationibus; quæ ab eis sine ipsorum consensu auferri non possunt; cum iam effecta fuerint de mensa ipsorum: prout bene explicat Gratian. d. discept. 867. numer. 37. & seq. † Ratio est, quia per quamcumque concessionem, non censetur derogatum iuri alteri iam quæsito; vt ad alium sine eius consensu transferatur: vnde fuit aliàs decisum in Rota, quod licet cura animarum fuisset dismembrata ab Ecclesia Sancti Iuliani, & applicata Ecclesie Sancti Ambrosij; tamen decimæ quæ spectabant ad canonicos Sancti Iuliani, non censentur illis ablata, stante expressâ reseruatione iurium dicti capituli: vt in decis. 419. num. 3. par. 1. recent. ergo eadem ratione, si canonici antiqui non consentiunt nouæ huic erectioni, iura antiqua capituli, apud eos remanebunt: non consentiebant autem, nisi noui canonici obseruarent condiciones sub quibus consensus præstitus fuerat: vt mox dictum fuit.

- pinguius impetratum obtinere nequeant.
22. Regressus confidencialis nec in Gallia admittendus, quidquid aliqui dixerint.
  23. Regressus illi datur qui per vim & metum resignauit in Gallia.
  24. Verum is cui regressus competit, possit propria autoritate redire ad beneficium.
  25. Rediens ad primum beneficium vigore regressus non dicitur intrusus, quando illius possessio nondum fuit occupata.
  26. Maxime accedente autoritate iudicis.
  27. Resignatio simplex facta animo pinguius beneficium obtinendi, vim habet dimissionis.
  28. Protestatio quod quis non intendit primum beneficium dimittere, nisi post adeptionem pacificam secundi; multum operatur.
  29. Euictio non dicitur secuta beneficii, nisi post sententiam, & ablationem ipsius.
  30. Fallit nisi doceatur de bono iure euincens.
  31. Elector, vel collator non semper iure suo priuatur ob factam electionem vel collationem ei, qui non erat capax; sed tantum in casibus à iure expressis.
  32. Simonia onnis tollitur per reservationem beneplaciti Papa.
  33. Simonia unius ex transigentibus, non potest nocere tertio illam ignoranti.
  34. Que sit differentia, & qui effectus simonia vera, vel interpretatiua.
  35. Facilius datur regressus permutantibus, si permutatio non fuerit sortita effectum.
  36. Hoc maxime procedit, quando superior recusauit admittere permutationem.
  37. Refertur opinio existimantium redeuntem ad primum beneficium, indigere noua collatione.
  38. Opinio contraria admittitur, non esse opus noua collatione.
  39. Approbatur secunda sententia.
  40. Hanc secundam sententiam in supremis Gallia tribunalibus praticari.
  41. Admissa semel à superiori permutatione, res non est integra, & non datur regressus.
  42. Differentia affertur inter collationem, & mandatum de conferendo, in hac regressus materia.
  43. Gratia in forma dignum, est conditionalis; & non habet effectum, nisi verificata prius conditione, & prouiso digno reperto.
  44. Attestatio simplex Notary, vel etiam Cardinalis, quamuis iuramento firmata fidem non facit.
  45. Fides seu attestatio Parochi non probat, nisi fuerit legitime extracta parte vocata.
  46. Collatio beneficii non potest probari per aliud genus probationis, sed tantum per litteras patentes collatoris.

FACTA fuerat transactio inter Canonicum Ecclesiæ Cathedralis, prouisum de præpositura eiusdem Ecclesiæ, per liberam resignationem vltimi illius possessoris, per Bullas à Legatione obtentas; & prouisum à capitulo, cui ius conferendi competere asserbatur; attento quod præpositus resignans mortuus fuerat; eidemque transactioni tertius quidam accessit, cui canonicus ille, per resignationem præposituram obtinens, suum canonicatum resignauerat, seu dimiserat: per quam transactionem conuentum fuerat, quod præpositus electus à capitulo possideret

præposituram: prouisus verò Apostolicus ad suum canonicatum rediret. Quæsitum fuit de duobus: Primò vtrum potuerit ille ad suum canonicatum redire, absque incurfu intrusionis, aut alterius pænæ. Secundò vtrum exequendo concordiam, vel confirmationem sedis Apostolicæ, incurfa fuerit simonia, vel confidencia, cum pænâ priuationis beneficiorum.

Hoc in primis supponendum fuit, pro resolutione harum quæstionum: † Quòd si quis aliquod beneficium obtinet, postea aliud incompatible assequatur; subsequuta euictione huius beneficii secundo loco adepti, datur illi regressus, & redire potest ad primum beneficium: *c. si beneficia. 20. de præb. in 6. Garc. de benef. par. 11. cap. 5. n. 116. in fin.* † Quòd procedit quamuis talis prouisus de secundo beneficio incompatible, stetit in possessione illius, etiam ultra duos menses; quia licet per possessionem secundi per spatium duorum mensium, primum censeatur à principio vacasse; tamen hoc intelligitur vt locum habeat; nisi secundum euincatur: quia tunc licet redire ad primum: vt ibidem Garcias explicat. † Imò decretum dimittendo primum beneficium incompatible infra duos menses, intelligi debet de duobus mensibus numerandis à die adeptæ pacificæ possessionis: *Rota decis. 337. n. 10. par. 4. recent. tom. 2. post Gabriel. consil. 193. n. 8. & 9. lib. 1. Mascard. de prob. conclus. 183. n. 47. Cassador. decis. 9. n. 2. de caus. possess. & propriet.* † Si verò facta fuerit dimissio primi incompatible, licebit etiam post duos vel plures menses ad illud redire, quando secundum euincitur; dummodo confestim, & sine mora id fiat; quando certior factus fuit de inualiditate collationis secundi: vt dicit Tiraquell. *in l. boues. §. hoc sermone. ff. de verb. signif. limit. 21. n. 7. post Roman. consil. 329. colum. 2. versic. sin autem membrum.* † Et hoc casu competunt remedia possessoria illi, qui ad primum illud beneficium redire intendit. *Gonzal. ad reg. 8. gloss. 56. num. 146.* † Sed præmissa intelligenda sunt in terminis simplicis dimissionis, non autem dum agitur de resignatione: nam licet obtinens beneficium incompatible non satisfaciatur decreto de dimittendo, dum resignat in fauorem alterius; vt tradit *Garc. de benef. par. 11. cap. 5. numer. 58. & seq.* † Tamen solet Dataria quando-cumque huiusmodi rigorem ex iusta causa relaxare, & resignationem in fauorem hoc casu admittere: vt dicit *Gonzal. glos. 15. num. 126.* † Inter duos autem hos casus, nempe dimissionis, & resignationis; magna est differentia quoad præsentem materiam: quia dispositio dicti text. *in cap. si beneficia.* locum habet duntaxat in terminis simplicis dimissionis, non autem in terminis resignationis: vt patet ex verbis textus; ibi enim pluries verbum *dimissionis* non sine ratione repetitur: & ita textum illum intelligit *Federic. de sen. consil. 156. versic. nec obstat caput, si beneficia.* † dicens dimissionem non habere vim resignationis, quia ex futuro euentu apparebit non esse ius transfatum in eum, qui per dimissionem fuit prouisus; facilius enim reditus datur ad primum beneficium, quando simplex facta fuit dimissio: quia qui dimittit, re duntaxat dimittit, sed qui resignat, illud re & verbis deserit: ideo duo vincula sunt fortiora, vt dicit *Rebuf. in tract. de pacif. possess. n. mihi 170. vbi quæstionem hanc in vtramque partem fusè examinat.* † Forma autem simplicis dimissionis, habetur apud *Parif. de resign. lib. 8. quæst. 7. num. 103.*

Quamuis autem beneficia de quibus agebatur sita essent in Gallia, vbi regressus omnes sunt sublati veluti regressus ad beneficium ob non solutionem pensionis, qui non praticatur in Gallia, vt post *Rebuff.*

- Rebuff. Petr. Gregor. & alios, tradit Paris. 12. *de resignat. lib. 6. quæst. 3. num. 17.* † Iste tamen, quo redire licet ad primum, quando quis priuatur secundo; non fuit sublatus, vt testatur Addit. ad Paris. *d. quæst. 3. num. 17.* vbi dicit in sex casibus regressum in Gallia practicari.
13. Primò, cùm beneficium ex causa permutationis collatum euincitur: Rebuff. *in prax. tit. de perm. numer. 25.*
14. Secundò, quando resignatarius non adimplet conditiones, sub quibus resignatio facta fuit; veluti si pensionem reseruatum à resignante non persoluat: prout ita iudicatum refert Addit. ad Papon. *lib. 2. tit. 8. arrest. 20.* † vbi ampliatur, etiam si mortuo resignatario beneficium alteri per obitum fuerit collatum; dicens ita fuisse iudicatum die 7. Septembr. 1575. quod contrarium est iis quæ mox dicta sunt à
16. Parisiis, Rebuffo, & alijs. † Sed illorum doctrina sic intelligenda est, vt non possit in Gallia agi ad regressum ob non solutam pensionem, vigore expressæ reseruatiõis contentæ in litteris Apostolicis; quia cùm omnes reseruatiões sint sublatae in Gallia, vt notat Rebuff. *in concord. in tit. de reseruat. non admittetur etiam ista reseruatiõ expressa regressus: & ita loquitur Rebuff. in tit. de pacif. possess. num. 147.* & ita distinguit Torner, *litter. P. num. 88. in sua recollect. arrestor.* & sic intelligenda sunt quæ diximus supra,
17. *cap. 26. num. 40.* † Poterit tamen intentari regressus in Gallia, vt ibidem diximus ob non solutam pensionem; ex eo quòd tacite semper reseruatus censetur. Pap. *d. lib. 2. tit. 8. arrest. 20.* Torner, *litter. P. num. 88. & num. 65.* Additio ad Paris. *d. lib. 6. tit. 3. quæst. 17. versic. secundo autem.*
18. Tertiò regressus conceditur in Gallia quando resignatio facta fuit conditionaliter in fauorem alicuius & non aliàs, aliter, nec alio modo: quia non abdicatur ius à resignante, donec resignatarius adeptus fuerit possessionem beneficij resignati: vt testatur Petr. Gregor. *in institut. rei benefic. cap. 28. num. 9. versic. alioquin. & versic. proinde.* Rebuff. *in praxi, tit. de resignat. condition. num. 18. iuncto num. 15. 16. &*
19. *17.* † Quia possessio solo animo amittitur; Atqui resignans non habuit intentionem dimittendi possessionem, nisi verificatis conditionibus sub quibus resignatio facta fuit Paris. *lib. 1. de resign. quæst. 5. num. 37. & 38.* atque ita iudicatum fuisse testatur Chopin. *de sacra polit. lib. 1. cap. 8. num. 8.* Adden. ad Louet *litter. B. num. 13. post princip.* † Et propter hanc rationem ita Consului super quodam canonicatu in partibus Gallia, cuius resignatarius repertus fuit mortuus, intra suam cameram, ipsamet die qua beneficij resignati possessionem capere debebat; & resignans fuit semper in possessione manentis per illas doctrinas, quibus addebam Rotam apud Garc. *de benefic. part. 6. cap. 2. num. 126.* Barbol. *de iur. Eccles. vniuers. cap. 15. num. 74. & 75. lib. 3.* Postium, *de manutent. obser. 57. num. 19.* Burat. *decif. 830. num. 3.* Rot. *decif. 4. de rer. permut. in antiquis, & decif. 1. de renunciat. in nonis.* Gomef. *ad regul. de annali, quæst. 56.*
21. Quartò, datur in Gallia regressus, quando graduatus nominatus incompatible beneficium in mensibus graduatis assignatis vacans acceptare intendens, dimittit sine illo obtentum, præuiã protestatione quòd primum non intendit dimittere, nisi si, & quatenus secundi pacificam possessionem adipiscatur, & non aliàs, aliter, nec alio modo: hoc enim casu, si non assequatur secundum, & per eum non steterit; redit, & regressum habet ad primum, Rebuff. *in concordat. tit. de collat. §. volumus. in verb. tempore va-*

*cationis. versic. nec me mouet.* Idque per text. in *d. cap. si beneficia. 20. de prabend. in 6.*

Quintum & sextum casum in quo regressus datur in Gallia, refert Addit. ad Paris. nempe quando minor ætate beneficium remittit alicui, illud repetiturus dum legitimæ ætatis fuerit. Sed nec illi, nec probis viris placet iste regressus tanquam confidentialis; nec illum hodie in Gallia recipiendum existimo: quia confidentiæ sunt prohibita. † Et quando resignatio facta fuit per vim, & metum, vt per eundem authorem traditur ad Paris. *lib. 3. quæst. 3. num. 1.*

His ita suppositis, resolutum fuit prouisum de præpositura per resignationem, cui euincebatur istud beneficium ab eo, qui electus fuerat per capitulum; potuisse redire ad suum canonicatum, etiam propria autoritate, propter verba dicti capituli: *si beneficia. Ibi, liberè reuertantur.* propter quæ DD. in eodem cap. dicunt autoritatem superioris hoc casu non esse necessariam precisè, sed tamen adhibendam esse ad maiorem cautelam: vt dicit Geminian. *ibidem. num. 8.* Ancharan. *in 6. notabili. Franc. num. 4.* quia fictione iuris, non videtur quis hoc casu à primo beneficio recessisse.

Vnde sequitur non potuisse prætendi, quòd per regressum ad canonicatum fuerit incursum vitium intrusionis, de quo in *d. cap. eum qui. de prabendis, in 6.* cùm omnes fateantur licitum esse reditum propria autoritate ad primum beneficium, quando possessio nondum fuit à successore occupata: iuxta distinctionem Dominici à sancto Geminiano in *d. cap. si beneficia. 20. num. 4.*


Præsertim cùm accesserit decretum curiæ parliamenti, quæ istum ad oppositionem admiserat; & in hoc casu sufficit ex stilo Gallia obtinere litteras Regias pro regressu obtinendo, Rebuff. *de pacif. possess. num. 186.*

Difficultas tamen excitabatur ex eo, quòd iste malè prouisus de præpositura non dimiserat, sed resignauerat canonicatum: ergo non erat locus dispositioni dicti cap. *si beneficia.* ex dictis sup. *num. 6.* post Rebuff. *de pacif. possess. num. 168.*

Sed tamen responsum fuit, resignationem non fuisse factam eo animo, vt amitteretur primum beneficium, nisi si & quatenus secundum beneficium ipsi acquireretur: prout legebatur in mandato factò ad resignandum: quo stante, non amiserat resignans possessionem suam. Quamuis enim per resignationem amittatur omne ius, & possessio, quando resignatarius fuit immissus; secus tamen est, quando resignatio facta fuit animo, & intentione saluandi beneficium, & non abdicandi à se, nisi quatenus secundum assequeretur: ex deicis per Rot. apud Post. *in tract. de manutent. decif. 15. numer. 6. & 7.* his verbis: *Quia mandatum datum fuit ad saluandum beneficium, in casum obitus Maphæo; non autem illud à se abdicando: ideo deficiente consensu, non valuit resignatio: & cùm Maphæus non se habuerit pro spoliato, venit manutendendus.* † Idem in casu proposito fortius statuendum erat; quia resignatio facta fuit simpliciter, & non in fauorem alicuius, & cum expressa protestatione, quòd resignans non intendebat resignationem sortiri effectum, nisi quatenus adipisci posset præposituræ pacificam possessionem: quæ protestatio facit, vt detur illi regressus ad primum: vt patet ex traditis per Lapum *allegat. 120. circa fin.* his verbis: *Fateor quòd si intra mensem acceptasset, redire poterat ad beneficium vigore protestationis, non obstante acceptatione facta:*

- Rebuff. *de pacific. possess. numer. 171. versic. secus in dimissione beneficij.*
29. Rursus oppositum fuit non debuisse tam facile dimitti præposituram, sed debuisse sententiam expectari: quia non dicitur euictio beneficij, aut alterius rei subsequuta; nisi post latam sententiam, & illius executionem Burat. *decis. 240. num. 10.*
30. Sed licet hoc verum sit, tamen sufficit docere quod præpositura dimissa fuerit per transactionem, ex eo quod aduersarius prouisus à capitulo bonum ius fouebat; & quod ius eligendi, & conferendi illo casu, capitulo competeat. Anchar. *in d. cap. si beneficia. in 6. notab. in fin.* † De iure verò capituli constabat euidenter, neque prætendi poterat capitulum iure suo priuatum esse ex eo, quod nominauerat possidentem aliud beneficium incompatible: quia facultas eligendi non amittitur, nisi casu quo electio facta fuerit de persona, quæ nec scientia, nec morum honestate polleret, nec aetatem haberet à iure requisitam, qui sunt casus expressi in *cap. cum in cunctis. de election. cuius dispositio cum sit exorbitans, non potest extendi ultra casus expressos. Panormit. in d. cap. cum in cunctis. §. clerici. num. 6. versic. & puto quod in collatoribus. Garc. de benef. part. 7. cap. 13. num. 84. Auila de censuris, part. 2. cap. 6. dispur. 12. dubit. 4. in fin.*
31. Quod attinet ad secundam quæstionem, stante reservatione beneplaciti Papæ in dicta transactione, nulla potest in ea adesse simonia; ex traditis per Louet. *litter C. num. 40. Farin. consil. 75. numer. 19. 33. & 72. Paris. de resignat. lib. 6. quæst. 2. num. 72.*
32. † Et quamuis prætenderetur quod concordia fuisset executioni demandata, antequam beneplacitum Papæ fuisset obtentum; tamen culpa vnius ex transigentibus, aliis qui non deliquerunt nocere non potest: *cap. sicut. 33. de simonia.* † Et in omnem euentum, hæc non esset vera simonia per traditionem pecuniæ, aut alterius rei temporalis, pro spirituali, siue beneficio; sed præsumpta, seu interpretatiua propter conuentiones factas sine autoritate superioris; propter quam interpretatiuam simoniam, non incurritur pœna priuationis beneficiorum: Clar. *in §. simonia, num. 10. Garc. de benef. part. 8. cap. 9. num. 38. Farin. consil. 75. num. 11. & 14.*
33. Cæterum quæ de obtinente beneficium secundum sibi à superiore collatum, dicta sunt; multò fortius locum habent, si titulo permutationis ipsi fuerit acquisitum; cum permutatio tacitam contineat conditionem, dummodò compermutatores beneficiis permutatis frui possint: quâ conditione cessante, cessat etiam permutationis effectus: *cap. 1. de rer. permut. & Clem. 1. eod. tit. & conuenit regul. Cancellar. 39. Paris. de resignat. lib. 1. quæst. 3. num. 7. & seq. Barbof. in cap. cum vniuersorum. num. 1. de rer. permut. † Præsertim quando Superior recusauit admittere permutationem, tunc enim permutatio reducta fuit ad non causam, & nullum ius abdicatum fuit à permutante: vt in simili docet Lotter. *de re benefic. lib. 2. quæst. 14. num. 89.**
34. Vtrum autem permutans rediens ad primum beneficium, noua indigeat collatione? variæ sunt DD. opiniones. Aliqui enim existimant, non posse permutantem sine noua collatione ad primum beneficium redire; etiam si permutatio non sequatur, seu non teneat, aut non fortietur effectum: quos refert Nicol. Garc. *de benef. part. 11. cap. 4. num. 5. & videtur sequi Rota apud eundem part. 11. cap. 3. numer. 19.*
35. Alij verò contrariam sequuntur sententiam, nempe permutantem ad suum beneficium redeuntem, noua collatione non indigere; ita tamen vt necessaria semper sit superioris autoritas, qui vtique permittenti licentiam, & facultatem concedit ad priora beneficia redeundi: & valis licentia habetur pro collatione. Quam sententiam magnâ æquitate niti testatur Cokier *in tractat. de permut. benef. part. 3. cap. 9. num. 2.* Eandemque æquorem dicit Feder. *de senis quæst. 8. & plures alij quos citat Garc. dict. part. 11. cap. 4. num. 6.* & ita absolutè tenendum existimat Ceualos. *comm. opin. cap. 561. num. 6.* vbi hanc dicit communem, & magis communem opinionem ac resolutionem, & quod ita seruat de stilo. † Ego hanc posteriorem sententiam veriolem esse existimo, quidquid dixerit Ricc. *Collectan. 2103. versic. aduerte tamen. Gambar. de permut. benef. part. 2. num. 62. Mantie. de tacit. conuent. lib. 25. tit. 12. numer. 12.* † Et sine difficultate in supremis Galliarum tribunalibus posterior ista sententia obseruatur, & secundum illam iudicatur: quia ante completam permutationem, aut eâ non admittens per collatorem, permutans remanet in veteri titulo, & possessione: vt bene aduertit Addit. ad Louet. *litter. B. numer. 13. Boër. decis. 97. Codex Fabrian. lib. 1. tit. 21. definit. 53.* dicens ita fuisse iudicatum. Additio marginalis ad Seluam. *de benefic. part. 3. quæst. 24. fol. mihi 778. Rebuff. in prax. tit. de permut. num. 12. & de pacif. possess. num. 165. & seq. & in hac sententia videtur residere Barbof. videndus in tract. de iur. Eccles. vniuers. lib. 3. cap. 15. num. 169. versic. quamuis si permutatio. qui addit num. 170. posse permutantes re integra liberè à permutatione resilire: quod & verum est.*
36. Sed dubitatur vtrum res non dicatur integra, quando Papa iam admisit permutationem: quia post illam à summo Pontifice, aut alio superiore admittam, statim videtur ius quæsitum, ex Gambaro *de permut. benef. part. 2. num. 140.* † Resolutio pendet ex traditis per Abbat. *in cap. inter ceteras. de præbend. qui dicit faciendam esse differentiam inter duos casus. Primus est, quando Papa ipsi, vel alius superior statim confert; & tunc statim ius esse quæsitum verum est. Secundus, cum Papa mandat Episcopo, aut alteri vt conferat; & tunc non dicitur ius quæsitum, donec executor contulerit. Abbas in dicto cap. inter ceteras. numer. 5. † Maximè quando commissio data fuit in forma dignum; tunc enim gratia est condicionalis, nec potest effectum sortiri ante purificatam conditionem: ad perfectionem quippe concessionis requiritur collatio: vt tradit Garc. *de benef. part. 11. cap. 4. num. 85. & 86. Barbof. d. cap. 15. num. 183.* Quod autem Superior permutationem admisisset & beneficium permutatum iam contulisset in facti contingencia, probari dicebatur per quamdam attestationem Secretarij Episcopatus. † Sed dictum fuit, attestationem illam non facere fidem, ex Ludouif. *decis. 214. num. 3.* vbi ampliat, etiamsi ageretur de attestatione facta per Cardinalem medio iuramento coram Notario, & testibus, Menoch. *consil. 322. n. 45. versic. nec dici potest.* † Sicut aliàs videmus, quod fides Parochi non probat, nisi legitime parte citatâ extracta fuerit. Ludouif. *decis. 319. num. 5. & 9.* † Et generalis est regula, collationem non probari nisi per litteras, Rebuff. *in prax. tit. de rescript. ad benefic. vacantia, num. 24.* per text. *in cap. exequutor. de concess. præb. lib. 6. & Clement. vlt. de rescript. Clem. 1. de præbend. Idem Rebuff. in concordat. tit. de madatais apostolicis, §. 1. in verbo litteras, versic. ad probandum tamen gratiam.**





CAPVT LXX.

Quòd summus Pontifex, aut Legatus, seu Vicelegatus Auenionensis in mensibus Ordinarij concurrat cum eo, in collatione beneficiorum. Et quòd in dubio præferendus sit, qui priùs possessionem adeptus est. Datam Legationis ex libro Datarij desumptam, fidem facere; non item eam, quæ per Secretarium Episcopalem in prouisionibus Ordinarij apposita est, in præiudicium prouisi Apostolici.

S V M M A R I V M.

1. Archiepiscopo, vel Episcopo in mensibus suis, vel etiam vigore alternatiuæ competentibus, collationis ius concedi non priuatiuè, sed cumlatiuè ad summum pontificem.
2. Legatus de latere concurrat cum quolibet collatore ordinario beneficiorum.
3. Collatio Legati valet in præiudicium prouisi ab Ordinario, nisi fuerit ab eo præuentus.
4. Legatus potest præuenire Ordinarium, in mensibus illi assignatis vigore alternatiuæ.
5. Ordinarium potest Legatus præuenire, in mensibus illi assignatis per concordata.
6. Præuentio datur aduersus Ordinarium etiam in mensibus fixis Iunij, & Decembris.
7. Legatus Auenionensis magnam habet auctoritatem in collatione beneficiorum.
8. Legatus Auenionensis potest præuenire collatores ordinarios, ex mente Doctorum, qui in Gallia scripserunt; & Curia Parlamenti Delphinialis.
9. Legatus Auenionensis habet facultatem derogandi regulis Cancellariae.
10. Vicelegatus Auenionensis omnia potest, quæ Legatus.
11. In dubio præferenda est possessio quæ certam horam continet.
12. Liber Datarij Apostolici plenè probat, & impugnari non potest.
13. Prouisus à sede Apostolica in dubio præferendus est.
14. Quando aliquid præcedere debet quoad substantiam actus, præsumitur præcessisse in dubio.
15. Possessio canonicatus confirmatur ex actibus capitularibus postea factis.
16. Possessio anterior validiorem reddit collationem in concursu prouisionum.
17. Præsumptio anterioris possessionis potentior est præsumptione anterioris prouisionis.
18. In concursu horarum præfertur qui priùs missus est in possessionem.
19. Prouisus Apostolicus, si se priùs coram executore presentauit, præferendus est.
20. Prouisio Ordinarij non facit fidem quoad horam, in præiudicium prouisi Apostolici.
21. Data prouisionis Ordinarij non probatur per sigillum, & subscriptionem illius.
22. Suspicio antidata Ordinarij, purgari debet per veras & legitimas probationes.

23. Tempus prouisionis Ordinarij debet aliundè probari, quam per domesticos ipsius.
24. Contra eum, qui diù distulit exhibere suas prouisiones, & possessionem beneficij capere, non modica insurgit præsumptio.

VAcante canonicatu, & præbenda, per obitum vltimi illius possessoris; orta fuit contentio inter prouisum ab Illustrissimo & Reuerendissimo Domino Vicelegato, & prouisum ab Ordinario vigore alternatiuæ in mense Decembris: in qua prouisum Apostolicum meliori iure niti Censui, prout in effectu, excluso prouiso ab Ordinario, præfatus prouisus in Legatione remansit in suo canonicatu pacificus.

Quia licet Episcopis competat ius conferendi tam de iure communi in mense Decembris, quàm vigore alternatiuæ quæ hoc casu competeat; ius tamen illud non competit priuatiuè ad sedem Apostolicam, & summum Pontificem, sed cumlatiuè; ita vt inter ipsos locus sit præuentioni; † cum Papa sit Ordinarius Ordinariorum, & conferendo nulli faciat iniuriam. Ludouif. decis. 221. num. 8. Rot. decis. 623. num. 2. part. 2. Cokier ad reg. 8. Cancell. in præmio num. 14.

Quod autem de Papa dictum est, eadem ratione procedit in Legato de latere, qui est collator ordinarius omnium beneficiorum existentium in Prouincia sibi decreta: cap. 1. de offic. Legat. lib. 6. Gambar. in tract. de potest. Legat. libr. 3. num. 31. † Adeo vt iure ordinario omnia beneficia præuentionè quoad alios collatores dare possit, nisi ab ipsis collatoribus ordinariis præueniatur Tusch. in verb. Legatus. conclus. 169. num. 1. & seq. & inter Doctores Gallos, Selua de benefic. part. 3. quæst. 65. Franciscus Marcus decis. Delphinatus 318. num. 2. part. 1.

Et in propriis terminis, quòd Legatus possit præuenire Episcopum, aut alium collatorem ordinarium, in mensibus ad eius collationem vigore alternatiuæ spectantibus; tradit Gonzal. ad reg. 8. §. 2. præmiali num. 54. & in glos. 25. num. 15. & 16. † vbi loquitur etiam de præuentione concessa Legato aduersus ordinarium, in mensibus illi per concordata assignatis; distinguens præuentionem factam pro beneficiis vacantibus, & pro vacaturis; vt primo quidem casu, præuentio Legato competat, non secundo. † Et in 6. indiuiduo, de mense Decembris, & Iunij qui dicuntur menses fixi, tradit Gonzal. gloss. 45. §. 1. numer. 41.

Quòd si hoc obtinet in alijs Legatis, multò magis locum habere debet in Legato, & Vicelegato Auenionensi: quibus non solum concessa est facultas beneficia conferendi; vt aduertit Rot. decis. 633. numer. 1. part. 3. libr. 3. quam Legati Auenionensis, circa beneficiorum collationem, magnam potestatem agnoscunt etiam DD. Galli; & inter ceteros Crauet. consil. 177. n. 1. vers. sed ad istud arumentum. † Vbi dicit Legatum Auenionensem posse derogare iuri communi, propter amplas illius facultates. Quod tamen modò non examinabimus; sufficiat dicere quòd etiam DD. Galli fatentur Legatum Auenionensem, seu eius Vicarium habere ius conferendi beneficia præuentionè quoad Ordinarios, vt fuit decisum apud Francisc. Marc. decis. delphin. 86. numer. 8. part. 2.

Concessa etiam est Legatis & Vicelegatis Auenionensibus facultas derogandi regulis Cancellariae, prout quotidie per eos derogari videmus regulæ, de infirmis resignantibus; & regulæ, de verisimili notitia; & de annali, & similibus; & ita fuit decisum per Rotam Romanam

Romanam in causa *Cavalicensi Canonatus* 2. Junij. 1617. coram Sacro in recent. decis. 508. part. 4. confirmata *deci.* 109. part. 4. tomo 2. recentiorum.

10. Quæ potestas Legati residet eodem modo, quoad beneficiorum collationem, & cum eisdem facultatibus apud Vicelegatum Auenionensem, Bertrand. *consil.* 117. num. 2. volum. 2. priorum.

11. Solum igitur videndum est vter in huius beneficii concessione præuenerit, vt præueniens ex duobus prouisis aduersus præuentum obtinere debeat.

Quòd autem hoc casu prouisus in Legatione præuenisset ex eo constabat, quòd certa erat hora prouisionis ipsius, quæ probabatur fuisse hora prima post mediam noctem, prout scriptum reperiebatur in libro Datarie, vbi fuerat capta parua data illa horâ.

12. † Qui liber Datarij est liber publicus, ac plenè probat, & fidem facit; cum non liceat Datarium, eiusque libros de mendacio arguere: vt dicit Burat. *decis.* 88. num. 4. & 5. Maximè quia liber ille corroboratus erat aliis multis probationibus, veluti ex verbali Notarij, qui hora primâ post mediam noctem fuerat vocatus, vt mitteret in possessionem prouisum Apostolicum, & ex mandato facto per Illustriss. & Reuerendiss. Dominum Vicelegatum, eâdem horâ, per publicam scripturam; quo præcipiebatur commissario de mittendo prouisum Apostolicum in possessionem canonicatus.

13. Vnde posito citra præiudicium veritatis, quòd Ordinarius eâdem horâ contulisset, præferendus tamen esset prouisus in Legatione, propter præminentiam autoritatis sedis Apostolicæ, quam Legatus representat. *cap. si a sede. de præbend. in 6.*

14. Sed fatendum est datam Legationis esse anteriorem, quia data Legationis notat factam fuisse impetrationem circa horam primam; prouisio verò Ordinarij dicitur facta horâ primâ: præsumptio autem est, quòd illa vox *circa*, debeat potius explicari ante, quàm post horam primam: quia cum verbale Notarij, & mandatum de immittendo facta fuerint horâ primâ, necesse est fateri collationem factam fuisse ante horam primam: nam quoties aliquid ex ratione ordinis præcedere debet, illud præsumitur præcessisse quod ad substantiam actus præcedere debuit. Mascard. *conclus.* 1235. num. 34.

Præterea prouisus Apostolicus non solum in data, sed etiam in adeptione possessionis erat anterior: nam possessionem adeptus fuerat horâ tertiâ post mediam noctem, & deinde horâ quintâ matutinâ in choro sederat, & lectionem ordine suo publicè cantauerat. Postea in egressu horarum matutinalium, conuocato iterum capitulo interuenerat, votum dederat, & iuri optandi toto capitulo acceptante & stipulante renunciauerat. † Ex quibus actibus confirmabatur, & quatenus opus erat conualidabatur prima possessio capitulariter capta. Coccin. *decis.* 235. num. 11. Rot. apud Post. *decis.* 57. num. 1.

15. Et è contra, prouisus ab Ordinario possessionem adeptus erat post hæc omnia, nempe post horam octauam matutinam; quo tempore capitulum recusauit illum admittere dicens possessionem esse plenam, & prouiso Apostolico iam fuisse responsum de

16. fructibus. † Stante igitur anteriori possessione prouisi Apostolici quamuis prouisio Ordinarij horam contineret, & prouisio Apostolica non designaret horam; ista tamen, prouisioni Ordinarij præualere deberet: ex notatis per Puteum *decis.* 316. in *correct. libr.* 1. Mascard. *de probat. conclus.* 1235. num. 33. Gonsal.


17. §. *proæmiali numer.* 64. & *seq.* † Quia præsumptio possessionis potentior est horæ præsumptione; & vti talis apponitur in *d. cap. si a sede de præbend. in 6.*

Præterea, non solum si daretur concursus horarum 18. præualere deberet illius prouisio, qui prius possessionem adeptus est; ex traditis per Tusch. in *verb. collatio. conclus.* 445. num. 4. † verum etiam ad inducendam 19. præuentionem, & potioritatem iuris, sufficit quòd prouisus Apostolicus prius se præsentauerit coram executore in litteris deputato, iuxta *regulam Cancellariæ* 15. alias 16. *de concurrentib. in data.* Hic autem prouisus Apostolicus horâ primâ post mediam noctem, & sic per septem horas ante possessionem prouisi ab Ordinario, se se coram commissario per Illustriss. Dominum Vicelegatum deputato præsentauerat.

Denique quia licet prouisio Ordinarij contineret 20. horam primam post mediam noctem eiusdem diei; nullam tamen fidem faciebat pro horæ probatione in præiudicium prouisi Apostolici: Rot. *decis.* 1. *numer.* 2. & 3. *de probat. in nouis*, vbi dicitur non credi litteris Episcopi contra Apostolicum impetrantem, in quibus Episcopus diceret se primò contulisse beneficium. Ratio est quia fraus timetur; cum sæpè, & quasi frequenter accidat, quòd contra Apostolicos impetrantes anticipentur datæ; & non sit rationi consonum, vt Episcopo credatur in causa propria in fauorem consanguinei, vel familiaris sui: & dicit ibi Rot. *num.* 3. quòd sæpè excogitantur fraudes contra Apostolicos impetrantes: quod etiam dicit eadem Rota *decis.* 206. *num.* 6. *part.* 2. *recent.* Bellamer. *decis.* 321. & 326. Loter. *de re benef. quest.* 23. *num.* 11. & *seq.* † Vbi dicitur non sufficere sigillum & subscrip- 21. tionem Episcopi, vel illius scribæ aut secretarij: quia Ordinarij solent fraudes & technas extruere, vt supplantentur prouisiones Apostolicæ: & copiosè Gonzal. §. 3. *proæmial. num.* 147. vbi plures allegat. Non negabatur tamen insignis Ordinarij pietas, & probitas, quæ omnem alioquin fraudis præsumptionem excludere poterat: sed ex approbata per DD. præsumptione argumentum sumebatur. † Omnes siquidem DD. dicunt oportere, vt Ordinarius suspicionem istam per alias veras, & legitimas probationes purget, vt dicit Lotter. *loc. citat. num.* 13.

Non sufficerent autem testimonia vel ipsius Episcopi, vel familiarium, & domesticorum eiusdem: vt dicit Gonzal. *diët.* §. 3. *proæm. numer.* 156. & 166. Ricc. *collect.* 1442.

Vrgebat sanè hoc casu magna præsumptio aduersus prouisum ab Ordinario, qui illius erat domesticus, & familiaris: quia si verè prouisiones habuisset horâ primâ, cum non ignoraret dari concursum cum prouiso Apostolico, & diligentior præferendum esse; non distulisset ab horâ primâ, vsque ad octauam possessionem accipere; sed saltem horâ quintâ, quâ omnes canonici ad officium matutinum ad Ecclesiam accedebant, illam accepisset: cogitare ergo debebat dormientibus iura non subuenire, sed vigilantibus. † Ex hac igitur tarditate præsentationis litterarum, præsumitur quoque tarditas datæ ipsarum: ad tradita per Menoch. *lib.* 5. *presumpt.* 3. *num.* 105. & *lib.* 2. *presumpt.* 91. *num.* 5. 6. & 7. vbi dicitur præsumptionem oriri ex nimia negligentia, & tarditate exhibitionis scripturæ. Et ex his prouisus Apostolicus fuit absolutè manutentus; & exclusus omninò fuit prouisus ab Ordinario.



CAPVT LXXI.

De nullitate matrimonij in Gallia contracti inter Catholicum & hæreticam, nullis præuiis denunciationibus, nec proprio Catholici Parocho assistente, & non adhibito patris consensu iuxta constitutiones Regias requisito. Et utrùm matrimonium nulliter contractum, per subsequentem cohabitationem ratificari possit.

S V M M A R I V M.

1. Promissio matrimonij transibat olim in verum matrimonium, copulâ subsequentâ.
2. Per Concilium Trident. sublata sunt omnia matrimonia præsumpta.
3. Ordinatio Regia amplectitur dispositionem Concilij quoad matrimonia præsumpta, quæ etiam in Gallia non admittuntur.
4. Denunciations in Gallia sunt necessariae pro validitate matrimonij, tam inter Catholicos, quàm inter hæreticos.
5. Denunciations matrimonij fieri debent in Parochia viriusque coniugis.
6. Deficientibus denunciationibus, matrimonium in Gallia dicitur deficere in forma substantiali.
7. In Gallia denunciations requiri creditur non solum ex necessitate præcepti, sed etiam ex necessitate Sacramenti; secundum aliquos Doctores.
8. In Gallia matrimonia filiorum sine consensu patris inualida declarantur.
9. Liberi etiam maiores, ex Gallia ordinationibus tenentur saltem à parentibus petere licentiam nubendi.
10. Quando uterque coniux est Catholicus, sufficit matrimonium fieri coram Parocho alterius ex coniugibus.
11. Quando vnus ex coniugibus est Catholicus, alter hæreticus, matrimonium in Gallia validum est; sed omninò interuenire debet proprius Parochus Catholici.
12. Matrimonium sine assistentia proprij Parochi in Gallia nullum est.
13. Ratificatio matrimonij non habet vim retrotractiuam, sed valet vt ex nunc.
14. Solemnitates omnes requisitæ in matrimonio requiruntur etiam in illius ratificatione.
15. Quando nullum adest initium conseruabile non fit retrotractio.
16. Circumstantia facti sunt multùm consideranda quando agitur de annullando matrimonio.

**A**ctum fuit de inualiditate matrimonij inter hæreticam & Catholicum celebrati in Gallia sine denunciationibus, & benedictionibus nuptialibus, & sine vlla proprij Parochi coniugis Catholici assistentia, nec patris adhibito consensu.

In hac quæstione supponendum fuit, quòd ex antiqua sacrorum canonum dispositione, simplex matrimonij promissio etiam per verba de futuro vim habebat veræ ac legitimæ coniunctionis matrimo-

nialis, si copula carnalis fuisset subsequuta: per text. in cap. is qui fidem. de sponsalibus.

Sed tamen ex decretis sacri Concilij Tridentini 2. sublata fuerunt omnia hæc præsumpta matrimonia; nec verum consistere potest matrimonium, nisi coram Parocho & testibus fuerit celebratum, non obstante quacumque promissione, etiam copula carnali interueniente. Cuius Concilij dispositio non solum apud nos, qui immediatè summo Pontifici subiicimur, recepta est; sed etiam in Gallia in qua nondùm integrè Concilium Tridentinum admittitur: quia constitutio illa Concilij quoad matrimonia, Regiam ordinationem habet non absimilem, per quam forma substantialis præscribitur, sine qua matrimonij contractus corrui, & promissiones nullæ sunt; quamuis subsequenti copulâ roboratæ: vt notauit Scholiastes ad Louet. litter. M. num. 6. fol. mihi 480. versic. n'y en France. D. Ludou. Bellus consil. 224. num. 8. Rationem reddit Peleus in suis actionibus forensibus, lib. 7. artic. 3. pag. 20. versic. or est il que l'Ordonnance. fol. 406. Quia ordinatio Regia vult omnia matrimonia, contra formam ibi expressam celebrata, nulla esse; & eos qui contra formam illam contraxerint, subiici pœnis Concilij. † Certum 3. autem est, quòd Concilium annullat, & irrita decernit omnia matrimonia per verba de futuro contracta, vel etiam per verba de præsentis, quamuis copula fuisset subsequuta; si solemnitates ab ipso Concilio præscriptæ non fuerint obseruatæ. Imò in libris decretalium anno 1584. Romæ iussu felic. record. Gregorij XIII. summi Pontificis in lucem editis, notatur omnia huiusmodi matrimonia rata, siue præsumpta per promissionem subsequentâ copulâ inducta, esse sublata, & prædictum cap. is qui fidem. 30. de sponsalibus. esse abrogatum: & per consequens tam ex dispositione Concilij, quàm ex Regis decreto huiusmodi matrimonia inualida declarari debent.

Quamuis enim Princeps sæcularis non possit circa matrimonij validitatem decernere, tamen quando constitutio Principis conformis est Concilio; ea admittitur coadiuuando legem canonicam. Glos. in Clem. Romana. in verb. tolli. num. 6. cum aliis citatis per D. Ludouicum Bellum, d. consil. 224. num. 6. versic. quamuis.

His ita suppositis, resolutum fuit matrimonium, 4. de quo agebatur, nullum & irritum declarandum esse. Primò ex defectu publicationum, seu denunciationum, quæ in Gallia tam per Catholicos, quàm per hæreticos obseruari debent, imò maiori cum rigore obseruantur apud hæreticos, quorum ministri nullo modo ex quacumque causa denunciations solitas omittunt: vt testatur Addit. ad Louet. loco mox citato, nempe litter. M. num. 6. † Dictæque denunciations fieri debent tam in Parochia mariti, quàm futuræ vxoris, neque sufficeret illas fieri in Parochia mariti tantùm, vel vxoris tantùm: Sanchez de matrim. lib. 3. disput. 6. num. 4. Gutier. de matrim. cap. 56. numer. 5. qui asserit ita fuisse declaratum per Eminentiſſ. Cardin. sacri Concilij interpretes. Basil. Pont. de matrim. lib. 5. cap. 30. num. 4.

In casu proposito nullæ aderant denunciations ex 6. parte viri, nec ex parte vxoris; & per consequens iuxta supremarum Curiarum arresta, & generalem Galliæ obseruantiam, matrimonium illud nullum & irritum declarandum erat, teste Carond. lib. 1. respons. 12. Ludou. Bell. d. consil. 224. num. 10. Louet. d. litter. M. num. 6. in glossa columna 2. qui affirmat † solemnitatem istam denunciationum, seu publicationis bannorum esse apud Gallos conditionem necessariam, sine qua matrimonium subsistere non potest; siue

siue inter maiores, siue inter minores; non solum ex necessitate præcepti, sed etiã ex necessitate Sacramenti. Maynard *lib. 4. c. 5. n. 4.* Bouchel. *in sum. benef. in verb. marriage. in princ.* quod ego, nec multa alia Cõcilio minus cõformia non propono decisuè: quia me remitto determinationi Sanctæ Matris Ecclesiæ; sed refero duntaxat quòd in Gallia ex Regiis ordinationibus, aut aliàs solent obseruari: nihil approbans, nec condemnans nisi quod approbatur, vel condemnatur à Sancta Catholica Romana Ecclesia.


8. Alio etiam ex capite, matrimonium de quo agitur nullum declarabitur in Gallia: quia contractum fuit à filio familias absque consensu paterno; imò contra illius expressam voluntatem: qua de causa, matrimonia in Gallia nulla declarantur & irrita; benè aut malè non decido; sed de hoc adsunt expressæ ordinationes antiquæ, & recentes: quibus matrimonia sine consensu parentum contracta declarantur inualida. † Et quamuis adsit aliqua exceptio pro masculis ætatem 30. annorum excedentibus, tenentur tamen ipsi filij petere à patre licentiam per instrumentum publicum: vt testatur Mosnier, *aux alliances du droit françois, in verb. Mariage. num. 4.* quamuis Peleus per ipsum allegatus *lib. 3. action. forens. 25.* dicat fuisse indicatum filium ætatis 31. annorum, qui sine consensu patris uxorem duxerat, satisfecisse muneri suo, veniam admissæ culpæ à patre postulando. Ordinatio tamen requirit, vt filius maior 30. annorum vtatur debitâ diligentia, vt patris consensum & consilium obtineat.
10. Tertia nullitas propositi matrimonij consistit in eo quòd sine assistentia proprii Parochi coniugis Catholici, fuit celebratum; nec obseruatæ fuerunt consuetæ formæ, per coniugem hæreticum inter similes prætensæ religionis homines seruari solitæ: quæ nullitas est inuitabilis in Gallia ex ordinatione Blesensi *artic. 40.* In hoc si quidem casu; cum diuersæ religionis sunt coniuges, solemnitates ex vtraque parte interuenire debent, quamuis si ambo essent Catholici, sufficiat assistentia Parochi vnus ex coniugibus: vt notat Barbof. *in decis. Apost. cap. 465. num. 17. & in tractat. de officio Parochi, cap. 21. num. 45.* † At verò futuris coniugibus, diuersam religionem profitentibus, assistentia proprii Parochi illius qui catholicus erat omninò erat necessaria, vt Parochus ipsius coniugis catholici traheret ad se personam coniugis hæretici per connexionem, & illo casu coniugium redderetur licitum, & matrimonialis cum hæretico communicatio: vt dicit Basil. Pont. *de matrimon. Cathol. cum hæret. §. 1. num. 7. in fin.* Cessat enim ratio propter quam Doctores existimant præsentiam vnus ex Parochis, nempe mariti, vel uxoris sufficere: quia nimirum Parochus ratione iurisdictionis quam habet in vnum ex contrahentibus, habet quandam speciem authoritatis Parochialis erga aliũ. Quia licet (vt dictum est) coniux catholicus contrahere possit matrimonium cum sui Parochi assistentia qui trahit ad se personam hæretici, respectu illius, qui est de sua Parochiali iurisdictione; attamen respectu ipsius hæretici, qui non vult illum agnoscere in Parochum, & ab eius authoritate Parochiali se exemptum esse existimat, & profitetur; fieri non potest vt solemnitati dicatur satisfactum, nisi seruatis solemnitatibus per eiusdem professionis personas
12. consuētis, & requisitis. † Hoc igitur matrimonium nullum erit declarandum, non solum in Gallia, sed etiam in terris summo Pontifici immediatè subiectis, attento defectu insanabili, assistentiæ proprii Parochi, & testium; prout per plurima arresta fuit declaratum: vt testantur Addit. ad Louet. Ludou. Bell.

Bouchel. & alij superius citati, Maynard. *lib. 4. cap. 5. remarques du droit françois, in verb. mariage. n. 4.*

Neque potest prætendi tacita huius matrimonij ratificatio, sub eo prætextu quod isti asserti coniuges per spatium plurium annorũ in figura matrimonij simul cohabitauerint. † Quia ratificatio subsistere non potest, nisi obseruatis formis & solemnitatibus, quæ in ipso matrimonio interuenire debuerant; in ipso inquam actu matrimonij, & non post ipsum, Bald. *in l. obseruari. §. final. num. 3. ff. de offic. Procons. Felin. in cap. cum dilecta. num. 8. versic. & ideo. extr. de rescript. & ratificatio non potest habere effectum retroactiuum, quando non reperit initium validum: quia non valet vt ex tunc, sed vt ex nunc, & dicitur nouus actus: Surd. *decis. 70. num. 14.* † Et propterea solemnitates omnes requisitæ in celebratione matrimonij, requiruntur etiam in illius ratificatione. Seraph. *decis. 1242. num. 2.* & in terminis matrimonij declaratum fuit apud Ludouif. *decis. 395. num. 6. & seq. † 15.* Non enim potest fieri retroractio, quando nullum reperitur initium conseruabile. Rot. apud Ludouif. *d. decis. 395. num. 12. post Bald. in l. final. sub num. 2. Cod. ad Velleian.**

Supradicta confirmantur ex diuersis facti circumstantijs, quæ in simili materia considerari debent; veluti si ageretur de personis inæqualis conditionis, aut alijs id genus, de quibus Ludou. Bell. *d. consil. 224. num. 10.*

Notandum tamen est, quòd apud nos qui sumus subditi immediatè summo Pontifici, nec defectus consensus paterni, nec denunciationum, reddit nullum matrimonium; sed tamen Parochus qui nullis factis denunciationibus procedit ad matrimonij celebrationem punitur pœna suspensionis ad triennium: *cap. cum inhibitio. 3. §. final. de clandest. desponsatione. Barbof. de offic. Parochi, cap. 21. num. 27.*



## CAPVT LXXII.

Vtrum exemptio à solutione decimarum acquiri possit per incolas alicuius loci contra Ecclesiam: siue ex consuetudine, siue ex præscriptione. Et quæ sit in hac materia præscriptionis, & consuetudinis differentia. Quis vtriusque effectus. De exemptione à decimis tam à toto; quam à quanto. Vtrum & quando decimæ sint de iure diuino. Et an sufficiat loco decimæ, census annuum, aut quid simile in recognitionem Ecclesiæ præstari.

### SVM MARIVM.

1. Decima, secundum opinionem Canonistarum, sunt de iure diuino; quod tamen non admittunt Theologi.
2. Veritas est, quod decima sunt de iure diuino, quantum respiciunt necessariam ministrorum Ecclesiæ sustentationem, & non aliter.
3. Consuetudo valet soluendi aliqua iura, vel præstationes annuas loco decime.
4. Per solutionem alicuius annua præstationis, redditur Deo recognitio, & satisfit præcepto Dei quando talis est consuetudo.
5. Approbatur consuetudo soluendi Ecclesiæ aliquos fructus loco decime.

6. *Multis in locis, qui solvunt censum Ecclesia ex certis prædiis de eorum dominio directo existentibus, sunt immunes à solutione decimarum.*
7. *Non valet consuetudo vel præscriptio iuris exigendi decimas per laicos.*
8. *Ius tamen exemptionis à solutione decimarum laici præscribere possunt.*
9. *Qua sit differentia inter consuetudinem, & præscriptionem, quoad decimas.*
10. *Exemptio à decimis facilius acquiritur consuetudine, quàm præscriptione.*
11. *Exemptio à decimis non acquiritur in præiudicio necessaria sustentationis clericorum.*
12. *Consuetudo favorabilior est præscriptione: ideo multis in locis adest consuetudo solvendi fructus aliquos loco decima.*
13. *Origo decimarum non processit ex præcepto legis divinae; sed ex liberalitate Christianorum, secundum sententiam nonnullorum.*
14. *Afferuntur textus quibus probatur valere consuetudinem eximentem à decimis.*
15. *Canonistarum opinio est suspecta in materia decimarum, quia agitur de eorum interesse; ideo prevalere debet sententia Theologorum.*
16. *Exemptio à decimis in certis casibus, approbatur in Gallia.*
17. *Ex ordinatione Regia possessio in iudica admittitur adversus solutionem decimarum.*
18. *Qua requirantur in probatione consuetudinis exemptionem tribuentis à decimis in Gallia.*
19. *Præscriptio ex se sola, non sufficit ad acquirendam exemptionem à solutione decimarum; sed duntaxat tituli præsumptione roborata.*
20. *Multum etiam potest ad acquirendam exemptionem à decimis probatio vocis, & fama publica.*
21. *Tituli præsumptio fortior redditur ex temporis diurnitate, si probeatur scripturas communitatis propter bella, incendia, aut similes casus fuisse deperditas.*
22. *Concilium Lateranense non est quoad omnia eius capita receptum in Gallia, quoad caput decimarum.*
23. *Explicatur Additio ad Louet litt. D. numer. 9. in fin.*
24. *Ex mente Rota Romana, sola possessio immemorialis non est sufficiens ad decimas præscribendas, nisi probeatur fama privilegij ante Concilium Lateranense.*
25. *Contraria tamen opinio servatur in Gallia, & approbatur à pluribus Doctoribus; nempe quod sufficiat præscriptio immemorialis.*
26. *Ecclesia contra Ecclesiam potest præscribere ius exigendi decimas, spatio quadraginta annorum.*

Communitas quædam Delphinatus contendebat se non teneri ad solutionem decimarum Ecclesie Cathedrali; nisi secundum morem consuetum, videlicet de certo genere fructuum; nec illam deberi de prædijs censum capitulo facientibus, de quibus à tempore omnem omnium memoriam excedente, nulla soluta fuerat decima. Capitulum autem de omni fructuum genere, & de omnibus prædijs, etiam ad censum datis ab antiquo, decimas exigere volebat: super hoc consultus Dixi.

1. In primis quòd licet magna sit inter Doctores controuersia, vtrum exactio decimarum sit de iure diuino; affirmatiuam sententiam Canonistis tenentibus,

Theologis autem negatiuam, loquendo secundum legem Euangelicam: † verior tamen, & tutior est sententia distinguens; aut enim decimæ considerantur quatenus illis ministri Ecclesie indigent ad necessariam sustentationem, & hoc respectu decimæ sunt de iure diuino; aut verò considerantur ultra id, quod necessarium est ad sustentationem Sacerdotum curam animæ exercentium; & hoc respectu, non sunt de iure diuino: & hæc est opinio receptior, vt testatur Barbof. in cap. si aliquibus. 32. n. 4. de decim. & de iur. Eccles. vniuer. lib. 3. cap. 26. §. 3. n. 64. versic. sed ego. & in tract. de offic. & potest. Paroch. cap. 28. n. 6. & 7. Theuen. sur les Ordonnances Royaux, lib. 1. tit. 13. artic. 5. in verb. ny alleguer prescription. Expilli. plaidoyé 33. numer. 27. Fontanel. de pact. nuptialib. claus. 4. gloss. 19. part. 1. numer. 8. & numer. 31. & 36.

Rursus quando constat de consuetudine legitime præscripta non soluendi integras decimas, per tempus immemorabile; sed loco illarum solum fuisse censum, aut aliam annuam præstationem; talis consuetudo valida est, & sustineri debet, ac sine difficultate obseruari. Ideo si dicta communitas probeat ex certis prædijs solui solitam certam foeni, aut aliorum fructuum quantitatem loco decimæ; manutenenda est in illa consuetudine: cum non agatur de tota decima præscribenda, sed de quota: vt fatentur omnes per text. in d. cap. in aliquibus. §. final. capit. commissum. capit. cum sint homines. capit. dilecti. de decim. capit. ad Apostolica. eod. titul. Rebuff. de decim. numer. 46. † Ratio est quia cum soluitur aliquid loco decimæ, satisfit præcepto diuino, & præstat Ecclesie recognitio quæ illi super omnibus bonis nostris debita est, Monet. de decim. capit. §. num. 87. Rebuff. de decim. num. 46. † Quod etiam bene explicat Panormitan. in dict. cap. in aliquibus. num. 8. versic. aly fuerunt in opinione. qui refert & approbat consuetudinem quorundam populorum Germaniæ, seu Theutonicorum, qui certam fructuum quantitatem Ecclesie, loco decimæ præstant: quam consuetudinem ex eo maxime tolerandam dicit, quòd siue multi colligantur fructus, siue pauci, siue nulli, semper eadem quantitas præstat.


Hoc etiam docet experientia in pluribus locis, & nominatim in hac ciuitate & Dicecesi Auenionensi, vbi ab aliquibus capitulis obseruatur, quòd prædia censum, vel partem fructuum præstant ipsi capitulo; & in quibusdam etiam locis Domino Archiepiscopo; nullam decimam omnino persolunt: Atque ita in nonnullis antiquis transactionibus conuentum vidi, & obseruatum scio; quod naturali æquitate nititur: ne videlicet ex eodem prædio duplex præstatio soluatur.

Tertio dixi verum esse quòd laici decimarum sunt incapaces, & ideo illas non possunt præscribere: quia sine possessione nulla datur præscriptio: non possunt autem laici decimas, quæ spirituales sunt, & à Sacramentorum administratione dependent, possidere: capit. causam. 7. de prescript. cap. prohiberi. de decim. Rebuff. in dict. tract. de decimis, quæst. 13. num. 77. & 78. Papon. lib. 1. tit. 12. arrest. 3.

Sed circa hanc regulam variæ sunt opiniones: 8. quidam enim existimarunt magnam esse differentiam inter eos, qui præscribere volunt ius exigendi decimas; & eos qui præscribere duntaxat volunt ius exemptionis, & immunitatis à solutione illarum: difficilius quippè est in primo casu præscriptio; quia agitur de iure spirituali, cuius laici sunt incapaces: at in secundo casu facilius; quia agitur

- de fructibus percipiendis, quorum sine dubio laici capaces sunt: ita distinguit & explicat Couarr. *l. b. 2. variar. resol. cap. 17. numer. 10.* Fontanel. *de pact. nuptialibus claus. 4. glos. 19. part. 1. numer. 39. & 40.*
9. Alij differentiam in hac materia statuunt inter præscriptionem; & consuetudinem; vt consuetudo locum habeat quando populus, aut alia personarum incertarum multitudo, non solet decimam soluere; aut saltem sub certis modis & formis, ac certa quota vel quantitate: præscriptioni verò locus sit, quando priuata persona, seu etiam communitas non vt communitas, sed vt persona priuata veluti pro bonis particularibus per ipsam comunitatem possessis, tanquam ficta persona, Abbas *in cap. cum Ecclesia. num. 45. col. 8. de caus. possess. & propriet. Rebuff. dict. quest. 13. numer. 45.* Moneta. *de decim. d. quest. 4. n. 85.* plura D. Lud. Bellus *consil. 46. & 47.*
10. Exemptionem à decimis populus acquirere potest facilius titulo consuetudinis, quam titulo præscriptionis; imò Doctores in hoc conuenire videntur, quòd vigore consuetudinis, laici titulum sufficientem exemptionis à solutione decimarum acquirere possint, non solum à quanto, sed etiam à toto: & hæc est Theologorum sententia, quam in hac materia sequi debemus: vt dicit Expilly *in loco superius allegato.* † Cui subscribunt etiam Iuriconsulti, dummodò Parochi, aut illi quibus decimæ debentur, habeant aliunde ex quo viuere possint: vt copiosè docet Moneta *in dict. tract. quest. 4. numer. 92. versic. quin imo.* Couarr. *dicto libr. 2. variar. resol. capit. 17. numer. 8. versic. quibus mercede.*
12. Ratio præmissorum ex eo petitur, quòd consuetudo habet vim legis humanæ; decimæ verò per legem humanam institutæ sunt: vt supra ex Theologorum sententia diximus *num. 1.* maxime iuxta distinctionem allatam *num. 2.* quando videlicet Parochi habent vnde viuere possint. Et in effectu in Italia, & in Græcia multis in locis, & alibi nullas solui omninò decimas plurimi Doctores testantur: & inter cæteros Filucius *tom. 2. quest. moral. tract. 28. capit. 7. num. 152.* Marefcot. *lib. 2. variar. resol. cap. 95. numer. 29.* Vafq. *lib. 2. controu. cap. 89. numer. 8.* Monet. *loc. citat. num. 92. in fin.* Couarr. *dict. capit. 17. numer. 8.* Grimaudet, *au traité des dixmes, lib. 3. capit. 6. de la coutume*
13. *sur le payement des dixmes, num. 3.* † Vbi ostendit, in exordio Christianæ religionis decimarum solutionem, ex mera fidelium liberalitate, & charitate originem duxisse, vt Ecclesiæ ministrorum alimentis subueniretur: & quòd si decimæ in aliquo Christi Domini, vel Apostolorum præcepto fundatæ essent, illarum aliqua mentio apud antiquos eius ætatis Patres facta fuisset; & generaliter vbique illarum exactio fieret: quod tamen non sic se habet, vt mox dictum est. † Et in effectu in *dict. cap. in aliquibus. in princip.* dicitur multas esse gentes, quæ secundum suos ritus decimas suo more non soluunt; quamuis censeantur nomine Christiano: & in eodem *cap. circa finem*, ibi, *ex lege diuina, vel consuetudine approbata:* & in *capit. cum sint homines.* 18. ibi, *ad consuetudinem duximus recurendum,* & in *capit. ad Apostolica.* 20. ibi, *Quod per consuetudinem diu obtentam, noueritis obseruari:* & in *capit. commissum.* ibi, *quæ priusquam solebant persolui,* & in *capit. final. de Paroch.* ibi, *si in ultramarinis partibus ratione prædiorum decima persoluantur.*
15. Et quamuis Canonistæ, vt antea diximus, sint contrariæ opinionis; tamen vt dicit Expilly supra citatus, & alij, magis credendum est hac in re Theologis, quam Canonistis, qui in propria causa, & ad propriam vtilitatem pro maiori parte scripserunt: ex traditis per Cyn. *in l. quoribus. Cod. de iudic.*
- Et si exemptio totalis à solutione decimarum esset contra ius diuinum, Concilium Lateranense non permisisset, infeudationes ante illud Concilium in fauorem laicorum factas subsistere: quod fuit celebratum anno 1179. & Gallia, quæ fidem Catholicam & Ecclesiasticorum iura tueri solita est (si hæreticorum tempora tollas) consuetudines, quibus multi populi à decimarum præstatione sunt liberi, minime tolerasset: vt dicit Grimaudet *in dict. tract. des dixmes, capit. 6.* Plura in hanc rem Diana *resol. moral. part. 3. tract. 5. resol. 77.* Summa Dianæ *in verb. decima. num. 2.*
- Huic opinioni (cùm negotium in Gallia tractatur) annuit ordinatio Regia relata per Theueneau, *libr. 1. tit. 13. artic. 5.* prohibens consuetudinem, aut præscriptionem aduersus decimas opponi, præter eam quæ in iure admittitur: & in effectu *ibidem* Theuen. ait, hoc casu sufficere quòd allegetur titulus, & probetur possessio immemorialis, etiam ad obtinendum in petitorio: asserens ita in Gallia prædicari: quamuis differentiam inter consuetudinem, & præscriptionem in hac materia non approbet.
- Notandum tamen est, consuetudinem istam cum suis omnibus requisitis verificandam esse, videlicet cum possessione 40. annorum, secundum aliquorum opinionem; vel cum possessione immemoriali, secundum sententiam aliorum: quæ posterior sententia verior est, & in Galliæ tribunalibus recepta. Theuen. *dict. lib. 1. tit. 13. artic. 5. in verb. ny alleguer prescription, in fin.*
- Quod ad præscriptionem attinet non solum ad eam temporis lapsus allegandus est; sed titulus ex temporis diuturnitate præsumptus; cuius non exigitur probatio, sed sufficit allegatio: qui enim pro se temporis immemorialis probationem habet, potest allegare titulum meliorem de mundo; præsertim si loco decimæ certum quid annuum persoluatur, quo casu potest allegari titulus concordiæ; & transactionis, qui in materia decimarum licitus est: teste Rebuff. *de decim. quest. 13. num. 36.* Grimaudet, *des dixmes, lib. 3. capit. 7.*
- Qui autem nullas omninò decimas soluerunt, melius facturi sunt, si famam priuilegij cum tituli præsumptione probauerint, Menoch. *lib. 6. præsumpt. 86. num. 4. & 5.* Monet. *de decim. cap. 5. numer. 74. & 118.* † Quæ famæ priuilegij probatio corroborabitur, si probetur scripturas & documenta, externis quibusdam fortuitisque casibus, belli, incendij, direptionis & similibus probabiliter fuisse deperdita, Grimaud. *in d. tract. lib. 2. cap. 6. n. 32.* & ita fuit iudicatum per Arrestum Curie Parisiensis die 20. Nouembris, 1568. quòd sufficit allegare titulum qui præcedat Concilium Lateranense: & pro huius rei probatione, docere de possessione, seu quasi, temporis omnem hominum memoriam excedentis, Louet *litter. D. n. 35.* Quia possessio immemorialis æquipollet titulo, ne alioqui fiat præiudicium illis, qui propter bellorum ciuiliū casus, scripturas & documenta amiserunt. † Nec Concilij Lateranensis cõstitutio in hoc capite decimarum, est in totum apud Gallos vsu recepta, Forget. *tit. des dixmes c. 2. num. 4. & 5.*
- Neque obstat, quòd Additio ad Louet *litter. D. numer. 9. in fine versic. quand vne personne legue.* asserit, laicos nullo vnquam tempore exemptionem

- nem à decimis præscribere posse. Quia intelligendus est, quando laicus sola temporis diuturnitate nititur, secus si vltra temporis lapsum tituli præsumptionem alleget: hoc enim sufficit in Gallia, vt iam fuit ostensum; maximè quando Ecclesiastici habent aliundè necessaria ad alimenta: quia hoc casu, decimæ non sunt de iure diuino, & sic cessat ratio fundamentalis eiusdem Authoris. † Quamuis Rota Romana aliter iudicare soleat, nempe solam possessionem immemoriam non sufficere, nisi probetur fama priuilegij ante Concilium Lateranense obtenti: vt probatur ex decisione 474. numer. 3. & 4. par. 1. in recent. & apud Duran. decis. 205. numer. 15. † Sed contraria opinio non solum in Gallia recepta est, verùm etiam apud plurimos DD. Ioan. Andreas in cap. cum Apostolica. 7. num. 6. de his qua sunt à Prelatis. & ibi Anthon. de Butrio, num. 17. Anchar. num. 6. Imol. num. 21. Larrea part. 2. allegat. 69. numer. 17. Et communem hanc esse sententiam testatur Alexand. consil. 6. num. 4. in fin. versic. pro quo adduco. & num. 5. & ibi Addit. in verb. latius. qui plures eiusdem opinionis DD. allegat, Theuen. loc. citat.
26. Vltimo loco aduertendum est, quòd licet Parochus primitiuus fundatam habeat intentionem in exactiõne omnium decimarum; si tamen reperiatur alia Ecclesia præscripsisse ius exigendi decimas; vel quòd loco decimarum, prædia quædam adinstar Parochi sub censu annuo, aut alia præstatione concesserit, & appareat hanc annuam solutionem subrogatam esse in locum decimarum; non poterit aliquid pro decimis à Parocho primitiuo prætendi: quia Ecclesia contra Ecclesiam ius decimas exigendi priuatiuè, præscribit spatio quadraginta annorum: cap. ad aures. de præscript. cap. 1. eod. tit. lib. 6. Couarr. lib. 2. variar. resol. cap. 17. n. 7.



CAPVT LXXIII.

Quomodo acquiratur ius capellæ, vel sepulturæ in Ecclesiis regularium, in quibus laici iuspatronatus obtinere nequeunt, ad effectum præsentandi; sed tantùm ad effectus honorificos. De iure sepulturæ an transeat ad hæredes sanguinis, vel ad extraneos. Vtrùm finitâ familiâ ius sepulturæ, aut ius apponendi arma, & insignia, possit alteri concedi in præiudicium memoriæ fundatoris. Arma, insignia, inscriptiones & similia sculpta, vel duntaxat depicta in capella, aut Ecclesia per fundatores, aut benefactores; quando & quomodò apponi, vel auferri possint. Et quæ requirantur ad hoc vt benefactoris arma, de consensu regularium, apponi queant in ipsorum Ecclesiis; remanentibus semper insignibus, & inscriptione facta in honorem memoriæ fundatoris.

S V M M A R I V M.

1. Quamuis alicui competat ius sepultura in aliqua capella, non ideo sequitur ad illum spectare ius capella

2. Et è contra, concesso iure capella, non censetur concessum ius funerandi, nisi fuerit in concessione expressum.
3. Quando requiratur assensus Apostolicus in concessione capella. Remissiuè.
4. Iuspatronatus capella non acquiritur benefactoribus simplicibus, sed solis dotatoribus, seu fundatoribus.
5. Iuspatronatus non competit laicis in Ecclesiis regularium. Intellige, vt num. 20.
6. Mortuo illo qui ius sepulture habet, totaque illius familiâ extinctâ, potest sepultura aut capella alteri concedi. Intellige, vt infra num. 16. & 17.
7. Capella sunt membra Ecclesia in qua sunt constructæ; & eodem modo regulanda.
8. Capella potest edificari in Ecclesia patronata, etiam inuito & repugnante Patrono.
9. Insignia seu arma insculpta lapidi apponere nemo potest, nisi sit fundator, seu Patronus.
10. Arma depicta in papyro possunt apponi in capella ab hærede fundatoris, vt ibi remaneant duntaxat durante anno luctus.
11. Inscriptio potest apponi in capella in honorem fundatoris.
12. Arma fundatoris non possunt tolli, etiamsi tota illius familia fuisset extincta.
13. Ampliatur etiam si fundator fuisset declaratus proditor, & rebellis; ex Romani sententia.
14. Extinctâ familiâ simplicis benefactoris, eius insignia tolli possunt, quamuis eius sepultura insculpta.
15. Qui sepulturam habet, potest in eius lapide insignia sua insculpi facere.
16. Quæ sepulchra sint familiaria, & ad solos hæredes sanguinis transeant, & qua ad quoscumque etia extraneos hæredes transmittantur.
17. Ius sepulchri & insignium non transit ad fideicommissarium.
18. Sicuti nec ius capella, quando substitutus est extraneus.
19. Quid obseruandum sit quando religiosi concedunt ex urbanitate appositionem armorum aliis, quàm fundatoribus.
20. Iuspatronatus potest laicus acquirere in Ecclesiis regularium quoad iura honorifica.
21. Hæres extraneus, cui ex urbanitate conceditur vt arma sua apponat, non potest auferre insignia fundatoris.
22. Quæ interuenire debeant, & sub quibus conditionibus permitti possit hæredi extraneo, vt arma sua apponat in capella, vel Ecclesia.

Variæ occurrunt controuersia circa capellas, & ius arma & insignia lapidea aut depicta fundatorum, vel benefactorum in illis apponendi; & sepulturas aliarum personarum in eis prohibendi: pro quarum dilucidatione sequentia notanda sunt.

In primis enim, quòd licet alicui competat ius sepulturæ intra capellam alicuius Ecclesiæ, non ex eo sequitur ipsi competere ius capella; cum in vna capella pluribus facultas, & ius sepulchri competere possit; quamuis nec illam fundauerint, nec dotaerint: at iuspatronatus seu ius capellæ, ad solum fundatorem, dotatorem vel constructorem pertinere possit. † Quam differentiam agnouit Ricc. in prax. 2. alienat. rer. Eccles. decis. 42. vbi dicit quòd concessa capellâ non censetur concessum ius funerandi; ideo monet tabelliones vt in hoc aduertant, dum super simili materia contractus recipiunt, & appo-

3. nant clausulam cum iure funerandi. † Et eodem in loco, Ricc. explicat quibus modis alicui capella concedi possit cum assensu Apostolico, vel sine eo: quod etiam docet Quarant. in verb. alienatio. num. 49. Bonac. de alien. bon. Eccles. disput. 2. quest. 1. punct. 2. num. 12.
4. Secundò notandum est, magnam esse differentiam inter dotatores, seu fundatores capellæ; & benefactores: nam licet quis legatum pium, aut donationem fecerit alicui capellæ; non propterea prætere potest quòd ius patronatus sibi in tali capella competat: sed requiritur fundatio, vel dotatio; per quam absque alia reservatione acquiritur fundatori, aut dotatori ius patronatus, seu ius honorificum in tali capella. Rot. decis. 89. num. 25. part. 6. recent. & decis. 517. num. 1. part. 1. recent. Duran. decis. 147. num. 1. sed ex eo quòd quis sit benefactor, non propterea tale ius illi quæritur in capella, vel Ecclesia; imò requiritur quòd in totum Ecclesia, seu capella dotetur. Ricc. in prax. iuris patron. decis. 167. Duran. decis. 285. num. 35. & 94.
5. Tertio notandum est, non esse licitum personis sæcularibus obtinere ius patronatus in Ecclesiis regularium mendicantium, seu in ipsatum capellis: quia eo ipso quòd sæculares fundationem aliquam faciunt in Ecclesiis regularium, ius quæsitum est religiosis; ut laici & sæculares nullo modo se immiscere possint: cum fuerit talis fundatio effecta Sancta Sanctorum. Anchar. consil. 113. num. 3. quia loca religiosa nequeunt esse in alicuius dominio: † unde siue agatur de capella, siue de sepultura in Ecclesiis regularium concessa; laicus solum habet usum pro se, & suis successoribus, cum facultate prohibendi ne quis alius ibi sepeliri, aut ius capellæ prætere potest: sed illo mortuo, & extinctâ eius familiâ, ius illud potest per religiosos alteri concedi: ut ostendit Sanch. in consil. moral. lib. 2. cap. 3. dubit. 14. num. 4. † Ius patronatus autem talis capellæ in Monasteriis mendicantium fundatæ, ad effectum præsentandi; non competit fundatori: cum libera administratio Ecclesiæ & capellarum in ea fundatarum competat religiosis: quia hæ capellæ iudicantur tanquam accessoria, & membra ipsius Ecclesiæ: cap. indemnitate. §. final. de electione lib. 6. Boloquin. ad Ioan. de Anania consil. 86. in principio.
6. Quarto notandum est, quòd etiam si Ecclesia sit de iure patronatus alicuius; tamen tertius absque consensu patroni potest fundare, & ædificare capellâ: imò eo invito, in eadem Ecclesia: quia ex hoc non fit præiudicium patrono, & tamen acquiritur utilitas Ecclesiæ: ideo si patronus contradicat, talis contradictio ratione caret: ut testatur Lambertin. de iure patron. lib. 1. part. 1. quest. 3. artic. 17. quem citat & sequitur Lezana in summa quest. regul. in verb. sepultura. num. 16.
7. Quintò concludendum est nemini licere arma, & insignia insculpi facere in Ecclesia, vel capella; nisi sit fundator, vel patronus ipsius Ecclesiæ, vel capellæ: quia armorum & insignium appositio, est quoddam dominij argumentum: iuxta ea quæ notantur per Adden. ad Buratum decis. 323. num. 20. Chassan. in catal. glor. mundi. part. 1. conclus. 55. Sola in constit. Sabaud. tit. de insignib. & armis. glos. 2. num. 7. Anchar. d. consil. 113. † Sed duntaxat possunt apponi arma depicta in papyro, non ut ibi perpetuò remaneant; sed durante duntaxat anno luctus. Bacquet des droicts de justice, cap. 20. num. 16. Traicté des droicts honorifiques, tit. des litres & ceintures funebres, fol. 24. † Potest enim apponi inscriptio in honorem fundatoris: Rot. decis. 609. num. 1. & seq. part. 5.

recent. idem etiam de statuis marmoreis, & similibus. num. 2.

Sextò concluditur arma seu insignia fundatoris semel apposita Ecclesiæ, vel templo; à nemine auferri posse: etiam si familia ipsius extincta sit: quia memoria fundatoris semper conseruanda est, ne alij pij homines ab huiusmodi bonis operibus arceantur: argum. l. 1. Cod. de statuis & imagin. & pro conseruatione memoriæ defuncti, datur officium iudicis: tex. est in l. Quintus. §. Pomponius. ff. de annuis legat. Ioan. de Anan. consil. 86. & ibi Boloquin. in addit.

Amplia, ut quamuis arma rebellium, & proditorum destrui debeant; non tamen debent, nec possunt clerici arma fundatoris ab Ecclesia, vel capella tollere, Lud. Roman. singul. 480. quod tamen non probatur per textus ab eo allegatos: ideo si casus occurreret, & ageretur de crimine læsæ maiestatis, melius cogitandum esset.

Aliud statuendum est in benefactoribus, aut aliis qui solum ius sepulturæ habent in Ecclesia, vel capella: quia, ut dictum est num. 6. extinctâ familiâ, ius sepulturæ alteri concedi potest; & per consequens eius insignia etiam sepulturæ insculpta auferri: ut notat Lezana tom. 2. summa regul. cap. 11. num. 23. † Dixi insculpta sepulturæ, quia qui sepulchrum habet in Ecclesia, potest in ipsa sepultura insignia sua etiam humi insculpta in ipso lapide tenere: ut dicit Author dicti tractatus des droicts honorifiques, loco mox citato, quæ ex prædictis, extinctâ familiâ, abradi possunt; sed insignia fundatoris semper conseruanda sunt.

Sed præmissa, quæ de iure sepulchrorum dicta sunt, intelligi debent cum distinctione: aut enim sepulchra familiaria sunt, ut pote quæ pro se, & descendantibus, seu pro se & tota familia quis acceperit; & hæc extinctâ familiâ alteri concedi possunt, & insignia lapidi sepulchri insculpta tolli: aut sunt hæreditaria, & hæc non ad descendentes aut familiares transeunt, sed ad hæredes quantumuis extraneos: hanc distinctionem colligit ex l. familiaria. cum ll. sequentibus ff. de religios. & sumpt. funer. Molina de primog. lib. 1. cap. 24. num. 41. qui prædictam resolutionem comprobatur: & secundum hæc intelligenda sunt tradita per Lambertin. de iure patron. lib. 1. part. 1. quest. 11. artic. 13. & lib. 3. quest. 5. artic. 4. num. 3. & 10.

Quòd autem iura sepulchrorum, & ius patronatus regulariter non transeant ad fideicommissarium vniuersalem; sed ad hæredes; quamuis transeant ad substitutos per substitutionem directam; tradit Fusar. de substitut. quest. 219. & 220. nec non quest. 234. & 235. cum pluribus ibi citatis. † Atque ita alias obseruauit & iudicauit in quadam causa compromissaria mihi commissa, inter quosdam Nobiles; in qua ius capellæ & sepulturæ fuit adiudicatum hæredibus, & non substitutis per fideicommissum; cui decreto partes acquieuerunt: & inter cætera capita compromissi, istud specialiter in transactione ex consilio aduocatorum confirmarunt; aduertendo quòd illo casu substituti erant extranei, & non de descendantibus; hæredes verò de descendantibus; vide Barry de success. lib. 8. cap. 12. num. 33. & seq.


Septimò possunt religiosi ex mera gratificatione, & vrbinitate; concedere benefactori & eius hæredibus facultatem arma sua insculpi, vel depingi facere in Ecclesia, vel capella. Anchar. d. consil. 113. num. 9. & 10. Quod tamen hoc casu ita faciendum est, ut tales benefactores declarent, quòd per huiusmodi armorum appositionem nullum ius, aut ritulum



tulum præter illud benefactoris acquirere intendunt. Quia licet superius dictum fuerit, nullum iuspatronatus in Ecclesiis regularium acquiri posse; hoc dictum fuit de iurepatronatus quoad effectum præsentandi religiosos; quod sæcularibus competere non potest: † Sed quoad alios effectus, nempe quoad ius honorificum, & præminentiam, aliisque similes actus; certum est iuspatronatus sæcularibus, in Ecclesiis regularium concedi posse: ut decidit Caualer. *decif. 265. num. 6. & 7. post Lambertin. lib. 1. par. 1. artic. 7. undecima questionis principalis. num. 3.*

20. Octauò, si hæres extraneus qui non est de familia fundatoris, velit sua insignia inscribi facere; hoc facere non potest absque dubio, auferendo fundatoris arma: Lambertin. *de iure patron. lib. 3. quæst. 5. artic. 4. num. 8.* † Remanentibus autem armis fundatoris, non potest talis hæres extraneus arma propria apponere, nisi pluribus concurrentibus.

21. Primò, quòd illius author fuerit simplex benefactor, qui arma sua de consensu religiosorum apposuerit. Secundò, quòd talis hæres qui vult arma sua apponere, constituat etiam se benefactorem, & in Ecclesiam liberalitatem exerceat. Tertiò, quòd inscriptio apponatur in memoriam fundatoris, & quòd ista sunt arma & insignia benefactoris. Quartò, quòd nullus alius superit de familia fundatoris. Quæ omnia copiosè deducit Lambertin. *d. lib. 3. de iurepatron. quæst. 5. artic. 4. num. 8. & per totum.*



CAPVT LXXIV.

De alienationibus factis per collegia Auenionensia: quòd in eis requirantur solemnitates necessariæ in alienationibus bonorum Ecclesiæ, quæ tamen non sunt adhibendæ in concessione officiorum grafariatus à Collegio dependentium; quando solita sunt concedi ad vitam possessoris. Et quando constare dicatur de consuetudine concedendi ad vitam. Et de effectu harum clausularum, *ad beneplacitum*, vel, *quamdiu bene feceris*, & similia; quæ non efficiunt perpetuitati concessionis. Denique vtrum resignatarius officij in casum euictionis, habeat regressum pro restitutione pretij contra resignantem.

S V M M A R I V M.

1. In alienationibus bonorum magni Collegij Auenionensis adhibendæ sunt omnes solemnitates requisitæ in alienatione bonorum Ecclesiæ.
2. In concessione officiorum ad vitam, non sunt obseruandæ solemnitates requisitæ in alienationibus bonorum Ecclesiæ.
3. Quando res solita est concedi in emphiteusim ab Ecclesia, potest alienari & concedi sine solemnitatibus.
4. Vt doceatur rem aliquam solitam esse concedi in emphiteusim, non est necessario probanda consuetudo legitime præscripta: sed sufficit probare, vel vnã præcedentem concessio-

5. nem legitimam, vel duas minus legitimas cum cursu 40. annorum.
5. Officium fuisse solitum concedi ad vitam, probari potest per testes.
6. Concessio officij ad vitam facta per totum capitulum, reuocari nequit: quia capitulum nunquam moritur.
7. Prælati ardua negotia cum consensu capituli administrare potest.
8. Quando posterior concessio non est conformis antiquis, & præcedentibus; non est ideo annullanda: sed reducenda ad formam antiquarum.
9. Clausula quoad vixeris, non alteratur per subsequentem clausulam, quando beneficiarius vel per clausulam, ad beneplacitum.
10. Officiales Baronum ad vitam prouisi, non debent per Barones reuocari.
11. Barones sine causa officiales sic prouisos remouentes, tenentur illis damna resarcire.
12. Officialibus sine causa remotis competunt remedia possessoria.
13. Officia ad vitam alicui cõcessa vacare non possunt, nisi vno ex tribus modis; videlicet per obitum; renunciationem, vel delictum.
14. Qui emit officium soluto pretio, habet regressum contra vendentem pro restitutione pretij: quamuis emptio scienter facta fuisset.

**R**ector & capitulum collegij concesserat officium grafariatus iurisdictionis à dicto collegio dependentis, & prouisus fuerat immisus in possessionem illius officij, tanquam vacantis per liberam dimissionem, seu cessionem vltimi illius possessoris: cumque de dictæ prouisionis validitate, & irreuocabilitate ageretur; Censui prouisionem validam esse, & irreuocabilem. † Quia licet in alienationibus rerum, & bonorum ad similia collegia pertinentium, eadem requirantur solemnitates, quæ interuenire debent in alienationibus rerum & bonorum Ecclesiæ: prout determinauit Bertrand. *consil. 281. per tot. volum. 4.* vbi in specie loquitur de quadam alienatione prati, quæ facta fuerat per collegium S. Nicolai de Annexiaco, vulgò magnū collegium præsentis ciuitatis Auenion. † Tamen illud procedit, quando agitur de alienatione bonorum immobilium collegij; secus est, quando agitur de collatione officiorum à collegio dependentium, in quibus non requiruntur dictæ solemnitates; cum eorum alienatio non sit perpetua, sed vacare soleant; & ad collegium reuerti per obitum prouisi. Rot. *decif. 622. numer. 9. lib. 3. par. 3. diuers. Burat. decif. 24. numer. 12. & 13.*

Quod maximè procedit, quando huiusmodi officia solita essent ad vitam possidentis conferri: prout dicitur de re solita concedi in emphiteusim, vel feudum c. 2. & ibi DD. *de feudis*. Possunt enim solita sic concedi, alienari sine solemnitatibus: Burat. *d. decif. 24. n. 14.* Rot. *d. decif. 622. n. 10. lib. 3. par. 3. diuers.* quia ex eo quòd dicta officia semel exiuerunt de mensa capituli, si de nouo concedantur, non dicuntur amplius alienari. Rota. *dicta decif. 622. numer. 10.*

Et licet Gratian. *disc. 167. num. 9.* requirat hoc casu probatione consuetudinis legitime præscriptæ, etiam cum contradictione officialiū collegij: tamen non videtur eius opinio hoc casu procedere; cū contraria sit intentioni Rotæ Rom. quæ vult ad hoc vt res aliqua dicatur solita concedi, alterū ex duobus sufficere; nempe vel vnã concessionem validam & solemnem, quæ præcedat; vel saltem duas minus solemnnes, cum cursu quadraginta annorum. Rot. *diuers. decif. 160. n. 5. par. 2.* vbi dicitur hanc esse communem conclusionem.

Seraph. *decis.* 434. num. 1. & *decis.* 1451. num. 2. & *decis.* 1490. num. 3. & 5. & *in recent. decis.* 36. num. 7. part. 7.

5. Et quod plus est, sufficit probari per testes, quòd dictum officium solitum sit concedi ad vitam: vt *decisum* fuit in eadem Rota d. *decis.* 622. num. 10. part. 3. lib. 3. quod solitum, cum bene in casu proposito probaretur; sequitur concessionem dicti officij ex defectu solemnitatum impugnari non posse.

6. Idque tantò magis; quia concessio illa facta fuit per totum capitulum: quod cum nunquam moriatur, concessio ad vitam valet irrevocabiliter, quamdiu viuit prouisus. Afflict. *decis.* 101. num. 2. *versic. fallit nisi fuisset.* Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancellar. gloss.* 5. §. 11. num. 21. quos citat & sequitur Gratian. d. *cap.* 7. 167. num. 10. † Et probatur ex traditis per Cardin. Zabarell. *consil.* 95. *versic. quod autem ratione potestatis.* vbi dicitur, Prælaturam posse cum consensu collegij administrare quæcumque pertinentia ad Ecclesiam, etiam ardua: *cap. nouit. cap. quanto. & toto titulo, de his quæ fiunt à prelatiis.*


Et quamuis in aliquibus ex antiquis concessionibus, adfit illa clausula, *quamdiu bene feceris, & fidelis eris;* & propterea ista vltima concessio non videatur valida, tanquam facta sub alia forma diuersa ab antiqua, ad quam semper debet haberi respectus: tamen ad hoc dupliciter respondetur.

8. Primò, quòd diuersitas vtriusque concessionis non reddit inualidam vltimam, sub diuersa forma vel clausulis factam: sed hoc tantum operatur, vt vltima reducatur ad formam antiquæ, non tamen propterea redditur inualida; vt ex magis communi, & veriori sententia tradit Clar. in §. *feudum. quest.* 13. num. 7. *versic. sed quid si alteret.* & in §. *emphiteusis. quest.* 6. num. 2. *versic. scias tamen.*

9. Secundò Respondetur omnes officiorum concessionis, tam nouas, quam antiquas continere clausulam illam *quoad vixeris*, cuius natura non alteratur per adiectionem sequentis clausulæ *donec fidelis eris, & bene feceris*: quæ non impedit quominus officium censeatur concessum ad vitam: sicuti etiam clausula *ad beneplacitum*, quæ tamen non impedit perpetuitatem concessionis officij, ita vt non obstantibus illis clausulis officialis sine culpa reuocari non possit: vt testatur Mart. *de claus. part.* 2. *claus.* 1. numer. 1. & 4. Ofalc. *decis.* 144. num. 13. & seq. Francisc. de Ponte in *tract. de potest. Proregis, tit.* 3. *de electione officialium in princip. num.* 5. & ibi Thor. in *adition. fol. mihi* 29. num. 5. † vbi loquitur de officialibus Baronum, qualis erat Graffarius prouisus à collegio tanquam Barone & Domino iurisdictionali. Pontanel. *de pact. nuptialib. claus.* 4. *glos.* 10. part. 1. num. 146. & seq. Mastril. *de magistrat. lib.* 1. *cap.* 27. num. 16. & seq. & num. 42. vbi loquitur de Barone. † qui si reuocaret officialem suum, teneretur ad omnia reparamenta tam in foro conscientie, quam in foro contentioso: clausula enim huiusmodi *donec fidelis & obediens eris*, solum continet admonitionem quamdam ad bene & fideliter se gerendum in exercitio officij: vt dicit Fontanel. *loc. citat.* & Ioseph. Ramon. *consil.* 35. num. 4. Adeo vt sine iusta causa dictus Graffarius remoueri non possit: † & illi competant remedia possessoria, pro manutentione in possessione sui officij: *cap. ex renore. de restitut. spoliat. Ceualos com. opin. quest.* 425. num. 19. vbi dicit † huiusmodi officia, quamuis ad beneplacitum concessa, non posse vacare nisi vno ex tribus modis: videlicet per obitum, renunciationem, vel delictum in officio commissum: in quibus casibus antequam priuetur possessor, audiri debet in suis defensionibus

per remedia iuris ordinaria, etiam possessoria.

Et in omnem euentum, casu quo dictus Graffarius sine culpa sua remoueretur; Dixi illi competere actionem contra resignantem, saltem pro restitutione pretij, cui semper locus est; quamuis resignans solum promississet pro suo dato, & facto tantum: & quamuis emptio fuisset facta à sciente, multò igitur magis, stante expressa conuentione de restituendo pretium. Surd. *consil.* 36. num. 22. Mangil. *de euiet. quest.* 57. num. 3.



## C A P V T L X X V.

De resignatione mutua duorum beneficiorum, quæ tamen in effectu mera est permutatio; vtrum sit illicita, dum partes non expriment id fieri animo permutandi; quamuis inter se de permutatione tractauerint. Et quòd resignatio sit valida eâ intentione facta, vt alicui putà amico, vel alteri beneficium conferatur; etiam si talis amicus Episcopo nominetur, aut alteri collatori; dummodò nulla apponatur clausula, vel conditio necessitatem collationis importans.


### S V M M A R I V M.

1. Contractus do vt des, non est licitus etiam si detur spirituale pro spirituali.
2. Licetum est alicui beneficium simpliciter resignare eo animo, vt collator illud alteri conferat; dummodo nullum fiat pactum.
3. In iis quæ ex sola Ecclesia constitutione prohibita sunt, non sufficit sola voluntas, nisi etiam interueniat pactum.
4. Non est simonia, si quis mandatum faciat ad liberè resignandum, & ad rogandum collatorem vt tali beneficium conferat.
5. Verba illa ad petendum & supplicandum, non important necessitatem conferendi.
6. Resignans liberè potest significare collatori cui desideret beneficium resignatum conferri.
7. Non est necesse quòd, dum beneficium resignatur animo permutandi, exprimat quòd resignatio sit ex causa permutationis.
8. Permutantes debent mutuo resignare: & tractare possunt de mutuo resignando: & hoc etiam casu, licet non fuerit illud expressum in resignatione, valet resignatio: & secutà euietione beneficij secundo adepti, licet redire ad primum.

Suppositum fuit in facto, Titium fecisse mandatum ad resignandum certum beneficium purè, & liberè in manibus Ordinarij, qui de illo prouidit Sempronium; & eadem die Sempronius fecit mandatum ad resignandum purè, & liberè aliud beneficium quod possidebat, in manibus Illustrissimi Domini Vicelegati, qui illud contulit Titio. Vnde dubitatum fuit, vtrum in illis prouisionibus præsumatur interuenisse pactio illicita, aut simoniae labe; cum videatur adesse correspectiuitas, & veluti quidam contractus innominatus do vt des, † qui non est

est licitus quamuis detur spirituale pro spirituali, Paris. de resig. benef. libr. 14. quæstion. 4. numer. 3. vbi dicitur quod renuntians in fauorem alicuius, vt ille vel alius renuntiet illud beneficium in fauorem ipsius, vel alterius, puta nepotis vel amici; dicitur simoniacè renuntiare: vt tradunt DD. in Clem. vnic. de rer. permut.

- Sed tamen conclusum fuit, nullam in casu proposito interuenisse simoniam, aut illicitam pactio- nem. † Quia de iure licitum est beneficium resignare alicui eâ mente, & intentione, vt Episcopus aut collator illud alteri conferat, dummodo super hoc non interueniat aliquod pactum, per quod imponatur necessitas collatori illud conferendi certæ personæ. Felin. in cap. ad audientiam. 31. numer. 3. versic. quod autem. extr. de rescript. † dicens quod in istis prohibitis ex constitutione Ecclesiæ, si non interuenierit pactum, non sufficit sola voluntas ad incurrandam simoniam: sicut videmus quotidie, quod in manibus Papæ fiunt renunciaciones, & conceduntur reseruaciones pensionum ipsis renuntiantibus; quamuis Papa non ignoret quod ambæ partes de hoc prius tractauerunt: quod Papa non tolerasset, si illud simoniam contineret. Idem tenuit Rebuff. in tract. de pacific. possess. num. mibi 245. versic. non tamen est simonia. † Vbi dicit non esse simoniam, si quis constituat procuratorem ad resignandum purè & liberè in manibus Legati, vel Ordinarij, & ad requirendum eum vt conferat beneficium liberè resignatum certæ personæ: quia hæc requisitio non imponit necessitatem Ordinario: & ita iudicauit Rot. decis. 2. de simonia, apud Cassadorum. † Quia verba illa, ad obrinendum & petendum supplicationem, non important necessitatem. Idem notauit Sanch. in consil. moralib. libr. 2. capit. 3. dubit. 36. num. 12. vbi plures allegat: † hoc ampliatis, etiam si resignans liberè, postea proponat Ordinario cui vellet tale beneficium conferri.
7. Et magis strictè pro decisione casus propositi adest Gloss. in capit. unico, in verb. ex causa. in primo notabili, quam sequitur Petr. de Vbaldis in tractat. de permut. beneficior. part. ultim. numer. 56. Zerola in prax. part. 2. in verb. renuntiatio. §. 3. Garc. de benef. part. 11. cap. 4. numer. 2. qui dicunt quod permutatio beneficiorum fieri potest exprimendo, vel non exprimendo quod partes renuntiant ex causa permutationis.
8. Præterea Doctores omnes in dicta Clement. vnic. asserunt permutationem per se fieri, imò & de rigore faciendam esse per liberam, & puram resignationem compermutantium; illòsque posse mutuo resignare beneficia, etiam præcedente tractatu de permutando. Et quod non est opus exprimere titulum permutationis, dummodò resignationes hinc inde purè & liberè fiant, cum per eas non sint ligatæ manus collatorum, & resignantes non teneantur exprimere causam resignationis; sed illa præsumatur de iure, ad hoc vt si resignatio compermutantis nulla, vel inualida declaretur; vel propter aliquod impedimentum non possit sortiri effectum; resignans possit ad beneficium resignatum redire: vt tradunt ibidem. Cardin. Zabarel. numer. 4. 5. & 6. Anchar. num. 6. Imo la, num. 7. & 8. Vnde conclusum fuit dictas resignationes validas esse, & legitimas; & ita fuit obseruatum.



CAPVT LXXVI.

De notis, & stigmatibus in corpore personarum de maleficio accusatarum reperi- tis; vtrum solæ faciant indicium ad torturam? Et quibus iudiciis concurrentibus, & vtrum sufficiant ad condemnationem.

S V M M A R I V M.

1. Stigmata in corpore maleficarum reperta, faciunt aliquod indicium contra ipsas.
2. Stigmata fiunt in parte qua sensu omnino destituta remanet, ope demonis.
3. Refertur sententia mentionem faciens istorum stigmatum lata in tribunali Sanctæ Inquisitionis Auenionensis, anno 1582.
4. Fabricenses qui olim dicerentur, & qua illis stigmata inuri solerent.
5. Ex signo alicuius impresso, desumitur argumentum dominij eiusdem.
6. Ex solo impressi stigmatis indicio, nisi alia concurrant, iudex non debet reum torquere.
7. Indicia delicti qua dicantur leuia, qua graua, & qua grauissima.
8. Indicia delicti qua dicantur proxima, & qua remota.
9. Indicium stigmatis non est proximum, sed remotum.
10. Stigmata à maleficis, demon quandoque transfert, vel in totum aufert.
11. Indicium stigmatis non est graue, nec indubitatum, & in eo saepe Chirurghi decipiuntur.
12. Sententia lata ex relatione peritorum potest quandocumque retractari per alias probationes.
13. Refertur historia cuiusdam malefici, in quo Chirurghi valde discordes fuerunt.
14. Ex stigmatibus cum aliis adminiculis potest deueniri ad torturam.
15. Tortura magna, vel parua infertur propter grauitatem, aut leuitatem indiciorum.
16. Concurrente malâ famâ inquisiti cum stigmatibus, potest deueniri ad torturam.
17. Ex solis stigmatibus nunquam deueniri potest ad condemnationem.
18. Presumptio qua oritur ex stigmate, non est violenta; contra Bodinum.

Sæpius in sancto Inquisitionis tribunali occurrunt quæstiones circa notas, aut stigmata in corporibus maleficorum, seu maleficarum reperta: quæ ad tria capita reducuntur. Primò, vtrum tales notæ indicium aliquod faciant. Secundò, vtrum sufficiant ad torturam. Tertiò, vtrum ex illis notis & stigmatibus, oriatur sufficiens & satis violenta præsumptio ad condemnationem. Quibus controuersis satisficit per sequentes conclusiones.

Prima. Nullum est dubium, quin ex huiusmodi stigmatibus in corpore maleficarum reperiis, oriatur indicium seu præsumptio aliqua maleficij. Quia cum dæmon ex permissione diuina applicando actiua passiuus possit, & soleat notas huiusmodi corporibus illorum imprimere, qui se eius potestati suppo-

- fuert; vt quotidiana docet experientia: inter varias præsumptiones, & indicia huiusmodi tam grauis delicti, qualis est conuersatio cum maleficis, defectus lachrymarum, defixio oculorum in terram, crucis fractura vel totalis defectus in rosario Gloriosissimæ virginis Mariæ dedicato, cum similibus; numeratur etiam & non immeritò inuictio, seu impressio stigmatis: vt nos in diuersis personis impressum vidimus, & nominatim in quadam muliere nuncupata Ludouica Dappott, quam anno 1615. ad brachium sæculare remissam, publicè in Curia ordinaria præsentis ciuitatis ad vitimi supplicij pœnâ condemnauimus: cuius scelera præcedente strangulatione, ignis supplicio plecti mandauimus, prout in effectu fuit concremata. † Ipsa siquidem vltra plurima indicia, probationes, & confessiones, reperta fuit in corpore notata quodam stigmate sensu carente: ita vt acu infixâ, velatis prius oculis, nullum plane doloris sensum demonstraret: quod de alijs similibus testatur Martin. Delrio, *disquisit. magic. lib. 2. quest. 21. num. 187.* † Similiter & in sententia lata anno 1582. in Sancto Inquisitionis officio per R. P. Flo- rum Prouincium tunc sanctæ fidei Inquisitorem, contra plurimos fortune magos, & veneficos, inter cætera hæc verba continentur.
- Et vt ad tantam perfidiam & impietatem vos maiori vinculo deuinciret, notam vel stigma cuiuslibet vestrum veluti rei sue propria inussit.* Quæ sententia refertur apud Delrio *disquisit. magic. lib. 5. tex. 16. fol. 84.* vnde negari non potest, quin aduersus huiusmodi personas oriatur indicium, si dicto signo, vel stigmate notatæ reperiantur: cum ex eo censeantur consensum præstitisse dæmoni notam imprimenti, tanquam argumentum dominij propriæ personæ, quod in dæmonem transfulerunt: † adinstar stigmatum, quæ olim Fabricensium brachijs imprimebantur: Fabricenses enim erant qui fabricæ censiti seu adscripti, reperiebantur, & arma publica in diuersis prouincijs fabricabant, quorum brachijs stigmata, hoc est notæ publicæ imprimebantur; vt latitantes ex huiusmodi signo dignosci possent: *l. stigmata. 3. Cod. de fabricens. lib. 11.* & ibi DD. maximè Lucas de pena. † Et quemadmodum ex signo, seu marca cognoscitur quis sit dominus mercium Barthol. *in d. l. stigmata.* & ex nota animalibus impressa dignoscitur quis sit illorum dominus Mascard. *de probat. conclus. 1051. num. 3.* & ex armis seu insignibus iudicatur quis sit dominus, seu fundator capellæ, vel sepulchri; ex traditis supra *cap. 73.* Ita & nota illa præsumptionem dat contra reum, dominij per eum in dæmonem translati. Maximè quia id. solâ naturali operatione, vt plurimum, fieri nequeat; sed dæmonis ope, propter insensibilitatem illius partis quæ doloris est expers, dum clausis oculis, & tentatâ sæpius per diuersas corporis partes acus fixurâ, solus ille locus sensu destitutus reperitur: quod vltra experientiam per nos, seu in nostra præsentia, & Reuerendissimi Inquisitoris factam, refert Henric. Boquet, Doctor Burgundus, *in suo discursu, des sorciers cap. 44. in fin.*
6. Secunda conclusio. Non potest nec debet iudex ad torturam ex hoc solo iudicio deuenire, sed solum concurrentibus alijs adminiculis. Pro cuius conclusionis corroboratione, † in primis supponendum est, indicia duplicis esse generis: quædam proxima, alia remota. Indicium proximum illud dicitur, quo posito, ponitur criminis effectus; & quo sublato, illius tollitur effectus; & quod respicit veritatem rei, & delicti immediatè per sensum visus, vel auditus, iuxta subiectam materiam. Remotum est illud, quod non tangit directè delictum, sed illius circumstantias.

Farin. *de indic. & tortur. quest. 36. num. 44. & seq.* Alia præterea adhibetur indiciorum distinctio: quædam enim sunt graua, alia grauissima, alia leuia. Leuia sunt quæ faciliè à delicto abesse possunt: graua, quæ frequenter contingere solent: grauissima verò, quæ frequentissimè & facillimè in delicto, de quo agitur, interuenire consueuerunt. Idem Farin. *d. quest. 36. num. 49. & seq.*


Stigmatis indicium non est delicto proximum, sed remotum; cum non tangat directè delictum, nec directè concludat; sed tantum indirectè concurrat ad significationem delicti: non enim in omnibus qui hoc delicto conuincuntur reperitur; sed in illis duntaxat de quorum constantia dæmon dubitare potest: sed constantibus non inurit. † Et hæc notas, dæmon à carceratis nonnunquâ in totum auferit: quandoque in aliam corporis partem transfert: vt notauit Binsfeld. *quem citat Delrio lib. 5. tex. 4. n. 28. fol. 38.*

Prædictum similiter indicium non est indubitatum, nec per consequens grauissimum: sæpe enim deluduntur hominum iudicia, & aberrant Chirurgorum sententiæ: dum alij notas istas sensu carentes existimant, quas tamen alij non minoris in eadem arte experimenti, ac scientiæ, sensibiles esse tuentur. † Quod causæ est, vt super horum hominum relatione nullum certum fieri possit fundamentum: & generale est, probationis hoc genus, quod priuilegiatum vocamus, non esse tantæ efficacitæ, quin sententia ex peritorum iudicio lata retractari quandoque possit, alijs peritioribus adhibitis, Pacian. *de probat. lib. 1. cap. 47. num. 83. & seq.* qui plures alios Doctores allegat. † Et in effectu cum anno 1603. quidam Ioannes Grenier fuisset de crimine maleficij, & sortilegij inquisitus coram Ordinario in Gallia; & repertus fuit in eius corpore liuor, seu nota nullum acus infixæ & oblongæ dolorem sentiens, & nullum emittens sanguinem prout Chirurgus referebat: sed postea negotio ad Senatum Parisiensem delato, reperta quidem fuit in corpore inquisiti figura stigmatis; sed dum duobus Medicis Parisiensibus huius liuoris & notæ visitatio commissâ fuisset, vnus ex ipsis notam illam nihil aliud esse referebat præter cutis albedinem ex aliqua ignis scintilla iniecta prodeuntem, cum illam & vita & sensu plenam reperisset: alius verò partem illam coporis, in qua nota illa reperiebatur impressa; omni sensu carentem existimasset: ita vt incertior Senatus per dictam relationem redditus, hominem illum à pœna mortis absolutum, ad perpetui in monasterio religiosorum seruitij, & in eo detrusionis, ac inclusionis pœnam condemnatum dimiserit: vt refert Autumn. *ad l. nullus Aruspex. Cod. de malef. & mathemat.*

Secunda verò conclusionis pars: quòd concurrentibus alijs adminiculis deueniri possit ad torturam, si stigma fuerit in corpore inquisiti repertum; probatur: Quia licet vnum indicium remotum non sufficiat ad infligendam torturam, nisi alijs indicijs concurrentibus; si tamen alia concurrant adminicula, potest reus torqueri; maximè in istis grauioribus & atrocioribus criminibus: veluti si inquisitus, fuisset ab alio malefico nominatus, qui illum in nocturno sagarum conuentu vidisset; (quantum in eo non pauci laruati & incogniti assistere solent, vt dicunt rei de hoc delicto inquisiti) vel adesset contra reum magna diffamatio, vel sortilegiorum tractatio, aut quid simile: † tunc enim iudex potest ad torturam procedere magnam, vel paruam, pro modo indiciorum. Peregr. *consil. 2. num. 105. volum. 2. Berlich. lib. 3. conclus. practic. part. 4. conclus. 4. de process. in caus. venef. num. 153.* vbi licet notam iniustam

16. inustam, quâ inquisitus reperitur signatus, inter indicia veneficij referat: † tamen num. 162. concludit ad hoc vt indicia per eum proposita sufficiant ad torturam, requiri vt saltem aliqualis mala fama, & sinistra suspicio veneficij concurrat: quæ tamen sola ad torturam non sufficeret.

17. Tertia conclusio. Solum stigmatis indicium non sufficit ad condemnationem: hæc conclusio euidenter probatur ex præcedentibus. Cùm enim probatum fuerit, hoc solum indicium non sufficere ad torturam inferendam, multò minus sufficere poterit ad  
18. condemnationem. † Maximè cùm non absolutè vera videatur Bodini sententia, qui lib. 4. demonoman. cap. 4. præsumptionem hanc vocat bene violentam, quanquam ipse fateatur ex ea sola ad condemnationem deueniri non posse: sed alias requiri præsumptiones & coniecturas, veluti si socius criminis penitentia ductus in articulo mortis inquisitum nominauerit: Vnde indubitata est & verissima conclusio proposita.



CAPVT LXXVII.

Sententia declaratoria nullitatis professionis fieri debet per Ordinarium, vnà cum Superiore conuentus, in quo facta fuit professio: adeo vt commissio huiusmodi negotij non possit dari alteri, quàm Superiori principali; nempe Priori, vel Guardiano: nec sufficiat, si in hac causa processerit Subprior, etiam vt à Priorè deputatus; cùm Subpriors, vel vicarij Guardianorum non sint in Ecclesiastica dignitate constituti. Quòd R. P. D. Vicegerens Auenionis non habeat iurisdictionem in similibus causis. Sententiam super professionis nullitate latam, non posse transire in rem iudicatam. Nouitiatus annus quamuis debeat esse continuus, & non interruptus; tamen potest compleri ante decimumquintum annum ætatis nouitij finitum. Si tamen nouitiatus integer non fuerit, nulla est professio ipso iure: adeo vt non sit opus sententia declaratoria.

S V M M A R I V M.

1. Forma Concilij Tridentini super cognitione nullitatis professionis, præcisè seruanda est; nec sufficit illam seruari per æquipollens.
2. Commissiones sedis Apostolicæ non solent dari aliis quàm Guardianis, vel Prioribus conuentus.
3. Soli Guardiani vel Priores conuentuum constituti sunt in dignitate Ecclesiastica.
4. Nomen dignitatis debet intelligi de principali dignitate in terminis capit. statutum. de rescript. in 6. ibidem.
5. Gestæ per delegatum non habentem qualitates requisitas in cap. statutum de rescript. in 6. sunt nulla.
6. Subdelegatus debet esse in dignitate Ecclesiastica constitutus, quando eadem qualitas requiritur in delegante.


7. R. P. D. Vicegerens Auenionis, non potest sine speciali commissione procedere ad sententiam declaratoriam nullitatis professionis.
8. Citatio quæ fit initio litis, debet præcedere & personaliter intimari.
9. Commissio super declaratoria nullitatis professionis, dari debet Ordinario, & Superiori illius loci in quo professio facta fuit, & non alterius.
10. Sententia lata super professione nunquam transit in iudicatum; nec similiter in causa usurarum, num. 11. nec in causa matrimoniali, num. 12.
11. Valet argumentum à matrimonio carnali, ad spirituale.
12. Annus nouitiatus debet esse continuus, & non interruptus; aliàs professio est nulla.
13. Sufficit annus nouitiatus continuari, & compleri ante anni decimiquinti finem.
14. Annus nouitiatus numerandus est à die quo nouitius suscepit habitum, quamuis eo tempore nondum attigisset annum decimumquintum.
15. Professio est valida, quamuis interruptio aliqua interuenierit, si prius totus annus nouitiatus fuisset completus.
16. Sententia lata ex falsa causa, nulla est; ita vt non sit opus ab ea appellari.
17. Quando nouitiatus annus non fuit finitus, professio est nulla; & non est opus desuper sententiam obtinere, seruata formâ Concilij Trident.
18. Professio emissa ante completum annum nouitiatus, nequidem valet tanquam simplex votum.
19. Nouitius recedens etiam non petita licentiâ nullam incurrit irregularitatem ad ordines, vel beneficia Ecclesiastica, secularia, vel regularia.
20. Annus nouitiatus integer, & completus requiritur pro forma: ideo si non obseruetur, corrumpit actus ipso iure, etiam sine declaratione.
21. Professio est nulla, etiamsi deficerent solum ab anno nouitiatus due, vel tres hore.
22. Hoc non procedit in eo qui tenetur ex voto præcedenti profiteri religionem: potest enim profiteri non completo nouitiatus anno, & ante 16. annum completum, secundum aliquos.
23. Ordinarius potest declarare nullam professionem emissam ante completum annum 16. absque alia commissione.

Varij sæpiùs occurrerunt casus decidendi super validitate, aut inualiditate sententiarum, quibus professiones per regulares emissæ, annullatæ & irritæ declaratæ fu erunt: in quibus diuersimodè quandoque affirmatiuè, quandoque negatiuè, secundum varias facti circumstantias respondendum fuit

Inter cæteros propositus fuit casus sententiæ declaratoriæ nullitatis professionis per Ordinarium, vnà cum R. P. Subpriorè conuentus latæ; quæ propterea subsistere non potuit tanquam lata contra formam sacri Concilij Triden. sess. 25. cap. 19. de regular. vbi nominatim requiritur pro forma, quòd declaratio nullitatis professionis fiat coram Ordinario loci, & Superiore regulari: quâ formâ non seruata, corrumpit in totum processura; cùm non sufficiat formam Concilij seruari per æquipollens, vt fuisse

- fuisse determinatum per Dominos sacri Concilij interpretes, testatur Riccius, in *praxi aurea r.r. for. Eccles. resolut. 20. per totam.*
2. Neque commissio sedis Apostolicæ data fuerat Subpriori, sed Priori conuentus, seu eius superior; cum ex stilo Cancellariæ Apostolicæ commissiones huiusmodi non aliis dari soleant, quam Prioribus vel Guardianis conuentuum, iuxta text. in *cap. statutum. §. 1. de rescript. in 6. & melius in Clement. et si principalis. le 2. eod. tit.* † Soli enim Guardiani minorum seu Priores aut superiores aliorum conuentuum, possunt esse commissarij sedis Apostolicæ, tanquam in Ecclesiastica dignitate constituti: vt notat *Geminian. in c. nullus religiosus. n. 6. de elect. in 6. Aufr. ad decis. 13. capella Tholosan. in fin.* Dum enim constitutum fuit, vt commissiones, & delegationes sedis Apostolicæ darentur personis in dignitate Ecclesiastica constitutis; nomen *dignitatis* intelligi debet per prius; id est de principali dignitate; & non per posterius: Anchar. in *d. Clement. 2. & ibidem. Imol. num. 1.* vbi dicit quòd textus in *d. cap. statutum.* intelligendus est de dignitate strictè, & propriè sumpta: quia in dubio verba sic debent intelligi, vt propriam potiùs & naturalem interpretationem recipiant, quam impropriad & accidentalem.
  4. Subpriores autem non possunt dici propriè habere dignitatem, vel prælaturam; quamuis forsitan aliquam habeant administrationem in pertinentibus ad claustrum, & ad normam: vnde dictorum iurium dispositio debet intelligi de dignitate principali, nempe de prioratu principalem administrationem tribuente in bonis, & iuribus vniuersalibus conuentus. *Imol. in d. Clem. et si principalis. num. 3. & 5. & de hoc est optima gloss. in verb. claustrali.* vbi nominatiù habetur, quòd hodie possunt dari soli Priori
  5. propter dictorum textuum dispositionem. † Vnde propter iurisdictionis defectum, sententia declaratoria nullitatis dictæ professionis nulla est: quia omnia gesta per delegatum non habentem qualitates requisiti per dictum *cap. statutum.* nulla sunt. *Monet. de commut. ultim. volunt. cap. 8. num. 120.*
  6. Nec verum est, quòd Superior potuerit in hac causa Subpriori cognitionem subdelegare: quia subdelegatio non sustinetur, nisi in subdelegato concurrant eadem qualitates quæ requiruntur in subdelegante: & sic subdelegatus debet esse in dignitate Ecclesiastica constitutus, *Gomes. in comment. ad dictum cap. statutum. de rescript. num. 62. in fin.* post *Abbat. in cap. pastoralis. extr. de offic. deleg. & Rotam, decis. 393. Nota quòd si in forma communi. in antiqu. Monet. de commut. ultim. volunt. d. cap. 8. numer. 115.*
  7. Et per eandem rationem aliàs Dixi, sententiam declaratoriam nullitatis professionis latam per R.P. D. Vicegerentem Auenionis nullam esse, ex defectu iurisdictionis: quia licèt amplæ sint facultates ipsius, non tamen potuit in hac materia iudicare; cum speciales à Sacro Concilio iudices fuerint constituti, *d. sess. 25. cap. 19. de regularibus.* † Præsertim verò, quia sine citatione processerat; cum tamen certum sit dictum religiosum, de cuius interesse principaliter agebatur, debuisse in initio litis personaliter citari: *Seraph. decis. 1276. num. 4. Rot. decis. 637. num. 2. part. 2. recent. & Dixi in tract. de preuentione iudiciali cap. 9. num. 49.* neque factæ fuerant debitæ diligentia contra condemnatum.
  9. Et in alio casu propter eundem iurisdictionis defectum, fuit impugnata sententia lata super nullitate professionis in hac ciuitate per Dominum Archiepiscopum, & Superiorem conuentus: quia professio facta fuerat in ciuitate Auenensi; & per consequens commissio dari debebat ex Concilio, Archiepiscopo illius loci, in quo facta fuerat professio: vt refert *Barbos. ad Concil. Trident. sess. 25. cap. 19. num. 23. & in tract. de Episc. allegat. 104. num. 12. Tamburin. de iure Abbat. tom. 3. disput. 26. quest. 6. num. 3.* quamuis contradicat *Bonacin. in tract. de clausura, quest. 2. punct. 10. difficult. 3. num. 3.* Sed contra illius sententiam fuisse iudicatum per Eminentissimos Cardinales sacri Concilij interpretes testatur *Tamburinus, loco citato.*
  10. Sed præsuppositâ validitate sententiæ super professione latæ; si tamen in meritis iniusta fuerit, nunquam transit in rem iudicatam; sed si iniusta detegatur, debet quodcumque retractari, cum agatur de peccato, vel de periculo animæ. *Glof. final. in cap. inter monasterium. de re iudic. Maranta, in speculo. part. 6. tit. de sentent. num. 147. Abbas. in cap. nouit. num. 21. de iudic. cum aliis notatis per Barbos. in cap. lator. num. 3. de sentent. & re iudic. Tusch. litter. S. conclus. 173. num. 33. Menoch. de arbitrar. casu. 439. num. 5.* † Sicut in simili videmus, quòd sententia lata in materia vsurarum, nunquam transit in rem iudicatam. *Marant. loco citato, num. 142. Barbos. d. cap. lator. num. 3. in fin.* † Idem dicendum est de sententia lata aduersus matrimonium carnale, quæ non transit in iudicatum, si iniusta sit: *Sanch. de matrim. lib. 7. disput. 100. Gaill. lib. 1. obseruat. 112.* † Idem ergo dicendum est de matrimonio spiritali, quia valet argumentum à matrimonio carnali; ad spirituale Euerat. in *tit. de matrim. carnal. ad spirit.*
  14. Iniustitia verò sententiæ inter cætera in eo consistebat, quòd in ea supponebatur contra veritatem, professionem emissam fuisse interrupto nouitatus anno: nam licèt verum sit, annum probationis debere esse continuum, ex Concilio Trident. *sess. 25. de regul. cap. 15. Rot. decis. 175. part. 1. recent.* Quia cum annus ille detur in subsidium humanæ fragilitatis, & in fauorem tam nouitij, quàm monasterij: *cap. ad apostolicam. de regul. non debet probatio fieri nisi continuo, & non interrupto nouitatus anno, & religioso intra claustra remanente: vt dicitur in d. decis. 175. & per Mirand. in manual. prelat. reg. par. 1. quest. 22. art. 4.* Tamen non poterat dici interruptus nouitatus annus: † quia sufficit quòd fuerit inchoatus ante decimumquintum, & perfectus per aliquod tempus ante decimumsexmum annum completum: tunc enim professio erit valida, dummodò expectetur ad illam faciendam aduentus anni decimifexti completi. *Roderic. tom. 3. quest. regul. quest. 15. art. 2. versic. & aduertendum. Barbos. de Episc. part. 3. quest. 101. num. 31.*
  16. Imò annus iste probationis, non debet numerari ab anno ætatis nouitij decimo quinto; sed ab ipso die quo nouitius suscepit habitum, licèt nondum esset ætatis quindecim annorum. *Iacobus de Graff. lib. 3. de regul. cap. 5. num. 17.* vbi dicit hoc ita esse in vsu: & magis in specie *Miranda in manuali prelat. regul. part. 1. quest. 22. artic. 3. in prima conclus. † vbi dicit quòd si minor annis sexdecim, suscipiat habitum; & per annum continuum experiatur religionis asperitates, deinde habitum dimittat, & iterum redeat, & post annum decimumsexmum completum professionem emittat; talis professio est valida: quia nouitius iam expertus est omnes religionis difficultates quas potuit experiri, ante decimumquintum annum expletum: & hoc dicit esse valde notandum, & memoriæ commendandum: ergo cum in sententia professio fuisset declarata nulla sub falso præsupposito,*

- sito, annum scilicet probationis fuisse interruptum; & nihilominus ex eiusdem sententiæ lectura, constaret de contrario; supponendo nouitiatum potuisse compleri ante 16. annum, vt mox dictum est: rectè conclusum, & in gradu appellationis iudicatum fuit
18. sententiam iniustam fuisse, † & nullam, vti ex falsa causa latam: l. 2. Cod. quando prouoc. non est necess. Oportet enim sententiam sub falso fundamento pronuntiatam, fuisse latam sine causæ cognitione, & sic nullam: l. 2. Cod. de sentent. ex breuic. recusand. Galganet. de condit. & demonstr. part. 2. cap. 4. quæst. 5. num. 5.
19. Sed si probatum fuisset, professionem emissam fuisse non expectato nouitiatu anno; sine dubio nulla, & inualida declaranda fuisset: imo nulla esset ipso iure: adeo vt non esset opus nullitatis causas proponere coram Ordinario, & Superiore regulari, seruata formâ Concilij: vt tradit Sanch. de matrim. lib. 7. disput. 37. num. 11. † Et quod professus, non expectato nouitiatu anno, possit ad sæculum redire; probatur in cap. 1. de regul. in 6. & tradit idem Sanch. in præp. decal. tom. 2. lib. 5. cap. 4. num. 103. vbi dicit talem professionem omni prorsus obligandi vi destitui, perinde ac si facta non esset: adeo vt nequidem valeat tanquam simplex votum. Idem tenuit Mirand. in manual. prelatorum regul. part. 2. quæst. 22.
21. de nouitiis, artic. 8. † vbi ostendit moniales intra annum probationis, nullâ etiam petita licentiâ, posse liberè ad sæculum redire: & egrediendo etiam sine licentiâ, non incurrere aliquam irregularitatem ad ordines, vel ad beneficia Ecclesiastica; siue sæcularia, siue regularia: cap. postulasti. de regul. Emanuel.
22. Roderic. quæst. regul. tom. 3. quæst. 17. artic. 5. † vbi dicit, quod licet quæstio sit disputabilis, si iuris apices consideremus; tamen attentâ dispositione Concilij Trident. sess. 25. de regul. cap. 15. certum est professionem hanc emissam ante lapsum annum nouitiatu, esse ipso iure nullam: neque opus esse, vt proferatur aliqua sententia declaratoria nullitatis: quia cum tempus sit de forma, non seruato tempore requisito, professio irrita manet ipso iure, absque aliâ sententiâ, vel declaratione.
23. Et hæc adeo vera sunt; vt si tempore professionis deficerent duæ duntaxat horæ, ad complendum annum nouitiatu; nulla esset ipsa professio: vt fuit declaratum per sacram Congregationem Concilij, teste Barbof. in decis. Apostolic. cap. 612. num. 7. & de iure Eccles. vniuers. lib. 1. cap. 42. num. 139.
24. Limitantur tamen supradicta vt non procedant, quando quis ex voto antea emisso tenetur ingredi, & profiteri in religione: quia valida est illius professio facta ante completum nouitiatu annum; vel etiam ante completum annum decimum sextum: vt dicit Barbof. de offic. & potest. Episc. part. 3. allegat. 101. num. 14. Quod si verum est, magna est cautela ad eludendam intentionem Concilij Tridentini: & ideo si casus occurreret, maturiùs cogitandum existimarem; quia vouens profiteri, non obligatur ad profitendum, nisi seruata formâ iuris: & sic tempore habili, & à iure requisito.
25. Aduertendum tamen vltimo loco, quod licet supra dictum fuerit, cognitionem nullitatis professionis spectare ad Ordinarium, & Superiorem regularem coniunctim; tamen Ordinarius absque alia commissione poterit professionem nullam declarare, si ante completum decimum sextum ætatis annum emissa fuerit: ex Barbof. de offic. & potest. Episc. d. allegat. 101. num. 1.



C A P V T L X X V I I I.

Continuatur materia capituli præcedentis de nullitate professionis propter annum nouitiatu interruptum: & agitur de professione emissa ex causa metus reuerentialis, De tacita professionis ratificatione. De reclamatione intra quinquennium: Et vtrum liceat propriâ autoritate recedere, quando professio est nulla: & sic matrimonium postea contractum sit validum. Quid si professus admissus fuerit ad religionem in alio conuentu, postquam reiectus fuerat à capitulo conuentus illius loci, in quo nouitiatum fecerat; vtrum talis professio nulla sit.

S V M M A R I V M.

1. Non solum annus nouitiatu debet esse continuus, sed etiam tempus quo differitur professio post elapsum nouitiatu annum.
2. Interruptio modica post completum nouitiatu annum non nocet, dummodo habitus non fuerit dimissus.
3. Qualibet modica interruptio intra annum nouitiatu, reddit professionem nullam.
4. Interruptio aliquot horarum post finitum nouitiatu annum non nocet, si habitus non fuerit dimissus animo deserendi religionem.
5. Interruptio post finitum nouitiatu annum, cum dimissione habitus facta animo exeundi à religione, reddit professionem nullam; etiam si sit modicum intervallum.
6. Interruptio facta retento habitu, sed animo deliberato deserendi religionem, nocet professioni.
7. Modicum intervallum interruptionis nocet religionis professioni, si eo tempore notabilis morum correctio interuenire potuit.
8. Priuilegia quibusdam religiosis concessa, quibus permittitur coniungere tempora nouitiatu interrupti, sunt sublata per Concilium Tridentinum.
9. Metus solius reuerentialis non annullat professionem, nisi etiam simul interuenierit coactio.
10. Renouatio votorum, quæ vitiosum habuerunt initium, non reddit professionem validam; nisi ratificans seu renouans habuerit notitiam nullitatis professionis.
11. Reclamatio aduersus professionem intra quinquennium, sub quibus conditionibus suffragetur.
12. Si professus certò sciat professionem suam esse nullam, poterit in foro conscientie recedere à religione, propriâ autoritate.
13. Qui scit professionem suam esse nullam, potest in foro conscientie matrimonium absque dispensatione contrahere.
14. De reclamatione intra quinquennium aduersus professionem, qui DD. tractent. Remissiue.
15. Receptio nouitiorum ad professionem non pertinet solum ad superiorem conuentus, sed copulatiue ad ipsum, & ad capitulum.
16. Vota capitulantium, dum tractatur de admissione

ad professionem, non solum sunt consultina; sed etiam decisiva.

17. In receptione nouitiorum ad professionem, adhibendus est consensus conuentus, in quo nouitius pro maiori anni parte in nouitiatu permansit.
18. Informatio, qua pro forma requirebatur ex constitutione Sixti V. in receptione ad professionem, sublata est per constitutionem Clementis VIII. & in quo consistat.
19. Religiosus, cuius professio nulla est, si illam ratificare velit, non indiget nouo anno probationis; sed anteaactus nouitiatus sufficit.

TRANSMISSUM ad me fuit factum pro veritate decidendum, vt sequitur. Adolefcens quidam zelo pietatis ductus religionem ingressus est: peractioque nouitiatus anno, cum eius professio ad modicum dilata fuisset, pœnitentiã ductus habitum dimisit, & à Superiore regulari ad domum paternam deductus: suasionibus paternis acquiescens, ad monasterium rediit, habitumque sæcularem iterum dimisit, & veste religiosã receptã, facto sui recessus trium vel quatuor horarum interuallo, concordibus religiosorum votis, ad professionem admissus est, illamque in effectu emisit; quam singulis annis iuxta eiusdem religionis consuetudinem renouauit: tandemque post decimum tertium à sua professione annum, propriã autoritate à religione recessit; sub eo prætextu quod illa professio vitio nullitatis corrueret. In ius vocatus, condemnatus fuit per Officialem Parisiensem, cui subditus est; vt ad Monasterium rediret: ipse tamen nullam aliam quam propriæ conscientie autoritatem allegans, matrimonium contraxit; asserens se intra quinquennium reclamasse, paternoque metu impulsus fuisse, vt ad religionem rediret; & consequenter professionem nullã esse: maximè quia interrupto nouitiatus anno facta fuerat. Ex qua facti ferie, sequentes resultabant decidendæ quæstiones.

Prima, vtrum professio sit nulla, propter illam trium aut quatuor horarum interruptionem.

Secunda, vtrum saltem ex causa metus reuerentialis, professio annullari possit.

Tertia, vtrum in omnem euentum, per votorum renouationem professio ratificata censeatur.

Quarta, vtrum reclamatio intra quinquennium facta, possit reclamanti prodesse.

Quinta, vtrum religiosus ille potuerit propriã autoritate recedere, & vtrum Monasterium sit reintegrandum.

Pro quarum quæstionum resolutione sequentes propositæ fuerunt conclusiones.

1. Prima conclusio. Annus nouitiatus non solum debet esse continuus, per ea quæ diximus *cap. præcedenti num. 4.* verum etiam tempus quod aliquando nouitiis indulgetur, post finitum nouitiatus annum, antequam professionem emittant, continuum esse debet absque aliqua interruptione: ita vt si completo nouitiatus anno, quis egrederetur, & postea rediret, teneretur nouitiatum inchoare & perficere de nouo, secundum opinionem plurium Doctorum, quos citat & sequitur Tamburin *de iure Abbat. tom. 3. disput. 6. quæst. 11. num. 16. & 17. & quæst. 7. num. 15.* † Sed hæc Tamburini, & aliorum sententia mihi non ardet: quia sufficit nouitium per integrum annum religionis austeritates expertum fuisse: vt docet Sanch. *in præcep. decalog. lib. 5. cap. 4. num. 34.* Bonacina, *de clausura, punct. 10. d. fficul. 2. §. 2. num. 4.* Emanuel Roderic. *tom. 3. quæst. regular. quæst. 15. artic. 10.* & post Mirandam diximus *cap. præced. num. 17.* In-

tellige, non dimisso habitu; vt mox dicemus & supponit *ib. dem* Miranda.

Secunda conclusio. Interruptio modici temporis intra annum nouitiatus, reddit professionem postea factam nullam & inuvalidam, propter defectum formæ ad nouitiatum requisitæ: vt cum aliis notauit Sanch. *in præcep. decalog. lib. 5. cap. 4. num. 32.*

Tertia conclusio. Quæ supra *num. 2.* dicta sunt de eo qui exit è monasterio, post finitum nouitiatus annum, & postea redit; Intelligenda sunt, quando talis exiens non dimisit habitum religiosum: sed si habitum dimiserit, & habitum iterum post aliquot horas acceperit, maior est difficultas: in qua statuendum est; quod si habitus dimissio facta fuerit absque intentione recedendi à religione, & eam deferendi; talis interruptio aliquot horarum non induceret aliquam interruptionem considerabilem. Sanchez *in decalog. d. lib. 5. cap. 4. num. 33.*

Sed quia in casu proposito, dimissio habitus facta fuerat animo & intentione deferendi religionem, & conuolandi ad sæculum, variæ etiam sunt hoc casu Doctorum sententiæ; sed verius videtur professionem, post huiusmodi interruptionem cum dimissione habitus factam, nullam esse; & nouitiatum iterum inchoandum, si talis profiteri desideret: vt tenuere Nauarr. Gale. & alij, quos citat & sequitur Barbof. *de iure Eccles. vniuers. lib. 1. cap. 42. num. 124.* † Imò idem Author. *nom. 128.* existimauit, si exitus à monasterio fuisset factus retento habitu, iuxta per nos tradita *sup. num. 2.* tamen si ex circumstantiis colligi posset illum recessum fuisse factum animo, & proposito deliberato non amplius redeundi; si postea reuertatur, non esse admittendum ad professionem, nisi peracto integro de nouo anno nouitiatus. Cuius etiam sententiæ fuit Tamburin. *locis mox citatis, nempe tom. 3. de iur. Abbat. disput. 6. quæst. 7. num. 12. & quæst. 11. num. 16.*


Neque Doctores in contrarium allegati, nec nos ipsi, dum diximus modicam interruptionem non obesse; intelligendi sunt de eo qui egressus fuit animo religionem omninò deferendi, cum proposito deliberato. Quia si adesset tale propositum, & firma intentio; non esset satisfactum iuribus requirentibus annum nouitiatus esse sine interruptione continuum: ita vt nouitius, in statu probationis vsque ad professionem persistat: nam mutando propositum, moraliter fundamentum mutat iudicij super ipsius capacitate per capitulum faciendi: quia illo modico temporis interuallo, notabilis moram mutatio contingere potest: propterea etiam moraliter loquendo, noua probatione indiget: quod pluribus rationibus comprobatur Suarez. *de religios. tom. 3. lib. 5. cap. 15. num. 8. 9. & 10.*

Neque priuilegia Pontificia ante Concilium concessa suffragantur nouitiis, aut aliter non professis, post habitus desertionem redire volentibus, quo minus ex integro nouitiatum perficere teneantur: cum priuilegia illa fuerint per Concilium Trident. sublata: vt testatur Mirand. *in manual. Præl. regul. tom. 1. quæst. 22. artic. 4. in fin.* Licet in hoc dubius sit Lezana *in summa regul. lib. 1. cap. 2. num. 11.*

Quarta conclusio. Solus metus reuerentialis non annullat professionem, nisi etiam interueniat coactio. Probatur *in cap. final. & ibi Gloss. in verb. metu. qui cleric. vel uouent.* quam glossam *ibidem* Abbas. *n. 7.* dicit esse singularem, & *in cap. puella. 20. quæst. 1.* ibi, *coacta imperio parentum.* vbi textus ultra metum reuerentialem exigit coactionem parentum, ad hoc vt professio nulla declaretur: & hoc bene comprobatur Sanchez. *de matrimon. lib. 4. disput. 6. quæst. 2. num.*



- numer. 17. & seq. vbi plures Doctorum autoritates allegat: nisi tamen alia concurrant veluti minæ, verbera, preces nimis importunæ, & similia vim coactionis habentia.*
10. Quinta conclusio. Renouatio votorum, quæ vitiosum habuerunt initium, nunquam reddit validam professionem nulliter factam; quando ille qui ratificauit ignorabat nullitatem primæ professionis. *Rot. decis. 40. numer. 13. part. 6. recent. post Nauar. consil. 44. part. 1. libr. 3. de regul. Barbat. consil. 60. numer. 5. versic. præterea. lib. 1. cum ex notissimis iuris regulis, consensus ad ignorata trahi non possit.*
11. Sexta conclusio. Sola reclamatio intra quinquennium non sufficit; sed tria copulatiuè debent concurrere, vt professio nulla, solemniter & legitime declaratur. Prima, quòd intra quinquennium reclamatum fuerit, aut saltem obienta restitutio in integrum aduersus lapsum quinquennij. Secunda, quòd professus reclamans, nullitatis causas coram Superiore suo, & Episcopo loci ordinario proposuerit. Tertia, quòd habitum regularem non dimiserit autoritate propriâ, imò non assumpto habitu audiri non potest: quia religio, quæ fuit spoliata, debet in primis & ante omnia reintegrari. Quæ tria requisita, sunt essentialia; & non possunt per æquipollens adimpleri: vt notauit Zerola *in praxi Episcopali part. 1. in verb. professio. versic. sexto.*
12. Septima conclusio. Si nulliter professus, iustas habeat nullitatis suæ professionis causas, poterit transacto quocumque tempore dum professionem suam non ratificauit (cessante tamen scandalo) propriâ autoritate recedere à monasterio, quoad forum interius; & erit tutus in conscientia, neque tenebitur obseruare in foro interiori tria illa requisita de quibus in præcedenti conclusione: vt probat
13. Gratian. *discep. forens. cap. 413. num. 12.* † Vnde matrimonium tutâ conscientia contrahere poterit; si certò sciat suam professionem nullam esse: quia in foro interiori, nullo vinculo adstrictus est religioni. *Sanch. de matrim. lib. 7. disput. 37. numer. 11. post Nauarrum, & alios ibidem allegatos.*
14. Plura de hac reclamacione aduersus professionem intra quinquennium faciendâ, tradunt Barbof. *de offic. Episcop. part. 3. allegat. 104. num. 8. Concil. Triden. sess. 25. de regul. cap. 19. Ricc. in prax. aur. decis. 657. Conrad. de dispensat. lib. 5. cap. 14. num. 16. & 17. Tamburin. de iur. Abbat. tom. 3. quest. 6. disput. 25. num. 11. Burat. decis. 205. num. 29. Sanches, de matrim. lib. 7. cap. 37. num. 22. Mirand. in manual. part. 1. quest. 30. artic. 1. Hieronim. Roderic. quest. regul. resol. 101. num. 71. Barbofa iterum de iur. Eccles. lib. 1. cap. 42. num. 105. & sequentib.*
- Octaua conclusio continet casum particularem, qui successit in presenti ciuitate Auenionensi, in persona cuiusdam religiosi ordinis Minorum; cuius professio fuit declarata nulla: sed tamen post talem declarationem, ipse zelo pietatis ductus illam ratificauit. Habitus illi fuerat datus anno 1634. die 18. Iunij in conuentu Auenensi, quo suscepto, se transtulit ad nouitiatum in ciuitate Massiliensi stabilimum, vbi capitulo eiusdem conuentus legitime congregatò conclusum fuit, eundem nouitium dimittendum, propter varias & continuas infirmitates quibus detinebatur: dictaque conclusio quibus opus erat intimata. Rettabat trimestre ad complendum nouitiatum annum, quem ex Superiorum mandato, qui conclusionem Massiliensem non ignorabant, in ciuitate Auenionen-
- si compleuit: vbi tandem fuit ad professionem admissus. Dixi professionem nullam esse. † Quia licet aliàs disputatum fuerit, vtrum admissio religiosorum ad profitendum, ad solum Prælatum regularem spectaret: hodie tamen sine controuersia hoc obseruatur; vt nec Prælatus sine capitulo, nec capitulum sine Prælato nouitios ad professionem admittere queat. Cum enim agatur de contractu vtrò citroque obligatorio, per quem religiosus conuentui, & vicissim conuentus religioso obligatur: consequens est, vt vtriusque consensus in tali receptione requiratur: *Glos. in cap. porrectum. in verb. non faciat. de regularib. Sanches, in præcep. decal. lib. 5. cap. 4. numer. 65. Barbof. de iur. Eccles. lib. 1. cap. 42. numer. 146. cum pluribus per eum citatis: atque ita obseruari, & praticari testatur Tamburin. de iure Abbatum tom. 3. disput. 6. quest. 15. numer. 7. † vbi dicit vota religiosorum capitulantium, non solum esse consultiua; sed etiam deliberatiua & decisiua; atque ita ad validitatem professionis requiri consensum capituli. Vnde cum in casu proposito, non interuenisset capituli consensus; imò dissensus: sequebatur illam professionem irritam esse.*
- Conuentus autem Massiliensis, in quo religiosus iste pro maiori anni parte nouitiatum fecerat, tanquam melius de nouitij qualitatibus informatus, habebat sine dubio votum decisiuum in receptione nouitij ad professionem: vt notat Hieron. Roderic. *in quest. regul. resol. 101. numer. 59.* vbi requirit consensus maioris partis conuentus, in quo nouitius educatus fuit.
- Accedit, quòd cum capitulum Auenionense deliberasset capiendas prius esse à Medicis informationes super statu sanitatis huius religiosi; hoc non fuerat obseruatum: & sic professio nulla erat ex defectu debitæ informationis. Quia licet informatio à Sixto V. præscripta sublata fuerit; alia tamen à Clemente VIII. fuit introducta; quæ necessariò obseruanda est: nempe vt aliquis religiosus ad id specialiter deputatus, debitas informationes capiat. Quod si factum fuisset, veritas à religiosis Massiliensibus, & à Medicis aliisque personis habita fuisset super huius religiosi infirmitatibus, quæ illum ad regulam obseruandam inhabilem reddebant: ex cuius informationis defectu, professio nulla redditur. *Mirand. de prelat. regul. tom. 1. quest. 21. artic. 1. Hieronim. Roderic. dict. resol. 101. numer. 4. Portel. in dub. regul. in verb. nouitius. & in verb. nouitiorum informationes.* Et patet ex tenore dictæ Bullæ Clementis VIII. quæ inseritur apud Tamburin. *de iur. Abbat. tom. 3. questione 10. artic. 1.* Sed vt dictum est, quamuis illa professio fuerit declarata inualida: tamen religiosus ille maluit vitam salutarem amplecti, & primum propositum renouauit; omnique nullitati renunciauit, & adhuc in illo ordine perseuerat. † Neque fuit opus nouo anno nouitiatum: quia per eum, qui antea factus est; satisfactum fuit intentioni Ecclesiæ. *Sanches de matrim. lib. 7. disput. 37. numer. 45. & post ipsum Lezana in summa quest. regul. tom. 1. capit. 2. numer. 9.*



## CAPVT LXXIX.

Vt<sup>rum</sup> concedenda sit sequestratio vxoris ad domum mariti traductæ, quæ post triennium cohabitationis allegat mariti impotentiam; quam tamen maritus negat. Et vt<sup>rum</sup> hoc casu vxor marito restituenda sit, tam quoad thorum, quàm quoad cohabitationem: & an ad hoc cogi possit, & quibus remediis. Triennium experimenti super impotentia faciendi, ex veriori sententia numerandum esse, non à die tentatæ consummationis matrimonij; sed à die decreti, quo iudex Ecclesiasticus experimentum fieri mandauit.

## S V M M A R I V M.

1. *Vxor, quæ ad domum mariti traducta fuit, & cum eo stetit per plures annos; non potest sub pretextu impotentia, propriâ autoritate ab eo recedere.*
2. *Maritus, qui semel fuit in possessione vxoris, potest eam repetere remediis possessorijs, vel petitorijs; & habet in eam manus iniectiorem.*
3. *Quando agitur de sponsa recenter traducta, sed nondum cognita; maritus restituendus est quoad cohabitationem vxoris.*
4. *Si maritus fuerit in possessione vxoris quoad thorum, quoad illum etiam restitui debet.*
5. *Lite pendente super impotentia, maritus etiam restituendus est, & reintegrandus, seu manutenendus in possessione sua vxoris.*
6. *Quando maritus negat impotentiam, & in eo nullum est impedimentum visibile; iudex debet decernere triennalem experientiam, & requiritur etiam septima manus propinquorum.*
7. *Quid intelligendum sit per septimam manum propinquorum, & quomodo practicandum sit in hac materia, circa illam septimam manum.*
8. *Relatio obstetricum super virginitate vxoris fallax est, & ex ea non probatur impedimentum mariti perpetuum.*
9. *Triennium experientia à die decreti super ea facti, non à die tentatæ copula numerandum est.*
10. *Vxor allegans mariti impotentiam non notoriam non est ab eo sequestranda.*
11. *Vxor cogenda est cum marito cohabitare, etiam per censuras Ecclesiasticas.*

Superius cap. 55. varios casus explicauimus in quibus concedenda est, vel deneganda per iudicem, personæ sequestratio. Restat casus notabilis, qui particulari indiget decisione: nempe quando vxor fuit ad domum mariti traducta, & cum eo simul vixit tam quoad habitationem, quàm quoad thorum per plures annos: sed tamen allegans se esse adhuc virginem; & offerens se paratam, visitationem pati; maritumque suum esse impotentem; petit se à marito interim separari, & poni in sequestro apud patrem

vel aliam honestam personam. In qua difficultate conclusum fuit: † quòd cum vxor per plures annos steterit cum marito, non potuit propriâ autoritate ab eo recedere; cum maritus habeat manus iniectiorem in personam vxoris. Tiraquel. *in legib. conubial. part. 1. in verb. au pouuoir de son mary, numer. 23.* † Et hoc casu marito competunt duo remedia, 2. vnum petitorium, & aliud possessorium; vt manuteneatur & reintegretur in vxoris possessionem. Anchar. *iun. libr. 3. quest. famil. quest. 28. numer. 3.* Ruginel. *de appellat. §. 2. capit. 3. numer. 751. & 752.*

Quæ restitutio vxoris duobus modis fieri potest. 3. Primò, quoad solam cohabitationem, quando agitur de sponsa recenter traducta ad domum viri, & nondum cognita: *capit. ex parte. de restitut. spoliat. ibi, cum per solam traductionem quam non præcesserunt sponsalia, nec consensus legitimus, nec fuerunt etiam subsequuta; nullum inter eos obligatorium vinculum sit contractum.* Ergo à contrario sensu, concedenda erit restitutio quoad habitationem; quando sponsalia, & matrimonium cum cohabitatione præcessit; si copula subsequuta non fuerit: Sanchez *de matrim. lib. 7. disput. 112. num. 8.*

Secundo modo; maritus manuteneatur, vel reintegratur tam quoad habitationem, quàm quoad thorum; quando prius erat in possessione vtriusque: quia de iure manutentio, vel reintegratio marito concedi debet respectu vxoris, quoad omnia in quorum possessione reperitur, vel tempore litis contestatæ reperiebatur. Mozz. *in tractat. de contract. in tit. de matrim. capit. quæ actio detur pro matrimonio, numer. 1. versic. si verò agat possessorio. & num. 5.*

Dictaque manutentio, & respectiue reintegratio 5. concedi debet, etiam pendente lite super impotentia, per vxorem contra maritum intentata; quando maritus negat se esse impotentem: quia maritus non debet litigare spoliatus: *cap. porro. de diuort. capit. litteras, capit. ex conquestione. de restitut. spoliat. Mozz. loc. citat. num. 1. in fine.*

Idque multò fortius locum habet, quando in marito nullum adest vitium visibile & manifestum, aut certum frigiditatis vel impotentia impedimentum; & maritus impotentiam negat: tunc enim cum tale impedimentum oculis corporeis cognoscere non possit: idè obseruanda est dispositio *capit. laudabilem. de frigid. & malefic. & debet diuortium seu separationem præcedere triennalis cohabitatio, & experientia fieri.* Si quidem potest contingere, vt tale impedimentum non sit naturale, nec perpetuum; sed temporale, proueniens ex aliquo maleficio; & sperari possit quòd, peractâ poenitentia, Deus coniugum misertus tale impedimentum sit sublaturus. Seraph. *decis. 687. numer. 4. & 7. repetita decis. 266. part. 4. diuers. vbi dicitur hoc casu, adhibendam esse septimam manum propinquorum.*

Septimam propinquorum manum sic intelligimus; vt si ambo coniuges fateantur impedimentum perpetuum, non solum ipsimet coniuges iuramentum præstare debeant, tactis sacris Euangelijs, aut aliàs iuxta morem regionis in similibus iuramentis præstari solitum; quòd ipsi absque dolo & fraude, debitam operam rei coniugali præstiterunt, nec perficere potuerunt: & quòd verè, & realiter inter ipsos adest impedimentum: debent enim ipsi coniuges iurare de veritate: sed præterea debet adhiberi iuramentum septem propinquorum vxoris, & totidem propinquorum mariti, qui mediante eodem iuramento deponant se credere, quòd

quod adfit inter coniuges verum impedimentum : & sic debent quatuordecim testes consanguinei, hoc casu, de credulitate medio iuramento deponere. Sed si vnus alleget impedimentum, alter verò neget; tunc non sunt vocandi negantis propinqui, vt in fauorem contentis iurent. Quod si tot testes haberi nequeant, sufficiunt pauciores arbitrio iudicis. Deficientibus verò consanguineis, adhibendi sunt vicini; & in subsidium alij testes bonæ famæ, & omni exceptione maiores: prout hæc omnia explicat Gutier. de matrim. capit. 120. numer. 10. & seq. Sanchez de matrim. lib. 7. disput. 108. numer. 7. & seq. usque ad 14. & disput. 109. num. 13.


8. Non sufficit autem ad probandam mariti impotentiam, quod vxor offerat se paratam obstetricum visitationem pati: quia hoc probationis genus fallax est, & non concludit per necessè: quamuis enim vxor sit virgo, non ideo sequitur maritum esse impotentem: & quamuis maritus esset impotens, non ideo sequitur impotentiam illam esse perpetuam: vt dicit Rot. decis. 284. part. 4. diuers. num. 11. & impotentiam non respectu solius vxoris; sed simpliciter respectu cuiuscumque alterius mulieris, maritus iurare debet: ex traditis in capit. 1. de frigid. & malefic. notat Sanch. dict. disput. 108. numer. 16. & ex eo Gutier. d. cap. 120. num. 15.
9. Triennium verò experientia, non est numerandum à die quo coniuges simul habitare, & copulæ experimentum facere cœperunt; sed à die quo iudex ipsis terminum assignauerit ad talem experientiam faciendam; & ad iram Dei placandam ieiuniis, orationibus, pœnitentiis & aliis piis operibus adhibitis. Licet enim magna fuerit inter Doctores controuersia, à quo tempore triennium incipiat; tamen præualuit illorum sententia, qui voluerunt illud numerandum esse, à die quo iudex Ecclesiasticus decreuit experimentum faciendum: & hæc fuit opinio Hostiens. quam sequitur Brunell. in tract. de spons. reg. 28. numer. 14. Rot. decis. 227. numer. 13. & 14. part. 4. diuers. optimè Rota decis. 192. num. 4. & sequent. post consil. Farin. & melius Rubeus, in addit. ad decis. Rot. 392. part. 4. recent. tom. 2. vbi fusè.
10. Tantum enim abest vt vxor sequestranda, aut à marito separanda sit, quando mariti impotentia non est perpetua, neque manifesta; quin potius iudex teneatur coniuges hortari, vt præuia peccatorum pœnitentiâ, & adhibitis remediis Ecclesiasticis, procurent negotium coniugale qua fieri poterit solertia experiri: vt notat Rub. loco citato, num. 25.
11. Quod si vxor cum marito, non obstante iudicis præcepto, cohabitare renuat, & copulam matrimonialè tentare recuset; ad cohabitandum coniugaliter compellenda est, etiam per censuras Ecclesiasticas: vt docet Raph. Cuman. consil. 1. circa fin. & Rot. decis. 111. post consilia Farinacy.

tis cum collatione per Episcopum facta: an verò desideretur etiam dispensatio Pontificia: Et quibus circumstantiis concurrentibus, illa concedi soleat, & debeat.

S V M M A R I V M.

1. Canoniarum regularium origo, & institutio.
2. Vtrum canonici regulares contineantur appellatione monachorum.
3. In quibus canonici regulares similes sint monachis.
4. Canonici regulares de licentia suorum Superiorum possunt habere usum fructum bonorum suorum.
5. Possunt inter viuos disponere ad opera pia.
6. Sunt verè & proprie religiosi.
7. In odiosis non veniunt appellatione monachorum, secus in fauorabilibus.
8. Beneficia regularia secularibus non conferuntur, nec è contra; nisi ex dispensatione.
9. Sub quibus conditionibus beneficia secularia regularibus conferantur: & que in dispensationis rescripto narranda sint.
10. Regulares etiam canonici non possunt beneficia simplicia sine dispensatione Pontificia obtinere.
11. Beneficia curata, inspecto iure communi, Episcopus cum consensu & licentia Abbatis, licet sint secularia, potest regularibus concedere.
12. Canonicus regularis prouisus de beneficio seculari curato, socium habere non tenetur; sicut veri regulares: si id commodè fieri non possit.
13. Canonicus regularis non indiget dispensatione Apostolica ad obtinendum beneficium curatumulare, secundum plurimum Doctorum sententiam.
14. Contraria verior est; vt non possit promoueri ad curam seculari perpetuam, sine dispensatione summi Pontificis.
15. Affertur declaratio Sacra Congregationis regularium aduersus canonicos regulares: vt non possint beneficia curata sine dispensatione Apostolica obtinere.


IN quæstione proposita, vtrum canonici regulares beneficia secularia curam animarum habentia, ex sola Superioris sui dispensatione obtinere possint? Supponendum in primis est: † Canonicos regulares sic ideo nuncupari; quia in communi vitam agentes intra domum publicam, aut Ecclesiam, diuini cultus causâ collegium constituunt Ecclesiasticum, communem habentes mensam, & sub certa regula vitam Ecclesiasticam profitentur: Apostolorum canonem siue regulam, quâ bona sua in commune conferunt, obseruantes: vnde Canonici dicuntur. Verum quia in multis monachos seu regulares imitantur, etiam regularium nomen adepti sunt: vt testatur Couarr. in Clem. si furiosus. part. 1. in princip. numer. 1. de homicid. de quorum origine & institutione plura Barbof. de iur. Eccles. vniuers. libr. 1. capit. 41. numer. 95. & seq. Card. Tusch. litter. C. conclus. 39. & conclus. 40. † Vbi quærit, vtrum isti canonici regulares comprehendantur in constitutione loquente de monachis regularibus. † Equiparantur tamen monachis, in multis; veluti in acquirendo



C A P V T LXXX.

De canonicis regularibus: in quibus differant à monachis, & an possint disponere de bonis suis. An, & quando Episcopi, & alij regulares sint capaces beneficiorum secularium, cum cura, vel sine cura. Et an sufficiat sola dispensatio Abba-

- quiritendo: quia isti sicut & monachi quidquid acquirunt, monasterio acquirunt: Iaf. in *Authen. ingressi*, numer. 24. circa med. Cod. de sacrosanct. Eccles. †
4. Quamuis de licentia Superiorum, isti canonici regulares possint habere bona, saltem quoad vsum fructuum: † imò & de illis etiam inter viuos disponere ad opera pia; non tamen testamentum condere. Rot. coram Cau. *decis. 606. num. 6. & 8.* † Item sunt verè & propriè religiosi, Roderic. *tom. 1. quest. regul. 1. artic. 3.* Quamuis laxior sit hæc religio, religione monachorum: *cap. quod Dei timorem. 5. de stat. monach. & canon. regul.*
7. In odiosis & pœnalibus non veniunt appellatione monachorum; secùs in fauorabilibus. Roderic. *dict. quest. 1. artic. 3.* Panorm. *in dict. capit. quod Dei timorem. num. 2.* Campanil. *in diuersor. iuris canon. rubric. 12. cap. 1. num. 3.* Lezan. *in summa regul. tom. 2. cap. 3. num. 6.* vbi copiosè tractatur de istis canonicis. Barbof. *de appellat. verbor. in verb. monachus. cap. 154. & tract. de canon. capit. 1. numer. 41.*
8. His ita suppositis, deueniendo ad resolutionem propositæ quæstionis; variæ sunt hac in re Doctorum sententiæ. Quamuis enim omnes in illa regula generali conueniant, quòd beneficia regularia regularibus, & secularia sæcularibus sint conferenda: *Clem. 1. de elect. cap. in nona. 16. quest. 7. §. volumus. in Concordat.* Item & in alia regula; quòd beneficia secularia per regulares ex dispensatione obtineri possunt, Rebuff. *in prax. tit. de dispensat. cum regular. facta. num. 7.* quæ dispensatio concedi solet ex causa; veluti in defectum sæcularium clericorum: tunc enim necessitas non habet legem: *cap. Abbate. in fin. de verb. signif.* † Et conceditur sub ea conditione vt deducto victu, quod residuum erit, in vtilitatem Ecclesiæ, vel pauperum conuertatur: & hoc casu narrari debet Summo Pontifici penuria clericorum; & eximia doctrina, seu alia qualitas, & capacitas impetrantis: vt bene explicat Pyrr. Conrad. *in prax. dispens. libr. 6. capit. 1. numer. 21. & 22. & seq. quod tam de iure communi procedit, capit. inter quatuor. de religios. domib. quam ex Gallia concordatis Rebuff. d. §. volumus. 1. de collationib. verb. & conformitatem.*
9. Conueniunt etiam omnes quòd religiosi, etiam si sint canonici regulares, non possunt obtinere beneficia Ecclesiastica simplicia secularia; sed ex dispensatione Episcopi: Garc. *de benefic. part. 7. cap. 10. numer. 29.* Seraphin. *decis. 1269.* solo Viuiano dissente, quem meritò reprobatur Conrad. *in dict. prax. dispens. libr. 6. cap. 1. numer. 26.* vbi ponuntur formulæ huiusmodi dispensationum.
10. Quo verò ad beneficia, quibus cura animarum imminet: inspecto iure communi, Episcopus potest cuilibet regulari Parochialem Ecclesiam etiam sine dispensatione Apostolica concedere: *dict. cap. quod Dei timorem.* & ibi Gloss. *in verb. Ecclesiarum Parochialium.* Gonzal. *ad regul. 8. glos. 7. num. 49.* dummodo talis sic prouisus semper habeat socium eiusdem ordinis: *cap. monachi. eod. titul. de stat. monachor. †* Si tamen agatur de canonico regulari, præfici potest Parochiali, etiam si socium eiusdem regulæ secum non teneat, si illum commodè habere non possit: *dict. cap. quod Dei timorem.* Gonzal. *dict. numer. 49.* Sed ex stilo curiæ Romanæ, nullus regularis etiam si sit canonicus, potest sine dispensatione Apostolica Parochialem Ecclesiam obtinere: vt testatur Gonzal. afferens declarationem Sacræ Congregationis loco citato *num. 53. & seq.* Cuius tamen opinio à multis reprobatur; & contraria verior creditur: pro qua etiam consulueram antequam infra scriptos authores vidissem anno 1627. ad requisitionem R. D. Francisci Gigard, religiosi professi in ordine Canonicorum regularium Sancti Anthonij Viennensis: † nempe canonicum regularem ex sola sui Abbatis licentia, & absque alia dispensatione Apostolica posse ad Parochialem Ecclesiam ab Episcopo promoueri: iuxta sententiam Abbatis *in dict. cap. quod Dei timorem.* quem sequitur Eman. Roderic. *tom. 1. quest. regul. 34. artic. 4. versic. quando verò Ecclesia. & tom. 3. quest. 28. artic. 3.* nec declarationem Sacræ Congregationis in contrarium allegatam apud Gonzalem fuisse vnquam vsu receptam testatur Tambur. *de iur. Abbat. tom. 3. disput. 9. questio 8. num. 11.* vbi aliam declarationem Concilij interpretum in contrarium factam 1602. refert: ideo non existimat recipiendum quod dicit in contrarium Quaranta *in sum. Bull. in verb. canonicus regularis.* quia loquitur post Gonzalem, qui tamen teste Tamburino seipsum melius edoctus corrigit in posteriori sui operis editione; & eandem sententiam in fauorem clericorum regularium fusè comprobatur Concilium insertum *post dictum quæsitum. 8.* apud Tambur. Item & Lezana *in sum. regul. tom. 2. cap. 3. numer. 16. versic. nihilominus.* † Existimo tamen dubiam esse hanc Doctorum sententiam; cum omnia per Tamburinum deducta referat, & reprobet Conrad. *in d. praxi dispensat. libr. 6. cap. 1. numer. 18. versic. at verò ego.* vbi testatur hanc esse Curie Romanæ praxim, vt Canonicis regularibus non conferantur beneficia secularia curata, sine speciali summi Pontificis dispensatione: de qua etiam praxi testatur Sanch. *in præcep. decal. libr. 7. capit. 29. numer. 71.* quamuis de iure communi aliud statuerendum esse, post plurimos Doctores dixisset *eod. cap. 29. numer. 34.* Eiusdem quoque sententiæ fuit Barbof. *in tract. de iur. Eccles. vniuers. libr. 3. capit. 4. numer. 76. versic. diximus supra. & num. 79. versic. quare hodie.* Nicol. Garc. *de benefic. part. 7. cap. 10. num. 31. & seq.* Mirand. *in manual. prelat. regul. tom. 1. quest. 32. artic. 5.* † Et ita declarauit Sacra Congregatio negotiis Episcoporum & regularium præposita in hæc verba; teste Barbofa *d. num. 79. Canonici regulares non obstante cap. quod Dei timorem. non admittuntur ad curam Parochialium Ecclesiarum, absque sedis Apostolicæ dispensatione.* Vnde cum hac vltima opinione concluditur non esse à dicta Congregationis declaratione recedendum.



## CAPVT LXXXI.

Vtrum Conuentus religiosorum reformatorum ingrediens in conuentum mitigatorum, seu non reformatorum; debeat eundem præcedentiæ gradum tenere, quem antea habebant non reformati; an verò iuxta ordinem suæ receptionis ad ciuitatem.

## S V M M A R I V M.

1. Contentio super præcedentiâ iusta est, & laudabilis.
2. De pluribus quæstionibus circa Ecclesiasticorum controuersias. Remissiuè.

3. *Consuetudo in materia præcedentia obseruanda est.*
4. *Inter religiosos circa præcedentiam conuentuum in corpore ambulantium inspicitur ordo, & tempus receptionis ipsorum ad ciuitatem.*
5. *Patres ordinis sancti Augustini discalceati, constituunt eundem ordinem quem alij calceati, & supponuntur eidem Generali; licet habeant discalceati suos Vicarios generales.*
6. *Dicti patres tam calceati, quàm discalceati, subiiciuntur eidem regula, accidentaliter tamen diuersa.*
7. *Refertur declaratio sacre rituum Congregationis, super retentione eiusdem ordinis, ratione præcedentia reformatorum; quem non reformati, ad quorum monasteria accesserunt, prius tenebant.*
8. *Subrogata persona fruuntur eadem præeminentia, qua competeat illis in quorum locum subrogantur.*
9. *Suppressa aliqua dignitate, si alij in eius locum subrogentur, uti debent eadem prærogatiua quoad præcedentiam.*
10. *Quomodo sit verum; quòd consuetudo, per quam minus dignus præcedit digniorem, sit demandanda executioni; quamuis sit contra ius.*

1. **L**audabilis, & iusta est contentio, pro ordine in præcedentiis conferuando: teste Menoch. *consil.* 51. num. 1. cum seq. volum. 1. & prætensiones præcedentiæ sunt quodammodò necessariæ, non autem ambitiosæ, & arrogantes: Natt. *consil.* 637. & 638. tenduntque ad bonos mores, & ad rationem vitæ politicæ. Peregr. *consil.* 84. num. 1. volum. 1. Vnde mirum non est, si circa præcedentiam, etiam inter Ecclesiasticas piâsque personas nonnunquam oriantur controuersia. † De quibus multa resoluit ex sacre Congregationis mente Barbof. in *decisionib. Apost. collect.* 590. Quamobrem non sine ratione fuit aliàs quæsitum, utrum Reuerendi Patres ordinis sancti Augustini, qui discalceati nuncupantur; quibus ultra conuentum iam in vna ciuitate fundarum, concessus est alius, quem prius non discalceati eiusdem quidem ordinis; sed laxioris regulæ religiosi inhabitabant; seruare debeant in processibus eundem ordinem, quem seruabât Augustiniani laxioris obseruantia; an verò procedere debeant iuxta tempus, & ordinem suæ receptionis ad istum secundum conuentum.

Super qua propositione deliberatum fuit religiosos istos separatim, & non admixtis religiosis illius conuentus, quem iam in loco isto habebant; procedentes debere eundem ordinem seruare quem Augustinenses laxioris regulæ tenere soliti erant. † Quia in materia præcedentiæ, seruanda est consuetudo, illaque potissimum attendenda. Bald. in *cap. cum olim.* num. 2. & seq. de *consuetud.* Felin. in *cap. statuimus.* in *princip. de maiorit. & obedient.* Rota apud Burat. *decis.* 903. num. 20. & seq. eadem Rot. *decis.* 322. num. 10. part. 6. recent. & *decis.* 483. num. 1. part. 5. recent. & alibi passim. Talis autem erat consuetudo inuolubiliter obseruata, ut conuentus ille præcederet iuxta ordinem receptionis antiquorum Augustinensium: illa igitur obseruanda erat.

4. Neque obitare poterat quod opponeretur; monasterium hoc, vltimo loco per discalceatos fuisse quæsitum: & per consequens post omnes incedere teneri: cum in hac materia, attendenda sit prioritas originis; & receptionis in illa ciuitate, vel loco: iuxta

Bullam Gregorij XIII. incipientem *Exponit Pastoralis officij munus.* sub die 15. Iulij 1583. quæ est 86. in ordine, his verbis: *Quando verò non probatur, aut non constat de quasi possessione præcedentia inter fratres; ij qui antiquiores sunt in loco controuersia, præcedant: ita ut si contingeret noua monasteria, aut domus in aliquo loco recipi; ille ordo qui prius monasterium seu domum in loco habuerit, præcedat.* Ex quibus verbis videtur inferri, monasterium istud vltimò receptum, vltimo etiam loco procedere debere.

Quia responsum fuit, non esse attendendam modernam discalceatorum receptionem; sed antiquam calceatorum: cum hodierna receptio sit tantum continuatio antiquæ. † Quòd enim religiosi sint calceati; vel discalceati; aut quòd laxiorem aut strictiorem eiusdem ordinis regulam obseruent; non constituit aliquam ordinis differentiam: sed idem semper sancti Augustini manet ordo, eademque regula; quamuis accidentaliter diuersa.

Et licet dicti Patres discalceati, per constitutionem fœlic. record. Pauli V. quæ incipit *Inter omnes.* sub Datum Romæ, 10. Kalend. Septembr. anni 1606. sint totaliter separati à mitigatis, seu calceatis: non tamen constituunt diuersum ordinem, imò supponuntur authoritati & iurisdictioni eiusdem Generalis: quamuis suos habeant Vicarios generales ex constitutione Gregorij XV. sub die 26. Nouembris 1621. & die 20. August. 1622. nec non Urbani VIII. sub die 8. Iulij 1627. Et in omnibus constitutionibus Apostolicis, aliisque dispositionibus, habentur omnes tam calceati, quàm discalceati pro fratribus eiusdem ordinis, solâ regulæ strictioris obseruatione distinctis: ut colligitur ex traditis per Barbof. de *iure Ecclesiast. lib. 1. cap. 41. num. 131. & 132.* Tamburin. de *iure Abbatum. tom. 2. dispur. 24. quest. 4. num. 54.* † Et ut omnis tollatur difficultas, adest super hoc expressa declaratio sacre Congregationis rituum sub die 17. Iulij 1627. relata per Tamburin. de *iure Abbat. tom. 1. dispur. 25. quest. 8. post num. 6. tenoris sequentis.*


*Procurator generalis Minorum Obseruantium reformatorum narrauit; Fratres Obseruantes reformatos pati controuersiam circa præcedentiam; quasi nuper ascitos in ciuitate: cum tamen ingressi sint & habitent in Monasteriis familia: Ideo supplicauit prouideri.*

*Congregatio die 17. Iulij 1627. mandauit omnino dari præcedentiam dictis reformatis.* Ioan. Baptist. Card. Detus.

Et hoc iuri & æquitati omninò conuenit: quia personæ subrogatæ dicuntur iuris interpretatione eadem cum primis: §. *si igitur defunctus. Authen. de hered. ab intest. venientibus.* Natt. *consil.* 346. num. 3. Vnde si supprimantur præpositi antiqui, & in locum illorum subrogentur noui; omnia priuilegia, & præeminentia, ac præcedentiæ antiquorum, transferuntur ad nouos, tanquam in eorum subrogatos. Petr. de Vbald. in *tract. de vnione, cap. 2. num. 3.* Garc. de *benef. part. 12. cap. 2. num. 10.* Rota *decis.* 252. num. 8. part. 6. recent. repetita post tom. 3. Tamburini de *iur. Abbat. decis.* 116. & *decis.* 319. ante numer. 1. versic. & licet hac constitutio. eadem part. 6. recent.

Vt autem ea quæ supra dicta sunt num. 3. certiora euadant; norandum est, duas proponi inter se repugnantes iuris regulas: quarum prior asserit dandam esse præcedentiam iuxta consuetudinem, etiamsi illa consuetudo repugnaret iuri communi; utpote quòd minus dignus præcederet digniorem: Menoch. *consil.* 51. num. 51. Seraph. *decis.* 964. Addit. ad Burat. *dicta decis.*

*decif. 903. num. 21.* Posterior contendit talem consuetudinem, per quam minus dignus præcedit digniorem, non subsistere uti rationi & iuri contrariam: Ludouif. *decif. 310. num. 5.* Quæ tamen ita per Addit. ad Ludouif. ad concordiam reducuntur; ut prior opinio procedat, iustâ subsistente causâ, & in certis casibus particularibus: posterior verò quando minus dignus indistinctè, in omnibus actibus, & absque rationabili causa præcedere vellet digniorem.



## CAPVT LXXXII.

De modo procedendi inter regulares in electionibus, quando propter aliquem casum non præuisum, capitulum ad duos Electores redactum est.

## S V M M A R I V M.

1. *Electio canonica qua dicatur.*
2. *Canonica electionis vox variis modis accipitur.*
3. *Electio fieri debet per vota secreta, aliàs nulla est, & inualida.*
4. *Collegium licet non possit consistere in duobus, potest tamen in duobus conseruari.*
5. *De iure canonico, Collegium etiam ab initio potest in duobus consistere.*
6. *Si capitulum reducatur ad duos electores, illi possunt eligere Discretum.*
7. *Si duo tantum sint electores, & eligibiles; vnus potest consentire electioni de se per alium facta.*
8. *Electio non valet si quis se ipsum nominet, propter ambitionem qua interueniret.*
9. *Scrutinij forma non est necessaria, quando de facto obseruari non potest.*
10. *Vnus ex electoribus potest eligere alium palam, quando aliter electio fieri nequit.*
11. *Proponitur distinctio Menochij in hac questione, ut si casu, non possit reperiri sufficiens numerus electio etiam non secreta, sit valida: secus si facto alicuius tertij.*

**P**ræsupponitur in quadam regularium congregatione, electiones esse sub duplici differentia. Prima est illa quæ canonica dicitur, in qua maior eligentium pars in vnus personæ electionem conuenit; v. g. si ex viginti suffragantibus, vndecim suffragia vel plura in vnum concurrant: quamuis aliàs canonica dicatur electio, quando electi fuerunt à Superioribus aliqui, qui eligentium vota diligenter excipiant: † hanc enim canonicam esse, censuit Sacra Congregatio; ut testatur Nicol. Garc. *par. 5. cap. 4. numer. 189.* quia tunc vota eligentium sunt secreta: ut *ibidem* tradit Garc. Sed melius Hostiens. *in summa, tit. de elect. num. 1.* definit, ut sit alicuius personæ ad dignitatem, vel ad fraternam societatem, 1. seruata formâ, canonicè facta vocatio. † Dictaque vox canonice electionis quandoque sumitur in ampla significatione; ita ut sufficiat illam factam fuisse de consensu eligentium, & electi; dummodò non interueniret causa quæ illam inficiat: veluti si facta esset per abusum sæcularis potestatis, vel ad populi clamorem. Quandoque sumitur strictè, quando omnia interueniant quæ sunt de substantia, licet non obseruetur forma *capit. quia propter. de elect.* veluti

dum agitur de electione ad canonicatus, in quibus Ecclesia non remanet viduata pastore. Aliquando denique strictissimè, quando videlicet forma *dicti cap. quia propter.* seruata fuit: ut explicat Lotter. *de re benef. lib. 2. quæst. 16. num. 18.* Nos hinc constitutionis canonicæ nomen, ad dictæ religionis constitutiones referimus.

Secunda ergo electionis forma in dicto ordine, & ex ipsius constitutionibus, dicitur non canonica, in supplementum primæ inducta: solet enim plerumque contingere, ut voces seu suffragia eligentium hinc inde dispergantur; ita ut in nullum ex eligendis suffragiorum concurrat mediætas. Si electio canonica esse non possit; tunc secundum constitutionem, ex omnibus eliguntur illi duo, qui præ cæteris, plura suffragia in secunda experientia habuerunt: vel vnus quidem plura, alij verò paria; præferendus erit ille qui primò professus fuerit, & horum duorum nomina scribentur, & affigentur super duobus distinctis bursulis, aut vasis; & tunc qui plura ex his suffragia habuerit, etiam citra mediætatem, publicabitur electus ut supra: quòd si iterum in paritate vocum cõcurrant, ille publicabitur qui antiquior fuerit in professione.

Ex alio textu dictarum constitutionum; debent esse saltem tres vocales eligibiles, ad hoc ut legitimè fieri possit electio Discreti, in vnoquoque conuentu: aliàs talis electio irrita sit.

Occurrit casus. Sunt in vno conuentu quatuor vocales, scilicet Superior, & tres alij eligibiles & electores: in prima probatione scrutinij, vnus illorum habet duo suffragia; alij duo habent vnum: Quæritur vtrum ille qui duo habet suffragia, possit dici canonicè & legitimè electus, sine alia experientia. Ratio dubitandi est; quia si iste non censetur legitimè & canonicè electus, duo ex istis tribus debent proponi: videlicet ille qui habuit duo suffragia; & ille qui habuit vnum duntaxat, & qui vltimus, est antiquior in professione: & cum isti duo propositi & eligendi, debeant exire de capitulo iuxta constitutiones eiusdem ordinis, remanent tantum duo electores; videlicet superior; & alter vocalis: ita ut pro tunc, tot sint electores, quot eligibiles: & ita quæstio est, vtrum duo possint eligere duos? † 3. Quia cum electio debeat fieri per vota secreta, & per suffragia, Concil. Trident. *sess. 25. capit. 6.* Lezana *in summa regul. tom. 1. cap. 15. num. 17.* si duo isti non conueniant; ita ut vnusquisque eligendorum, habeat vnum tantum suffragiũ; electio non est secreta neque per secreta suffragia: & per consequens nulla.

Sed tamen non obstantibus superius deductis, conclusum fuit illam electionem validam esse, & legitimam; atque ita fuit obseruatum: quamuis per duos duntaxat electores facta fuisset. † Quia licet collegium non possit subsistere in duobus de iure ciuili, *l. Neratius. ff. de verb. signif. in duobus tamen conseruari potest; si legitimus numerus in initio interueniret: l. sicut municipium. §. final. ff. quod cuiusque vniuers. nomin.* † De iure verò canonico, ab initio potest consistere in duobus: ex traditis per Tusch. *litter. C. conclus. 452. numer. 11.* per text. *in cap. 1. de elect. Rot. decif. 860. num. 7. & decif. 1050. num. 5,* coram Seraphino, Tamburin. *de iur. Abbat. tom. 1. disput. 5. quæst. 8. & seq.* † Et ideo cum in principio quatuor adessent vocales in capitulo, quorum potestas ad duos redacta est; illi duo possunt eligere Discretum: prout etiam punctualiter tenet Abbas *consil. 25. in 4. dubio. lib. 2.* vbi dat varios modos procedendi in casu isto: † & inter cæteros modos procedendi per Abbatè *ibidem* propositos; secundus modus

S V M M A R I V M.


modus magis ad propositam facti speciem adaptari potest: videlicet quòd tali casu non sit necesse quòd electio fiat per vota secreta: sed isti electores qui supersunt in paruo numero, possint etiam palam & in aperto tractare de mittendis aliquibus ad capitulum: & tunc deputatus per alium, poterit consentire: quia non ab ipso oritur electio, sed à socio; cui ipse duntaxat assensum præbet. † Nam si seipsum nominaret, non valeret electio, tanquam facta per ambitionem. Paris. *de resignat. lib. 9. quæst. 17. numer. 104.* Cenedo *collect. 99. in decretales, numer. 3.* per text. in *cap. qualiter & quando. de elect. cum distinctionibus per eum allatis.*

8. Nec isto casu necesse est, vt electio fiat per scrutinium secretum, etiamsi in constitutionibus ordinis hoc expressè caueatur: quia talis forma non est de facto possibilis, cum vnus non possit votum alterius in occulto scrutari; & ideo constitutio vendicat sibi tantum locum in conuentibus, vbi forma scrutinij secreti potest obseruari: quia lex non adstringit, vbi de facto seruari non potest. Ioan. Andreas *ad tit. de regul. iuris quæst. 34.* † Concludendum est, quòd quando isti duo procedunt ad electionem sine forma scrutinij; tunc vnus ex electoribus poterit alium eligere palam: & talis electus poterit consentire: quia licet vox electi non computetur in numero, quando proceditur per formam scrutinij secreti; aliud est in casu proposito, in quo proceditur per vim scrutinij manifesti. † Vnde colligitur quòd constitutio obligans ad scrutinium secretum, non habet locum in casu isto, in quo ex natura rei scrutinium secretum fieri non potest: quod etiam tenuit Petr. de Biaxio *in direct. elect. part. 3. cap. 23. num. 2. versic. & aduerte.* Emanuel. Roderic. *tom. 2. quæst. regul. 51. artic. 2.* Mirand. *in manual. prelat. regul. part. 2. quæst. 25. artic. 16. in 2. conclus. versic. sed quid si electores sunt tantum tres.* Hieronim. Roderic. *quæst. regul. cap. 58. num. 2.* Lezana *in summa quæst. regul. in verb. Electio inter regulares. num. 4.* & optimè Menoch. *consil. 1226. per totum; volum. 13.* vbi distinguit duos casus. Primus, quando casu, & sine culpa numerus eligentium redactus est ad vnum, vel duos; vt tunc teneat electio. Secundus, quando non casu, sed facto aliquis extrinseco venit impedimentum; & tunc electio per duos facta non subsistit; vt ibi per eum: secundum quam distinctionem contrariæ Doctorum conclusiones concordantur, & resoluuntur. Porro in terminis quæstionis propositæ, numerus eligentium sine culpa, imò mero casu fuerat imminutus, & per consequens bene decisum fuit, electionem esse validam; & ita practicum.

1. Futuro monasterio donari potest fauore pia causa.
2. Pollicitatio nuda actionem producit fauore pia causa.
3. Ex quibus dignoscatur vtrum dispositio sit modalis, vel conditionalis.
4. Fauore Ecclesie donatio non rescinditur ob inobseruantiam.
5. Locus in relictis piis in dubio censetur appositus demonstratiuè, potius quam taxatiuè.
6. Qua requiruntur ad inducendam nouationem prime donationis per secundam.
7. Donatio facta Ecclesie, non reuocatur ex defectu acceptationis ipsius Ecclesie.
8. Donatio facta Ecclesie, non potest reuocari per heredem donantis.
9. Post litem contestatam non potest fieri reuocatio donationis.
10. Quando agitur de fauore pia causa, Deus ipse statim acceptare censetur.
11. Ob iuramentum, & stipulationem Notarij, vtrum ius acquiratur donatario irrenocabiliter.
12. Episcopi auctoritas requiritur in erectione Ecclesie, sed non in legato facto pro Ecclesia construenda.
13. Donatio facta pro Ecclesia erigenda, statim est valida, ad effectum obligandi donatorem.
14. Summus Pontifex non tenetur in omnibus sequi donatoris voluntatem.
15. Donatio conditionalis retrahitur post purificatam conditionem, vt ex tunc, non vt ex nunc.
16. Ex donatione condicionali statim oritur ius reale & hypotheca, dummodo postea purificata sit conditio.

**F**undatrix anno 1609. pro erectione conuentus summam competentem donauerat; super cuius solutione fuit diutissime disputatum, multæque excitatæ difficultates: quibus superatis, fuit decisum pro continuatione executionum, ad effectum construendi conuentum iuxta fundatricis mentem. † Pro cuius rei fundamento in primis conclusum fuit, veram & communiter receptam sententiam esse, quòd futuro monasterio valide potest fieri donatio. Guid. Pap. *decis. 267.* Gonzal. *ad reg. 8. glos. 5. §. 7. num. 101.* Gratian. *discep. forens. 358. num. 34.* dicens Deum ipsum pro loco pio acceptare. Nicol. Garc. *de benef. part. 5. cap. 9. num. 50.* † Imo etiam hoc casu, aduersus donatorem agi potest ex nuda pollicitatione Paul. de Citadin. *in tract. de iure patron. part. 3. num. 48. 49. & 50.* & quilibet de populo agere potest, Gratian. *d. cap. 358. num. 14.*

Secundò fuit suppositum, dispositionem fundatricis in casu proposito, non posse dici conditionalem; sed vel puram omninò, vel saltem sub modo conceptam: cum onus fabricandi conuentum appositum in dicta donatione, non debuerit adimpleri, nec potuerit, nisi traditis primò pecuniis pro conuentus fabricatione donatis: vt patet ex verbis donationis; quibus cura fabricæ dicti conuentus datur Reuer. Patri Prouinciali, qui ad hos fines desumat 2000. aureos de bonis donatis; quod expeditionem pecuniarum præcedentem requirit: & onera, in secundo contractu foundationis facto in confirmationem primi, debeant omninò post mortem fundatri-



C A P V T L X X X I I I.

De donatione facta, ex causa foundationis monasterij construendi, sub modo, vel conditione; vtrum ob non adimplementum modi sit locus rescissioni illius. Quomodò designatio loci in quo monasterium construendum est, censetur facta demonstratiuè, aut taxatiuè. An necessaria sit in tali donatione Episcopi auctoritas. Et vtrum per secundam donationem ad eandem causam factam, censetur reuocata, vel nouata prima cum extinctione hypothecarum.

cis adimpleri : & tamen ipsa donat *par donation dex. maintenant valable*, id est donatione ex nunc valida : † unde sequitur onera illa non importare conditionem, sed duntaxat modum. *Surd. decis. 38. n. 6. & decis. 156. numer. 6.* Ioan. Andr. Georg. *allegat. 31. numer. 24. & 25.* vbi dicit illam onerum adiectionem non inducere formam formalem; sed formam effectualem.

Ita vt dispositio semper remaneat conditionalis, quando onera præstari debent post donationem perfectam; non obstante quòd in ea apposita sint verba, & non aliter, vel illa, *dummodo*, vel *sub conditione*: Seraph. *decis. 724. num. 7.* † qui addit *num. 11.* quòd etiamsi donatio esset conditionalis, tamen ante euentum conditionis non potuit ab ea recedi: maxime cum agatur de Ecclesia, cuius fauore facta donatio, non potest reuocari propter non adimplementum modi; nisi in ea apponatur pactum resolutiuum expressum, & specificum: vt optimè resoluit Ioan. Andr. Georg. *dict. allegat. 31. num. 26.* etiamsi donatio fuerit cum onere illo adiecto, & non aliter: vt per eundem *numer. 14.* per text. in cap. *verum. de condit. apposit.* vt bene comprobatur *ibidem* Georg. plures allegans.

Et quamuis in primo contractu foundationis, donatrix voluerit monasterium fabricari in ciuitate Carpentoractensi, tamen subiungit postea illa verba, & au lieu, ou endroit que sera aduise, & postea, *soubs le bon plaisir de Nostre S. Pere, ou autres à qui la congnissance appartiendra*: † & ita designatio ciuitatis Carpentoractensis potius facta fuit demonstratiue, quam taxatiue & restrictiue: ita vt potius fundatrix considerauerit fauorem Ecclesiæ, & religionis; quam loci seu ciuitatis, in qua Monasterium erigendum erat: & potius respexerit ad fauorem, & remedium animæ suæ, quod non magis prouenit si monasterium erigatur in vno loco, quam in alio: idcirco quamuis impedimentum superuenerit, propter quod monasterium in loco destinato non potuit erigi; non ideo minus tenet donatio, & fundatio ad effectum, vt monasterium erigatur in alio. Seraph. *decis. 1149. num. 11. & seq.* Ideo iure cautum est, vt si relictum pro pio loco construendo, impleri non possit vbi destinatum fuit, impleatur in alio vbi commodè poterit adimpleri. *Glof. in cap. 3. in verb. in loco. ext. de testam. & ibi Couar. num. 9. & 12.* Eman. Roderic. *quest. regul. 125. artic. 10. tom. 3.* vbi dicit, Prouinciales hanc loci commutationem ex priuilegiis ordinum facere posse.

Tertiò suppositum fuit, quòd licet fundatrix anno 1613. alium posteriorem donationis, seu foundationis contractum fecerit; in quibus diuersa onera, & diuersas qualitates apposuit, quæ non continebantur in primo, facto anno 1609. non ideo inducta fuit nouatio; quæ non inducitur, nisi expressè dicatur: per text. in l. *vlr. Cod. de nouat.* Et ad hoc, vt per secundum contractum inducta fuerit nouatio primi, necesse est vt secundus sit incompatibilis cum primo, & illa incompatibilitas debet esse in substantialibus. Seraphin. *decis. 1063. num. 8.* Diuersitas autem loci, & aliarum circumstantiarum similibus, non potest dici substantialis: vt patet ad sensum, & ostendit Ioan. Andr. Georg. *d. allegat. 31. num. 25.* sed de nouatione dubitari non potest, cum secunda fundatio non derogat primæ: sed contineat duntaxat additionem, & declarationem illius; vt patet ex illis verbis: *dictæ suæ primæ foundationi addendo, declarauit.* Item & paulò post, *codem primo instrumento in ceteris firmo manente.* Et ita clarè constat ex his verbis, fundatricem noluisse nouare primam funda-

tionem per secundam: ex Seraph. *d. decis. 1063. numer. 7.* cum ibi citatis: ne inducta ad augmentum, operentur diminutionem. *Rot. decis. 174. numer. 42. part. 6. recent.*

Quartò fuit dictum, non obstare validitati donationis defectum acceptationis, ex *confil. Beroi 4. volum. 1. & Paris. consil. 77. volum. 1.* Quia consilium illud Beroi expressè reprobatur per Georg. *dict. allegat. 31. num. 30.* cum loquatur in diuersis terminis, nam donatio in casu illius consilij non fuerat acceptata; quæ tamen in casu proposito acceptata fuerat: nec in ea continentur onera, & conditiones similes illis, quæ aderant in consilio Beroi: sed nec reuocata fuit donatio per fundatricem, imo geminata, & per secundam confirmata. † Nec poterat reuocari, aut per secundam alterari per adiectionem nouatum conditionum, & onerum, postquam prima donatio erat perfecta, & ab ipsis religiosis acceptata:

*l. perfecta donatio. Cod. de donat. quæ sub mod.* Sed casu quo potuisset reuocari, talis reuocatio debuisset fieri ab ipso donatore; non autem ab hæredibus ipsius: vt dicit idem Berous *num. 56.* quem citat & sequitur Georg. *d. allegat. 31.* & supponit Paris. supra citatus *num. 38.* Ibi. *At quando donatricem pœnituit.* † Multòq; minus possunt dicti hæredes reuocare donationem, postquam lis fuit contestata: quia res desinit esse integra, per litis contestationem: *l. si quis stipulatus fuerit. 10. ff. de verb. obligat.* Costa *de re integra distinct. 109. num. 5.* † Sed nequidem ipsa donatrix vt dictum est reuocare potuit: quia agebatur de pia causa, pro qua Deus ipse statim acceptare censetur: vt supra dictum est *num. 1.* ex Gratiano *discept. forens. 358. num. 34.* Gonzal. *ad regul. 8. glof. 5. §. 7. numer. 101. & 102.* Costa *de re integ. cap. 79. num. 24.* *Surd. de alim. tit. 9. quest. 23. n. 31. & 32.* Menoch. *consil. 92. numer. 79.* Mantic. *de tacit. conuent. lib. 13. tit. 7. num. 16. & seq.* Sanch. *de matrim. lib. 1. disput. 7. num. 10. & 38.* vbi hanc veriorum & communè sententiam esse docet. † Imò cum hîc adesset iuramentum, & stipulatio Notarij: ius quæsitum fuit absentibus irreuocabiliter, quamuis non ageretur de causa pia: Menoch. *loco mox citato. num. 76.* Costa, *dict. cap. 79. numer. 5.* Sanch. *vbi sup. num. 36.* optimè Addent. ad Ludouic. *decis. 97. num. 8.*

Quintò fuit præsuppositum, quòd licet Episcopi consensus necessarius sit in erectione monasterij, & alia interuenire debeant, de quibus superius cap. 23. actum fuit; ita vt antequam illa interuenirent, conditio erigendi Monasterium non sit purificata: tamen fieri debet differentia inter erectionem actualem Monasterij, & legatum, seu donationem factam pro monasterio construendo. In illa quidem autoritas Episcopi necessariò cum aliis, de quibus *dict. cap. 23.* interuenire debet; sed non in legato, vel donatione quæ fieri potest ad effectum construendi monasterium sine vllius autoritate: vt benè duo ista distinguit Ioann. de Selua, in tract. *de benef. part. 1. quest. 6. num. 5. versic. Item posito quòd esset paritas*: vbi dicit quemlibet posse liberalitatem exercere ad hoc, vt beneficium erigatur: sed quando deuenitur ad executionem & beneficij erectionem, vel loci sacri ædificationem, necessariò Episcopi autoritatem interuenire debere.

Vltrà quòd duo hîc respectus haberi possunt: primò respectu Episcopi, & tunc legatum vel donatio non facit, vt dicatur res sacra effecta; & hoc respectu non dicitur perfecta fundatio; sed remanet in suspensio, donec Episcopus consenserit: sed superueniens consensus, & autoritas Episcopi, facit valere donationem vt ex tunc: quia retrotrahitur ad diem donationis



tionis. Secundò respectu donatoris, seu fundatoris, & eius hæredum, & hoc respectu statim valet donatio irrevocabiliter, vt bene explicat Ioan. de Selua d. part. 1. quæst. 6. num. 16. versic. decimo tertio.

14. Accedit præmissis confirmatio dictæ donationis, & erectionis Monasterij facienda per summum Pontificem, viuentem adhuc fundatrice, concessa; quæ omnia reddit valida, quamuis Papa nõ sequutus fuisset in omnibus fundatricis voluntatem, quam non tenetur summus Pontifex in omnibus sequi: nec illius honori & famæ consulere: vt in istis terminis bene probat Ioan. Andr. Georg. d. allegat. 31. num. 57.
15. Sextò fuit consideratum, quòd licet donatio facta sub beneplacito Episcopi, vel Superiorum, qui omnino interuenire debet; videatur conditionalis; & purificatâ conditione videatur valere vt ex nunc, non vt ex tunc: & per consequens, hypothecæ per fundatricem ipsam ante Episcopi consensum contractæ, videantur potiores hypothecâ Monasterij quæ non habet effectum nisi post purificatam conditionem: tamen verius est, hypothecam per retrotractionem valere vt ex tunc: quamuis ex post interuenerit consensus requisitus, etiam per viam conditionis. Gomez. tom. 2. variar. resol. cap. 11. num. 29. versic. secundus effectus est. Et dum requiritur Episcopi autoritas, hoc respicit fauorem Ecclesiæ, non autem donatoris, vel eius hæredis; qui non possunt opponere de iure tertij nempe Ecclesiæ: vt dicit Ioan. de Selua d. num. 16. versic. decimo tertio Ioan. Andr. Georg. per totam illa allegation. 31. omninò videndus. Et quòd hypotheca retrahatur, & præferri debeat alteri cuiuscumq; intermedie dispositioni, vel donationi; probatur in l. si balneum. & ibi Glof. sin verb. conuenissent. & Castren. num. 1. ff. qui potior. in pig. habeant. Gabriel. consil. 141. num. 8. lib. 1. Cardin. Mantica. de tacit. conuen. lib. 11. tit. 23. n. 29. & optimè confirmantur ex decis. Rotæ facta 23. Iunij 1617. in Romana de Mazzatostis coram Verospio, quæ post hæc scripta quæ facta fuere anno 1626. fuit typis mandata in recent. part. 4. decis. 539. num. 6. vbi hæc veritas bene confirmatur, & respondetur ad rationes, & autoritates in contrarium allatas: & in decis. 174. num. 36. & 37. part. 6. recent. reprobatò Giouagn. consil. 35. num. 30. & consil. 98. num. 11. lib. 1. & aliis contrarium sentientibus.
16. Quanquam nec verum sit, donationem illam conditionalem esse: vt superius num. 3. dictum est; & quamuis conditionalis esset; non tamen potuisset per posteriorem dispositionem reuocari: quia ex ea orta fuit saltem spes consequendi rem promissam, in euentum purificatæ conditionis. §. ex conditionali. Institut. de verb. obligat. quæ conditionalis obligatio licet sit imperfecta respectu executionis, tamen est perfecta ratione obligationis; ita vt per quamcumque aliam dispositionem ab ea recedi non possit. Seraph. decis. 724. num. 11. Couar. lib. 1. variar. resol. cap. 14. num. 16. versic. & si responderis. Rot. decis. 174. num. 7. & multis sequentibus part. 6. recent. Et secundum hæc iudicatum fuit per R. P. D. Hieronimum Felicium tunc Auditorem generalem Eminent. D. scelic. record. Card. de Balneo, donationem & foundationem factam anno 1609. suum debere sortiri effectum, & producere hypothecam ab illo tempore, nec illi fuisse præiudicatum per secundam donationem anni 1613. nec per donationes intermedio tempore in fauorem aliarum personarum factas: & illius sententia fuit in gradu appellationis confirmata, & executioni demandata.



CAPVT LXXXIV.

Continens votum, & rationes, quibus motus fuit iudex ad decernendam hypothecam, & validitatem primæ foundationis; de qua in præcedenti capite: non obstantibus impugnationibus in contrarium propositis.

1. Donatio pro monasterio construendo, statim valida est; nec requirit Episcopi consensum.
2. Magna est differentia inter ista duo, construere seu erigere monasterium, & donare pro monasterio erigendo.
3. In fundatione intentionali, non requiritur Episcopi autoritas, sicut in reali.
4. Fundatio semel facta non potest alterari sine consensu Ecclesiæ donatarie.
5. Fundatio iam facta, si alteretur, requiritur etiam Episcopi consensus.
6. Episcopus potest mandare, vt monasterium erigatur in alio loco quam ordinato per fundatorem. Maxime ex rationabili causa. num. 7.
8. Donatio pro constructione monasterij semper est obseruanda, etiam si locus designatus non sit commodus; nam ad alium locum transferri debet.
9. Relicta pia nunquam caducantur.
10. Conditio impossibilis adiecta legatis piis, vitiat; non vitiat.
11. Per secundam donationem non potest præiudicari prima, nec in ea noua onera apponi.
12. Quando fundatio, constructio, & donatio fit ab vna eademque persona, simul & semel; vtrum actus sit nullus, si non interueniat autoritas Episcopi.
13. Consensus Episcopi magis precise requiritur ad effectum reservationis inuis patronatus, quam ad effectum reddendi validam donationem factam ex causa fundationis.
14. Explicatur locus Ioann. de Selua de benefic. part. 1. quæst. 6. dum loquitur de Episcopi consensu, requisito ad validitatem fundationis, vel donationis.
15. Vtrum circa Episcopi consensum requisitum in fundatione fieri debeat differentia inter fundationem factam per viam legati, per vel viam donationis.
16. Consensus Episcopi non est necessarius, nisi quando agitur de effectuali monasterij constructione: non autem quando donatur, vel legatur ad illum effectum.
17. Fundationis nomen est æquiuocum: quandoque enim sumi potest pro donatione, vel legato; quandoque pro actuali erectione, seu constructione.

Tres sunt potissimum quæstiones in præsentia causa. Prima, an donatio facta pro fabricando conuentu, requireret pro eius validitate consensum Episcopi. Secunda, an sit locus executioni donationis, attento quòd religiosi donatarij volunt ædificare conuentum in alio loco, quàm designato per fundatricem in prima donatione; non seruatis nec adimpletis conditionibus in secundo contractu donationis appositis. Tertia, vtrum dicti religiosi agere possint

possint ex huiusmodi donatione, quam illorum Superiores nunquam ratificarunt, iuxta ea quæ fundatrix fieri mandauit in secunda donatione.

Tenor instrumenti donationis factæ 1609. talis est: Quod donatrix fundat conuentum ordinis Minimorum, in territorio ciuitatis Carpentoratensis, sub beneplacito Illustrissimi domini Episcopi, & in loco eidem Episcopo bene viso, cum assignatione duorum millium scutorum pro constructione monasterij: & aliorum quinque millium pro dotatione. Deinde anno 1613. aliam secundam fecit donationem, cum diuersis oneribus & conditionibus, contractis tamen inter primam & secundam donationem pluribus & diuersis hypothecis: Conclusum fuit pro validitate & executione primæ foundationis, seu donationis, ex sequentibus.

1. In primis, quia donatio facta pro Monasterio construendo, tantum abest vt Episcopi consensum requirat, quinimò valeat statim, etiam nemine præfente, & acceptante. Guido. Pap. *decis. 267. versic. idem dicerem.* & ex veriori post multos, quos allegat, resoluit Gratian. *discep. forens. cap. 358. num. 34. cum seq. & cap. 400. num. 8.* vbi dicit donationem censeri puram, & in eo non considerari conditionem aliquam.
2. Neque obstant iura, & autoritates quæ in contrarium allegari possunt: Quia loquuntur de Episcopi autoritate requisita in erectione, & foundatione monasterij: secus est in donatione facta pro construendo monasterio quæ statim valet, non expectato consensu alicuius: vt supra dictum fuit, & habetur ex Romano *consil. 409. in tertio dubio, vsque in finem.* Ioan. de Selua, *de benefic. part. 1. quæst. 6. num. 1. & sequentibus.*
3. Et licet in instrumento donatrix vtatur illis verbis: *fundauit. & fundat;* tamen constat foundationem illam fuisse duntaxat intentionalem, & non realem: ideo non fuit in ea Episcopi consensus necessarius, ex supradictis.
4. Secundò; quòd attinet ad inobseruantiam conditionum, cum fundatrix mandauerit conuentum fabricari in ciuitate Carpentoratensi, vbi locus commodus haberi non potuit; & alius locus esset inuestigandus: non licuit fundatrici sine consensu fratrum ex se ipsa alium locum declarare, & nouas adiciere conditiones; de quarum inobseruantia hodie contenditur: sed ipsius quoque donarij consensus requirebatur: ex traditis per Bartol. *in tract. minor. lib. 1. distinct. 2. cap. 3. sub num. 13.* ibi, *quandoque potest fieri de iure, non de facto;* Card. Tusch. *in verb. legatum. conclus. 114. num. 5.*
5. Imò nec sine consensu Episcopi id fieri poterat; ad quem videretur electio deuolui, quando in primo loco non adest possibilitas: per text. *in cap. 3. de testam.* & ibi Couar. *num. 9.* ideo inobseruantia non est habenda in consideratione.
6. Præterea, si Episcopus non vult dare licentiam construendi monasterium in loco per fundatorem ordinato, sed ipse alium velit eligere; hoc facere potest, & hæredes tenentur parere: ita Card. Tusch. *in verb. Episcopus. conclus. 273.* post Romanum ab eo citatum *consil. 409. in vltima questione.* Ergo multò magis in casu isto, Episcopus potuit alterare conditiones appositæ per fundatricem, circa eundem locum; quod est minus.
7. Præsertim verò hoc habet locum: quia id ex rationabili causa factum est. Cùm enim Episcopus ageret de dismembrando à mensa Episcopali oratorium frequentia populorum percelebre, cum aliis ædificiis adiacentibus; & illud concedendo religiosus

pro erectione, & constructione monasterij; quo mediante fratres releuabantur à magnis sumptibus fabricæ, quos aliàs facturi fuissent; non erat rationi congruum quòd Episcopus mensam suam purè & liberè priuaret dicto loco: ideo cum consilio suorum Officialium & Capituli deliberatum fuit; vt concederetur adiecto aliquo onere pio, & salutari; quæ deliberatio summam continet æquitatem: & ideo sine dubio potuit Episcopus alterare, & commutare conditiones in foundatione adiectas; præsertim fratrum accedente consensu: ex traditis *in cap. 1. §. 1. de religiof. domib. in 6.* Card. Tusch. *in verb. Episcopus. conclus. 273. per tot.*

Neque obstat quòd onera adiecta per Episcopum repugnent intentioni fundatricis; etiã in eo quòd sola voluit esse fundatrix dicti conuentus: & pro tali non possit agnosci, nisi dictum oratorium religiosus purè, & sine onere concedatur.

Quia ex adiectione oneris ipsa non minus manet fundatrix, quàm si oratorium purè & sine onere concessum fuisset: vtroque enim casu; verum est oratorium habitum fuisse à manu Episcopi: sed quia Episcopus ex tali concessione, non habet intentionem faciendi conuentum; sed facilitandi foundationem ordinatam per donatricem; ipsa erit semper fundatrix, Episcopus autem benefactor: cùm actus attribuendus sit primæ causæ, & secundum intentionem partium; & in effectu in Breui confirmationis S. D. N. Papæ; dicta Domina vocatur erectrix, Episcopus autem benefactor: & in omnem euentum, dicta onera non sunt talia, vt reddant dispositionem conditionalem, & illius executionem impediunt; ex traditis per Ioan. Andr. Georg. in simili causa, *allegat. 31. per tot.* & optimè fuit deductum per D. consulentem pro dictis religiosis.

Itaque ista inobseruantia conditionum frustra opponitur: nam cùm donatio pro constructione Monasterij nunquam deficiat, nec remaneat in suspensio; quamuis locus deputatus non sit commodus, aut possibilibus; cùm Episcopus semper alium locum debeat eligere, & implere voluntatem disponētis: per textum apertum *in cap. 1. de testam. & ibi Couar. num. 9.* † Et sit regula generalis, quòd relicta pia non caduntur quoquomodo, Tiraquel. *de priuileg. pia caus. priuileg. 39.* Gratian. *discep. forens. 254. num. 47.* † Et conditio impossibilis adiecta in huiusmodi relictis; vitatur, & non vitiat: Tiraquel. *priuileg. 75.* Ioan. Andr. Georg. *allegat. 31. num. 35.* Ideo semper esset locus dispositioni ad effectum commutandi ad vsus destinatos, post adinuentum locum idoneum: sed de loco idoneo reperto satis constat, ex illius approbatione per summum Pontificem, & Episcopum facta.

Quod vltimo loco oppositum fuit, de defectu ratificationis R. P. Prouincialis requisitæ per dictam secundam donationem, non obstat aliqua ratio. Quia non potuit fundatrix post perfectam donationem, aliam facere; & in ea noua onera adiciere: quod tamen ab initio facere potuisset. Bald. *consil. 381. lib. 4.* & post ipsum Card. Tusch. *in verb. contractus. conclus. 283. num. 2.* Et propterea non impediuntur fratres agere, etiam sine dicta ratificatione.

Tertiò, cùm scribentes contra religiosos prædictos, proposuerint faciendam esse differentiam, inter foundationem factam ab vna persona, alia dotante; & eam in qua idem est fundator & dotator: ideo de huius propositionis veritate videndum est. Sane vtroque casu obrinet generalis regula, qua siue idem sit dotator & fundator, siue diuersus: idem generaliter Doctores statuunt; quando non agitur de acquirendo

rendo iurepatronatus, prout in hoc casu; in quo, nec illud fundatrix sibi reseruauit, nec reseruare potuit: cum ageretur de regularibus: tunc dotationem seu donationem ipsam, etiam sine consensu Episcopi firmam manere. Lambert. *de iure patron. lib. 1. part. 1. in 5. quæst. principali artic. 10.* Ioseph. Ludou. *in suis commun. conclus. tit. de iurepatron. versic. amplia secundo, & seq.* & quod indistinctè donatio pro monasterio construendo valeat & teneat, etiam nemine acceptante; tenet Gratian. *discep. forens. 358. num. 34.* nec expectet pro eius validitate consensum Episcopi: idem Gratian. *discep. forens. cap. 400. numer. 8.*

Pari modo valet donatio Ecclesiæ construendæ: Garc. *de benefic. part. 5. cap. 9. num. 50.* neque requirit consensum Episcopi, nisi ad effectum acquirendi iuspatronatus. Lambert. *lib. 1. part. 1. quæst. 2. artic. 3. numer. 8. & 11. eadem par. 1. lib. 1. quæst. 5. artic. 10.*

Verum est, quod domini scribentes contra fratres vtuntur hoc argumento: Ad producendam Ecclesiam de non esse ad esse, debent concurrere ista tria; fundatio, dotatio, constructio; ex his tribus nec pluribus, nec paucioribus, acquiritur iuspatronatus absque alia reseruatione: ius autem patronatus non potest acquiri sine consensu Episcopi: ergo à primo ad vltimum sine consensu Episcopi, non potest esse fundatio, constructio, nec dotatio.

Sed istud argumentum non aliud probat, quam ad effectum acquirendi iuspatronatus, tam ex fundatione & constructione, quam etiam ex dotatione, necessarium esse consensum Episcopi: & hoc est verum, & conceditur: sed argumentum non infert, quod sine consensu Episcopi non valeat dotatio: nam dato quod ex ea non acquiratur iuspatronatus, quia facta reperitur sine consensu Episcopi; tamen dotatio per se ipsa manet sine alio consensu: ita Lambertin. *dicta quæst. 5. artic. 10.* Ioseph. Ludouic. *in dicta conclus. superius citata.*

Prout etiam non valet ista consequentia: Ecclesia non potest ædificari sine consensu Episcopi: ergo non potest dotari sine illius consensu. Ioan. de Selua *d. part. 1. quæst. 6. in 9. obiectione.*

Replicatur tamen Lambertinum loqui de dotatione separata à constructione, & dotatione: secus dicitur concludendum in sensu concreto.

13. Sed etsi locus Lambertini sit satis clarus, nec admittat dictam glossam: tamen aliter etiam demonstratur conclusionem esse indistinctè veram. Et dico quod licet fundatio, constructio & dotatio fiant simul, & semel, ab vna eademque persona, nullo requisito Episcopi consensu: sine ipso tamen Episcopi consensu non licet ipsi donanti, aut eius hæredibus donationem reuocare; imò fundatio & dotatio semel Deo dicata, semper manet: ita in terminis Lambertin. post allegatos *dict. lib. 1. part. 1. in 2. quæst. principali, artic. 18. numer. 2. 3. & 4.* & sic Episcopus quancumque consentiat, & ratum habeat: Doctores non ponunt difficultatem circa validitatem donationis, & fundationis; sed solum ponunt difficultatem circa iuspatronatus vtrum acquiratur, vel Ecclesia sit libera. Videatur Lambertin. *dict. lib. 1. part. 1. in 2. quæst. principali artic. 12. numer. 5. & Rot. decis. 564. per totam, part. 4. diuersorum.*

Et Doctores omnes, dum loquuntur de consensu isto superuenienti, an validet donationem vt ex nunc, vel vt ex tunc; loquuntur signanter ad effectum acquisitionis iuspatronatus, seu translationis eiusdem in aliam personam: in qua quæstione habemus

inter se contrarios Rotam Romanam, quæ tenet vnam opinionem; & Lambertinum & Abbatem qui tenent aliam.


Verum, quod attinet ad validitatem fundationis, nemo est qui dubitet quin valeat semper, per regulam: semel Deo dicatum &c. & consensus quancumque superueniat, sufficit; nec hæredes donatoris possunt resilire à contractu: vt supra demonstratum est.

Nec fiat fundamentum in verbis Ioan. de Selua, *d. part. 1. quæst. 6.* quia ibi satis confusè loquutus est: & licet *sub num. 8. versic. circa istum articulum:* videatur concludere quod consensus Episcopi superueniens faciat donationem valere solum vt ex nunc: tamen ex antecedentibus per eum dictis, & ex Doctoribus per eum citatis satis colligitur, si bene aduertatur, illum loqui respectu acquisitionis iuspatronatus, vel translationis eiusdem in aliam personam: non autem respectu validitatis dotationis, & fundationis.

Et quamuis iterum Ioannes de Selua, *d. quæst. 6. 15. num. 11. versic. idem etiam firmat.* videatur distinguere inter legatum, & donationem; dicens in primo casu per consensum superuenientem validari vt ex tunc: secundo casu, vt ex nunc: idque fauore vltimæ voluntatis: tamen idem author solum se restringit ad acquisitionem iuspatronatus, vt legitur ibidem; nullo tamen casu, ante Episcopi consensum. Et id etiam demonstratur euidenti argumento: nam Selua ibi respondet ad doctrinam Ioannis Andreae, qui tamen loquitur duntaxat de iurepatronatus: eodem igitur modo intelligendus est Selua, vt eius responsio non sit impertinens: & si aliter illum intelligeremus, non possemus illum saluare; cum omnes DD. teneant contrarium, respectu validitatis fundationis, & dotationis.

Quartò considerandum est, quod in facto sit æquiuocum; dum supponitur nos versari in casu, in quo simul & semel concurrat fundatio, constructio & dotatio ab eadem persona, sine consensu Episcopi facta: Ego non reperio in facto hoc esse verum: nam video solum in instrumento primæ fundationis adesse donationem 2000. scutorum pro Monasterio ædificando, & 5000. scutorum pro dote ipsius: quæ duo non requirunt Episcopi auctoritatem: vt iam sapius dictum fuit.

Et constructio quæ desiderat Episcopi consensum, est ipsa ædificatio, & erectio; iuxta text. *in can. nemo. de consecrat. distinct. 1. & passim DD.* Quod si sumamus constructionem pro actu, in quo donatur pecunia ad fines construendi; isto sensu sumpta constructio, non indiget auctoritate Episcopi: vt sapius dictum est. † Quando verò assignatur certus fundus, in quo debeat constitui monasterium, quia per illam assignationem fundi regulariter acquiritur iuspatronatus, ex traditis per Lambertin. *de iur. patron. lib. 1. part. 1. quæst. 3. artic. 2. num. 1.* isto casu potest concedi, quod requiratur consensus Episcopi: sed quando datur summa aliqua, vt ex ea ematur fundus pro construendo monasterio in loco, per Episcopum bene viso; prout factum fuit in casu isto; non requiritur in donatione consensus Episcopi quamuis etiam hoc casu nuncupetur fundatio, cum fundatores dicamus eos qui propriis pecuniis monasteria construunt: tamen in fundatione hoc modo sumpta, non est necessarius Episcopi consensus pro eius validitate: ex conclusionibus superius firmatis. *num. 2. & 3.*



## CAPVT LXXXV.

De annali, triennali, & decennali possessore beneficij, & regulis Cancellariæ desuper editis. Quæ sit vis, & effectus diuturnæ possessionis; & quæ inter regulas de annali, & triennali differentia; tam inter se, quàm cum vulgata illa, & celebri allegatione Lapi 89. quam sæpius Rota Romana sequuta est. Plurimæque difficultates circa praxim dictarum regularum Cancellariæ proponuntur & resoluntur.

## S V M M A R I V M.

1. *Possessio decennalis habet vim tituli, nisi de intrusione constet.*
2. *Intrusus dicitur fur, & beneficium possidere non potest: quia caret canonica institutione.*
3. *Allegatio Lapi 89. vult presumi titulum prædecessoris in beneficio ex longa possessione.*
4. *Allegatio Lapi 89. duo requirit, primò possessionem diuturnam, & pacificam: secundò, quòd possidens communi estimatione habitus fuerit pro vero & legitimo possessore.*
5. *Longum tempus erat decem annorum in terminis dictæ allegationis 89. Lapi, hodie est triennium.*
6. *Allegatio Lapi 89. non solum vult presumi titulum, sed etiam habilitatem ipsius; si duo requisita concurrant; longa possessio, & communis reputatio.*
7. *Cessantibus duobus requisitis in allegatione 89. Lapi: titulus antecessoris probandus esset, si collitigans alium alterius anteriorem cum possessione probaret. Intellige, vt num. 9.*
8. *Materiam integram allegationis Lapi tractat Marefcotus.*
9. *Non admittitur probatio alterius tituli anterioris aduersus prædecessoris titulum, nisi simul allegetur ipsum prædecessorem non possedisse per triennium; aut non habuisse pro se communem estimationem: & explicatur decisio Cod. Fabrian. lib. 1. tit. 3. defin. 15.*
10. *Concurrentibus requisitis in dicta allegatione Lapi 89. presumitur quòd prædecessor in beneficio habuerit meliorem titulum de mundo.*
11. *Publicatio resignationis presumitur ex solo triennij lapsu.*
12. *Præsumptio tituli validi, non tollitur per productionem alterius tituli inualidi, stante longi temporis lapsu.*
13. *Quando quis non suo, sed alieno nomine possidet; nihil prodest longi temporis possessio, nec locus est dictæ allegationi Lapi 89.*
14. *Quomodo differat ista præsumptio ex allegatione Lapi, cum regula Cancellariæ de triennali.*
15. *Allegatio Lapi 89. facit vt non teneatur quis sui antecessoris titulum probare.*
16. *Regula de annali possess. primum caput exponitur.*
17. *Regula de annali quoad primum caput; Papa, & Legatus, seu Vicelegatus derogat.*
18. *Vt derogatum censeatur regula de annali, derogatio debet esse specialis.*
19. *Derogatio regula de annali non attenditur, si principalis gratia sit nulla.*
20. *Secunda parti regula de annali non derogatur, quâ tempus præfigitur liti super beneficio impetrato mouenda, & terminanda.*
21. *Aduersus lapsum temporis præfinitum in reg. de annali, facillè datur prorogatio.*
22. *Stante legitimo impedimento, tempus statutum ad effectum reg. de annali non currit impedito; contra Gratianum.*
23. *Impeditus non tenetur protestationem facere super impedimento, nec illam parti intimare, nec propterea excluditur vigore regula de annali: maximè si factò aduersarij fuerit impeditus.*
24. *Annus, de quo in dict. regula, incipit à die citationis executæ.*
25. *In Gallia impeditus tenetur protestari, & protestationem intimare; aliàs excluditur propter decretum de pacificis possessoribus.*
26. *Quoad effectum regula de annali, sufficit lis super executione litterarum.*
27. *Lis iuxta regulam de annali; debet terminari in petitorio; sed tempus non currit quandiu aduersarius suspendit petitorium.*
28. *Regula de annali locum habet in quocumque impetrante; siue per obitum, siue alio modo.*
29. *Item locum habet in impetratione ex capite simonia. Expresso certo modo, non licet variare, nec recurrere ad probationem alterius modi vacandi. Ibidem.*
30. *Differentia qua sit inter regulam de annali, & de triennali: & num. 31.*
32. *Regula de annali locus est, quamuis quis fuerit intrusus in beneficio reseruato.*
33. *Regula de annali non procedit in præiudicium veri patroni, qui debet presentare.*
34. *Non est locus illi regula, si constet de non titulo authoris.*
35. *Intellige, dummodò de hoc constet euidenter per confessionem partis, vel per rem iudicatam.*
36. *Quid contineat in summa, regula de triennali.*
37. *Ad regulam de triennali requiritur titulus coloratus, & pacifica possessio.*
38. *Possessio beneficij infanti collati, non producit effectum triennalis possessionis.*
39. *Regula de triennali in Gallia non iuuat non promotum, possidentem beneficium in villa murata.*
40. *Titulus vitiosus non prodest ad effectum reg. de triennali; ideo melius est titulum non producere, quàm vitiosum producere.*
41. *Sufficit ad triennalem possessio colorata, nec opus est titulum producere: & num. 43.*
42. *Magna est differentia inter titulum vitiosum, & titulum nullum, in materia regula de triennali.*
43. *Possessio colorata sufficit, & potest allegari dispensatio, & aliis quicumque melior titulus ab eo, qui triennio pacificè possedit: vide num. 49.*
44. *Intellige, dummodò possessio fuerit pacifica; non aliàs.*
45. *Negatiua non obtentæ dispensationis probari potest, sed probatio est difficilis.*
46. *Quamuis*

46. *Quamvis constet de titulo inualido, remanet semper præsumptio tituli validi, ex triennali possessione.*
47. *Regula de triennali non querit bonam, vel malam fidem; ex mente Rota contra Sanchez.*
48. *Regula de triennali obstat tam in petitorio, quam in possessorio; contra nonnullos.*
49. *Dispensatio non præsumitur ex longi temporis possessione in casibus, in quibus Papa difficile dispensat.*
50. *Verum regula de triennali inuuet eum, cui onus proficendi fuit iniunctum cum clausula, Aliàs, quòd præsens gratia sit nulla, & beneficium vacet eo ipso.*
51. *Regula detriennali inuuet non graduatum, vel non promotum; dummodo ante impetrationem aduersarij promotus, vel graduatus fuerit.*
52. *Verius est hoc casu, non professum non inuari dicta regula de triennali: & num. 54.*
53. *Decretum irritans inficit titulum, & possessionem: & num. 54.*
55. *Is qui per sententiam promoueri iussus est, etiam si per triennium post sententiam pacificè possederit; non inuatur triennali, si promotus non fuerit: & quomodo hoc intelligatur.*
56. *Obtinens duo beneficia curata sine dispensatione, non inuatur triennali, vel decennali possessione.*
57. *Simoniacus non inuatur regula de triennali propter vitiosum ingressum.*
58. *Vtrum hoc intelligendum sit de simplici simonia conuentionali, nonnulli dubitant.*
59. *Sed verius est requiri, vt simonia sit realis, per traditionem subsecutam executioni demandata.*
60. *Triennalis prodest etiam in beneficiis reseruatis alià reseruacione, quam in corpore iuris clausa.*
61. *Quæ sit reseruatio clausa in corpore iuris.*
62. *Triennalis non inuatur possessorem Ecclesie unite.*
63. *Decretum de pacificis possessoribus in Gallia inuatur aduersus Regalistas.*
64. *Referantur Doctores de materia regula de triennali tractantes.*
65. *Pacificus possessor vt quis dicatur, quid sit necessarium. Controuersia extraiudicialis non continuata non nocet possessioni triennali. Ibidem.*
66. *Iudicialis controuersia vt interrumpat triennalem, debet esse super titulo, vel possessione, vel fructuum perceptione.*
67. *Sola impetratio sine citatione, non interrumpit triennium.*
68. *Turbationes per tertium illata non impediunt cursum triennalis respectu aliorum.*
69. *Locus Sanchez in consil. moral. ab errore Typographi purgatus.*
70. *Appellatio extraiudicialis, vtrum interrumpat triennalem pacificam possessionem.*
71. *In beneficialibus appellatio extraiudicialis habet vim citationis: & de appellatione extraiudiciali. Remissiuè.*
72. *Titulus coloratus quis dicatur in materia regula de triennali.*
73. *Maiores tituli color requiruntur in regula de triennali, quam in actione spoliij.*
74. *Titulus habitus à Vicario dicitur coloratus, quamuis de illius potestate non constet.*

75. *Intrusus quis multis modis dici potest. Remissiuè.*

76. *Ad effectum regula de triennali, intrusio tribus modis tantum locum habere potest.*

*Primò, quando possessor non habet titulum verum, vel præsumptum.*

*Secundò, quando habet titulum ab eo, qui non habet potestatem conferendi.*

*Tertiò, quando quis habet titulum simoniã reali infectum.*

**V**aria sæpius occurrunt quæstiones circa materiam triennalis, vel annalis possessionis: pro quarum determinatione, vt ordine procedamus, & præcipua quæ sæpius in facto occurrunt capita dilucidè exponamus: quædam in primis præmittenda sunt.

Primò igitur sciendum est, tria tempora in materia possessionis beneficiorum considerari posse: Primum est decennij; secundum, anni; tertium, triennij.

Quod attinet ad tempus decennij; certum est possessionem decennalem habere vim tituli, nisi de intrusione constet: quia scientia & tolerantia Superiorum habet præsumptionem tituli: nec cogitur quis post tanti temporis spatium, exhibere titulum suum: cap. *Ordinary. de offic. Ordin. in 6.* Innocen. & Panormit. in cap. *illud. de præsumpt. Dixi, nisi de intrusione constet.* Quia beneficium sine canonica institutione obtineri nequit: cap. *1. de reg. iur. in 6.* † Intrusus autem dicitur fur, & nunquam præscribit: cap. *dudum. 2. de elect. cap. eum qui. de præben. in 6.* Francisc. Marc. lib. *1. quæst. 197. & lib. 2. quæstione 659.*

Et super hac decennali possessione habetur quædam vulgata allegatio Lapi, antiqui Doctoris; quæ est 89. cuius hæc est summa sententia: Impetrantem beneficium non teneri iustificare titulum sui prædecessoris, per cuius obitum vacauit; sed satis esse quòd probet prædecessorem, beneficium illud longo tempore possedisse: † dummodò tamen possessio fuerit pacifica. Rot. *decis. 599. num. 4. part. 4. recent. tom. 2. post Puteum decis. 411. lib. 2. in nouis:* & quòd communi opinione existimabatur illum habere ius, & possessionem in illo beneficio.

Longum autem tempus olim dicebatur esse decem annorum: hodie verò decennium istud redactum est ad triennium, propter regulam de triennali quæ postea superuenit; de qua paulò post agemus: † Ratione cuius temporis lapsus, non solum præsumitur titulus prædecessoris; sed etiam habitus ipsius; veluti clericatus, si is communi reputatione habilis existimabatur. Rot. in *novis, decis. 2. de silys præbit. & notauit ad illam decis. Theodos. Rub. in suis singularib. ad decis. Rota, ad dictam decis. 2. fol. 570.*

Cessante autem ista temporis diuturnitate, titulus prædecessoris esset producendus, si colligens titulum & possessionem anteriorem alterius produceret: quia fieri non potest, vt non vitiosa præsumatur & absque titulo possessio prædecessoris; cum de alterius præcedente titulo, & possessione apparet. Cod. Fabrian. lib. *1. tit. 3. definit. 15. de sacrosanct. Eccles. & bene explicat Ricc. in prax. aur. variar. resol. cap. 327. per totum.*

Cuius allegationis Lapi 89. integram materiam copiosè explicat Marefcot. lib. *1. variar. resol. cap. 41. per tot.* ad quem omninò recurrendum erit, dum casus occurrerit.

Notandum tamen est decisionem illam Senatus Sabaudie relatam per Fabr. in *Cod. d. definit. 15. sub*

- rit. de sacrosanct. Eccles. tunc demum habere locum, quando aduersarius vult probare prædecessorem noui huius impetrantis, non fuisse triennalem; vel non fuisse habitum pro vero, & legitimo beneficij possessore: secus si probare vellet non titulum authoris, seu titulum eius infectum: quia talis probatio non esset recipienda; vt ipsemet Lopus asserit d. allegat. 89. sub num. 16. versic. nec obstat. Ratio est, quia potest esse quod habuerit alium meliorem titulum: † Nam ista allegatio tantæ est efficacix, vt faciat præsumi in prædecessore meliorem quemcumque alium titulum, si quis sit in toto mundo: Mohedan. decis. 15. de causa possess. & propriet. numer. 2. Rot. apud Ludouif. decis. 37. numer. 9.
10. Burat. decis. 249. numer. 12. † Vnde ex solo lapsu triennij, resignatio præsumitur publicata. Burat. decis. 263. numer. 8. Paris. de resignat. libr. 11. question. 14. numer. 26. quia non est verisimile, quod si resignatarius non publicasset, tanto tempore fuisset in illo beneficio toleratus.
11. Quæ præsumptio tituli validi non tollitur per probationem tituli infecti, stante cursu longi temporis. Crescen. decis. vltim. de probat. Gomes. ad regul. de triennal. quest. 10. Rot. decis. 49. numer. 5.
12. part. 5. recent. † Nisi tamen probaretur, quod is qui possidebat, non suo sed alieno nomine possideret. Marefcot. d. lib. 1. variar. resol. cap. 41. numer. 75.
13. Differt ista præsumptio à regula Cancellariæ de triennali: quia in triennali, tempus trium annorum consideratur de tempore moderni possessoris beneficij: sed in allegatione Lapi 89. triennium inspicitur tempore quo prædecessor moderni istius possessoris, beneficium de quo agitur obtinuit: † ad effectum, vt modernus iste possessor non teneatur probare titulum sui prædecessoris: vt bene Mohed. d. decis. 15. de causa possess. & propriet. numer. 3. in fine.
14. Secundum tempus quod in hac materia consideratur, est tempus vnus anni; ratione cuius edita fuit regula Cancellar. de annali possess. quæ duo continet capita: prius, vt impetrans beneficium ab alio per annum pacificè possessum, teneatur exprimere nomen, gradum & nobilitatem possessoris, & quot annis illud beneficium possederit, & causam specificam & determinatam, propter quam constare possit quod possessori nullum ius competat in beneficio
15. impetrato. † Et huic regulæ, quoad hanc primam partem, solet derogari per summum Pontificem; nec non etiam in Legatione: vt docet experientia, & tradit Ludouif. decis. 213. numer. 1. † Et talis derogatio debet esse specialis: Seraph. decis. 983. numer. 8. vbi dicitur non sufficere, quod in supplicatione fiat mentio annalis possessionis, nisi illius expressa accedat derogatio. † Quamuis huiusmodi derogatio non attendatur, si principalis gratia sit nulla. Puteus, decis. 91. lib. 2.
16. Posteriori parte dictæ regulæ de annali mandatur, quod impetrans, possessorem intra spatium sex mensium citari curet, causamque ex tunc desuper intra annum definitiuè terminari faciat. Huic secundæ parti non derogatur: † sed faciliè temporis conceditur prorogatio. Gratian. discep. forens. 574. numer. 23.
17. † Imò quando nulla fuit temporis prorogatio obtenta, tempus anni non currit, si de legitimo impedimento doceatur. Ludouif. decis. 532. n. 4. quidquid in contrariū concludat Gratian. d. cap. 574. numer. 21. eâ motus ratione, quia impedimentum faciliè remoueri potuit, per impetrationem prorogationis. Siquidem contrarium verius est, vt scilicet stante legitimo im-
- pedimento, tempus anni non currat. Rot. decis. 708. numer. 1. & per totam, part. 4. diuersor. & decis. 601. eadem part. 4. † ita vt nec requiratur aliqua protectio super impedimento, maximè si tale impedimentum proueniat ex facto aduersarij. Ricc. collect. 3181. Adden. ad Ludouif. decis. 532. numer. 6. † vbi additur numer. 7. quod iste annus incipit à die executæ citationis. † In Gallia tamen, esset necessaria intimatio, propter verba clara decreti de pacific. possess. in Concord. Et de materia huius regulæ, habentur etiam aliqua per eisdem Adden. ad decis. 213. Ludouif. numer. 4. & seq. † Vbi dicitur, quod ad effectum regulæ de annali, sufficit lis super executione litterarum, ad fines possessori adipsicendi, quod admixtam habet causam proprietatis: & quod ista regula exigat expeditionem causæ fieri intra annum in petitorio. † Si tamen aduersarius suspendisset petitorium, totum illud tempus disputationis possessori, ab anni cursu deducendum est, Crescen. decis. 10. de caus. possess. & propriet. † Porro hæc regula locum habet in quocumque impetrante; siue per obitum, siue per resignationem, siue alio quocumque modo expresso. Crescen. decis. 11. de caus. possess. & propriet. & Cokier. ad regul. 34. de annal. possessor. numer. 66.
- Item locum habet regula de annali, & lis expediri debet intra annum, etiam si beneficium fuerit impetratum ex causa simoniæ: adeo vt non liceat postea variare, & ad alium modum vacationis confugere: quia hoc esset contra regulam. Gratian. discept. 574. numer. 25.
- Differunt regulæ de annali, & de triennali, in multis: sed præcipuè in eo quod regula de annali non impedit ortum actionis; sed actionem natam perimit, si intra tempus intentata, ac deinde intra annum terminata non fuerit. At verò regula de triennali impedit ortum actionis; & omnem molestantiam, quæ aduersus possessorem moueri posset, excludit. Lotter. de re benefic. lib. 2. quest. 53. numer. 3. & hæc est præcipua differentia, quamuis plures alias ibidem Lotter. afferat.
- Alia etiam notari potest intra annalem, & triennalem differentia: quia vt possessor iuuetur annali, non exigitur titulus: sed vt iuuetur triennali, omnino necessarius est titulus, isque coloratus. Seraph. decis. 1060. numer. 7. & 8. & decis. 1068. numer. 2. † quia regula de annali contenta est sola possessione facti: ideo concludit illi regulæ locum esse; etiam si quis fuerit intrusus in beneficio reseruato: optimè explicat Cod. Fabr. lib. 1. tit. 2. definit. 15.
- Hæc tamen regula de annali locum non habet, in præiudicium institutionis faciendæ ad præsentationem veri patroni: Seraph. decis. 285. numer. 6. Rot. decis. 796. numer. 3. lib. 3. part. 3. diuersor.
- Nec similiter locus est huic regulæ de annali, si constet de non titulo authoris: vt tradit Paris. de resignat. lib. 3. quest. 5. numer. 7. † dummodò tamen de non titulo constet clarè, & euidenter; nempe per confessionem partis, vel per rem iudicatam. Seraph. decis. 983. numer. 2. plura de annali Ricc. collect. 2394.
- Tertium est tempus triennij, de quo in regula de triennali possess. quæ vult, quod si quis beneficium per triennium pacificè possederit, ex collatione illius qui ius conferendi, habet, & non fuerit in eo intrusus, nec illud simoniacè obtinuerit; & beneficium non sit reseruatum reseruacione in corpore iuris clausa; non potest ampliùs molestari, & impetrationes de tali beneficio factæ sunt nullæ: ex quibus aperitè

- apertè constat quæ sit differentia possessionis annalis, triennis, & decennis: vt supra ostendimus num. 14. 30. & 31.
37. Colligitur & secundò, quæ sint necessaria vt huic regulæ locus sit; nempe pacifica possessio per triennium, & titulus coloratus. *Burat. decis. 39. numer. 9.*
38. Vnde si de fructibus beneficij responsum fuerit existenti in ætate sex annorum, cum decreto quòd dum esset legitimæ ætatis, illi fieret collatio; non potest iuari hac regula: cum in eo deficiant duo eius requisita; videlicet titulus, & possessio: quia infans vtriusque incapax est. *Rot. decis. 531. num. 4. part. 2. recent.*
39. Similiter hæc regula non iuvat non graduatum obtinentem beneficium in villa murata, in Gallia, propter edictum Regis: cum non habeat titulum coloratum. Ita iudicatum fuit in Senatu Tholosano, teste *Maynard. lib. 1. cap. 56.*
40. Idem dicendum est, si notoriè constet titulum possessoris triennis esse vitiosum: vnde meliùs est titulum non producere, quando ex illius inspectione constat de vitio: *Cod. Fabr. lib. 1. tit. 2. definit. 5. †* sufficit igitur allegare possessionem cum titulo colorato, absque alterius tituli exhibitione: quia colorata possessio sufficit ad obtinendum in possessorio. Intelligitur autem possessio colorata, si beneficium collatum sit ab eo, qui conferendi potestatem habet;
42. non ab alio: vt *ibidem, Fab. num. 2. †* Dixi, de titulo vitioso; nam si solus titulus esset nullus, & inualidus, illius productio non obstaret: aliud enim est titulum esse nullum, aliud esse vitiosum: vt ibi notat *Faber, num. 3. †* nam in triennali non est necessaria probatio veri tituli, sed sufficit possessio colorata ex titulo colorato: tunc enim possessor triennis potest allegare dispensationem, & alium quemcumque meliorem titulum de mundo, *Mantic. decis. 50. num. 10.*
44. † dummodò fuerit pacificus per triennium: secùs si non fuisset pacificus: vt ibi per eum. *Marius Anthonin. lib. 1. variar. resol. cap. 87. num. 1. †* nisi tamen ex aduerso probetur negatiua, videlicet quòd nulla adfuit dispensatio: sed hæc difficilè probari potest. *Ludouif. decis. 242. num. 6. †* Vnde remanet præsumptio tituli validi, licèt constet de titulo inualido, non tamen vitioso: vt ex *Cod. Fabrian. dictum est, Ludouif. decis. 37. num. 9. Cassad. decis. 3. de caus. possess. & propriet.*
47. Et quamuis *Sanch. in consil. moral. cap. 1. dubit. 25. num. 2.* existimet regulam de triennali non tueri malæ fidei possessorem; tamen contrarium verius est: quia in hac materia, bona vel mala fides non attenditur. *Rot. decis. 765. num. 4. part. 3. lib. 3. diuers. Burat. decis. 280. num. 8.*
48. Quamuis etiam aliqui existimauerint, hanc regulam de triennali non obstare in petitorio; sed tantùm in possessorio: *Cokier ad regul. de triennal. 35. numer. 18.* tamen contrarium verius est, & per Rotam Romanam obseruatum; nempe triennalem obtinere debere tam in petitorio, quàm in possessorio. *Cassador. decis. 5. numer. 5. de restitut. spoliat. Rebuf. de pacif. possess. num. 25. Rot. apud Burat. decis. 280. num. 1.*
49. Quod autem mox dicebamus num. 44. ex *Mantic. decis. 50. num. 10.* non ita simpliciter est intelligendum; sed tunc duntaxat locum habet, quando versamur in casu in quo Papa facilè dispensare solet: nam si difficilis esset dispensatio, non esset præsumenda ex cursu cuiuscumque etiam longissimi temporis. *Gratian. discep. for. cap. 397. num. 41. Menoch, lib. 3. præsumpt. 132. numer. 73. versic. ceterum. & num. 75. Mascard. de probat. conclus. 533. numer. 7. 8. & 9.*
- Vtrùm autem hæc regula triennis, siue decretum de pacificis possessoribus iuuet eum, qui ex suis prouisionibus tenebatur profiteri, dum ipsi collatum fuit beneficium regulare; & tamen intra tempus professionem non emisit? Videtur dicendum affirmatiuè. † Quia regula ista siue decretum, iuvat non promotum intra annum, vel non graduatum; dummodò tamen ante impetrationem promotus, vel graduatus fuerit. *Maynard. lib. 1. cap. 55.* etiam si ex lege foundationis promoueri teneretur: vt decisum fuisse testatur *Louet. litter. B. in addit. numer. 4.* ergo pari modo iuuate poterit non professum.
- Sed tamen contrarium verius est, quando in prouisionibus fuit expressum, quòd intra certum tempus professionem expressam emittere teneretur; aliàs quòd gratia sit nulla. Quia † tota gratia inficitur, & ad nihilum redigitur propter illud decretum irritans, quod inficit non solùm titulum, sed etiam possessionem. *Rot. decis. 41. numer. 9. in fin. part. 1. recent. cap. si eo tempore. de electione. in 6. Rot. decis. 62. numer. 6. part. 6. nec non, decis. 24. numer. 5. part. 2. diuersorum. Lotter. de re benef. lib. 2. question. 46. numer. 70. & 71. Mart. de claus. part. 1. cap. 255. numer. 8. †* Et ita post longam disputationem, quòd decretum de pacificis, hoc casu non suffragetur determinat *Pelous, action. forens. lib. 1. cap. 34. in fin. versic. A ce dernier point.*
- Neque obstant quæ opponuntur de non promotò, vel non graduato. Quia non habent locum quando quis promoueri, vel graduari iussus esset intra certum tempus, cum clausula decreti irritantis, quòd aliàs gratia esset nulla: cum etiam si quis per sententiam promoueri iussus esset, & non paruisset; non esset tutus triennali possessione, etiam si post iussum de promouendo, per triennium possedisset; si negatiua illa non promotionis fuisset probata, nec non negatiua non obtentæ dispensationis: nam lapsò post iussum triennio, præsumitur dispensatio nisi contrarium probetur. *Cod. Fabrian. lib. 1. tit. de sacrosanct. Eccles. definit. 90.* Concluditur ergo non professum, qui tamen profiteri iussus est, per rescriptum concessionis beneficij cum clausula, quòd aliàs gratia sit nulla, non iuari possessione triennali.
- Sicut videmus fuisse decisum in simili casu, quòd obtinens duo beneficia curata, & per consequens incompatibilia, non iuatur triennali; imò quòd plus est, nec decennali possessione. *Marius Anthonin. lib. 1. variar. resol. cap. 90. per totum.*
- Quid dicendum est de simoniaco, vtrùm iuuetur triennali possessione? Respondendum est non iuari: vt expressè dicitur in illa regula *Cancell. ibi, absque simoniaco ingressu. †* Sed dubium est, vtrùm hoc intelligendum sit de simonia reali, an verò etiam locum habeat in pura conuentionali, quando scilicet partes remanserunt in nudis terminis conuentionis; sed nulla interuenit traditio pecuniæ, vel rei temporalis? *Cokier. ad regul. 35.* dubitare videtur: † sed verius existimo, non nocere triennali, puram simoniam conuentionalem nondùm executioni demandatam per expeditionem pecuniæ, vel alterius rei temporalis; cum nondùm sit completum delictum: per ea quæ tradidimus superius *cap. 19. num. 3.* quibus addo *Petrum Gregor. institut. rei benef. cap. 26. numer. 1.* Atque ita decisum fuit per has

rationes in Senatu Tholofano apud Maynard. *lib. 1. cap. 58.*


60. Præterea, quia in dicta regula de trienniali, excipiuntur beneficia referuata, referuatione in corpore iuris clausa; quæritur vtrum possessio pacifica triennialis, suffragetur possidentibus beneficia alio modo referuata? Respondetur quoscumque beneficiorum referuatorum possessores iuari trienniali: quamuis illa beneficia sint referuata, dummodo non sint referuata referuatione clausa in corpore iuris: vt
61. dicunt omnes de dicta regula tractantes. † Atqui referuatio in corpore iuris clausa, vnica est quæ continetur in *cap. 2. de prabendis in 6.* nempe quando agitur de beneficiis vacantibus per obitum in curia S. D. N. Papæ, Gratian. *discept. forens. 574. numer. 18.* Cokier, *ad dict. regul. de triennial. numer. 69.*
62. Rursus notandum est trienniali locum non esse, quando quis possedit Ecclesiam alteri vnitam: quia Ecclesia vnita non est amplius beneficium, sed amittit titulum beneficij, & est veluti prædium Ecclesiæ, cui facta fuit vnio. Rot. *decis. 410. numer. 5. part. 1. recent. & decis. 313. part. 2. etiam in recent. Caualer. decis. 202. numer. 4.*
63. Denique sciendum est istud decretum in Gallia prodesse, etiam aduersus Regalistas; si per trium annorum spatium negligentes fuerint in vtendo iure suo; neque intra illud tempus, egerint contra possessorem beneficij: vt *decisum testatur Louet. litter. V. & ibi addit. in fin. Videri tamen poterit Peleus action. forens. lib. 1. action. 18.*
64. Sed ommissis pluribus aliis quæstionibus, quas afferunt DD. dictum decretum seu regulam de pacif. possess. explicantes, veluti Rebuf. Gomes. Cokier, & alij, nec non Sanch. *in consil. moral. lib. 2. cap. 1. dubit. 20. & seq. vsque ad 35.* Ricc. *collect. 2077. & 2095.*
- Duo supersunt breuiter examinanda: primò, quomodo intelligenda sit possessio pacifica in hac materia requisita? Secundò, quomodo titulus coloratus.
65. Quod ad primum attinet: vt quis dicatur pacificus possessor, necesse est vt nullam habuerit controuersiam in iudicio, nec extra iudicium. Burat. *decis. 699. numer. 2.* Si tamen turbatio, seu contradictio extraiudicialis non fuerit continuata, non excluditur exceptio triennialis possessionis. Burat. *decis. 622. numer. 8.*
66. Iudicialis verò contradictio, vt noceat vel interrumpat; necesse est vt sit super titulo, vel possessione, vel fructuum perceptione. Buratus, *decis. 585. numer. 5. & 699. numer. 3.* † Nec nocet sola impetratio per aduersarium facta, sed eâ non obstante, semper currit tempus triennialis possessionis, nisi præterea citatio interuenerit. Burat. *decis. 585. numer. 3.*
68. Turbationes autem per tertium illatæ, vel licet cum tertio agitata, non impediunt cursum triennialis quoad alios, qui non sunt in lite: Rebuf. *de pacif. possess. numer. 200.* Rot. *decis. 377. numer. 4. part. 3. recent.* Burat. *dict. decis. 585. numer. 6.* † Sanch. *in consil. moralib. dict. lib. 2. cap. 1. dubio 27. numer. 11. in 9. conclus.* Vbi notandum est dictionem Non iungendam esse præcedentibus, & regulam apponendam esse post dictionem Non; hoc pacto: Si litiget quis aduersus vnum post triennium, & aduersus alios non; dicetur pacificus quoad alios: cum ibi Sanchez sequatur opinionem Rebuffi, *dict. numer. 200. aliàs 165.* & Glossæ *ad pragmat. sanctiones in tit. de pacif. possess. in verb. terminorum.* qui

asserunt interruptionem triennij nocere tantum quoad personam interruptentis, nec tertium ex ea se iuuare posse.

Sed vtrum appellatio sola extraiudicialis triennium interrumpat? Respondetur interrumpere, si parti fuerit intimata: Gomez. *ad d. Regul. de trienn. quest. 54.* Sanch. *d. dubio 27. numer. 12.* † Ratio est, quia in beneficialibus appellatio extraiudicialis habet vim citationis. Franc. *in c. bona memoria. 51. n. 18. de appellat. & Dixi in tract. de prauent. iudiciali cap. 32. numer. 13.* maxime stante intimatione facta parti, qualiter fuit extraiudicialiter appellatum vt dixi *ibi, numer. 18.*

Quod attinet ad secundam, nempe ad titulum coloratum: dicitur in hac materia titulus coloratus, qui concessus fuit ab habente conferendi potestatem: Ricc. *collect. 2804.* Francisc. Steph. *decis. Aquens. 78. numer. 7.* † Aliquid etiam idem Ricc. *collect. 3173.* vbi ostendit maiorem tituli colorem requiri in materia triennialis, quam in actione spolij: † Vnde titulus habitus à Vicario dicitur coloratus, etiam si de eius potestate non constet. Rot. *decis. 119. numer. 6. part. 1. recent.*

Vltimo loco hoc singulariter aduertendum est, quòd licet intrusio in iure variè considerari possit; provt ad longum explicat Ricc. *in prax. aur. res. sol. 224.* & alibi diximus: † Tamen ad effectum regulæ de trienniali, tribus tantum modis quis dicitur intrusus: primò, quando non habet titulum verum, vel præsumptum: secundò, si habet quidem titulum, sed non ab eo qui habet potestatem conferendi: tertio, quando quis habet titulum simoniacè, (id est simoniâ reali vt supra *numer. 58.* obtentum) aut est prouisus de beneficio referuato referuatione in corpore iuris clausa, nempe iuxta *caput 2. de prabend. in 6.* vt supra *numer. 61.* ostensum est.



## C A P V T L X X X V I.

De electione nulliter facta tempore pestis per tres canonicos Ecclesiæ collegiatæ, cuius eligendi competeat intra ciuitatem peste infectam; ad quam propterea absentes tutum accessum non habebant: Et obiter multa de peste quoad residentiam, administrationem sacramentorum, & alia spiritualia.

### S V M M A R I V M.

1. Electio non capitulariter facta, omnibusque non vocatis, nulla est.
2. Tres canonici possunt procedere ad electionem in defectum aliorum, dummodo alij non fuerint contempti, sed legitime citati.
3. Dum in electionibus requiritur maior pars: illa numeratur non respectu presentium duntaxat; sed respectu totius capituli.
4. Intellige tamen, vt totum capitulum componatur de illis, qui volunt, possunt & debent adesse; non autem de his qui nolunt, non debent, vel non possunt adesse.
5. Quando locus in quo celebrari debet electio est suspectus, canonici existentes in loco suspecto,



Et, tenentur accedere ad locum, in quo omnes alij tunc possint interuenire. Intellige vt infra. num. 22.

6. Anno 1629. & 1630. dum pestis grassabatur Auenione; electiones, & magni ponderis deliberationes fiebant extra ciuitatem in loco vicino.
7. Ripa composuit tractatum de peste, pro ciuitate Auenionensi.
8. Tempore pestis electio, qua alioqui fieri debuisset in Ecclesia, fieri potest alio in loco.
9. Electio syndici vniuersitatis intra Ecclesiam valida est, secundum aliquos; sed multo securior est ibidem facta, ob pestis necessitatem.
10. Tempore pestis licet hospitari, & conuiuari intra Ecclesiam.
11. Electio tempore pestis fieri potest in alio loco, quam consueto; dummodo locus sit idoneus.
12. Nemo inuitus ad locum peste infectum accedere cogendus est.
13. Pestis excusat a beneficiatum a residentia.
14. Item excusat a contumacia.
15. Item pestis excusat a lapsu fatalium.
16. In omnem euentum, datur restitutio aduersus fatalia lapsa tempore pestis.
17. Parochus potest recedere tempore pestis, dummodo parochia inseruiat per substitutum idoneum.
18. Tempore pestis sacramenta potius, & prius infirmis dari debent, quam aliis de peste non suspectis; & si sit timor infectionis, debent dari per alios sanis, & per alios agrotantibus; & si opus sit, per simplicem presbiterum, cui danda est licentia.
19. Pestis excusat a non publicatione resignationis.
20. Absentia causa pestis est iusta, & facit vt absentis detur restitutio, aut quod ipso iure seruetur illasus.
21. Citatus ad locum pestiferum non tenetur comparere, ad effectum procedendi ad electionem.
22. Quando canonici qui remanserunt in ciuitate pestifera sunt in maiori numero, possunt procedere ad electionem; nec tenentur accedere ad eos qui aufugerunt: secus est, si sint in minori numero.
23. Quando canonici sunt absentes propter pestem, conuocandi sunt per eum, qui illos conuocare solitus est: & in eius defectum, per maiorem de capitulo.
24. Conuocatio ad capitulum tempore pestis facta, statim post sonum campana, nullo dato temporis interuallo, & portis ciuitatis clausis, nulla est ad effectum electionis.
25. Citatio ad fines electionis debet fieri ad locum, ad quem pateat accessus, isque tutus.
26. Citatio ad electionem debet fieri dato absentibus congruo temporis interuallo, vt ad locum capitulare possint venire.

VAcante canonicatu per obitum vltimi illius possessoris, capitulum cui ius eligendi competeat, processit ad electionem; subsequuta etiam institutione, seu collatione dicti canonicatus: cui capitulo tres duntaxat canonici interfuerunt, cæteris propter metum pestiferæ contagionis absentibus, propter metum pestiferæ contagionis absentibus, tamen ad sonum campanæ, vt moris est: verum canonici post finitam contagionem redeuntes, ad nouam electionem capitulo legitimè congregato

processerunt: vnde disputatum fuit de vtriusque electionis validitate.

Respondi electionem, & collationem primo loco factam vitio nullitatis subiacere; præsertim reclamante capitulo, & canonicis absentibus reclamantibus; & contemptum sui prosequi volentibus. Electio siquidem non valet, nisi vocatis omnibus, qui in electione votum habere possunt: *cap. quod sicut. & cap. quia propter. de elect.* hoc autem in casu, vocati non fuerunt absentes, nec electio fuit capitulariter facta: & per consequens, nulla est.

Quod electio non fuerit capitulariter facta, patet: quia licet tres canonici possint constituere capitulum, in defectum aliorum; *cap. 1. de elect.* cum ibi notatis; tamen hoc intelligitur dummodo alij contempti non fuerint, sed legitimè citati. † Maior quippe numerus eligentium, qui in electione concurrere debet, non intelligitur respectu præsentium: sed respectu totius capituli, & aliorum omnium qui habebant potestatem eligendi, seu conferendi: *cap. Ecclesia nostra 48. in verb. licet maiorem partem.* & ibi Abbas, num. 4. & alij *extr. de elect.* † Quod tamen non procedit, quando soli presentes sunt capaces voti; veluti si alij sint tales qui votum dare non possint, vel nolint, aut legitimè vocati non compareant: & in summa, hoc debet intelligi de illis qui debent, volunt, & possunt capitulo interesse: vt bene dicit Mirand. *in manual. pralat. regul. tom. 2. quæst. 23. artic. 27. in 2. conclusione.*


Quod autem citatio absentium legitimè facta non fuerit, patet: cum fuerit facta in loco, & ad locum pestiferæ contagionis lue infectum; ad quem canonici absentes sine periculo vitæ accedere non poterant: ideo domini Canonici præsentis, tenebatur accedere ad locum aliquem omnis periculi, & suspicionis immunem; cum ipsi essent in minori numero, & qui recesserant in maiori. † Sicut & Nos obseruabamus anno 1629. & 1630. dum ciuitas hæc Auenionensis peste laboraret, in qua Superiorum iussu, propter officium publicum quod exercebamus, residere non sine vitæ periculo cogebamur: electiones enim, & maioris ponderis deliberationes fiebant in loco Montis Fauelsij vicino ciuitati, ad quem omnes Consiliarij vocabantur & accedebant votum dantes, segregatis tamen ciuitatem illo tempore inhabitantibus, ab illis qui recesserant. † Et ita in materia electionis faciendum esse tradit Rip. *in tract. de peste,* (quem occasione contagiosi morbi, in eadem ciuitate grassantis, tempore suo composuit: ) *in prima parte 2. partis princip. de priuileg. contract. num. 123.* † vbi dicit, quod licet regulariter electio debeat fieri in Ecclesia, *cap. cum terra. cap. nobis. de elect.* tamen si vigeat pestis, canonici qui aufugerunt, facere possunt electionem in alio loco: *cap. in nomine domini. 23. distinct.* † E conuerso, licet dubitari possit vtrum electio syndici facta intra Ecclesiam, sit valida; cum intra ipsam de solis spiritualibus negotiis tractandum sit: vt per Fusc. *de visitat. lib. 1. cap. 28. num. 7.* Gratian. *discep. forens. cap. 655. n. 37.* Et tamen Bald. *consil. 478. lib. 5. ac Tusch. in verb. Ecclesia conclus. 6.* censuerunt constitutionem syndici vniuersitatis intra Ecclesiam validam esse; etiam cum interpositione decreti; cum sit voluntariæ iurisdictionis: † sed res caret difficultate tempore pestis, propter necessitatem; cum etiam liceat tempore pestis hospitari, & conuiuari in Ecclesia, maximè campestri, Rip. *de peste, 1. part. 2. partis princip. n. 126. fol. mihi 28. vers.*

Quod autem de electione in alio loco facienda dictum est; intelligi debet, dummodo locus sit aptus: vt dicit Ripp. *loc. citat. numer. 123.*

enim, inquit, si fugitiui à ciuitate Auenionensi conuocarentur in Lombardiam, certè non tenerentur accedere.

12. Minus tenentur accedere ad locum peste infectum, ad quem nemo inuitus cogendus est intrare: Thefaur. iun. lib. 3. quæst. 30. num. 13. quia talis coactio esset contra ius gentium. Mart. consil. 1. per tot. dixi in tractat. de Praeuentione Iudiciali, cap. 9. num. 51.
13. Sicut aliàs videmus, quòd pestis excusat à residentia. Barbof. in cap. relatum. 4. numer. 8. de cleric. non resident. † Item pestis excusat à contumacia,
14. Menoch. de arbitrar. casu 153. num. 10. † Item excusat à pœna, & à cursu fatalium, & aliis multis de quibus per Mascard. conclus. 20. num. 6. per tot.
16. † Et licèt fatalia currant tempore pestis, tamen datur restitutio aduersùs lapsum illorum. Sigism. Scacc. de appellat. quæst. 15. numer. 329.
17. Imò & ipse Parochus potest recedere tempore pestis, dummodo inferuiat per substitutum idoneum; ita quòd grex detrimentum non patiat. Bonacin. de obligat. & onerib. beneficiat. ad residen. disput. 5. punct. 5. numer. 3. & 4.
18. Quomodo autem administrari debeant Sacramenta tam sanis, quàm infirmis tempore pestis; explicat Sayt. lib. 1. florum decis. cas. conscient. tit. 2. decis. 39. Nempe vt priùs infectis, propter maius periculum; postea sanis ministrantur: nisi sit periculum infectionis: sed si adsit periculum, licentia Sacramenta ministrandi cuilibet simplici Sacerdoti concedi debet. † Excusat etiam pestis à publicatione resignationis, & à multis aliis de quibus Parif. de resignat. libr. 11. quæst. 13. numer. 60. & seq.
20. Et absentia causa pestis est iusta, & facit vt absententi detur restitutio, aut saltem ipso iure seruetur illæsus: Oddo, de restit. in integ. part. 1. quæst. 7. à num. 94. vsque ad 100. & plura de absentibus causa pestis habentur apud Neuizan. consil. 51. per tot.
21. Redeundo igitur ad propositum nostrum, cum pestis excuset à residentia, & à citatione: quia quis non tenetur comparere in loco pestifero: Tusch. litter. P. conclus. 326. Gaill. libr. 1. obseruat. 52. num. 11. illi qui remanserunt in loco, non possunt citare fugitiuos, nec eos arctare ad electionem: & sic citatio facta non subsistit: & per consequens electio non valet.
22. Quod tamen non ita simpliciter intelligendum est, sed adhibenda est distinctio: nam aut absentes constituunt maiorem capituli partem, aut non; si non constituunt maiorem partem capituli, vera est prædicta decisio: at è contra, si illi qui remanserunt in loco peste infecto, maiorem capituli partem constituent, ad eos spectat electio: vnde cum in casu proposito, maior pars capituli in ciuitate remansisset, non poterant intrinseci citare forinsecos; sed illos in loco non suspecto adire tenebantur: iuxta doctrinam Innocentij in cap. ex iniuncto. de nou. oper. nunciat: Rip. de peste, dict. 1. parte 2. partis. num.
23. 123. † Qui subdit quòd vbi canonici sunt dispersi propter pestem, is ad quem spectat conuocare capitulum, vel aliàs maior de capitulo, illos conuocabit: cap. 1. de maiortate & obedient.
24. Præmissis accedit quòd post emissum campanæ sonum, ad effectum capitulum congregandi; confestim nullà datà morà congrui temporis, quo absentes accedere possent; processum fuit ad electionem, seu collationem huius beneficii: imò ipsis portis ciuitatis oclusis; ita vt qui erant in suburbis, aut alij absentes intrare non potuissent, etiam si maximè voluissent: ex quo resultat alia notoria nullas
25. liras electionis, & conuocationis capituli: † cum

ad validitatem electionis, omnes conuocare necesse sit ad locum, in quo pateat accessus, isque tutus. Card. Tusch. litter. T. conclus. 460. numer. 10. † Et 26. dari debeat absentibus congrua dilatio ad comparandum. Bertachin. in tract. de Episcop. libr. 1. part. 3. num. 9.



## CAPVT LXXXVII.

De concursu prouisionis Apostolicæ, cum prouisione Ordinarij facta ad patroni laici præsentationem; quando prouisus Apostolicus non fuit præsentatus à patrono, quamuis beneficium esset alioqui reseruat. Et quòd prouiso ab Ordinario dentur remedia possessoria, cessante videlicet reseruatione in beneficio, quod est de iure patronatus laicali. Item quòd vacatio dicatur consumpta, & cesset reseruat. ad effectum vt Ordinarius possit conferre, quando prouisio Apostolica facta fuit, licèt inutiliter ob defectum potestatis: vel quando collatio non est nulla, sed annullanda.

## S V M M A R I V M.

1. Beneficia vacantia per adeptionem alterius incompatibilis, sunt sedi Apostolica reseruata.
2. In beneficiis reseruatis, Ordinarius qui confert ad præsentationem Patronorum laicorum; tantum iuris habet, quantum summus Pontifex: & illius littera sunt sine mora executioni demandanda.
3. Amplia, vt hoc procedat etiam concurrente præsentatione alterius, qui non sit verus patronus.
4. Reseruaciones omnes cessant, quando agitur de beneficio iuris patronatus laicalis.
5. Amplia, vt hoc procedat tam in reseruatione expressa, quam in tacita per appositionem manus.
6. In patronatus laicale vniuersitatis, seu parochia sufficienter probatur per Bullam fundationis.
7. Maximè quando agitur de parua vniuersitate, & vbi adsunt Superiores potentes.
8. Quando dubitatur de existentia iuris patronatus, non sufficit quasi possessio presentandi.
9. Secus est, quando constat de existentia, sed tantum dubitatur de illius qualitate.
10. In patronatus probatur contra confidentem per illius confessionem.
11. In patronatus præsumitur laicale, quando laici sunt in quasi possessione presentandi.
12. In materia iuris patronatus, multum defertur assertioni Ordinarij, tanquam bene informati.
13. Etiam si ageretur de iure patronatus mixto, tamen cessaret adhuc omnis reseruat.
14. Limita, nisi maior pars patronorum esset ex personis Ecclesiasticis: tunc enim iudicaretur tanquam Ecclesiasticum, & sic non cessarent

*cessarent reservationes.*

15. *Reservatio Apostolica cessat post promissionem effectum sortitam, licet promissus sit inhabilis.*
  16. *Si ex promissione promissus debeasse actu Sacerdos, non potest huic qualitati derogari.*
  17. *Papa potest sine dubio derogare Concilio Trident. non solum expressè, sed etiam tacitè; dummodo constet de mente illius quòd voluerit derogare.*
  18. *Legatus, aut Vicelegatus non derogat Concilio Trident.*
  19. *Promissio Apostolica, si sit nulla ex defectu potestatis; per eam expirant reservationes.*
  20. *Vacatione consumpta, Ordinarius potest liberè conferre beneficium aliàs reservatum.*
  21. *Vacatio non dicitur consumpta per promissionem factam in forma dignum, nisi promissus examinatus & approbatus fuerit.*
  22. *Per presentationem factam de non Sacerdote, non dicitur consumpta vacatio, nec expirat reservatio, si ex tenore foundationis requiretur quòd promissus esset actu celebrans.*
  23. *Si promissio Apostolica sit ipso iure nulla & non indigeat declaratione, remanet antiquus vacandi modus, & non expirat reservatio.*
  24. *Ratione unionis, que nulla est à principio, remanet antiquus vacandi modus: secus est si unio fuisset valida, & postea dissolveretur.*
1. **Q**uamvis generalis sit regula, quòd beneficia vacantia per assecutionem alterius incompatibilis sibi sibi Apostolicè reservata, vigore *Extravagant. ad regimen. sub tit. de præbend.* Gonzal. *ad regul. 8. gloss. 51. num. 36.* Cui etiam reservationi suffragari videtur constitutio Pauli V. facta 25. Februarij ann. 1609. relata apud Garc. *de benef. part. 11. cap. 5. num. 64.* Tamen stantibus facti circumstantiis, canonicatus de quò agebatur inter prouisum ab Ordinario, & prouisum à Vicelegato, non poterat prætendi quòd esset reservatus, ad effectum impediendi immissionem petitam per prouisum ab Ordinario, ad præsentationem Operatorum patronorum laicorum dicti canonicatus. † Quia stante præsentatione patronorum laicorum, Ordinarius tantum ius habet, quantum summus Pontifex in beneficiis reservatis: & eadem reuerentia debetur litteris Ordinarij, quæ litteris Apostolicis D. Argel. *de acquirend. possess. questione 20. artic. 4. numer. 25. & 26.* vbi dicit ita fuisse bis decisum per Rotam Romanam: & quòd stante præsentatione opportuna patronorum habentium ius præsentandi, Ordinarius habet tantum iuris, quantum Papa habet in reservatis: & sic, omni morâ omisâ, concedi debet immissio. † Vbi hoc ampliatur *numer. 27.* vt locum habeat, etiam si reperiat alius præsentatus ab eo, qui se prætendit compatronum; cum tamen ius præsentandi illi non competat: nam eo non obstante, prouisus ab Ordinario ad præsentationem veri patroni mittendus erit in possessionem. † Et indubiatum est cessare omnes reservationes, quando agitur de iurepatronatus laicali; *Gloss. in cap. 2. & ibi DD. de præbend. in 6. Gonzal. ad regul. 8. Cancell. gloss. 18. numer. 1 & 2. Rota. in recent. decis. 541. num. 2. part. 2.* † Et quemadmodum cessant reservationes expressæ, ita & tacitæ, quando agitur de iurepatronatus laicorum; per appositio-

nem manus Papæ. Dom. Argel. *dict. quæst. 20. de acquirenda possessione, numer. 34.* Adden. ad Burat. *decis. 769. num. 5.*


Quòd autem dictum iuspatronatus laicale spectaret ad Operarios, facta fuerat fides per Bullam erectionis, & foundationis canonicatus, cum expressa reservatione iuspatronatus laicalis: & sic satisfactum erat requisitis per Concil. Trident. Gonzal. *ad d. regul. 8. gloss. 18. num. 34.* † Quamquam nec hoc casu fuisset opus tot probationibus à Concilio requisitis; quamvis ageretur de parochia: cum essemus in ciuitate in qua & parochiæ, parua; & Archiepiscoporum magna fuisset authoritas: quorum nonnulli fuerunt etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales: quo casu, non erat opus seuare formam Concilij: teste Marefcot. *lib. 2. variar. resolut. capit. 52. numer. 5. & 6.* vbi ita refert iudicatum.

Et quamvis versaremur in casu, in quo opus fuisset seuare formam Concilij: & de requisitis per Concilium minimè constaret; non minus fundata esset intentio patronorum: cum non dubitaretur de existentia iuspatronatus, sed duntaxat vtrum illud esset laicale, vel Ecclesiasticum: de quo casu factum Concilium non disponit. † Licet enim quando existentia iuspatronatus in dubium reuocatur, non sufficiat quasi possessio præsentandi, ex dispositione Concilij *sess. 25. capit. 9.* vt refert Ricc. *in prax. Archiepisc. tit. de iurepatronat. decis. 153. num. 47.* Gonzal. *dict. gloss. 18. num. 23.* † Tamen secus est, quando non controuertitur super existentia iuspatronatus, sed duntaxat super qualitate ipsius: præsumitur siquidem illo casu bona fides, & acquiritur quasi possessio præsentandi, etiam per vnicum actum: Garc. *de benef. part. 5. cap. 6. num. 98.* Gonzal. *ad regul. 8. gloss. 18. num. 109. & 110.* Non controuerti autem existentiam iuspatronatus, patebat ex prouisionibus Apostolicis: vbi prouisus tam in supplicatione, quàm in litteris, illius existentiam fatebatur: † quæ confessio probabat iuspatronatus contra confidentem; maximè quia Ordinarius huic liti contra Operarios non assistebat. Rota *decis. 284. num. 1. part. 2. recent.* Et præterea de eiusdem existentia constabat per productionem plurimorum instrumentorum, & per multas præsentationes: vnde sola qualitas laicalis probata remanebat, per eadem instrumenta noua; & antiqua, in quibus ius istud patronatus laicale vocabatur: quod sufficit ad excludendam reservationem: ex Garc. & Gonzal. *locis mox citatis.* † Et faciunt tradita per Mascard. *de probat. conclus. 960. num. 12.* vbi dicit iuspatronatus fundatum à clerico, præsumi laicale; si hæredes laici sint in possessione præsentandi: ita vt onus probandi contrarium, transferatur in aduersarium. Quibus accedebant variæ prouisiones factæ huius canonicatus per Ordinarium, in quibus conferebatur tantquam existens de dicto iurepatronatus laicali: † cum hac in re multum deferatur assertioni Ordinarij, tantquam bene informati. Seraph. *decis. 1232.* & multa alia probabantur, ex quibus qualitas iuspatronatus laicalis in controuersiam deduci non poterat: † quod propterea, non poterat cadere sub reservatione; quamvis fuisset iuspatronatus mixtum: Gonzal. *d. gloss. 18. num. 8. & seq.* quia non solum maior pars, sed etiam omnes patroni sunt laici. † Nam si maior pars patronorum componeretur ex Ecclesiasticis; caderet sub regula reservatoria. Adden. ad Burat. *decis. 103. num. 9.* † Est tamen verum, quòd sola quasi possessio præsentandi non sufficeret, ad excludendam reservationem; cum ad hunc effectum existentia iuspatronatus concludenter probari debeat; pro-

vt hoc casu fuerat probatum : & ita decisum in Rota *decif. 58. & 88. part. 1. recent. & decif. 254. num. 1. part. 3. recent.*

- Ex alio etiam capite Censui cessare reservationem prædictam, procedentem ex adeptione beneficii incompatibilis, de qua superius *num. 1.* actum est: quia pronisio Apostolica iam fuerat effectum sortita: ideo cessabat reservatio; quamvis prouisus Apostolicus inhabilis esset ad obtinendum canonicatum, qui ex lege foundationis requirebat qualitatem Sacerdotalem in impetrante, tempore collationis: † vnde intrabat dispositio Sacri Concilij Tridentini; quo cauetur, quòd quando beneficia Ecclesiastica ex lege foundationis, seu erectionis, requirunt prouisum esse actu celebrantem, (provt in casu proposito requirebatur) illi nullo modo per quamcumque prouisionem derogari potest. † Et licet summus Pontifex sine dubio derogare possit Concilio Tridentino, non solum expressè, sed etiam tacitè; cum auctoritas summi Pontificis in omnibus per dictum Concilium nominati reservata sit: dummodò tamen constet, quòd Papa voluerit illi derogare: *Caualer. decif. 601. num. 3.* & ita seruatur in praxi: *Pyrr. Conrad. de dispens. lib. 3. cap. 1. num. 28.* † Tamen Vicelegatus huic Concilio non derogat. *Conrad. d. tract. lib. 5. cap. 5. num. 9.* Cum igitur agatur de prouisione facta in Legatione, non licuit Vicelegato derogare legi foundationis, ex defectu potestatis. † Et sic cum nullitas prouisionis factæ personæ inhabili procederet à defectu potestatis; talis prouisio finem imposuit reservationi. *Rip. in cap. cum M. Ferrariensis. num. 197. de constitut. Roman. consil. 335. num. 12. & 13.* nullum siquidem effectum producere poterat illa collatio, facta non constituto in ordine sacerdotali; provt requirebatur ex tenore foundationis: † & tamen per eum finita & consumpta erat vacatio ad hoc, vt cessaret reservatio per affectuionem incompatibilis beneficii inducta; & collatio ad Ordinarium iure proprio pertineret. *Gonzal. ad regul. 8. glos. 52. num. 48. & glos. 15. §. 2. quest. 9. per totam à num. 31. Æneas de Falconib. in tract. de reservat. benefic. quest. 4. principali num. 1.* † Maxime quia prouisus Apostolicus litteras in forma dignum acceperat, examinatus, & in possessionem missus fuerat, & sic gratia Apostolica plenè executioni demandata: ideo omnino cessabat vacatio, & erat consumpta; poteratque Ordinarius prouidere. *Rot. decif. 523. num. 2. & 498. num. 2. part. 2. recent. & 691. num. 5. eadem parte, & decif. 71. num. 4. part. 6. recent.* Nam quidquid aliqui contradixerint, teste Ænea de Falconib. in tract. de reservat. benefic. quest. 4. princip. effect. 16. tamen communis opinio est, quòd collatio spectet ad Ordinarium, si prouisio Apostolica sit inutilis, facta de beneficio reservato. *Gomes. ad regulam de triennial. quest. 30. versic. tamen contrarium est verum. post medium illius questionis Roman. consil. 335. num. 12. & seq. Rot. diuers. decif. 512. num. 5. par. 3. lib. 3.* † Et de præsentatione facta de non sacerdote, contra formam foundationis: *decif. 216. num. 6. in fin. par. 2. recent.* Petrus Gregor. in institut. rei benefic. cap. 24. num. 18. & 24.
23. Hoc tamen vltimo loco aduertendum est, ea quæ mox dicta fuere de collatione, & prouisione Apostolica, quòd per eam cesseret reservatio; intelligenda esse, vt procedant, & locum habeant quando prouisio esset ex se valida, sed postea annullaretur, seu nulla & defectuosa declararetur: secus est si à principio esset ipso iure nulla: (non tamen ex defectu potestatis: iuxta tradita supra, *num. 19.*) nam nullitate existente ipso iure, à principio; tunc remaneret

antiquus vacandi modus: & sic vacatio non esset consumpta: ex traditis per Seraph. *decif. 1309. num. 2.* † vbi dicit, quòd ratione vnionis annullatæ, non datur noua vacatio; sed remanet antiqua: secus est, si fuisset valida, & dissolueretur, *Puteus decif. 13. lib. 3.*



## CAPVT LXXXVIII.

De priuilegio ordinis Prædicatorum Sancti Dominici, super immunitate à solutione quartæ funerariæ: & nominatim de cereis, qui deferuntur in manibus Religiosorum. Et vtrùm aduersus hæc priuilegia opponi possit non vsus, aut contrarius vsus, aut res iudicata ab aliquo, qui sit summo Pontifice inferior.

## S V M M A R I V M.

1. Reuerendi Patres Predicatores habent exemptionem à solutione quarta funeraria, per priuilegium.
2. Concilium Tridentinum non intendit nocere priuilegiis, & exemptionibus Patrum Predicatorum.
3. Dictum priuilegium competit Patribus Predicatoribus, non solum ex proprio capite, sed etiam per communicationem cum aliis religiosis.
4. In casibus in quibus quarta funeralis peti potest, non debetur de cereis qui per Fratres in manibus deferuntur.
5. Confraternitates non debere quartam de cereis in funere portatis decisum fuit.
6. Quando corpus sepelitur apud religiosos, tota cadaueris sequela spectat ad ipsos.
7. Parochi tenentur in quartam computare quidquid recipiunt occasione funeris.
8. Priuilegia regularibus concessa fuere titulo oneroso: & propterea irrenocabilia sunt.
9. Priuilegiis toti ordini concessis etiam per pactum expressum derogari non potest.
10. Controuersias omnes super solutione quarta aduersus religiosos, summus Pontifex ad se euocauit.
11. Post euocationem dicitur attentatum, etiamsi antiquior possessio continetur.
12. Procurator soluens sine speciali mandato, non præiudicat domino in exemptione quarta.
13. Priuilegia mendicantibus concessa, circa solutionem quarta funeraria, reuocauit summus Pontifex Gregorius XIII. Intellige de nouis priuilegiis, non de antiquis *num. 14.*
15. Prescriptio extenditur ad alios actus similis speciei.
16. Ut priuilegium consistens in non faciendo amittatur per vniuersitatem, exigitur spatium 40. annorum; quando priuilegium non est momentaneum, sed successiuum.
17. Qui fundatus est in priuilegio, fortius habet ius quam qui in prescriptione: & ideo manu tentio potius ei concedenda est, qui fundatus est in priuilegio.
18. Priuilegio introducto in fauorem totius ordinis, non

non possunt particulares renuntiare.

19. Non obstante antiquissima possessione in contrarium, religiosi debent gaudere suis privilegiis, & immunitatibus; neque solutiones per eos factæ ipsis præiudicant.
20. Solutio facta per privilegiatos nocet duntaxat quoad præterita: sed non quoad futura; quando agitur de privilegio successivo.
21. Quarta de iure communi, etiam cessante privilegio, non debetur ex cereis qui non deferuntur cum funere.
22. Privilegium debet aliquid operari ultra ius commune.

1. Antiqua fuit, & est controuersia inter regulares, & sæculares Præbiteros, super solutione quartæ parochialis: in qua Ego semper steti à partibus regularium, & nominatim scripsi in fauorem religiosorum ordinis Sancti Dominici, quos ab omni quartæ parochialis & funerariæ solutione immunes esse dixi; iuxta summorum Pontificum constitutiones, & nominatim Iulij III. sub datum Romæ die 10. Iulij, ann. 1551. Alexandri IV. Ioannis XX. & Clementis VIII. quarum meminit Gratian. *discept. forens. 925. num. 1.*

2. Quibus privilegiis non resistit Concil. Trident. *sess. 25. cap. 13.* quia Congregatio Concilij dictam constitutionem declarauit his verbis: *Sacra Congregatio Cœsusit Monasteria regularium, quamuis à quadraginta annis citra edificata, non teneri ad quartam parochiali Ecclesia præstandam; si sint eius religionis, cui à sede Apostolica ante 40. annos indultum fuerit; ut huiusmodi quartam soluere non teneantur.* Quæ declaratio inferitur apud Quarant. *in summa Bullar. in verb. privilegia regularium. fol. 516. in fin.* ubi etiam dicitur, quod requirentibus Patribus ordinis Minimorum Sancti Francisci de Paula, ciuitatis Neapolitanæ: eadem Congregatio declarauit Concilium privilegiis Minimorum non obstare. anno 1506. & sic plusquam 40. annis ante Concilium concessis. Quod etiam refert Emanuel Roderic. *tom. 1. quæst. regul. 39. artic. 2.* Barbof. *de iur. Ecclesiast. lib. 3. cap. 24. num. 3.* Lezan. *in summa regular. tom. 1. cap. 3. num. 13.* Et in specie de Patribus Prædicatoribus, tradit Barbof. *ibidem numer. 7.* † Quamquam etiam si specificè huic venerabili religioni non fuisset concessum privilegium: tamen per communicationem aliorum, eisdem privilegiis frui deberet: ut habetur *in Bullario privilegiorum eiusdem ordinis, in constitutione Pauli V. fol. 259.*
- 3.

4. Sed posito quòd dicti Reuerendi Patres tenerentur ad quartæ Parochialis solutionem; nullo tamen modo cogi possent ad eam soluendam de candelis, seu cereis qui tempore funeris dantur ad manus Fratrum, tam ex constitutione Benedicti. 11. inserta *in d. Bullario Prædicatorum, fol. 72.* in illis verbis: *De candelis tamen, quas Fratres portant, portio non petatur: & in Bulla Sixti IV. fol. d. Bullarij 157.* in illis verbis: *nec aliquo casu de candelis, quæ ad manus Fratrum dantur, quarta aliqua quomodolibet detrahatur.* Quod etiam notauit Ioan. Baptist. Confett. *in tract. de privilegiis mendicant. tit. 20. de sepult. cap. 1. fol. 321.* his verbis: *de candelis, quæ dantur ad manus fratribus, in funeralibus; nulla est detrahenda, seu soluenda portio.* Barbof. *d. lib. 3. cap. 24. num. 39.* † qui subdit *num. 40.* Sacram Cardinalium Congregationem negotiis Episcoporum, & regularium præpositam; sub die 5. Martij 1616. respondisse intortitionem, seu cereorum qui portantur per confraternitates sæculares funera associantes, quartam funera-

lem non deberi: & in *decision. Apostolic. collect. 624. num. 4.* Quamquam super huius decreti interpretatione, lis in vrbe pendeat; cuius decisio expectatur: Parochis asserentibus illud decretum intelligi de cereis, quos ipsa confraternitas de suo apponit, & in funere defert; at verò confraternitates prætendunt illud intelligi ratione cereorum, quos hæredes dant confratribus, ut illos deferant in ipso funere: de quo etiam Lezana *in summa regul. tom. 3. in verb. quarta funeralis. num. 7. in fine.*

Et quando corpus sepelitur intra Ecclesiam regularium, cereos omnes ad ipsos pertinere, tanquam sequelam cadaueris, censuit Bald. *in l. unica. §. sed & qui domini. Cod. de latin. libertat. tollen. num. 4.* Petrus de Rauen. *singul. 109.*

Sed notandum est, Parochos teneri in quartam imputare quicquid tacitè vel expressè habent à defuncto: teste Ioan. Baptist. Costa, *in tract. de ratione rata: ex communi opinione, quæst. 144. num. 20.* Couarr. *in cap. officij. num. 6. & seq. extr. de testam.*

Neque obstare dicebant sententias, & decreta, quibus ad huiusmodi quartæ solutionem dicti religiosi condemnati dicuntur. † Quia per similes ordinationes præiudicari non potest prærogatiuis, & privilegiis per summos Pontifices toti ordini concessis, in remunerationem laborum quos pro fide Catholica patiuntur; etiam cum proprij sanguinis effusione, & vitæ iactura: quæ privilegia propterea sunt irreuocabilia: ita ut illis per actus factos à quibuscumque iudicibus, summo Pontifice inferioribus, derogari non possit: ut in propriis terminis privilegiorum, circa exemptionem quartæ funerariæ, religiosi Sancti Dominici concessorum; docet Stephan. Gratian. *discept. 925. num. 3. & 4. & seq.*

Maximè quia in dictis privilegiis adest clausula, *sublata, &c.* quæ omnem aufert iurisdictionem à iudicibus inferioribus, illorumque sententias nullas reddit, totumque illorum processum irritat, tam in petitorio, quàm in possessorio. Mart. *de claus. cap. 176. par. 1. num. 1. & seq.* & quæcumque contra dicta privilegia fiunt, nulla & irrita declarat Honor. IV. etiam si illis per pactum expressum fuisset præiudicatum: ut apud Confett. *constit. 2. fol. 17.* † qui *ibidem fol. 170.* refert constitutionem Pij V. anno 1571. editam, per quam omnes controuersias inter Parochos, & religiosos ad se euocat. Et licet euocatio non reddat acta inferioris post euocationem facta inualida; nisi post intimationem ipsius euocationis: ut dixi *in tract. de præuentione iudiciali, cap. 7. de euocation. num. 8. versic. quod verum est.* † Tamen hoc procedit, quando euocatio causæ fit ad instantiam partis, cui imputandum est si non vtatur rescripto euocatorio; secus si fiat motu proprio: quia tunc statim ligatæ sunt manus inferiorum absque intimatione: *cap. ut nostrum. de appellat. cap. pastoralis. de offic. & potest. iudic. deleg.* Quia quando superior apponit manus, non potest inferior se intromittere. Mohedan. *decis. 9. de præbend. alias 129.* Rip. *in cap. cum M. Ferrariensis. de constitut. num. 196.* † & omnia sic gesta, sunt nulla; & impediunt possessorem uti suâ possessione, in vim illorum adeptâ: quia regula, quòd qui continuat, non attentat: non habet locum stante euocatione. Lancelot. *de attentat. cap. 10. num. 11. & 12.* de euocatione autem per summum Pontificem facta constat ex dicto privilegio, apud Confett. *d. folio 170.*

Et si dicatur aliquos procuratores, quandoque quartam Parochiæ soluisse: responsio est in promptu, nempe gesta per procuratorem non posse præiudicare conuentus,

conuentui, sine mandato speciali: *cap. petitio. de procurat. cap. contingit. de transact. & ibi Abbas.* Item Bartol. in l. nulli. ff. de transact. quia in mandato generali, non continetur facultas faciendi gratuitas iurium domini renunciationes; aut alio modo præiudicandi domino: sicut procurator non potest remittere caducitatem, aut similia facere in detrimentum domini. Corbul. de iure emphyt. rit. de caus. priuat. ob non solum canonem, limit. 21. numer. 16. & seq.


Sed aduersus prædicta proposita faere difficultates, quibus sigillatim satisfaciendum est.

13. Primò fuit oppositum, quòd priuilegia mendicantibus ratione solutionis quartæ funerariæ concessa, reuocata in totum fuere per fœlic. record. Gregorium XIII. ex Fusc. de visit. lib. 1. cap. 25. numer. 8. & 14.
14. Responsum fuit summum Pontificem Gregorium XIII. non reuocasse antiqua religiosorum priuilegia, sed ea tantum quæ de nouo per Pium V. concessa fuerant: cum rem ad eum statum deducat, in quo antea erat, iuxta legitimas dispositiones & constitutiones ante dictæ Bullæ Pij V. editionem factas: vt ad 9. dicti Gregorij XIII. constitutionem Flauius Cherub. in compendio Bullarum adnotauit: quæ Bulla Gregorij incipit, in tanta rerum, & negotiorum. Schol. 2. post Emanuel. Roderic. tom. 3. quest. regul. 74. artic. 16. in fine, & sic antiqua dicti ordinis priuilegia per Gregorianam constitutionem sublata non fuere, sed in suo robore permanferunt.
15. Secundò fuit oppositum, constare de legitima præscriptione aduersus mendicantes, in fauorem Parochiæ: quæ præscriptio ex actu vnus speciei extenditur ad alios similes. Seraph. decis. 1047. numer. 1. & 2.
16. Sed responsum fuit primò; priuilegium amitti per non usum, quando adest præscriptio quadragenaria, & priuilegium consistit in non faciendo, si agatur de Collegio, vel Vniuersitate: quæ præscriptio 40. annorum probata non fuit. Gaill. lib. 2. obseruat. 60. numer. 12. versic. secundo casu.
17. Secundò fuit responsum, regulares fundatos in priuilegio manutenendos esse, aduersus Parochos fundatos in præscriptione: quia priuilegium non habet tantam iuris resistentiam, quantum præscriptio. Seraph. decis. 595. numer. 2. & 3.
18. Tertio responsum fuit, quòd cum priuilegium immunitatis à solutione quartæ, fuerit introductum in fauorem totius ordinis; non possunt particulares illi præiudicare: ideo per contrarium usum non amittitur Bald. consil. 338. Archiepiscopus numer. 3. volum. 4. versic. super tertio. nisi saltem interuenerit præscriptio 40. annorum: Gratian. discept. forens. cap. 492. numer. 20. † Præsertim propter clausulas decreti irritantis, & alias appositas dictis priuilegiis, de quibus Mart. de claus. part. 1. cap. 255. numer. 8. vbi dicit Reuerendos Patres Prædicatores manutenendos esse, in possessione exemptionis à solutione decimarum, & similibus; propter amplissimas clausulas appositas in eorum priuilegiis; quamuis in contrarium adesset Præbiterorum sæcularium antiquissima possessio; quæ potius vsurpatio nuncupari debet: & dicta priuilegia non solum amitti non possunt per non usum, sed nec etiam per usum contrarium; etiam si millies dicti Patres solutioni consensissent: vt ibi per eum, numer. 9. † Et in omnem euentum solutio præiudicare quidem potuisset quoad præterita, sed non quoad futura; cum agatur de priuilegio successiuo, & non momentaneo: quo casu solutio non nocet quoad futura. Tusch. littera, P. conclus. 756. numer.

10. 12. 15. 34. 43. & 53. Decius in cap. cum accessissent. column. penult. versic. retenta tamen. de constitur. Alex. consil. 193. numer. 11. & seq. vol. 2. Roman. consil. 88. numer. 3.

Tertia difficultas fuit proposita, quòd cum isti cerei deferantur cum funere; videtur quòd ex illis quarta solui debeat. Sed hæc leuis est; quia priuilegia Mendicantium, & in specie Prædicatorum, supponunt hos cereos deferri tempore funeris; alioqui non fuisset opus aliquo priuilegio: † cum de iure communi; ex aliis cereis qui non deferuntur cum funere, nulla debeat quarta: quia dantur pro labore corporali. Tusch. in verb. Quarta, conclus. 130. numer. 2. † Certum est autem priuilegium debere aliquid operari ultra ius commune: cap. si Papa. de priuileg. Surd. consil. 419. numer. 32.

Hæc mea fuit pro dictis Reuerendis Patribus sententia, de cuius veritate nunc in Vrbe disputatur: ideo iudicium desuper expectandum est. Nec enim hoc in animo habeo, vt iuribus partium præiudicare velim; aut negociis pendentibus ante causæ decisionem tenuis iudicij mei sententiam interponere.



## CAPVT LXXXIX.

Quorum beneficiorum nominatio spectet ad Regem Galliæ, & quæ ad eam requirantur. De ætate requisita, & aliis ad prouisionem prioratum conuentualium. Intra quod tempus fieri debeat nominatio. Et vtrum nominatio locum habeat in Episcopatibus, & Prioratibus vacantibus in Curia. Confidentiam in Gallia esse prohibitam, nec per spatium decem annorum purgari, si sit continua.


## S V M M A R I V M.

1. Prioratus conuentuales, si sint verè electiui; iuxta formam cap. quia propter. de elect. & alia concurrant de quibus ibi, subiiciuntur Regiæ nominationi.
2. Prioratus conuentuales veniunt appellatione dignitatis.
3. Commissiones dari possunt Prioribus conuentualibus, quæ non dantur nisi in dignitate Ecclesiastica constitutis.
4. Prioratus, in quibus nulla post electionem requiritur confirmatio, non supponuntur nominationi Regiæ.
5. Electores, si non sit opus confirmatione, dicuntur potius collatores.
6. Prioratus conuentuum, quibus à sede Apostolica priuilegium datum est eligendi, non continentur sub nominatione Regis.
7. Abbatia monialium, nec non ea, quæ inter viros caput ordinis constituunt, eximuntur à nominatione Regis.
8. Beneficia manualia sunt extra Regis nominationem, vel si singulo triennio, vel quadriennio mutantur.
9. Beneficia per obitum apud Sedem vacantia, summus Pontifex sine Regis nominatione confert.



bus insignita. Quòd si nominatus fuerit inhabilis, veluti secularis ad prioratum conuentualem; vel regularis alterius ordinis, aut ætate requisita carens, & is à summo Pontifice recusetur: dantur alij tres menses ad nominandum: his tamen nouem mensibus elapsis, si Rex non nominauerit idoneum, Papa prouidet sine nominatione de persona idonea, & qualificata.

16. Et ex his patet resolutio secundæ quæstionis propositæ, nempe quòd ad dictum prioratum conuentualem, sufficit vigesimus secundus annus completus in Gallia, iuxta tenorem dictæ constitutionis: sed de iure communi ad tales prioratus, requiritur ætas viginti quinque annorum completorum: *cap. cum in cunctis. de elect. & Clem. 1. de stat. monachor.* de aliis verò prioratibus non conuentualibus egimus sup. *capit. 3.*
17. Ad tertiam quæstionem respondetur, quòd licet aliqui DD. & inter cæteros Flamin. Paris. in *tractat. de confiden. quæst. 58.* existimauerint simoniam in Gallia esse licitam: tamen falluntur; cùm in Gallia etiam confidentiarij tanquam simoniaci puniantur: teste Charond. *lib. 1. respons. 47. & lib. 7. respons. 190.* Adeo vt qui beneficium possidet per confidentiam, priuatus censeatur tali beneficio ipso iure. Petr. Gregor. *de benefic. cap. 26. †* Et licet aliqui dixerint simoniam in Gallia, spatio decem annorum purgatam esse: Moderni in *tract. de benefic. cap. vlt. in gloss. 5. num. 57.* Tamen si delictum sit continuum, & non momentaneum; nihil prodest decennalis possessio: quia quotidie, & singulis momentis interrumpitur. Charond. *d. cap. 47. lib. 1.* Vtrum autem simoniacus, vel confidentarius resignare possit, post aduersarij impetrationem? alibi exposuimus, nempe *cap. 27.* hîc non repetimus.



## CAPVT LXXX.

Legatum factum Capitulo de certa quantitate tritici, soluenda ex reliquis annuarum solutionum testatori debitis; vtrum soluendum sit per hæredes fauore piæ causæ, licet nulla reliqua, siue arreragia debeantur.

## S V M M A R I V M.

1. Legatum censeatur potius factum gratiâ demonstrationis, quàm taxationis, quando testator non reulit designationem rei, ex qua fieri debet solutio, ad substantiam legati, sed duntaxat ad illius executionem.
2. Quando agitur de pia causa, quamuis testator mandauerit ex re certa, vel certis fructibus præstari; censeatur potius factum gratiâ demonstrationis, quàm gratiâ taxationis; & potius pro securitate legatarij, quàm fauore hæredis.
3. Fructus non distributi annis præteritis, si sint extantes distribui debent inter novos canonicos; non inter antiquos.
4. In dubio interpretatio fieri debet fauore piæ causæ, contra Fachineum.
5. Ampliatur vt hoc procedat, siue pia causa sit æctrix, siue Rea.
6. Nomine arreragiorum, siue reliquorum, conti-

nentur tam antiqua, quàm noua arreragia.

TESTATOR sacerdos Ecclesiæ in qua viuens beneficium obtinebat, certam frumenti quantitatem legauit, quæ soluetur de arreragijs seu reliquis distributionum sibi per capitulum eiusdem Ecclesiæ debitis: Cùmque arreragia quædam prætenderentur, quæ capitulum indebita esse assererat; & super his lis penderet: quæsitum fuit vtrum legati solutio ex aliis testatoris bonis suppleri deberet; & affirmatiuè resolutum fuit.


Primò, quia testator non legauit quantitatem illam frumenti capitulo taxatiuè, sed demonstratiuè: non enim dixit, lego frumentum ex arreragijs; sed vsus est his verbis: lego talem frumenti quantitatem, quæ soluetur ex arreragijs quæ mihi debentur. Illa autem verba *lequel se payera des arrerages*, non respiciunt substantiam legati, sed illius executionem; & sic dispositio remanet pura: & quidquid accidat de illis arreragijs, semper hæredes tenentur ad solutionem legati: vt probatur in *l. quidam testamento. ff. de legat. 1.* Castrens. *consil. 338. volum. 1.* Surd. *consil. 162. num. 23.* Tusch. in *verb. legatum. conclus. 61. num. 13. 14. & 15.* Gratian. *discepr. forens. cap. 256. num. 22.* Castill. *controuers. lib. 4. cap. 54. num. 17. & seq.*

Secundò, quando tractatur de pia causa, prout in casu proposito, in quo legatum factum fuit pro fabrica Ecclesiæ; quamuis testator legatum ex re certa præstari mandauerit; etiamsi res, ex qua legatum præstari debet, vnico verborum contextu designata fuisset; si res ex qua legatum præstari debet non extet, vel non debeatur; semper legatum soluendum est, neque cogitur Ecclesia, vel alia pia causa petere legatum super re designata: sed petere potest ex aliis bonis testatoris: quia fauore piæ causæ designatio illa non operatur taxationem, sed solum demonstrationem; & solum duntaxat rem designatam, esse pro legati solutione obligatam: vt tradit Roman. *singul. 430.* per *Glof. in l. Caius Seius. 12. in verb. neque in rem. ff. de ann. legat. & in l. Lucius 12. in verb. ex reditu in princip. ff. de alimentis & cibariis legat.* vbi quòd hæc verba magis videntur apposita pro securitate legatarij, quàm fauore hæredis; & potius ad designationem, quàm ad conditionem & limitationem faciendam: sequitur Tiraquell. *de priuileg. pia causa, priuileg. 63. versic. & hoc expressè voluit.* eiusdem sententiæ est Gratian. *discepr. forens. cap. 256. numer. 29.* Mantic. *de coniect. vltim. volunt. lib. 12. tit. 6. numer. 26.* Marc. Anthon. Genuens. in *practicabilib. Eccles. quæst. 268. numer. 3.* Ferrer. ad *Guid. Pap. decis. 8.*

Tertiò, quia cùm duplicis generis arreragia distributionum testatori deberentur; nempe antiqua, & noua; circa antiqua verò lis penderet: quia capitulum contendebat illa non deberi: † etiamsi fructus non distributi annis elapsis, tunc fuissent extantes, (quod tamen non erat) nihilominus illi fructus distribuendi duntaxat fuissent inter novos canonicos, & non inter antiquos; minúsque inter hæredes antiquorum. Tusch. *littera O. conclus. 130. numer. 11.* Garc. *de benefic. par. 3. cap. 2. numer. 429.* Noua verò arreragia d. testatori tempore obitus ipsi debita, essent liquida, & non litigiosa; & casu quo aliqua adfuisset ambiguitas, † interpretatio in dubio fieri debebat fauore piæ causæ. Tiraquell. *de priuileg. pia causa, priuileg. 148. †* Quod ampliatur, siue pia causa sit æctrix, siue rea. Tiraquell. *ibidem priuileg. 146.* & licet ab hac opinione aliqui recesserint, quibus



6. bus *facere videtur Fachin. quæst. controu. lib. 6. cap. 26.* ea tamen opinio, quæ fauet piæ causæ, & verior est, & receptor: teste Menoch. *lib. 4. præsumpt. 106. numer. 33.* post plurimos per eum allegatos. Ergo cum † arreragiorum, seu reliquorum nomine, tam antiqua quàm noua contineantur; *Glof. in l. 2. in verb. reliquorum. Cod. sine censu vel reliquis.* sequitur dictum legatum potius deberi capitulo ex nouis, & liquidis, quàm ex antiquis & illiquidis, & forsitan indebitis.



CAPVT XCI.

De iurepatronatus per fundatorem in vltima voluntate relicto. Quòd legatum & fundatio transeat in naturam dispositionis inter viuos; quando testator fundationem cum authoritate Episcopi viuens executioni demandauit: Et in omnem euentum, vltim ailla voluntas sit irreuocabilis, etiam in præiudicium eius, cui iuspatronatus relicto est. Iuspatronatus vtrum Consulibus, vel etiam toti Communitati relicto censetur.

SVMMARIVM.

1. Legatum iuspatronatus transit in dispositionem inter viuos, si fundatio viuo testatore fuerit authorizata, & executioni illo instante demandata.
2. Post perfectum & consummatum actum fundationis, iuspatronatus alteri per fundatorem concedi non potest; sed legatarius illud habet irreuocabiliter.
3. Vltima voluntas est deambulatoria vsque ad mortem. Fallit in iurepatronatus, quando Ecclesia seu capella fuit erecta, & in esse deducta authoritate Episcopi, de consensu fundatoris.
4. Testator qui consensit fundationem deduci ad effectum, ipso viuente, potest cogi ad dotandum.
5. Iuspatronatus non acquiritur per augmentum dotis: sed oportet Ecclesiam fuisse deductam à non esse, ad esse.
6. In dubio iuspatronatus relicto Consulibus, ad eos spectat tanquam Consules, non ad Vniuersitatem.
7. Si tamen Consules presentauerint in vim mandati sibi facti per Communitatem; possessio queritur Communitati.
8. Communitas est manutenenda in quasi possessione presentandi, si Consules ex vi mandati ipsius presentauerint.

Iuspatronatus de quo agebatur Dixi pertinere coniunctim ad Priorem, & Syndicos loci; iuxta tenorem primi testamenti per fundatorem conditi: non obstante quòd illud testamentum fuisset postea reuocatum: & iuspatronatus alteri relicto. Quia fundator præueniendo diem sui obitus, primam illam dispositionem executioni demandauit; interueniente authoritate Episcopi, seu eius Vicarij; qui ob longissimi temporis lapsum, legitimam præsumitur ha-

buisse authoritatem. † Et sic ex actu vltimæ voluntatis, fecit dispositionem inter viuos: & per consequens irreuocabilem in præiudicium illorum, quibus ex fundatione quæsitum fuit iuspatronatus: vt tradit Nicol. Garc. *in tract. de benefic. part. 5. capit. 9. num. 68.* Quod manifestum redditur ex verbis dictæ fundationis: *verum quia dictus exponens cuperet dictam fundationem confirmari, & dictam capellaniam in titulum perpetui beneficij erigi, & missam celebrari; antequam ipse ab humanis decederet.* Deinde subiiciuntur hæc verba: *præfatus dominus Vicarius dictam fundationem confirmauit, & in titulum perpetui beneficij erexit, &c.* † Quæ omnia denotant actum, viuente & requirente ipso testatore, consummatum & perfectum; & sic in præiudicium patronorum, quibus ius erat quæsitum, iuspatronatus alteri relinquere non potuisse. *Calderin. consil. 20. de iurepatron. Roch de Curt. de iurepatron. in verb. ipse, vel is à quo. num. 33.*


Sed posito citra præiudicium veritatis, quòd ex illa confirmatione non fuisset mutata vltima voluntas in actum inter viuos; non tamen ex eo sequeretur potuisse illi vltimæ voluntati, per posterius testamentum derogari. † Quia licet deambulatoria sit hominis voluntas vsque ad mortem, tamen attentata Ordinarij confirmatione, & approbatione testamentariæ fundationis; illa non potuit per aliud testamentum, aut aliam dispositionem reuocari; nec titulo legati potuit in alium transferri. *Lambertin. de iurepatron. 2. par. lib. 1. in prima quæst. princip. artic. 19.* vbi indistinctè loquitur tam de legato, quàm de donatione *fol. mihi 121.* sed meliùs in prima parte *lib. 1. in 4. quæst. principali artic. 10. num. 3. & 4. fol. mihi 31. verso,* vbi casus deciditur in terminis. Optimè etiam idem Author, *eod. lib. 1. part. 1. quinta quæstionis principalis, artic. 8. numer. 45.* † vbi dicit quòd etiam hoc casu, testator viuens compelli poterit ad dotandam Ecclesiam iam in esse productam; & subdit hoc esse digito ligandum: quia ipsi testatores facillè viuendo suam reuocant voluntatem, quod tamen non possunt: vt habetur *ibidem fol. mihi 38.* eandemque sententiam vti veram supponit Rota *decis. 228. num. 1. part. 1. diuersorum.*

Neque poterat iste posterior legatarius iuspatronatus, prætere ius aliquod sibi quæsitum per augmentationem dotis eiusdem Capellanæ, cum iuspatronatus non acquiratur alicui ex augmento dotis; sed necesse sit primam dotem fuisse omninò deperditam, & Ecclesiam fuisse deductam à non esse, ad esse *Rot. apud Duran. decis. 285. num. 35. & 36. Nicol. Garc. de benefic. part. 5. cap. 9. num. 122. Sanch. lib. 2. consil. moral. cap. 3. dubio 76. num. 3.*

Vtrum autem illud iuspatronatus Syndicis competat, tanquam Syndicis; an verò toti Vniuersitati, dubitatum fuit: † vera resolutio est, quòd in dubio iuspatronatus relicto Consulibus, non censetur factum Communitati; sed solum Consulibus seu Syndicis: & ideo soli Syndici possunt præsentare absque interuentione Communitatis. *Bald. in l. si quis. 48. §. in omnibus. num. 19. Cod. de Episcop. & cleric. Rot. decis. 574. num. 8. part. 1. diuers. & decis. 144. num. 6. & 7. par. 5. recent. Duran. decis. 285. num. 123. & 124.* † Sed si Consules presentauerint vti procuratores Communitatis, & in vim mandati sibi per Communitatem facti; censentur agnouisse iuspatronatus ad ipsam Vniuersitatem spectare; cum actus præsumatur factus iuxta formam mandati. *Menoch. lib. 3. præsumpt. 46. num. 9.* & iuxta id, ad quod ex mandato tenebantur. *Menoch. ibidem num. 8. Mascard. in verb. actus, conclus. 38. num. 2. & 3. Mastril. decis. 34. n. 5.*

Surd. *consil.* 19. *num.* 34. † & per consequens cum præsentationes fiunt per Consules nomine Vniuersitatis, quasi possessio præsentandi non Consulibus, sed Vniuersitati quæ sita fuit: cum etiam essemus in dubio, actus per administratores facti censentur nomine Principalis, seu Vniuersitatis: per text. *in l. qui aliena.* 6. §. *si is qui putabat.* & ibi Bartol. *ff. de acquir. hered.* Rot. apud Postium *decis.* 250. *numer.* 8. & 9.

Et per consequens hoc casu, manutentio in quasi possessione præsentandi, non erit concedenda syndicis solis; sed toti Communitati: cum Communitas sit in illa quasi possessione, non autem Consules: ad tradita per Post. *de manuten. obseruat.* 10. *num.* 25. & *decis.* 267. *post eius tractatum.*



## CAPVT XCII.

Vtrum Vicelegatus Auenionensis, qui ex facultatibus Legationis potest religiosos dispensare, vt transeat ad laxiorem regulam; eodem modo possit dispensare super quarto voto, quod fit per RR. Patres ordinis Minimorum sancti Francisci de Paula, circa abstinentiam ab esu carniuum.

## S V M M A R I V M.

1. Vicelegatus Auenionensis vigore facultatum Legationis, potest dispensare religiosos vt transeat ad regulam laxiorem.
2. Vicelegatus concedendo religioso Minimo vt transeat ad regulam laxiorem, censetur etiam illum dispensare ab omnibus, quibus obligatur in consequentiam illius regula.
3. Dispensatio est stricti iuris, & in ea non valet argumentum à maiori, ad minus.
4. Habitatio non extenditur ad casum mixtum, & dupliciter prohibitum.
5. Dispensatio extenditur ad omnia quæ veniunt in necessariam consequentiam.
6. Dispensatus super atate ad effectum antianitatis, censetur etiam dispensatus ad effectum professionis.
7. Dispensatus ad beneficium, censetur dispensatus ad residentiam, & ad omnia consequentia.
8. Dispensatus, vt transeat ad laxiorem, censetur dispensatus ab obligationibus prioris regula.
9. Dispensatio est odiosa, & stricti iuris; sed facultas dispensandi est fauorabilis, & amplam recipit interpretationem.
10. Mandatum dispensandi cum monachis extenditur ad Abbatem.
11. Dispensandi facultas ad maiora, extenditur ad minora.
12. Dispensatio alteri potest præiudicare, sed facultas dispensandi soli concedenti præiudicat.
13. Facultas dispensandi in aliquo consanguinitatis gradu, extenditur ad eundem duplicatum.
14. Vicelegatus ex facultatibus potest omnia quæ maior Pœnitentiarius Vrbs.
15. Vicelegatus ex causa potest Minimis concedere esum carniuum.


Illustrissimo & Reuerendissimo D. Vicelegato, Censui competere facultatem dispensandi religiosum, ordinis Minimorum Sancti Francisci de Paula, vt ad laxiorem regulam se transferre possit; non obstante quarto voto, quod circa esum carniuum à religiosi illius ordinis præstari solet.

Quia certum est eidem Vicelegato concessam esse facultatem transferendi religiosos de ordine, ad ordinem, & de monasterio ad monasterium; etiam ad regulam laxiorem. Certum etiam est ex facultatibus Legationis permissum inter cætera esse Legatis, & Vicelegatis, omnes & quascumque dispensationes, habilitationes, & absolutiones concedere, quas Maior Pœnitentiarius vigore suarum facultatum concedere solet. Denique certum etiam est posse Legatos & Vicelegatos in vim earundem facultatum, à quibuscumque votis omnes personas cuiuscumque dignitatis absoluere, exceptis certis in dictis facultatibus nominatim expressis.

Et propterea possunt, & solent Vicelegati religiosi Minimis concedere facultatem, vt ad aliam laxiorem regulam transeat; & eâ ratione, ab omnibus primi ordinis obligationibus liberati, posterioris duntaxat regulæ obligationibus & oneribus adstringantur. Quod, me consulente, sic factum, & executioni demandatum fuit, anno 1640. † Licet enim dispensatio sit odiosa, & restringenda; neque valeat in ea argumentum à maiori, ad minus: Surd. *decis.* 268. *num.* 20. & 21. † Et habitatio non extendatur ad casum mixtum, & dupliciter prohibitum: Rot. *decis.* 76. *num.* 2. *part.* 2. *recent.* Ludouif. *decis.* 87. *num.* 8. & 17. † Ipsa nihilominus dispensatio complectitur omnia, quæ veniunt in necessariam consequentiam illius. † Vnde dispensatus super ætate ad effectum Antianitatis, censetur etiam dispensatus ad emittendam professionem. Rot. coram Durano *decis.* 439. *numer.* 5. & *decis.* 462. *num.* 17. & facit doctrina Abbatis, *in cap. quia in tantum.* 5. *de præbend.* *num.* 4. † vbi dicit quod dispensatus ad beneficium, censetur etiam dispensatus quoad residentiam; & alia consequentia beneficij. Menoch. *consil.* 478. *num.* 29. † Vnde cum impossibile sit religiosum ad regulam laxiorem transire, nisi liberetur ab oneribus, & obligationibus prioris religionis: sequitur licentiam transeundi continere per necessariam consequentiam, liberationem & exemptionem ab omnibus obligationibus prioris regulæ: & sic religiosum ordinis Minimorum dispensatum ad laxiorem regulam, censi quoque dispensatū à voto facto super esu carniuum. Ita concludit in specie de Minimis, quoad vitam quadragesimalem, Lezana. *in summa regul.* *tom.* 1. *cap.* 22. *num.* 19. ex doctrina Sanch. *in præcep. decalog.* *lib.* 6. *cap.* 7. *numer.* 87. & aliis *ibidem* per eum allegatis.

Quod si dispensatio quæ alioquin stricti iuris est illam potestatem admittit, multò magis facultas dispensandi ad laxiorem, continebit etiam facultatem dispensandi à votis accessoriis dictæ prioris regulæ: cum fieri debeat differentia inter dispensationem, & facultatem dispensandi; nam dispensatio, vt supra dictum est; odiosa est, & restringenda: sed dispensandi facultas, est fauorabilis; & vt talis latissimè extendenda. Gutier. *de matrim.* *cap.* 124. *num.* 3. † Vnde mandatum de dispensando cum monacho extenditur, etiam ad Abbatem *cap. fin. de simon.* † & dispensandi facultas circa maiora, extenditur ad minora: *cap. per venerabilem, qui fil. sint legitim.* Ratio differentiæ est; † quia dispensatio alteri præiudicare potest: at dispensandi facultas concessa, nemini nocere potest, nisi soli concedenti, Sanchez.

13. Sanchez. de matrim. lib. 8. disput. 2. num. 1. & sequentibus. Sicut à simili, † facultas dispensandi in aliquo affinitatis gradu, extenditur ad eundem gradum duplicatum, ad quem tamen dispensatio non extenderetur. Sanch. de matrim. lib. 8. disput. 24. numer. 9. Gutier. de matrim. cap. 124. num. 3. Poterit igitur Vicelegatus dispensare super voto isto accessorio, dispensando ut religiosus ad laxiorem regulam transire queat. † Et sicut Vicelegati qui Maioris Pœnitentiarij Urbis facultates habent, † possunt & solent Minimorum ad esum carniū pro certo tempore dispensare; ita & poterunt, iustā subsistente causā perpetuā, in perpetuum dispensare: præsertim cum Minimorum regula illos dispenset ab esu carniū ex causā infirmitatis. Vnde hæc concessio Vicelegati, non tam dispensatio, quàm voti declaratio nuncupari debet.



CAPVT LXXXIII.

De Graduatis, & Nominatis quoad beneficia Gallia. Quomodo differant Graduati simplices, à Graduatis nominatis. De conditionibus requisitis ad hoc, ut quis gaudeat privilegio gradus, vel nominationis. De attestatoriis studij, & nobilitatis quæ ad illas requiruntur. De tempore requisito ad gradum obtinendum, vel Baccalaureatum in quacumque facultate. Præcipua quæstionum & dubiorum capita, materiam Graduatorum, & Nominatorum, ac insinuationis per eos faciendæ, concernentia resoluuntur. Tandem concluditur summum Pontificem posse uti præventionem in præiudicium Graduatorum quorumcumque. De Legato vero, aut Vicelegato, utrum possit derogare regulæ de 20. diebus, in præiudicium gradus, vel nominationis? Concluditur affirmatiuè.

S V M M A R I V M.

1. Beneficia in Gallia vacantia mensibus Ianuarij, & Iulij, sunt affecta pro Graduatis nominatis. In mensibus vero Octobris, & Aprilis vacantia, Graduatis simplicibus qui non habent nominationem ab aliqua Vniuersitate famosa Regni.
2. Privilegio isto gradus non fruuntur, qui non studuerunt per legitimum tempus; & quod sit illud tempus studij requisitum: & oportet studuisse in quacumque Vniuersitate; sed gradus debet esse collatus in Vniuersitate Regni, num. 3.
4. Nemo gaudet privilegio gradus, vel nominationis, qui literas gradus, nominationis, & attestations temporis studij non exhibuerit collatoribus, cum expeditione copia.
5. Probatio nobilitatis ad effectum studij, quomodo, & per quot testes probari debeat.
6. Insinuatio per Graduatos, vel Nominatos, quomodo fieri debeat singulis annis, tempore quadragesimali.

7. Vtrum post Quadragesimam fieri possit insinuatio gradus, vel nominationis; & ratione quorum beneficiorum operetur hæc insinuatio.
8. Collatores ordinarij, vel patroni Ecclesiastici possunt uti gratificatione erga Graduatos: non tamen erga Nominatos; nisi omnia sint paria: & quis gradus alteri gradui præferendus?
9. Graduatis nominatis conferri possunt beneficia, etiam vacantia in mensibus simplicium Graduatorum, nempe Aprili, vel Iunio.
10. Senatores vigore sui Indultus, præferendi sunt Graduatis etiam nominatis.
11. Privilegia Graduatorum locum habent duntaxat in beneficiis per obitum vacantibus.
12. Si Graduatus sit sufficienter pronisus, non potest uti privilegio gradus, vel nominationis.
13. Quis reditus requiratur ad hoc, ut Graduatus dicatur sufficienter pronisus.
14. Regulares dicuntur sufficienter pronisi quodcumque beneficium adepti sint.
15. In calculo redituum, dum queritur utrum Graduatus sit sufficienter pronisus, non debet haberi ratio beneficiorum extra Regnum existentium.
16. Quodcumque beneficium in Regno positum, si fuerit acceptatum, debet computari; dum queritur utrum Graduatus sit sufficienter pronisus; nisi tamen ab eo per sententiam exclusus fuerit.
17. Collatio Graduatis simplicibus facta tenet, licet non exprimat in ea gradus; sed Nominato facta non valet, nisi apponatur mentio gradus, & nominationis.
18. Collatio per Ordinarium alicui tanquam Graduato non valet, quamuis ad talis Beneficij assentionem gradus non esset necessarius.
19. Beneficia vacantia in Curia non subiacent regulis nominationum; sed ea per summum Pontificem etiam non Graduatis conferuntur.
20. Graduatus, aut Nominatus suo privilegio uti non potest, nisi intra sex menses à die vacationis collatorem, vel patronum Ecclesiasticum requisierit.
21. Recusante collatore, recurrendum est ad Superiores; sed ille recursus gradatim, & non omisso medio interponendus est.
22. Cessat privilegium Graduatorum in beneficiis iurispatronatus laicalis, vel si vacent in Regalibus, ac in alijs casibus ibi designatis.
23. Papa potest præuenire Ordinarios, etiam conferendo non Graduatis, in mensibus illis assignatis.
24. Vtrum Legatus possit conferre præueniendo in mensibus Graduatorum, favore eorum qui gradum non habent; magna est dubitatio: resoluitur negativam sententiam obseruantiæ tribunalium Gallia magis conuenire.
25. Cum Papa, vel Legatus possint derogare regula de viginti diebus; utrum hoc facere possint in præiudicium Graduatorum, vel Nominatorum.
26. Resoluitur validam esse derogationem à Papa in præiudicium Graduatorum: & similiter à Legato, nisi fraudis concurrant coniectura.
27. Quibus coniecturis probari possit derogationem regula de viginti diebus factam fuisse in fraudem Graduatorum, vel Nominatorum.

28. *Antiquior ex Nominatis preferendus est; nempe non antiquior in gradu, sed qui prius nominatus fuit.*
29. *Antiquior in nominatione preferendus est, quamuis esset tantum Baccalaureus, & posterior habuisset gradum Doctoratus; vel esset tantum artium Magister, & posterior esset iurium Doctor.*
30. *Prior in nominatione praefertur, quamuis esset posterior in presentatione.*
31. *Gratificationi locus quidem est inter simplices Graduatos, secus est si agatur de Nominatis: quia omnino antiquior est preferendus.*
32. *Qui primus est in insinuatione, non ideo preferendus est inter Graduatos nominatos; nisi sit primus in nominatione.*
33. *Inter Graduatos nominatos, non sufficit praenuisse alios in collatione; nisi sit etiam anterioritas in nominatione.*
34. *Gratificationi locus etiam esse potest inter Graduatos nominatos, si plures concurrant qui sint omnino pares, tam in gradu, quam in nominatione.*

**D**Væ solemnes difficultates aliàs propositæ fuerunt, quarum altera in eo consistit; vtrum derogatio regulæ de viginti diebus, seu de infirmis resignantibus, facta per Illusterrimum D. Vicelegatum Auenionensem noceat Graduatis nominatis, quibus beneficia per obitum certis anni mensibus vacantia ex constitutione Leonis X. summi Pontificis, in Concordatis affectata sunt. Altera, vtrum collatio facta per Capitulum, quod habebat ius conferendi, in fauorem alterius Graduati nominati, qui erat quidem anterior in insinuatione simplicis gradus; posterior autem in insinuatione suæ nominationis; sit valida? ita vt tertius, qui anterior est in insinuatione sui gradus cum nominatione, beneficium illud impetrare non possit.

Pro quarum difficultatum intelligentia, & resolutione, quædam de materia Graduatorum, & Nominatorum & de graduum & nominationum insinuatione, & effectibus; in primis supponenda sunt, iuxta obseruationem tribunalium Galliarum.

1. Supponendum igitur est, quod ex dicta constitutione in Concordatis facta, omnes collatores ordinarij in locis vbi viget Concordatorum obseruantia, tenentur conferre dignitates & beneficia omnia Nominatis, quæ in mense Ianuario, & Iulio vacabunt. Quæ verò in mense Aprilis, & Octobris vacabunt; Graduatis. In alijs verò mensibus vacantia, cuilibet idoneo, quamuis nec Graduato, nec Nominato, liberè conferri possunt: text. est in *Concordatis, tit. de collat. in §. præfatique*, dummodò gradus & nominatio procedat ab Vniuersitate famosa Regni. Rebuff. *de nominat. quest. 6.*
2. Secundò, ad hoc vt quis gradus priuilegio frui possit, necesse est eum per legitima tempora studuisse, etiam extra Regnum; † dummodò gradus in Regno capiatur, & nominatio fiat per Vniuersitatem Regni. Pastor, *in tract. de benefic. lib. 1. tit. 16. num. 2. & 3.* videlicet decem annorum pro Magisterio, Licentiâ vel Baccalaureatu formato in Theologia; septem verò annorum pro Doctoratu, vel Licentiâ in iure Canonico, Ciuili, vel Medicina; denique quinquennium pro Magistris, seu Licentiatis in artibus, cum rigore examinis, à Logicalibus inclusiue. Ita tamen vt, si quis minori tempore studij perfecto, gradum adeptus sit; eius priuilegio vti pos-

sit, si post adeptum gradum per legitima tempora, in eadem vel in altiori facultate studuerit: text. est in dicto *tit. de collat. §. præterea*. & ibi Rebuff. *in verb. studuerint. versic. ideo ego intell. gerem. & in verb. Altiori facultate*. Pro simplici verò Baccalaureatu in Theologia, sufficit studium sex annorum; pro Baccalaureatu in iure Ciuili vel Canonico, quinquennium; si tamen ageretur de persona nobili ex latere paterno, vel materno, sufficit triennium: intelligendo tamen vt nobilitas non exigatur in alijs ascendentibus, vltra personam patris, & matris: atque ita declaratum fuit, & obseruatur: & quod de hoc triennio dicitur, restringendum est ad Baccalaureos iuris Ciuilis, vel Canonici; non ad alios: vt patet ex text. *Concordat. dicto §. præterea*.

Tertiò Nominati, & Graduati, semel ante beneficij vacationem, literas nominationum, gradus & temporis studij per Secretarium Vniuersitatis subscriptas, collatoribus ordinarijs, & patronis Ecclesiasticis exhibere debent, cum expeditione copiarum authenticarum.

Quartò, probatio nobilitatis ad effectum studij per quatuor testes fieri debet coram Ordinario loci, in quo quis natus est; & in absentia partis fieri potest: text. in §. *cum verò dict. tit. de collat.*

Quintò, Graduati tam simplices, quam Nominati, tenentur tempore Quadragesimæ literas gradus nominationis, & temporis studij, & nomina ac cognomina collatoribus & patronis Ecclesiasticis insinuare, ac duplicatas dare; alioqui pro illo anno nominationis, vel gradus, suo priuilegio vti non poterunt. † poterit tamen pro illo anno insinuatio, tempore Quadragesimæ omiſſa, fieri ante Aduentum proximè sequentis Quadragesimæ, & vti priuilegio quoad beneficia duntaxat quæ vacabunt post insinuationem; vt in *Concord. §. teneantur. versic. si verò Graduatus. de collat.*

Sextò, inter plures Graduatos, patroni Ecclesiastici & collatores possunt vni sibi beneuolè gratificari. Inter Nominatos non datur, nisi omnia paria in diuersis concurrant: alioqui inter ipsos praefertur antiquior Nominatus: & si duo pares sint in nominatione, Doctor, Licentiatus; Licentiatus, Baccalaureo; exceptis tamen Baccalaureis formatis in Theologia, qui cæteris Licentiatis in Iure, vel Medicina praefertur: Baccalaureus verò iuris Ciuilis vel Canonici, Magistro in artibus praefertur. Inter Doctores verò, praefertur Theologia; tum ius Canonicum, tum ius Ciuile, quartò admittitur Medicus: idèinque ordo in Baccalaureis seruandus est, quando comparent diuersarum professionum; vt in dicto *tit. de collat. §. statuimus. in Concordatis.*

Septimò, Graduatis per Vniuersitatem nominatis possunt conferri beneficia vacantia in mensibus etiam graduatorum simplicium, seu non nominatorum; nempe Aprilis, & Octobris: quia non debent esse deteriores conditionis propter nominationem. Rebuff. *consil. 20. num. 10.*

Octauò, vtrum Graduatus preferendus sit Senatori venienti vigore sui indultus? Pro Graduato tenuit Rebuff. *consil. 15. numer. 1.* Sed contrarium verius est; quia priuilegium quo nituntur Senatores, antiquius est Concordatis: ita Louet *Liter. B. numer. 16.*


Nonò, priuilegium gradus, locum habet duntaxat in beneficijs per obitum vacantibus: sicut & nominationis; vnde non obtinet in beneficijs per resignationem vacantibus: vt habetur in *Concord. §. volumus. de collat. & ibi Rebuff.*

12. Decimò, cessat priuilegium si Graduat<sup>us</sup>, aut Nominatus sit sufficienter prouisus, si possideat redditum ducentorum florenorum auri, seu totidem numerorum aureorum, si veram sequamur interpretationem: † sed sufficienter hodie 400. libræ in redditu, vt quis dicatur sufficienter prouisus; vt testatur Addit. ad Louet, *littera G. num. 1.*
13. Quod intelligendum est de sæcularibus; nam regulares dicuntur sufficienter prouisi, cuiuscumque redditus sui ordinis beneficium possideant: quia pluralitas beneficiorum maximè in regularibus odiosa est: *cap. cum singula. 32. de præbend. in 6.*
14. Præterea, dum fit mentio de beneficiis, quibus Graduat<sup>us</sup>, vel Nominatus fuit sufficienter prouisus, non debet haberi ratio beneficiorum sitorum extra Regnum: vt apud Louet *liter. G. numer. 8.* † Sed quodcumque beneficium in Regno positum computari debet, si fuerit acceptatum; dummodo tamen acceptans non sit per sententiam exclusus. Rebuff. *consil. 31. numer. 7.* qui autem sufficienter prouisus est, non potest vti suo priuilegio. Louet. *liter. G. numer. 5.*
15. Undecimò, inter Graduat<sup>os</sup> simplices, & Graduat<sup>os</sup> nominatos hæc est differentia; quòd in Graduat<sup>is</sup> simplicibus, sufficit prouisionem illis fieri non expressâ gradus mentione; sed dum agitur de Graduat<sup>is</sup> nominatis, debet apponi hæc clausula, *Tibi tanquam Graduat<sup>o</sup>, & Nominato conferens*: aut alia verba æquipollentia, quæ ostendant prouisionem in vim nominationis fuisse factam. Louet, *liter. G. num. 2.* & ibi Adden.
16. Duodecimò, si Ordinarius conferat alicui, tanquam Graduat<sup>o</sup>, qui tamen non est talis, quamuis collatio fuisset valida, si dixisset *Tibi idoneo*; tamen nulla est: quia quod potuit, noluit; quod voluit, non potuit: Rebuff. *in prax. part. 1. tit. de deuolut. numer. 54.*
17. Decimotertio, beneficia vacantia in Curia, & ideo reseruata per text. *in cap. 2. de præbend. in 6.* non subiacent huic priuilegio Graduatorum; sed liberè conferri possunt: quia hæc reseruat<sup>io</sup> remansit in statu per Concordata *in tit. de reseruat.* Pastor. *ditto lib. 1. cap. 16. numer. 12.*
18. Decimoquarto, Graduat<sup>us</sup> aut Nominatus suo priuilegio vti non potest post sex menses, si intra illud tempus à die vacationis computandum, non requisierit collatorem; vel eo absente eius Vicarium;
19. vt sibi tale beneficium conferat. † Qui si conferre recusauerit, ad Superiorem immediatum debet accedere, & ab eo collationem petere; & illo recusante, adeundus est gradatim alius Superior proximus; & vltimò Legatus, vel Papa. Rebuff. *in tract. Nominat. quest. 17. num. 1. & quest. 20.*
20. Decimo quinto, cessat Graduatorum priuilegium, vel Nominatorum in beneficiis iurispatronatus Laicalis; vel si vacent in Regalibus. Item in dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium; aut si Graduat<sup>us</sup> non reperiat idoneus; gradus enim ab examine non excusat. Pastor. *d. lib. 1. cap. 16. numer. 10. 11. 14. & 16.* Reliqua hanc materiam concernentia tractantur apud Rebuff. *in Concord. & in tract. Nominat<sup>ionum</sup>.*
21. His ita pro quæstionum prædictarum intelligentia præmissis; Respondetur ad primam, quòd licet aliàs disputatum fuerit vtrum summus Pontifex possit præuenire collatores ordinarios, in præiudicium Graduatorum simplicium, vel Nominatorum; hodie tamen sine difficultate hoc obtinet, vt præualeat præuentio Papæ, & eius collatio sortiri debeat effectum; etiam si non Graduat<sup>o</sup>, vel Nominato contu-

lerit. Quia Papa, dum concessit hanc gratiam, seu priuilegium Graduat<sup>is</sup>, non censetur concessisse in sui præiudicium: cum in omni dispositione, semper censeatur excepta persona loquentis: & ita post longum discursum concludit Addit. ad Louet, *luer. P. num. 43. colum. 10.* † Quod tamen in prouisione Pontificia obtinet: sed de prouisione per Legatum facta dubitatur apud Gallos, vt notat Pastor. *d. lib. 1. cap. 16. num. 8.* nam adhuc disputatur de validitate collationis in Legatione factæ in mensibus Graduatorum, per præuentionem Legati; & verendum est, ne præuentio in Gallia restringatur ad Pontificias prouisiones: ex notat. per Rebuff. *in tract. Nominat. quest. 18. num. 6.*

Verùm quando resignatio facta fuit cum derogatione regulæ de infirmis resignantibus, seu de viginti diebus; cui non solum Papa, sed etiam Legatus derogare potest, & solet: vt diximus supra, *cap. 70. num. 9.* tunc maior est dubitatio vtrum derogatio ista valeat in præiudicium Graduatorum, seu Nominatorum. † Ego existimo validam esse renunciationem, & derogationem tam à Papa, quàm à Legato vel Vicelegato factam; dummodò qui talem resignationem fecit, & obtinuit; nullam aduersus talem resignationem patiantur fraudis coniecturas: & hoc expressè decisum refert Torneet *in sua recollectione arrest. benefic. litera L. numer. 6. his verbis: Si apud Summi Pontificis Legat<sup>um</sup>, etiam in mensibus qui Academicis gradu insignibus noménque de more professis adscripi sunt, sacerdotia purè eurentur, & in eis attribuendis eum regula Cancellaria Apostolica, que dicitur, Si quis in infirmitate constitutus, gratiam facere posse iudicatum est.* Idem repetit *Litera G. numer. 13.* Maynard. *lib. 1. cap. 51. licet numer. 51.* aliud decretum referat ex facti circumstantiis. Papon. *lib. 3. tit. 2. de infirm. resignant. artic. 5.* Atque ita post varios discursus concludit Theuen. *ad ordin. Reg. lib. 1. tit. 24. artic. 1. in verb. ez mois affectés auxditz Graduez. in fin.* asserens ita obseruari. † Coniecturas autem resignationis, vel permutationis, in fraudem Graduatorum vel Nominatorum factæ, tredecim affert Rebuff. *in Concordat. tit. de collat. §. volumus. in verb. vacantia.* quæ apud ipsum videri poterunt: Nobis locum indicasse sufficiat.

Ad secundam quæstionem responsio patet ex supra dictis *num. 8.* nempe collatorem ordinarium teneri præferre eum, qui antiquior est: antiquiorem autem in hac materia eum dicimus, non qui ætate maior est, aut qui gradum prius assumpsit; sed eum qui prius nominatus est. Rebuff. *de Nominat. quest. 21. num. 6.* † Amplia vt per eundem, *ibidem, num. 8.* vt locum habeat, licet primò nominatus, esset duntaxat Baccalaureus, vel artium Magister: quia illa generalitas nihil facit nisi in data concurrentibus: † atque etiam si vltimò nominatus, esset prius in præsentatione, *ibidem, num. 9.* quia non attenditur præsentatio, vbi data præsentationis est potior: † & sic inter Graduat<sup>os</sup> quidem simplices, locus erit gratificationi, sed non inter Nominatos: vt supra dictum est, & docet Rebuff. *de collat. §. statuimus. in verb. gratificare. 1. versic. an sola petitio. in Concord. † Neque attendendum est quis primus sit in insinuatione, sed quis in nominatione.* Charond. *in Cod. Henrici IV. lib. 1. tit. 26. artic. 1.* † Imò nec quis anterior sit in collatione. Rebuff. *tit. de collat. §. statuimus. in verb. antiquiorem. versic. & per hoc patet.* † Cæteris autem paribus, locus erit gratificationi etiam inter Graduat<sup>os</sup> nominatos. Rebuff. *ibidem, in verb. gratificare. 2.*



## CAPVT XC.

De dispensatione super corpore vitiatis, vtrum & quando ab Episcopo concedi possit: & quomodo concedi soleat in Curia Romana. Vtrum qui ita claudus est, vt sine baculo incedere non possit, adeo irregularis sit, vt egeat Pontificia dispensatione tam ad sacros ordines, quam ad primam tonsuram. Vtrum irregularis priuetur beneficiis tam obtinendis, quam obtentis: & an sit capax pensionum Ecclesiasticarum

## S V M M A R I V M.

1. Quae clausula ex stilo Cancellariae Romanae soleant apponi in dispensatione super corpore vitiatis.
2. Causa semel facta appellabilis semper durat appellabilis.
3. Gratia conditionalis non potest sortiri effectum, nisi verificata prius conditione.
4. Episcopus cum corpore vitiatis non potest etiam ad primam tonsuram dispensare.
5. In terminis irregularitatis, appellatione ordinum Ecclesiasticorum tonsura continetur.
6. Qui dispensationem obtinet, tacite se inhabilem esse fatetur.
7. Quando agitur de deformitate notabili, solus summus Pontifex dispensat.
8. Episcopus in casibus in quibus potest dispensare, tenetur id facere cum causa cognitione: at vero summus Pontifex gratiam inhabili faciens, censetur cum eo dispensare.
9. Irregularitas ex deformatione corporis procedens, si fuerit ante contracta, reddit ad omnia inhabiles; si vero post ordines susceptos, reddit inhabiles quoad actus, quibus impedimento esse potest deformitas.
10. Quando deformitas venit ex facto ordinandi, Episcopus non potest dispensare.
11. Vt irregularitas noceat, non tam vitium corporis, quam apparens deformitas inspicienda est.
12. Claudus irregularis est.
13. Qui ex incisione Medicorum claudus effectus est, promoueri permittitur.
14. Fallit si non possit sine baculo incedere, tunc enim omnino Pontificia indiget dispensatione.
15. Nemo baculo innixus altari seruire debet.
16. In Gallia consuetudo obrinuit claudum ad sacros ordines promoueri posse. Intelligit nisi deformitas sit notabilis, ita vt sine baculo non possit sustineri.
17. Episcopi arbitrio remittitur, vt indicet quanam sit notabilis deformitas.
18. Episcopus super irregularitate ex vitio corporis proveniente dispensare nequit; sed solus summus Pontifex aduendus est.
19. Expliatur textus in cap. significauit. 4. de corp. vitiatis.
20. Irregularis quemadmodum expellitur à sacris

ordinibus, ita etiam repellitur à beneficiis obtinendis.

21. Irregularis beneficiis iam obtentis non priuatur ipso iure, sed duntaxat per sententiam.
22. Quando pensio non datur irregulari per modum stipendij, sed in titulum quasi beneficij; aliqui existimant illum pensionis Ecclesiastica incapacem esse.
23. Contrarium tamen verius est, nempe irregularem non esse inhabilem ad obtinendam pensionem Ecclesiasticam, etiam per modum beneficij illi assignatam: & super hoc affertur declaratio sacrae Congregationis.

Clericus quidam tonsuratus, sed corpore vitiatus, & ita claudicans vt sine baculo corpus suum sustinere non posset; à summo Pontifice dispensationem obtinuit, vt ad quatuor minores, ac omnes sacros etiam praesbiteratus ordines promoveri, & in illis ministrare, nec non quaecumque, & qualiacumque beneficia recipere, & retinere possit & valeat: † adiecta hanc clausulam in similibus dispensationibus apponi consuetam; Et committatur Ordinario qui inspecto & considerato diligenter per se ipsum dicto defectu, si talis non sit, nec ex eo proveniat tanta deformitas, quae scandalum generet in populo, aut diuinis praestet impedimentum: super quo eius conscientiam oneramus; cum eodem oratore dispenset, vt supra.

In vim cuius commissionis Episcopus nemine ex aduerso comparente, aut interueniente, processit ad dispensationem: à cuius sententia tertius quidam concurrens in impetratione quorundam beneficiorum, appellauit; & in gradu appellationis, sententia primi iudicis fuit confirmata: iterumque ab hac secunda sententia fuit appellatum, & dubitatum de iustitia illarum sententiarum: Super qua controuersia

Fuit responsum malè fuisse iudicatum, & bene appellatum: nam quod causa esset appellabilis, non poterat dubitari: † quia iam semel facta appellabilis; semper durat appellabilis. Lancellot. de attent. part. 2. cap. 12. limit. 25. numer. 18. Sigism. Scac. de appellat. quest. 17. limit. 47. membr. 1. num. 112.

Et deueniendo ad negotium principale, certum est impetrandem rescriptum dispensationis, teneri omnia narrata verificare, super quibus gratia fundatur: praesertim quando adest clausula, verificato prius, vel considerato defectu; si talis est, &c. tunc enim † gratia est conditionalis, & non potest sortiri effectum nisi verificata prius conditione. Verall. decis. 273. part. 1. Conrad. in prax. dispensat. lib. 7. cap. 6. numer. 30. Non potuit autem verificari narratiua gratiae; cum in facto supponatur clericum illum tali deformitate, & claudicatione laborasse, vt non solum sine baculo se sustinere non posset, verum etiam non sine magno scandalo in altari ministrare posset.

Praeterea iste se clericum esse, & per consequens ad primam tonsuram legitime promotum summo Pontifici narrauit; falsò tamen: quia tonsura ipsi minus legitime, hoc est sine dispensatione Apostolica collata fuerat: non enim ipsum summus Pontifex à clericali malè collato dispensauit; sed ad alios duntaxat ordines transire permisit: † Clericatus tamen speciali Pontificia dispensatione indigebat, nec poterat Episcopus corpore vitiatum ad primam tonsuram dispensare: cap. 1. de corpor. vitiar. Anchar. in cap. significauit. eodem tit. Praeposit. in can. non confidat. distinct. 50. quos sequitur Seraph. decis.

*cis. 625. n. 1. Tolet. de instruct. sacerdot. lib. 1. cap. 63. num. 8. & traditur in cap. illiteratos. distinct. 36. Garc. de benefic. part. 7. cap. 12. num. 28. 29. & 30. per text. in d. cap. non confidat. Auila, in tract. de censuris. part. 7. disput. 2. dubitat. 6. conclus. 1. Suar. tom. 5. in 3. part. de censur. disput. 7. quæst. 2. punct. 2. num. 28. circa finem. Ratio est quia prima tonsura est dispositio ad sacros ordines, ut omnes dicunt: cum igitur irregularis, qualis est qui insigniter claudus est; sit inhabilis ad sacros ordines: inhabilis etiam erit ad primam tonsuram.*

5. *Item quando irregularitas dicitur impedimentum esse ad ordines Ecclesiasticos, illa particula ordines Ecclesiasticos non solum intelligitur de ordinibus sacramentalibus, sed etiam de prima tonsura: ut rectè Suares, loc. citat. quare ut dicit Suares, irregularitas illa tonsuram inficit, atque ideo totum statum clericalem; & propterea dispensatione opus est. Et licet disputando, aliquid in contrarium dici possit, hæc tamen communis & vera est sententia, à qua non esse recedendum testatur Diana resol. moral. part. 4. tract. 2. de irregul. resol. 88.*

6. *Et sane dictus clericus dispensationem præfatam impetrando, & eâ utendo, facile agnouit suam inhabilitatem, iuxta doctrinam Baldi in l. 2. Cod. de iur. aur. annul. ubi dicit eum, qui producit instrumentum legitimationis, tacitè fateri se esse illegitimè natum DD. in l. decem. ff. de verb. obligat. Rot. decis. 425. num. 2. part. 3. recent.*

7. *Neque obstat si dicatur Episcopum conferentem tonsuram, tacitè censerè dispensare. Quia hoc procedere posset, si ageretur de leui deformitate, aut si tractaretur de ministrando in ordinibus iam susceptis; secùs si agatur de notabili & magna deformitate, quæ scandalum generare posset; vel de ordinibus, seu tonsurâ nondum adeptâ; & deformitas obuenerit antea: tunc enim non sufficit Episcopi dispensatio, sed debet summus Pontifex suam auctoritatem interponere ad suscipiendos ordines, vel tonsuram. Seraph. decis. 625. num. 5.*

8. *Et proposito citra præiudicium veritatis, quod non requireretur Pontificia dispensatio: Episcopus in casibus in quibus dispensare potest tenetur id facere cum causæ cognitione, & iustâ subsistente causâ: & in hoc differt à summo Pontifice, qui gratiam inhabili faciens, cum eo dispensare censetur. Seraph. d. decis. 625. num. 6. 7. & 8.*

*Similiter non obstat quod dicitur vitium, seu deformitatem reddere duntaxat inhabiles ad illum actum, seu exercitium illud, quod propter deformitatem exercere non potest.*

9. *Quia hoc procedit quando irregularitas contrahitur ex casu superuenienti, post ordinum suspensionem: ut dicit Tolet. d. lib. 1. cap. 63. num. 4. Garc. de benefic. part. 7. cap. 12. num. 18. & 19. At verò quando deformitas contracta est ante suspensionem ordinum, vel clericatus; tunc indistinctè non potest quis ad illos sine dispensatione promoueri: ut dicunt DD. omnes, quos superiùs longa serie citauimus, & conforme est communi opinioni.*

10. *Non negamus tamen, quin multùm possit arbitrium Episcopi in dispensandis claudicantibus, qui inspicere debet utrùm claudicatio sit magna, & notabilem corporis afferat deformitatem: præsertim si claudicatio acciderit ex facto, aut culpa ordinandi; tunc enim non debet vllò modo dispensare, sed potius ad Papam remittere, ad quem dispensatio huius culpæ, vel magni defectus pertinet: per text.*

11. *in cap. 1. de cleric. pugnantibus in duello. † Quia non tam vitium corporis in se, quàm deformitas & im-*

*pedimentum attendi debet, ut quis censendus sit irregularis: adeo ut & vitium non sit apparens, aut non impediatur in altaris ministerio celebrare, dispensatione non egeat: ut dicit Conrad. de dispensat. lib. 3. cap. 6. num. 26. & 27. † Quanquam generaliter claudum irregularem esse tradat Paris. de resignat. lib. 5. quæst. 6. num. 46. † Sed si quis ex incisione Medicorum, vel Chirurgorum læsus, altero pede claudicat; promoueri non prohibetur: imò permittitur: cap. si quis in infirmitate. 55. distinct. † Nisi tamen cogatur baculo uti ad se sustinendum, tunc enim omninò dispensatione indiget: Glof. in d. cap. si quis in infirmitate. Abbas in cap. 2. num. 3. de cleric. agrot. ministr. † Quia nullus Præbiter aut Diaconus ad missæ sacrificium cum baculo accedere debet: cap. nullus Episcopus. de consecrat. distinct. 1. † Si autem sine baculo incedere potest, consuetudo admisit, maximè in Gallia, ut ad sacros ordines promoueri queat. Rebuff. in prax. tit. de dispensat. cum corpore vitiat. numer. 6. Supponebatur autem in facto deformitatem esse valde notabilem, & promotum altaris ministerio sine derisione ministrare non posse, nec nisi innixum baculo stare, aut ambulare: ideo in tanta deformitate necessaria erat summi Pontificis dispensatio, etiam ad primam tonsuram: ut supra dictum est, & probatur per text. in capit. præbiterum. de cleric. agrotante, ibi, Quia nec securè propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri, hoc fieri posse confidimus.*


*Quamuis autem Episcopi arbitrio remittatur, ut iudicet quæ sit notabilis deformitas, quæ ordinis exercitium impediatur, vel scandalum gignat: Couar. in Clem. si furiosus. in princip. part. 1. numer. 5. Auil. de censur. part. 7. disput. 3. dub. 3. Bonacin. in eod. tract. disput. 7. punct. 2. numer. 36. Campanel. in diuers. iuris Canon. rubr. 11. cap. 17. numer. 82. cum sequentib. † Non tamen propterea sequitur Episcopus dispensare posse super illa irregularitate, proueniente ex vitio corporis; sed summus Pontifex adeundus est: Innocent. in cap. significauit. 4. de corpor. viciat. num. 3. super verb. & tua. Hostiens. ad fin. super verb. tua, Abbas ibidem, num. 2. Bonacin. de censur. disput. 7. quæst. 2. punct. 2. num. 36. Campanel. d. cap. 17. Rubric. 11. num. 204. Mirand. in manual. prælat. regul. part. 2. quæst. 8. artic. 3. conclus. 2. Alois. Ricc. in prax. aur. resol. 16. † Et licet contrarium videatur elici ex Glof. in d. cap. significauit. tamen textus ille hoc manifestè probat, in illis verbis: Auctoritate nostra, quæ ostendunt Episcopum in illo casu dispensandi habuisse facultatem, non auctoritate propriâ, sed sibi per sedem Apostolicam commissâ: ut notauit Ricc. & alij supra citati.*

*Quemadmodum autem irregularis arcetur à sacris ordinibus, ita etiam arcetur à beneficiis obtinendis. Rot. decis. 236. numer. 2. part. 2. recent. post Abbat. in cap. cum in nostris. num. 22. de concess. præbend. Ioann. de Selu. de benefic. part. 3. quæst. 2. numer. 11. † Beneficiis autem iam obtentis non priuatur irregularis ipso iure, sed tantùm per sententiam: Garc. de benefic. part. 11. cap. 10. num. 47.*

*Quod autem dictum est de incapacitate irregularis quoad beneficia; eodem modo videretur dicendum ratione pensionum beneficialium, quæ non per modum stipendij, sed per modum beneficij, datæ fuerunt: cum militet ferè eadem ratio; & ita tenet Ricc. in prax. rerum fori Ecclesiastic. decis. 185. numer. 178.*

*Sed tamen contrarium tenet idem Ricc. in suis decis. Archiep. Neapolit. lib. 2. decis. 71. per totam ubi*

bene comprobatur. Sed meliùs hæc sententia comprobatur ex decisione sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium Concilij interpretum, relata per Garc. de benefic. part. 1. cap. 5. num. 136. Hoc decretum quod loquitur de incapacitate beneficiorum, in qua sunt homicidæ; non extenditur ad pensiones.



## CAPVT XCV.

Quomodo succedatur in bonis Monachis tam in terris Ecclesiæ immediatè subiectis, quàm in Gallia. Quid si bona partim sint in Gallia, partim in terris Monarchiæ Pontificiæ immediatè subiectis. In spoliis monachorum quis debeat succedere; Et quòd si monachi decedant extra claustra, vel illicitam exercent negotiationem; quòd R. Camera succedat. Quid veniat sub nomine negotiationis illicitæ, & utrùm per eam clericus amittat sua beneficia.

## S V M M A R I V M.

1. In successione bonorum monachi attenditur constitutio, vel consuetudo locorum, ubi bona sita sunt.
2. Monacho debetur legitima super bonis sitis in terris Ecclesiæ, non autem super bonis Gallia.
3. In Gallia monachi sunt incapaces successionis, & Monasterium non habetur loco filij.
4. Summus Pontifex non concedit facultatem testandi ratione bonorum sitorum in Gallia.
5. Si bona parentis partim sita sint in Gallia, & partim Auenione, monachus solùm habet legitimam in Auenionens.
6. Bona sita in locis in quibus monachi non succedunt, non sunt ponenda in globo ad impinguandam legitimam.
7. In calculo legitima non computatur monachus in numero liberorum, in locis ubi arcetur à legitima.
8. Monachus de fructibus suorum beneficiorum in vita disponere potest, dummodo id fiat sine fraude.
9. Monasterium succedit monacho, vel Abbas, in bonis per eum tempore mortis relictis, iure spoly.
10. In Gallia siue monachus decedat intra, siue extra claustra, locus est spolio favore Abbatis.
11. Abbas succedens iure spoly, non dicitur heres; sed successor; & bona capit tanquam peculium.
12. Bona monachorum decedentium extra claustra cum licentia Superiorum, vel sine ea, in terris Ecclesiæ pertinent ad Camera Apostolicam iure spoly.
13. Monachus, de bonis patrimonialibus, quæ ante professionem possidebat, non potest disponere, quia mortuus est mundo.
14. Solus Papa testandi licentiam monachis concedere potest.
15. Bona clericorum secularium, vel regularium ex

illicita negotiatione quasita, pertinent ad Camera Apostolicam iure spoly.

16. Non omnis negotiatio clericis prohibita est.
17. Vt clericus secularis tanquam negotiator beneficiorum priuationem incurrat, requiritur tri-na monitio.
18. Clericus potest licitè proprios agros excoli facere, & eorum fructus vendere.
19. Sericum est fructus proueniens ex arboribus mororum, mediantibus foliis quæ sunt in fructu, quoad illius generis arbores. Decima debentur ex foliis mororum stante consuetudine. ibid.
20. Quæ possit facere clericus circa fructus, & negotiationes suas, sine periculo incursum pœnarum, quæ de iure clericis negotiatoribus imponuntur.
21. Quæ veniat appellatione Spoliorum Ecclesiasticorum.
22. Bulla Pij V. super ornamentis clericorum Ecclesiæ post eius obitum restituendis, non obseruatur Auenione.
23. Sicuti nec Bulla eiusdem summi Pontificis super Censibus.
24. Spolia clericorum secularium non sunt Auenione, sed illa pertinent ad heredes.
25. Bulla aut lex non recepta non obligat.
26. Etiam si non fuerit obseruata per simplicem ignorantiam.

Propositum fuit dubium, utrùm religiosus ordinis Cluniacensis, post trigèsimum à professione annum, qui nunquam claustraliter vixit; testamentum condere, aut de bonis suis disponere possit; aut aliàs ad quem successio pertineat in bonis eiusdè. † 1. Ad cuius declarationem aduertendum est; quòd siue religiosus iste in Galliæ partibus professus sit, & vixerit, siue in terris Ecclesiæ immediatè subiectis, semper fieri debet bonorum distinctio; quæ regulari debeat, & illorum successio adiudicari, secundùm leges & consuetudines loci in quo bona sita sunt. Peregrin. fusè consil. 4. per totum, volum. 5. † Vnde 2. cum aliàs quidam monachus, seu pro eo Monasterium Sancti Andreae secus Auenionem, peteret iura legitimæ paternæ: fuit obseruatum quòd legitima illi daretur super bonis existentibus Auenione, non autem super bonis villæ nouæ sub ditione Regia. † 3. Quia vt notorium est; monachi in Gallia sunt incapaces successionis ab intestato: eadem ratione monasteria vt monachos representantia: nec monasterium habetur loco filij, sed bona monachi, etiam quæ ante professionem habebat, ad proximiores deuoluuntur. Guillelm. Benedict. in cap. Raymutius. in verb. & uxorem, in tract. de success. ab intest. num. 222. & sequentib. † Nec aduersus talem consuetudinem, summus Pontifex concedit facultates testandi, de bonis monachorum in Gallia sitis: Benedict. ibidem: & Imbert. in enchyrid. in verb. Moyne profès. Masuer. in praxi, tit. 32. des successions, num. 30. & 31. Chassan. in consuetud. Burgund. tir. de success. §. ult. in verb. constume du Royaume, num. 2. & sequentib. Ioan. Gall. & ibi Add. quest. 122.

Vnde non poterat Monasterium ex persona monachi prætere iura legitimæ, super bonis in Gallia sitis; sed tantùm super bonis Auenionensibus, regulando successione respectu loci in quo bona sita sunt. Corn. consil. 202. num. 13. lib. 2. Socin. senior. consil. 288. colum. 9. ad finem, num. 22. volum. 2. versic. circa secundum. Crauet. consil. 236. sub num. 5. Peregrin. dict. consil. 4. volum. 5. per totum



6. num. † Ita vt bona alibi sita non ponantur in globo ad augendam, & impinguandam legitimam: sed tantum fiat calculus de bonis existentibus in loco, in quo monachi succedere possunt, seu ex eorum persona, monasteria: vt dicunt præfati DD. nec non Menoch. *consil.* 280. num. 8. Surd. *consil.* 343. num. 20. Gozadin. *consil.* 49. numer. 8. & 11. in fine. Tiraquel. *de primogen. quest.* 46. in princip. & in fine num. 8. vbi dicit inspiciendam esse consuetudinem loci, in quo bona sita sunt; siue statutum sit conceptum in rem, siue in personam: & ideo bona Pietauiæ diuidenda sunt iuxta consuetudinem Pietauiæ; & bona Turoni sita, secundum consuetudinem Turonensens. Plura Marta *de success. legal. part. 1. quest.* 13. artic. 12. num. 31. usque ad 39.

7. Quæ adeo vera sunt, vt persona monachi incapax non computetur in numero liberorum, quando fit inter eos calculus legitimæ, quoad bona Gallia: quia cum non admittatur ad partem, non facit partem. Cancer. *lib. 1. cap. 3. de legit. numer.* 27. & 28. & perinde est ac si tales liberi non essent in rerum natura: cum nec ad partem admittantur, nec admitti sperentur: l. 1. §. in primo. & §. pro secundo. *Cod. de caducis tollend.* Guid. Pap. *decis.* 295. & ibi, nominatim Ferrer. & Camill. de Med. *consil.* 167. num. 8. & 9. Atque ita obseruatum, & practicum vidi in pluribus causis: & nominatim dum agebatur de successione legitimæ maternæ, debitæ Sorori Magdalenæ de Crillon, super bonis Illustriss. Dominæ Iuliæ de Sado matris suæ, quorum aliqua sita erant in territorio Curtedonis Principatus Auaicensis; in quo similiter monasteria excluduntur à successione; & non solum per sententiam nostram arbitramentalem exclusimus Monasterium à legitima super illis bonis, sed etiam in calculo aliorum bonorum fuit institutus calculus, perinde ac si nulla prorsus extitissent bona in Principatu Auaicæ. Vnde patet resolutio primæ difficultatis, quæ in casu proposito occurrebat; nonpe quoad bona istius Monachi sita in Gallia, successuros esse proximiores; iuxta illam generalem consuetudinem: intelligendo de bonis monachi patrimonialibus.

8. Secundò, quoad fructus beneficiorum, monachi de illis in vita disponere possunt, perinde ac si sæculares essent præbiteri. Rot. *decis.* 772. num. 4. part. 1. diuers. post Nauarr. in cap. vt non dicatis. numer. 42. 12. quest. 1. & in Apolog. quest. 1. numer. 80. num. 4. & 5. Card. in Clem. 2. §. sed & tales. in 1. mtab. de vita & honest. cleric. & in Clem. gratia. col. remitt. ad finem, versic. quod interrogatus in questione facti. extr. de rescript. Louet. *litter. R.* num. 42. & ibi Addit. in verb. Ce neantmoins, dummodò dispositio fiat sine fraude: vt ibi dicitur.

9. Tertio, in bonis quæ religiosus relinquit tempore mortis, solum Monasterium, vel pro eo Abbas succedit. Louet *d.* num. 42. & ibi Ald. Boerius *decis.* 24. num. 3. & sequentibus. & prodatur in cap. perlatum. 19. quest. 3. & cap. si qua mulier. eadem caus. & quest. & nominatim de monachis Cluniacensibus adest constitutio reata apud Tamburin. *de iur. Abbat. tom. 3. disput.* 16. quest. 4.

10. Nec fit in Gallia distinctio, vtrum monachi decendant intra, vel extra claustra: quia etiam si monachus extra claustra degat cum licentia Superiorum; non tamen deo eximitur ab obligationibus erga monasterium. Cost. *de re integ. distinct.* 13. vbi latius tractat questionem successionis bonorum monachi, extra claustra degentis cum licentia, vel sine licentia Superiorum; nec non monachi translati: & ita tradit, quæ apud eum videri poterunt.

In his autem bonis Abbas non succedit iure hæreditario, sed iure peculij: ideo non dicitur hæres, sed successor: adinstar patris, qui bona filij familias defuncti non iure hæreditario capit, sed iure peculij: ita Bacquet *in tract. du droit de disherance, cap.* 3. num. 11.

Quarto, ex summorum Pontificum constitutionibus, quæ obseruantur in terris Ecclesiæ immediate subiectis; bona monachorum extra claustra cum licentia, vel sine licentia degentium, post eorum obitum iure spoliij capiuntur: iuxta constitutionem Gregorij XIII. quam inserit ad longum Tamburin. *d. tom. 3. disput.* 16. quest. 5.

Quinto, in terris Ecclesiæ; quoad bona patrimonialia monachi, quæ ante professionem possidebat, si de illis non disposuerit ante professionem; certum est nec de illis posse post professionem testari, aut alio modo disponere: iuxta *Auben. ingressi. Cod. de sacrosanct. Eccles.* cum sit mortuus mundo, & non habeat velle, aut nolle. Sanch. *in precept. decalog. lib. 7. cap. 8. numer.* 2. † vbi ostendit licentiam testandi monacho non posse concedi ab alio, quam à solo summo Pontifice: intelligendo tamen, vt dictum est superius num. 4.

Sextò, R. Camera Apostolica succedit in bonis cuiuscumque clerici siue læcularis, siue regularis, quæ ex illicita negotiatione quæsitæ sunt: vt notauit Redoan. *in tract. de spoli. Eccles. quest.* 7. num. 81. Lezana. *in summa regul. tom. 1. cap. 10. num. 5. & tomo 3. in verb. negotiatio quoad regulares. num.* 10.

Septimò, non quælibet negotiatio clericis vetita est, tam regularibus, quam sæcularibus: sed ea duntaxat quæ per sacros canones eis prohibita est: vnde cum aliàs dubitaretur, vtrum clericus sæcularis sub prætextu illicitæ negotiationis incurrisset pœnam priuationis beneficiij; & vtrum subsisteret impetratio ea de causa per tertium facta? Dixi nihil esse huic beneficiato timendum.


Tum quia necessaria fuisset ad effectum priuationis trina præcedens monitio, Redoan. *in dict. tract. de spoli. Eccles. quest.* 2. num. 73. versic. & dicit Innocent. quia sine trina monitione præcedenti, regulariter priuatio beneficiij non incurritur DD. *in cap. final. de vita & honest. cleric. & ibi Barbof. numer.* 2. Farinac. *in fragm. litter. C. num.* 180.

Tum etiam quia quidquid egerat clericus ille, totum id licite, & iure permittente factum fuerat. Licitum quippe est clericis regularibus, vel sæcularibus, prædia propria, & respectiue sui beneficiij excoli facere, fructus inde proueniētes vendere, ibidē boues & alia animalia ad fines vendendi depasci facere, † sericum ex folijs per se, vel per alias personas non tamē suspectas conficere: quia sericum reputatur tanquā fructus proueniens ex arboribus motorum, quarū nullus alius est fructus præter educationem bombicū, ex quibus sericum extrahatur: vt notauit Cyriac. *controuers.* 458. n. 20. & ex his folijs tanquā ex fructibus arborum decimas deberi, stante saltem consuetudine, supponit Seraph. *decis.* 827. † Possunt etiam grana, vinū & oleum ex propriis prædijs proueniens vendere, & alia multa facere quæ breuitatis causa omittuntur: cum omnia sigillatim explicata sint per declarationes sacræ Congregationis, quas inseruit Barbof. *de iur. Eccles. vnivers. lib. 1. cap. 40. num.* 127. & ex eodem desumpsit Lezan. *in summa regul. tom. 3. in verb. negotiatio quoad regulares, num.* 9. & 10. & tradit Farin. *in fragm. litter. C. num.* 172. Idem Barbof. *in decis. Apostolic. collect.* 159. Clerici quoad negotiationem per totam.

Spoliorum autem Ecclesiasticorum appellatione, quæ

quæ veniant? fusè explicat Barbof. *in tract. de ap-  
lat. verb. cap. 247. per tot. & in decis. Apost. collect. 67.*

- Vbi notandum est, quòd licèt ornamenta & para-  
22. menta Ecclesiarum reperta apud clericos post eorum  
mortem, pertineant ad Ecclesiam, nec de illis dis-  
ponere possunt in fauorem aliorum, iuxta Bullam  
Sanctæ Memoræ Pij V. factam anno 1567. die 3.  
Kalend. Septemb. relata apud Nauarrum *in tract.  
de spol. cler. in cap. non liceat Papa. 12. quæst. 2. §. 8.*  
Tamen in præfenti ciuitate, Bulla huiusmodi nun-  
quam fuit vsu recepta; quòd non est nouum: cum  
sint multæ aliæ constitutiones Pontificum, quæ in  
diuersis partibus non sunt in vsu: † veluti Bulla eius-  
dem Pij V. super censibus, quæ in his partibus non  
23. obseruatur; & cum Illustrissimus bon. mem. Ioseph.  
Ferrer. Archiepiscopus Vrbinatensis aliàs illam pu-  
blicari fecisset, reclamante ciuitate; summus Pon-  
tifex mandauit contractus censuales fieri prout antea  
fieri solebant: eadem ratione dicta Bulla super orna-  
mentis non fuit vsu recepta, prout egomet iudicauit  
à multis annis, cum R.P. Vicegerente, contra capitu-  
lum Ecclesiæ Sancti Desiderij: quamuis idem Domi-  
nus Vicegerens esset Præpositus illius Ecclesiæ in  
causa dicti capituli, contra hæredes Domini Falot  
Canonici. Maxime quia constabat ex depositione tes-  
24. tium de contraria Bullæ obseruantia. † Sicut spolia,  
exceptis Episcopis, & Archiepiscopis, non fiunt in  
his partibus aduersus clericos sæculares, ex immemo-  
riali consuetudine, & Bullis ac diplomatibus Apo-  
stolicis, vt quotidie vidimus obseruatum. Et dum  
Illustriss. bon. mem. Dominus Philonardus tunc Ar-  
chiepiscopus, & Vicelegatus Auenionensis, voluisset  
spolij nomine capere bona per quosdam clericos  
sæculares relicta: totus clerus, me consulente, recur-  
rit ad Sanctissimum & Eminentissimum Cardinalem  
Legatum, & obtinuit nè procederetur ad vteriora,  
sed bona penes successores libera remanerent. † Quòd  
25. enim Bullæ non receptæ non obligent, tradit Nauarr.  
*consil. 1. num. 23. vsque ad 33. Oldrad. consil. 259.  
Impugnatur. num. 1. versic. quia illud statutum. Iason.  
in l. si filius qui patri. num. 22. ff. de liber. & posthum.  
Aretin. consil. 11. Procedendum. num. 5. & consil. 153.  
Consultatio proposita. num. 1. in fin. Alexand. consil.  
18. num. 5. volum. 2. & consil. 132. volum. 1. & con-  
26. sil. 39. volum. 3. † Neque necesse est in isto casu in-  
teruenire sententiam in contradictorio iudicio latam  
cum sufficiat simplex inobseruantia: ex Nauarr. *loc.  
cit. num. 26.* Lex enim quæ nunquam fuit obserua-  
ta, non potest dici abrogata; cum nunquam recepta  
fuerit: ita Roland. *consil. 8. num. 30. & 34. volum. 1.**



## CAPVT XCVI.

Religiosum nihil proprium habere posse.  
Quomodò intelligendum sit quòd dici-  
tur, religiosum proprietarium deceden-  
tem sepulturâ Ecclesiasticâ priuandum.  
Professum testari non posse: bona tamen  
sua inter liberos æqualiter, vel inæquali-  
ter diuidere posse; relicta filijs saltem le-  
gitimâ, Monasterio verò, sua portione:  
& quæ illa sit. Transactio super nullitate  
professionis promissâ pecuniâ intuitu bo-  
norum dimissorum, an sit simoniaca? Le-  
gatum factum monacho eâ conditione,

vt monasterio non quærat, an sit va-  
lidum? Et si legatum factum fuerit re-  
ligioso pro suis necessitatibus, vtrùm ces-  
sante necessitate debeatur.

## S V M M A R I V M.

1. Monachus nihil proprium habere potest.
2. Monachus proprietarius decedens sepulturâ Ec-  
clesiasticâ est priuandus.
3. Quæ sit pœna monachi proprietarij ex Concilio  
Tridentino.
4. Vt religiosus, qui proprium habere repertus est,  
priuetur sepultura Ecclesiastica, debet præ-  
cessisse monitio Superioris.
5. Monachus viuens non priuatur altaris ministerio  
ob peccatum proprietatis, nisi præuâ mo-  
nitione.
6. Fallit in iis qui strictam Sancti Francisci pauper-  
tatem obseruant.
7. Et in istis admittuntur etiam pro excusatione  
coniecturae.
8. Non procedit etiam pœna priuationis sepultura in  
delicto proprietatis occulto.
9. Refertur ampla, & generalis constitutio Urbani  
VIII. contra proprietarios.
10. Monachus, post professionem, de bonis per eum  
antea donatis disponere non potest.
11. Religiosus post professionem intestabilis est.
12. Religiosus testari nequit sine professionem emise-  
rit in monasterio bonorum capaci, sine in-  
capaci.
13. Monasterium ipsum non potest contrauenire te-  
stamento monachi, ante professionem facto.
14. Pater professus bona sua inter liberos diuidere  
potest.
15. Intellige, si de illis non disposuerit ante profes-  
sionem.
16. Pater professus bona sua inter liberos etiam ina-  
qualiter diuidere potest.
17. Fallit si pater ingressus sit monasterium bonorum  
incapax in communi.
18. Ingressus religionem strictam paupertatem obser-  
uantem, habetur pro naturaliter mortuo.
19. Pater professus bona sua inter liberos diuidens;  
non indiget licentia sui Superioris.
20. Differentia, quoad facultatem diuidendi inter li-  
beros bona sua; inter religionem bonorum  
in communi capacem, & incapacem; non  
viletur ratione niti, licèt sit communiter  
recepta.
21. Explicantur casus, in quibus pater post profes-  
sionem bona sua diuidit inter liberos: & quan-  
tùm teneatur relinquere liberis, quantum  
Monasterio.
22. Legitima ex veriori & receptiori sententia debe-  
tur liberis, statim à die professionis.
23. Quomodo intelligendum sit, & practicandum quòd  
dicitur; patrem teneri æqualem partem  
Monasterio, cum liberis relinquere.
24. Vtrum diuisio illa per patrem fieri possit inter fi-  
lios illegitimos.
25. Quidquid datur pro ingressu Monasterij simoniam  
continet.
26. Pecunia non potest dari sine simone, ob causam  
professionis in monasterio.
27. Fallit, nisi quòd datur traditum fuerit intuitu  
sustentationis religiosi.
28. Aut nisi habeat causam omnino distictam, &  
separatam

*separatam ab ingressu monasterij, vel professione in eodem.*

29. *Assignatio legitima non dicitur simoniaca, quamvis eadem die filius beneficium resignaverit.*
30. *In dubio traditio rei temporalis censetur facta pro causa temporali, ad exclusionem delicti.*
31. *Explicatur decis. Putei. 42. lib. 2. & Mohedan. decis. 5. de simonia.*
32. *Promissio eius rei, ad quam quis de iure tenebatur, non potest esse simoniaca.*
33. *Quando ligatur simul super spiritualibus, & temporalibus, transactio fieri potest per traditionem alicuius rei temporalis.*
34. *Quando in vim sententia arbitratorum, temporale datur pro spirituali, non committitur simonia.*
35. *Legatum si fuerit monacho relictum sub ea conditione, quod Monasterio non acquiratur; subsistit quidem, sed conditio reiicitur.*
36. *Explicantur tres modi, quibus conditio adiecta legato facta monacho, valida, aut inualida esse potest.*
37. *Quomodo concipiendum sit legatum ad hoc ut monachus solus fruatur eodem.*
38. *Legatum religioso relictum pro suis necessitatibus, denotat potius causam impulsivam, quam finalem.*
39. *Causa impulsiva ea est, qua solum legatarij commodum respicit.*
40. *Legatum alicui religioso factum pro suis necessitatibus, debetur illi pro annis etiam præteritis, quamvis non indigerit.*

**N**on recedendo à materia capituli præcedentis, sequentes difficultates aliàs propositæ fuerunt, circa bona per monachos, seu religiosos possessa. Et primò quidem, utrùm monachus in ordine Cluniacensi professus, qui ante professionem bona sua præsentia & futura, consanguineis inter vivos donauerat; possit ea, quæ sibi post professionem donantur, possidere.

Secundò, si donatio illa vitio nullitatis corruat, utrùm aliqua ratione de bonis suis, post professionem disponere, vel testari queat; aut de illis transigere, ratificando professionem, sine vitio simoniæ.

Tertiò, utrùm saltem possidere, vel frui possit legato, sibi pro alimentis, & studiis relicto.

Quartò, si factum fuerit illi legatum pro suis necessitatibus, utrùm cessante necessitate, legatum petere possit; præsertim post aliquot annos non exactum.

1. *Resolutio primæ quæstionis hæc est: Quòd cum votum paupertatis sit substantiale religiosæ professioni, & per consequens proprietatis vitium sit illi substantialiter contrarium; nullo modo potest per monachum professum, aliquid tanquam proprium possideri: cap. cum ad monasterium. & cap. super quadam. & ibi DD. extra de statu monachorum † ubi dicitur quòd religiosus tempore mortis proprium habere inuentus, in sterquilinio cum sua pecunia sepeliendus est. † Et ex Concil. Trident. sess. 25. de regular. cap. 2. in fin. si religiosus proprium habere deprehensus fuerit, priuatus est per biennium voce actiua, & passiva; & iuxta constitutiones ordinis puniendus.*
4. *Quòd tamen de sepultura dicitur, intelligi debet de illis duntaxat religiosis, qui priùs à suo Su-*

periore moniti fuerant, ne bona vti propria possiderent: vt tenet Diana, *part. 4. resol. moral. tract. 4. resol. 23.* † quia iura non priuant ministerio altaris talem monachum viuentem cum peculio; nisi quando priùs monitus noluit dimittere: ergo nec Ecclesiastica sepultura: Et quia talis defunctus, si viueret, posset se purgare; allegando talem pecuniam sibi datam esse ad custodiam, vel vt alicui fieret restitutio. † Quæ tamen excusatio non prodesset strictam Sancti Francisci paupertatem seruantibus: vt dicit Portel. *in dubijs regul. in verb. sepultura, numer. 11.* † Nisi tamen adessent probabiles coniecturæ in contrarium. Hieron. Roderic. *in quæst. regul. resol. 128. numer. 20.* † Præterea Portel. vult illud intelligi vt procedat, quando casus est publicus; secus si occultus. † Et suprædicta multò magis hodiernis temporibus locum habent, cum fœlic. record. summus Pontifex Urbanus VIII. constitutione sua mandauerit, vt nullus ex fratribus bona quæcumque, prouentus, census, elemosinas, etiam ex concionibus, lectionibus; missis, consanguineorum subventionibus possideat vti propria; etiam nomine conuentus: sed omnia statim Superiori tradat, & aliàs prout in dicta constitutione continetur, quam inseruit Lezan. *tom. 1. summ. Regul. cap. 6. num. 8.*

Multò minus monachus iste, post perfectam donationem de bonis inter vivos donatis, vlla ratione disponere vel testari poterit: quia perfecta donatio tollit indistinctè dispositionem, & testamenti factionem in bonis donatis. Castil. *controuers. part. 3. cap. 10. num. 42. & in tract. de usufruct. cap. 39. num. 42.* Bertrand. *consil. 53. num. 1. 2. & 3. volum. 6.* Menoch. *consil. 926. num. 3.*

Secunda difficultas duo continet capita; primum de testamento religiosi, casu quo donatio nulla esset: secundum, de transactione facta super bonis, iuncta ratificatione professionis.

Quòd ad primum attinet: quidquid in contrarium dixerit Barthol. & alij quidam, verissima & receptissima est sententia, religiosum post professionem, testamenti factionem non habere; cum sit mortuus mundo, & non habeat velle, aut nolle: per text. in *Authen. nemo autem. Cod. de Episcop. & clericis*, fuse Sanch. *in præcep. decal. lib. 7. cap. 11. num. 7.* & ibi *num. 9.* plures pro hac sententia refert. † Atque ita fuit iudicatum, siue monachus professionem emisserit in Monasterio bonorum capaci, siue incapaci: Theaur. *iun. lib. 2. quæst. forens. 56. num. 1. & 2.* † Nec ipsummet Monasterium potest religiosi testamento ante professionem factò contrahere, aut alterare illud; vt dicit Theaur. *Ibidem, num. 4.* † Si tamen ageretur de patre, qui religionem ingressus fuisset, & professionem emisisset, liberos habens naturales & legitimos, ex præcedenti matrimonio procreatos; posset ex legis speciali priuilegio, bona sua etiam post professionem inter liberos suos diuidere: per text. in *Authen. si qua mulier. Cod. de sacrosanct. Eccles. & in Authen. nunc autem. Cod. de Episcop. & cleric. can. si qua mulier. 19. quæst. 3.*

Quòd intelligendum est locum habere, quatenus talis monachus ante professionem non condiderit suum testamentum; illo quippe condito, non potest postea etiam inter liberos illud alterare. Hieron. Roderic. *quæst. regul. resol. 135. num. 2.*

Utrùm autem pater inter liberos bona sua inæqualiter diuidere possit, postquam emisit professionem, Respondeo posse inæquales portiones facere, dummodo alij legitimâ non fraudentur: vt probat text. in *dict. Authen. si qua mulier.* iuncta *Glof. in verb. connumerata. in fin.* quam sequitur Bartol. *ibidem, num.*

num. 21. Sanch. in *præcep. decalog. lib. 7. cap. 9. num. 26.*

17. Quid dicendum de religiosis bonorum incapacibus, quales sunt Capucini, & Recollecti? Respondeo illos non posse illam diuisionem inter liberos facere, sicut nec Professi, vel Coadiutores formati in Societate Iesu, qui sunt incapaces cuiuscumque successionis, tam in communi, quam in particulari; ad effectum illa retinendi, vel possidendi, sed tantum ad effectum vendendi: cum hoc paupertatis votum non infringat. Burat. *decis. 245.* † Ratio est quia isti reputantur tanquam naturaliter mortui, ita Bartol. in *d. Authen. si qua mulier. num. 3.* cum aliis allegatis per Sanch. *d. lib. 7. cap. 9. num. 2. & 3.* & quamuis Hieronim. Roderic. *d. resol. 135. num. 2.* videatur exigere quod talis dispositio fiat cum licentia Superioris: † tamen verius est illam non requiri: quia lex hoc non dicit. Sanch. *ibidem. num. 4.* Verum quod dictum est de religiosis bonorum incapacibus, ut bona inter liberos diuidere non possint; licet sit conforme communi Doctorum sententiæ, à qua in iudicando, vel consulendo recedendum non est; † tamen si rationibus agendum esset, non video, cur id prohibitum potius sit istis bonorum incapacibus, quam aliis. Tum quia facultas diuidendi bona inter liberos data professis, aut fundatur in reliquiis patriæ potestatis, quæ adhuc æquè durat in incapacibus ac in capacibus: vel fundatur in strictiori paupertatis obseruantia; & hoc nihil concludit, quia possidere, vel non possidere bona, non respicit personas religiosorum; cum omnes votum emiserint paupertatis: sed respicit ipsum Monasterium, quod non potest se immiscere circa huiusmodi diuisionem. Cui ergo particulares æquè sint mortui mundo, ac bonorum incapaces, & æqualiter retineant reliquias patriæ potestatis; sequitur æquè in vtrisque prohibendam, vel concedendam esse diuidendi bona inter liberos facultatem. Sed ut dixi, non est à communi traditione recedendum.
21. Cæterum, diuisio ista sic fieri debet, ut nec filij legitima, nec Monasterium portione sibi debita priuetur. Quod ut rectè intelligatur, tres casus distinguendi sunt. Primus, quando pater vult aliquid liberis relinquere, non tamen multum: & hoc casu, saltem cuiilibet ipsorum, legitimam relinquere debet: & non minus. Secundus casus, quando pater professus vult liberis relinquere, quantum plus potest; & tunc relinquere non potest totum: sed debet sibi, seu verius Monasterio retinere partem æqualem cum aliis filiis. Tertius casus est, quando pater disponere non vult, & tunc filij ad minus legitimam habebunt: residuum verò spectabit ad Monasterium.
22. Diuisione legitima competet liberis statim à die professionis, non expectatà morte naturali patris: ut decidit Rotà Romana apud Anton. de Marin. *variar. resol. cap. 253. num. 10. & 14. & sequentib.* & apud Merlin. *de legit. decis. 103.* idque siue agatur de Monasterio bonorum capaci, siue incapaci. Rot. *ead. decis. Nouariensis legitima, coram R. P. D. Guislerio, repetita in recentiorib. decis. 267. num. 2. & multis sequentib.* vbi ostenditur hanc esse æquiore, & receptiorem sententiam: Castillo, *lib. 3. controuers. cap. 12. num. 31.* fusè Barbol. in *cap. cum simus, de de regularib.* Idem Castill. *de usufruct. cap. 64. num. 10.* vbi tamen hoc dubitatiuè proponere videtur. Grass. in *§. legitima, quest. 12. num. 6.* Vasqu. *controuers. lib. 1. cap. 37. num. 10.* vbi hanc testatur esse communem sententiam: licet ipse contrarium teneat, sicut & Gratian. *discept. forens. 815. num. 11.* Sed omnes rationes pro vtraque opinione discutit, tan-

démque cum communi resoluit statim legitimam post professionem deberi, Merlin. in *tract. de legitima, lib. 5. tit. 3. quest. 3. per totam.*

Quia verò mox in secundo casu, diximus æqualem cum filiis portionem patrem professum debere Monasterio relinquere: videamus quomodò hæc æqualis portio computanda sit? Sanè Gloss. in *d. Authen. si qua mulier. in verb. connumerata.* distinguit; aut enim pater professus bona sua æqualiter inter liberos distribuit, aut inæqualiter, vni plus quam aliis assignando: si æqualiter, debet referuare tantundem pro Monasterio, quantum vnus ex filiis habiturus est: si inæqualiter, Monasteriū tantundem habere debet, quantum vnus ex filiis cui plus relictum est: quam Gloss. sequitur Bart. in *d. Auth. si qua mulier. n. 21.* Sanch. in *præcep. decal. lib. 7. c. 9. n. 26.* qui in casu occurrenti ad eundem est, cum materiâ istam accuratè pertractet. 24

Loquuti sumus superius de diuisione facienda per patrem in filiis legitimis: nam verius videtur & conuenientiùs honestati religiosæ, ut in illegitimis dispositio *d. Authentica, si qua mulier*, locum non habeat: Bald. *ibidem, in d. Authen. num. 34.* Iason. *num. 42.* Redoan. *de spoliis, quest. 8. in princip. num. 72.* & in hac sententia videtur residere Sanch. cum illam vltimo loco ponat, *d. cap. 9. num. 14. lib. 7. in præcep. decalog.*

Alterum secundæ difficultatis caput in eo consistit, quod religiosus iste Cluniacensis, factâ cum fratre transactione super lite per eum intentatâ, ad declarationem nullitatis professionis suæ; concordauit quod frater ipse, vitâ eius durante, pro alimentis & sustentatione vitæ, dimittet eidem religioso vsam fructum cuiusdam domus, & horti, omnèsque litis expensas tenebitur soluere: & insuper dicto monacho restituere centum libras, pro expensis factis causâ litis in itinere ad Urbem, & pro aliis quibuscumque prætensionibus: quibus mediantibus, dicti fratres sese ab omnibus prætensionibus in illum vsque diem inuicem liberarunt, & liberatos declarauerunt. Item & his mediantibus præfatus monachus suam professionem approbauit, & ratificauit, ac ratam in perpetuum habere promisit. 25

Prima facie videbatur pro simonia concludendum: quia omnis transactio in qua spirituale datur pro temporali, simoniam continet: *cap. præterea. 9. de transactionib.* † Et nominatim pro ingressu, seu professione in Monasterio faciendâ, simoniacum est pecuniam recipere: *cap. non satis. 8. & ibi DD. maxime Binsfeld, de simon. Sanch. lib. 2. consil. moral. cap. 3. dubio 23. num. 1.* Diana, *resol. moral. part. 4. tract. 4. miscellan. resol. 157.* Præsertim cum ratificatio professionis videatur expressè facta in illam causam, per illa verba: *& moyennant ce.* Et per has rationes relatum mihi fuit ita tenuisse quemdam pium, & valde eruditum Theologum: sed Ego saluâ correctione, & determinatione Sanctæ Matris Ecclesiæ, & cuiuslibet meliùs sentientis iudicio; existimauim pactionem illam non esse simoniacam. Quia id quod illi religioso per transactionem promissum est, consistit in modico, & annuo reditu vitalitio; qui datus fuit pro sustentatione religiosi; & cum eius vita finitur: † Atqui certum est, promissionem rei temporalis pro religionis ingressu, vel professione faciendâ, validam esse, si fiat causa sustentationis personæ, etiam si transgens habeat aliunde ex quo viuere possit: quod procedit etiam si talis promissio deducatur in pactum expressum: ut bene probat Bonacin. in *tract. de simon. dispur. 1. quest. 6. punct. 2. per totum.* Sanch. *d. lib. 2. consil. cap. 3. dubio 11. num. 9.* Guid. Pap. cum Addit. *decis. 80.* 26


28. Præterea, promissio rei temporalis non fuerat facta simpliciter, & præcisè propter ratificationem professionis; sed potius intuitu bonorum, quæ religiosus fratri dimittebat; & quibus fratrem omnino priuare poterat, si professio fuisset declarata nulla: vt patet ex lectura dictæ transactionis, in qua fratres se inuicem liberarunt ab omnibus prætensionibus quas inter se habere poterant: & sic cum dictæ prætensiones tam iurium paternorum, quàm maternos, & aliorum de quibus in dicta transactione, haberent suam causam distinctam, & separatam; nempe bonorum renunciationem quæ erat in lite: nec non commodiorem vitæ religiosi sustentationem: promissio censetur potius facta in illam causam, quàm in causam professionis. Rot. decis. 418. num. 4. versic. quia fuit dictum. par. 1. recent. † Vbi fuit dictum, quòd assignatio legitimæ facta per patrem filio, eadem die, qua filius resignauit; non erat simoniaca: quia cum dicta assignatio haberet causam particularem, & separatam, & non proportionatam; nempe vt resignans qui deliberabat resignare, commodius viuere posset: actus quamuis eadem die facti non dicitur respectiui, ad effectum inferendi simoniam. Mohedan. decis. 3. de simon. Puteus, decis. 171. lib. 30. 1. Gabriel. consil. 172. num. 15. lib. 2. † Et in dubio actus censetur potius factus in causam licitam, & à re spirituali distinctam, in qua simonia committi non potuit: Quia ad excludendum delictum simoniæ, sufficit possibilitas: & semper sumenda est interpretatio exclusiua simoniæ. Burat. in simili, decis. 445. num. 4. & 5.
31. Atque ex his satisfat decisioni Putei, 42. lib. 2. vbi reputata est illicita conuentio, quòd quis cederet liti, mediante solutione expensarum: & Mohed. decis. 5. de simonia. Quia illæ decisiones procedunt quando agitur de vno eodémque facto indiuiduo, & inseparabili; sed hinc remissio bonorum temporalium habet causam distinctam, & separatam à professione: vt mox dictum est.
- Item in casu illarum decisionum renunciabatur liti, quæ simpliciter erat super re spirituali; nempe super beneficio: hinc autem agebatur de bonis, quæ religiosus ob nullitatem professionis ad se pertinere contendebat.
- Cumque de iure frater fratrem ad alimenta sibi præstanda, de bonis per eum fratri donatis, cogere potuisset; nec non litis sumptus propter paupertatem:
32. † non est de simonia tractandum, quando promissum fuit id, quod de iure debebatur. Felin. in cap. ad audientiam 2. num. 8. de rescript. Burat. d. decis. 445. num. 2. cum ibi citatis.
33. Et generale est, vt quando litigatur super spiritualibus simul, & temporalibus; transactio fieri possit per dationem rei temporalis: veluti si Episcopus agat simul ad spiritualia, & ad annuam pensionem; potest ratione illius temporalis transactionem inire: cap. cum venerabilis, de simon. Redoan. in tract. de simon. par. 2. cap. 31. num. 47.
34. Denique cum transactio facta fuerit in præsentia viri Eminentissimi, & non minus eruditione quàm pietate clarissimi; inanis est hæc de simonia contentio: cum certum sit ad transactionem super re spirituali deueniri posse, quando temporale datur auctoritate arbitratorum; quos etiam simplices clericos esse sufficit. Bonacin. de simon. disput. 1. quæst. 4. §. 15. num. 9. & 11.
35. Tertia difficultas facillè resoluitur: quia certum est legatum, aut donationem monacho sic fieri non posse, vt illius proprietates Monasterio non quæratur: & si sub illa conditione fiat, talis conditio tanquam

turpis reiicienda est; & habetur pro non scripta: secundum Bartol. in sua quæst. 12. Tusch. in verb. monachus. conclus. 317. Galganet. de condit. & demonstr. part. 2. cap. 1. quæst. 57. † Quod tamen indiget maiori declaratione: nam legatum illud, & conditio illi adiecta, tribus modis concipi potest: primò, quòd legatum fiat monacho, vt ad ipsum, non autem ad Conuentum pertineat: secundò, vt proprietates legati ad solum monachum, non ad Conuentum pertineat: tertio, vt proprietates ad solum monachum pertineat; quod si secus fiat, pertineat ad extraneum. Primo casu, intelligitur solus vsus monacho relictus de licentia Superiorum, & valet legatum; secundo casu, conditio tanquam turpis habetur pro non scripta, vt contraria bonis moribus religiosorum: idem dicendum est in tertio casu, ex Sanch. in præcept. decalog. lib. 7. cap. 17. num. 12. & sequentibus. & num. 17. Lezana in summa regul. tom. 1. cap. 6. num. 34.

Dum ergo quis legare vult soli monacho, sic concipere debet legatum, vt conuertatur ad studendum, & emendos libros, & alios vsus pro persona eiusdem religiosi de iure permittos; cum licentia & auctoritate Superiorum ipsius: & hoc casu validum erit legatum. Caldas in l. si curatorem habens. in verbo, latis. num. 147. in fin. versic. hoc tamen restringendum. Gigas. in tract. de pensionibus. quæst. 15. num. 1. Galgan. in d. tract. de condit. & demonstrat. part. 2. cap. 5. quæst. 11. num. 9. versic. potest bene monachus.

Quartæ difficultatis resolutio videtur facienda in fauorem religiosi, seu pro eo Monasterij: quia illa verba legati, pro suis necessitatibus, denotant potius causam impulsuam, quàm finalem; & per consequens cessante necessitate, debetur nihilominus legatum, quod non amittitur quamuis desinat causa impulsua. Mantic. de coniect. lib. 6. tit. 14. num. 15. Galganet. de condit. & demonstrat. part. 2. capit. 4. quæst. 2. num. 1. Simon de Prætis de interpret. ultim. volum. lib. 4. dubit. 12. num. 43. † Causa enim impulsua dicitur, quæ solum legatarij commodum respicit. Castill. lib. 4. controuers. cap. 25. num. 46. Barz. decis. Bonon. 79. num. 8. † Adeo vt pensiones præteritorum annorum debeantur, quamuis quoad annos præteritos, cesset necessitas: vt per Corneum consil. 187. num. 8. volum. 2. & adest consilium elegantissimum Calderini, seu apud ipsum, Ancharani, consil. 21. de testam. per totum, vbi agit de legato facto alicui de ordine mendicantium annuatim, pro eius necessitatibus, soluendo de eo quod voluerit, & petierit à suis hæredibus, dummodo non excedat 33 libras in anno: & concludit tale legatum deberi etiam cessante necessitate; quamuis religiosus nullam fecerit petitionem singulis annis: sequitur Castillo de usufruct. capit. 30. num. 11. Peregr. de fideicom. artic. 40. num. 48. Simon de Prætis dict. lib. 4. dubit. 8. num. 91. & 92. Surd. de aliment. tit. 2. quæst. 5. per totam, & tit. 5. quæst. 1. num. 42. & quæst. 5. num. 13.

Et ex his resolutæ manent difficultates propositæ.



CAPVT XCVII.

De publicis, & non publicis concubinariis: Quomodo aduersus illos procedendum sit, siue clerici sint, siue laici. De clericis adulterium, aut alia incontinentiæ peccata committentibus. De simonia per

tertium commissa in beneficio. Vtrum possessor beneficij simoniam ignorans priuandus sit illo beneficio. Vtrum propter simoniam, omnia alia beneficia vacent. De homicidio, percussione cum effusione sanguinis, aut membri mutilatione. Denique vtrum Doctor iuris Canonici, possit admitti ad præbendam Theologalem.

## S V M M A R I V M.

1. Concubinitus publicus & notorius quis dicatur, & qua ad hoc probanda sunt.
2. Concubinitus dicitur, etiamsi quis mulierem suspectam detineat in domo amici, vel consanguinei.
3. Concubinitus notorius puniri potest, etiam nullâ præuâ monitione factâ.
4. Ad priuationem beneficiorum propter concubinitum deueniri non potest, nisi præuâ monitione triplici.
5. Ad effectum priuationis, concubinitus concludenter probandus est.
6. Monitio non sufficit ad priuandum beneficio ob concubinitum, nisi trina fuerit.
7. Publicus concubinitus est ipso iure suspensus, & si pendente suspensione celebrauerit, sit irregularis.
8. Ministrans durante suspensione, priuandus est beneficiis.
9. Ministrans pendente suspensione, sit irregularis quoad se, non quoad alios; & ab officio quidem suspensus est, sed non à beneficio.
10. Irregularitas arcet ab obtinendis beneficiis, sed postea superueniens non priuat obtentis.
11. Monitio ad effectum priuandi concubinitos, debet illis specialiter intimari.
12. Aduersus laicos concubinitos, Episcopus debet procedere præuâ trinâ monitione.
13. Quæ requirantur ad probationem concubinitus.
14. In adulterio non est pœna priuationis beneficij, sed depositionis potest infligi.
15. Clericus propter adulterium potest relegari.
16. Simonia etiam à tertio commissa, nocet quoad beneficium, super quo commissa est.
17. Amplia, etiamsi possessor beneficij simoniam ignorauerit.
18. Filius priuandus est beneficio propter delictum Patris, occultantis possessorem illius mortuum.
19. Qui sciuit simoniam ab alio fuisse commissam, tenetur statim illud beneficium dimittere, ut euitet pœnam.
20. Vtrum propter simoniam, quis priuetur aliis beneficiis antea obtentis.
21. Quando agitur de simonia præsumpta, vel interpretatiua, qualis est illa qua committitur à tertio; possessor beneficij non est priuandus aliis antea legitime obtentis.
22. In vera simonia inducitur priuatio beneficiorum, ipso quidem iure quoad illud, super quo commissa est simonia; sed quoad alia, non nisi per sententiam.
23. Ob assassinium inducitur priuatio beneficiorum ipso iure, etiamsi effectus non fuerit sequutus.

24. Beneficium vacans ob assassinium, statim potest impetrari, non expectatâ sententiâ.
25. Simplex vulneratio etiam cum effusione sanguinis non causat irregularitatem; nisi mors, aut membri mutilatio sequuta fuerit.
26. Propter irregularitatem ex homicidio non qualificato, non incurritur pœna priuationis beneficiorum ipso iure; sed tantum per sententiam.
27. In Gallia præbenda Theologalis, non nisi Doctoribus in Theologia conferri potest; nec sufficit Doctoratus in iure Canonico.
28. Vtrum in defectum Doctorum in Theologia, præbenda Theologalis conferri possit Doctoribus iuris Canonici? Resoluitur negatiuè: contra Rebuffum.
29. In terminis iuris communis, vtrum præbenda Theologalis conferri possit Doctori in iure Canonico.

**T**Ractatum sæpè fuit de variis causis priuationis beneficiorum: primò propter concubinitum: secundò, propter adulterium, aut aliam incontinentiam: tertio, propter simoniam: quarto, propter homicidium, vel assassinium: quinto propter defectum Doctoratus in præbenda Theologica: de quibus sigillatim agendum est.

Primò, quod ad concubinitum attinet, distinguendæ sunt duæ concubinitus species; nempe notorij, & publici concubinitus, ab eo qui publicus non est. Notorius est concubinitus, qui talis per sententiam, vel confessionem declaratus fuit iudicialiter factam; aut sane qui talis est, vt controuerti de eo non possit, aut aliqua legitima oppositione celari: vel etiam quando clericus post legitimas sui Superioris admonitiones, mulierem scandali causam è domo sua dimittere renuit, aut negligit: ita deciditur in *Concordat. per Rebuff. in tit. de publicis concub. §. publici autem.* † Idemque dicendum est, si non in domo propria, sed in domo cuiusdam amici, vel vicini, mulier retineatur; vel etiam in domo conductâ. Lotter. *de re benefic. lib. 3. tit. 33. num. 150.*

Concubinitus etiam notorius potest puniri absque aliqua monitione: *cap. tua nos. de cohabit. cleric. & mulier. & ibi Abbas;* † tamen ad priuationem beneficiorum deueniri non potest, nisi præuâ monitione: *cap. sicut. cap. si autem. eod. tit. Concil. Trident. session. 25. capit. 14. de reformat. Rota. inter consilia Farinacij consil. 80.* † vbi dicit ad effectum priuationis beneficiorum, concubinitum esse concludenter probandum; etiamsi ciuilitè ageretur. Marc. Anton. Genuens. *in prax. aurea Neapolit. capit. 30. num. 3.*

Imò requiritur trina monitio præcedens, ad hoc vt procedi possit ad priuationem beneficiorum: prout ordinatum fuit in dicto Concil. Trident. *dict. session. 25. capit. 14. de reformat.* & traditur in Gloss. pragmat. *Sanction. tit. de concubinat. §. nec non. in verb. teneatur, Nicol. Garl. de benef. par. 11. cap. 10. num. 180. Barbof. in d. cap. sicut. 4. num. 6. de cohabit. cleric. & mulier.*

Verum quidem est clericum publicum concubinitum, secundum multorum sententiam, esse ipso iure suspensum: & si durante illa suspensione celebrauerit, incurrere irregularitatem; ex *Abbat. in d. cap. vestra. eod. tit. Bernard. Diaz. in pract. crimin. canon. in verb. concubinarj. cap. 79. & ibi Addent. litter. B. Petr. Gregor. in institut. rei benefic. cap. 25. num. 7. Tolet. de instruct. Sacerd. lib. 1. cap. 25. num.*

47. num. 5. per text. in cap. *quæstum eod. tit. de cohabit. cleric. & mulier.* Guid. Pap. *decis. 558.* † ubi concludit ministrantem, durante suspensione, esse ea de causa beneficiis suis priuandum.
9. Sed tamen in contrarium verior est, & in praxi recepta opinio contraria; nempe publicum concubinarium non esse à diuinis suspensum; quamuis nullam celebret sine Episcopi sui, vel summi Pontificis absolutione. Quia sic celebrans non ideo irregularis est, quia suspenditur duntaxat quoad se; sicut omnes illi qui sunt in peccato mortali; sed non quoad alios: Garfias *d. part. 11. capit. 10. num. 181. & sequentibus, & par. 7. cap. 14. num. 19. & sequentibus.* quo loci quæstionem hanc per plures numeros in vtramque partem examinat, & ostendit quod quamuis publici concubinarij essent suspensi ab officio, non tamen ideo suspensi sunt à beneficio.
10. Et sanè quamuis irregularitatem incurrerent; non ideo priuarentur beneficiis iam obtentis: sed solum ab obtinendis arcerentur: quia turpius quis eiicitur quam non admittitur. Gars. *dict. part. 11. cap. 10. numer. 47.* Rebuff. *de pacific. possess. quest. 25. num. 280.*
11. Quæ dicta sunt de trina monitione requisita in clericis, intelligenda sunt de monitione speciali eisdem personaliter intimanda: Gars. *loc. citat. numer. 186. in 4. declaratione.* Plura de hac materia Barbof. *ad dictum cap. 14. sess. 25. Concil. Trident. & in dicto cap. sicut. 4. de cohabit. cleric. & mulier.* Bermundus in *integro tractat. de publicis concubinariis.*
12. Eademque ratione, dum Episcopus procedere vult ad declarationem pœnarum aduersus laicos ob concubinatum, debet præcedere trina monitio, ex Concil. Trident. *sess. 24. capit. 8. de reformat.* Bernard Diaz. in *pract. crimin. canonic. & ibi Adden. in capit. 79. versic. laicus vero.* Farin. *de delict. carn. quæstione. 138. numer. 76.* de quibus pœnis videndus est Riccius in *praxi fori Ecclesiast. decis. 378. per totam.*
13. Sed vt sufficienter probatus dicatur concubinatus, licet multa requirat Farin. *de delict. carn. quest. 138. num. 8. & sequentibus. vsque ad 24.* non tamen omnia requiruntur in clerico: vt patet ex his quæ traduntur per DD. supra citatos; sufficit enim probare consuetudinem peccandi in domo propria, vel aliena. Lotter. *lib. 3. quest. 33. num. 148.* Rota *decis. 55. num. 1. & 139. num. 1. par. 5. recen.* Riccius in *prax. rer. for. Ecclesiast. decis. 361. num. 6.* Farin. *de delict. carn. quest. 138. num. 86.* Non tamen sufficit probatio de publica voce, & famâ; sed debet esse concludens Garf. *dicta par. 11. capit. 10. num. 184. in fin.* Plura Farin. *de pœnis concubinatus, quest. 138. à num. 32.*
14. Secundò propter adulterium, aut aliam incontinentiam non concurrente concubinato, non est locus impetrationi, vel priuationi beneficij: vt ex mente sacræ Congregationis tradit Barbof. *ad dict. cap. sicut. 4. de cohabit. cleric. & mulier. num. 4.* Gars. *loc. citat. numer. 186.* In adulterio tamen, & aliis grauioribus incontinentiæ delictis, datur pœna depositionis aduersus clericum, Salcedo in *prax. crimin. cap. 85. in verb. detruditur.* Bermundus in *tract. de public. concub. tit. de adulterio, num. 26.* † Et aliquando potest esse pœna relegationis. Genuens. in *prax. Neapolitan. cap. 28. num. 4.* Præsertim si ageretur de eo qui post commissum delictum de eo gloriatus esset: tunc enim grauius esset puniendus. Farin. *de delict. carn. quest. 141. num. 32.* Et de pœna depositionis clerici ob adulterium agit


Peguer. *decis. 92. numer. 8.* De pœna verò relegationis, Genuensis loco citato, & Diaz. in *pract. criminal. canonic. capit. 85. numer. 6. versic. si verò delictum.*

Tertiò, propter simoniam: nam siue commissâ sit à beneficij possessore, siue à patre ipsius, aut aliquo tertio; possessor redditur omninò inhabilis ad beneficium illud possidendum, super quo commissâ est simonia: cap. *sicut tuis. & ibi* Anthon. de Butrio *num. 5. Abbas, sub num. 4. de simon. Monald. consil. 31. num. 107. & consil. 32. num. 4.* † etiamsi talis beneficij possessor simoniam ignorauerit; aut in ea ætate reperiretur tempore commissæ simoniæ, in qua delicti capax non esset: quia etiam paruuli, qui cupiditate parentum per pecuniam Ecclesias sunt adepti, illas dimittere tenentur: vt dicit text. in *d. cap. sicut tuis.* Bonacin. *de simon. disput. 1. quest. 7. punct. 2. num. 19.* † prout in simili iudicatum fuit: quòd si pater mortem beneficiati defuncti occultauit, vt eius filius beneficium assequeretur; reddit filium inhabilem, Torner in *sua recollectione arrestorum, litera B. num. 32.* † Tenetur tamen hoc casu qui sciuit commissam ab alio fuisse simoniam, vt pœnam eui-ter; beneficium illud statim habitâ simoniæ notitiâ dimittere: *can. si quis insaniens. & can. præsertim. 1. quest. 5.*

Sed dubium est vtrum ob simoniam quis priuetur beneficiis aliis, super quibus nulla commissâ fuit simonia. Breuiter omissis superfluis, & nominatim iis, quæ tradit Rebuff. in *praxi, tit. de simon. in resignat. num. 13.* quæ merito reiiciuntur à Garf. *de benefic. part. 8. cap. 1. num. 41.* veritas est; quòd stante Bulla Pij IV. & Pij V. quæ receptæ sunt in Gallia, simoniacum omnibus beneficiis priuari, etiam illis super quibus nulla commissâ est simonia, dummodo tamen simonia sit vera, & non interpretatiua: † Nam verbi gratia si pater, ignorante filio, simoniam commiserit; talis simonia quoad filium non est vera, sed interpretatiua: ideo filius illo quidem beneficio, in quo commissâ est simonia, priuandus est: sed non aliis legitimè obtentis: quia quoad filium non est vera simonia. Garf. *d. part. 8. cap. 1. num. 38.* Nam quòd filius scientiam habuerit simoniæ paternæ, probari non potest, nisi per præsumptiones, & coniecturas (exceptâ tamen propriâ illius confessione) & sic quoad filium non potest probari vera simonia, sed tantum præsumpta, & interpretatiua: cap. *cum pridem. de pact. cap. constitutus. & cap. super eo. de transact.* Farin. *consil. 75. num. 11. & 39.* vbi refert sic fuisse iudicatum. † Sed in vera simonia, locus est priuationi ipso iure quoad illud beneficium, super quo simonia commissâ est: sed quoad alia (quidquid dicat Garf. loco citato) verius est non induci priuationem ipso iure. Lotter. *de re benefic. lib. 3. quest. 29. num. 161.*

Quartò, de assassinio egimus superiùs cap. 27. vbi diximus propter assassinium induci priuationem beneficiorum ipso iure; etiamsi effectus non fuerit subsequutus: cap. 2. *de homicid. in. 6. & ibi* Geminian. in *§. final. num. 10. versic. & dicunt regulariter.* Lotter. *lib. 3. de benefic. quest. 31. num. 38.* præsertim si ad actum proximum deuentum fuerit: Carol. de grass. *de effectib. Cleric. effect. 1. num. 700.* Farinac. *de homicid. quest. 122. num. 104. & sequentibus.* † Et per consequens, potest beneficium sic vacans statim impetrari; nec in præiudicium impetrantis resignari potest: ex traditis supra *d. cap. 27. Garf. de benefic. part. 11. cap. 5. num. 54. iuncto cap. 3. num. 123. eadem parte 11. Maynard. lib. 1. cap. 61.*

25. Simplex autem vulneratio, etiam cum effusione sanguinis facta, non causet irregularitatem; nisi mors, aut mutilatio membri interuenerit: *cap. in Archiepiscopatu. 3. de raptorib. Clement. si furiosus. de homicid. Rota, decis. 438. num. 3. part. 4. recent. Farin. in fragment. in verb. irregularitas, num. 581. & sequentib.*
26. Imò si incurfa fuerit irregularitas in homicidio, non oritur priuatio beneficiorum ipso iure; sed tantum per sententiam. Rebuff. *in praxi, tit. de mod. amittend. benefic. num. 50. Sanch. consil. moral. lib. 2. cap. 2. dubit. 14. num. 6.*
27. Quintò; quod attinet ad inhabilitatem ad præbendam Theologalem, ob defectum Doctoratus in Theologia, cum beneficium situm sit in Gallia, obseruabitur ordinatio Blesensis, *artic. 33. & 34. quæ nominatim in his præbendis requirit gradum Doctoratus in Theologia; & quamuis per Bullam Leonis X. in Concordatis, beneficia illa sint etiam affecta Baccalaureis vel Licentiatis in facultate Theologica: tamen ordinatio de Licentiatis aut Baccalaureis non loquitur: imò nec de Doctoribus in iure Canonico.*
28. † Quamuis Rebuff. *in Concord. tit. de collat. §. 1. in verb. tenentur. existimauerit in defectum Doctorum in Theologia, tales præbendas conferri posse Doctoribus iuris Canonici: sed eius opinio reprobata est: Theuen. in ordinat. Reg. lib. 3. tit. 7. artic. 1. Adden. ad Louet, littera P. num. 46. Gonzal. ad regul. 8. glos. 9. §. 2. num. 17. Quòd si quæstio decidenda esset extra Galliam, adeundus erit Ricc. in suis decis. part. 4. decis. 101. ad quem se remittit Barbof. de canonic. cap. 27. num. 18.*



## CAPVT XC VIII.

De nullitate alienationis bonorum ad capellanas spectantium, sub solius Vicarij autoritate, absque assensu Apostolico: Et quomodò sit verum quod dicitur, alienationem præsumi factam cum beneplacito Apostolico, & aliis solemnitatibus, ob temporis diuturnitatem: Et de effectu sententiæ declarantis alienationem bonorum Ecclesiæ inualidam, cum clausula, *alio non apparente.*

## S V M M A R I V M.

1. Vicarius generalis Episcopi non potest authorisare alienationem bonorum Ecclesiæ, nisi ad id specialem habeat facultatem.
2. Beneplacitum Apostolicum requiritur ad validitatem alienationis bonorum, ad capellanas spectantium.
3. Temporis diuturnitas non facit, ut præsumatur beneplacitum Apostolicum interuenisse in alienatione bonorum Ecclesiæ; nisi concurrat obseruantia.
4. In supputatione temporis diuturni, ad præsumendas solemnitates in alienatione rerum Ecclesiæ, non debet deduci tempus vite Prælati malè alienantis: secùs est in præscriptionis tempore computando.
5. Quando aliundè constat de inualiditate tituli,

*cessant præsumptiones solemnitatum ex temporis diuturnitate prouenientes.*

6. Præsumptio tituli validi excluditur per productionem tituli inualidi.
7. Præsumptio tituli validi oritur ex diuturnitate temporis, etiam in locis ubi summus Pontifex non est præsens.
8. Sententia cum clausula, alio non apparente, ex nouiter deductis retractari potest.
9. Quando sententia sic prolata est, præsertim alio non apparente, non mutatur natura iudicij definitiui.
10. Sententia alio non apparente, lata, non semper habet vim interlocutoria; & quibus in casibus.
11. De sententia lata alio non apparente, qui Doctores tractauerint.
12. A sententia alio non apparente, lata, regulariter appellatio admittenda est. Non debet fieri differentia inter sententiam latam alio non apparente, vel rebus sic stantibus; & latam, ab obseruatione iudicij.

**A**lienationem bonorum cuiusdam capellaniæ, non obstante longi temporis lapsu, nullam & inualidam esse Respondi; tam de iure, quàm in vim sententiæ in iudicatum transactæ.

De iure quidem: quia constabat factam fuisse sub<sup>1.</sup> autoritate Vicarij, qui ad id specialem facultatem non habebat; quæ tamen erat necessaria: cum alienationis rerum Ecclesiæ authorisatio, sit de arduis. Sbrozz. *de Vicar. lib. 2. quest. 118. † Imò hodie ob*<sup>2.</sup> Pauli II. constitutionem, non sufficit autoritas Episcopi; sed præterea necessarius est assensus, & beneplacitum sedis Apostolicæ, etiam in alienationibus bonorum spectantium ad capellanas. Bonacin. *de rerum Eccles. alienat. quest. unic. puncto 4. num. 9. & expresse cauetur in extrauaganti, Ambitiose. de reb. Eccles. non alienand. ita vt alienatio aliter facta, sit nulla ex defectu consensus: vt notauit Paul. Rub. ad decis. 444. num. 47. part. 4. recent. tom. 2.*

Idque non obstante longi temporis diuturnitate,<sup>3.</sup> propter quam licet omnes solemnitates requisitæ, & nominatim beneplacitum Apostolicum interuenisse præsumantur: tamen hoc debet intelligi, si cum temporis diuturnitate concurrat obseruantia antiqua, per triginta saltem annos: de qua in casu proposito non constabat. Bonacin. *d. quest. unic. de alienat. bonorum Eccles. punct. 4. num. 8. Mant. decis. Rota 101. num. 2. Ricc. in prax. rer. fori Ecclesiast. decis. 34. Genuen. in praxi Archiepiscopali, cap. 88. num. 1. † 4.* Adeo vt non deducatur tempus vite Prælati malè alienantis, quando agitur de ista præsumptione; licet deducendum esset, quando agitur de præscriptione. Seraph. *decis. 1027. num. 11. Addit. ad Ludouif. decis. 354. num. 18. in fin.*

Præterea, præsumptio illa beneplaciti Apostolici<sup>5.</sup> ex temporis diuturnitate petita, locum non habet, quando aliundè constat de inualiditate tituli: maxime quando illius productio facta fuit per eum, qui præterdit alienationem esse validam: nam si titulus productus fuisset ab eo, qui alienationem impugnat non tolleretur ex eo præsumptio alterius tituli validi; ex diuturnitate temporis proueniens: & ideo dicunt DD. melius esse titulum hoc casu non producere, quàm infectum aut vitiosum exhibere. Crescent. *decis. 21. num. 4. sub. tit. de probat. Puteus. decis. 346. numer. 2. lib. 1. in correct. Ricc. in prax. rerum. for. Eccles. decis. 34. numer. 5. & ita decifum testatur Seraph.*



Seraph. *decif.* 1235. num. 4. Rot. *decif.* 208. num. 2. *part. 4. diuers.* Addent. ad Ludouif. *decif.* 353. num. 19. Quarant. *in summ. Bullar. in verb. alienatio bonorum Ecclesie*, num. 46. *versic. secundò declara.* † Et quòd præsumptio tituli validi, excludatur per productionem tituli inualidi; tradit Menoch. *lib. 3. præsumpt.* 132. n. 81. & 85. Honded. *consil.* 37. num. 15. & *sequent. volum. 2.* Marius. Anton. *lib. 1. variar. resol.* 7. *cap. 21. num. 13. versic. replicatum fuit tertio* † Qui licèt *ibidem* limitet, vt dicta præsumptio locū habeat duntaxat, quoad alienationes factas in Vrbe propter præsentiam summi Pontificis, & præsumptam illius scientiam; secùs in ijs quæ extra Urbem gesta fuere: in quibus terminis loquitur Aretin. *consil.* 36. qui fuit primus author illius sententiæ, quam alij Doctores postea simpliciter sequuti sunt. Ad quod conferunt tradita per Quarant. *loc. citat. num. 46. versic. limitatur primo.* Ego tamen in iudicando non sequer illam opinionem, quam nec veram esse existimo: quia dum DD. & Rota Romana præsumunt solemnitates requisitas, & beneplacitum Apostolicum propter temporis diuturnitatē interuenisse; non constituunt fundamentum in præsumpta scientia Superiorum, aut summi Pontificis, à quo confirmatio obtineri debet: sed duntaxat in eo, quòd præsumitur partes deduxisse ad notitiam Superiorum talem alienationem, intra tanti temporis spatium; & ab eis debitam confirmationem obtinuisse.

Quod attinet ad sententiam in iudicatum transactam, per quam dicta alienatio inualida fuerat declarata: de ea dubitari non poterat, cùm post ipsam partes comparuissent coram iudice Ecclesiastico, qui ipsam tulerat, & per consequens appellationi cuiusque renuntiaissent: *cap. sollicitudinem. de appellat. cap. gratum. de offic. delegati, c. cum venissent. de testib. & ibi, DD.*


8. Solùm restabat dubium, quòd illa sententia non videbatur definitiua; sed interlocutoria: quia lata fuerat cum clausula, *alio non apparente*, quo casu ex nouiter deductis retractari potest etiam ab eodem iudice, qui illam tulit. Cancr. *lib. 3. variar. resol. cap. 17. num. 569.* saltem non retardata executione dictæ sententiæ: & sic quoad effectum deuolutiuum. Cod. Fabrian. *lib. 7. tit. 19. de re iudic. definit. 1.*

9. Sed ad hanc difficultatem dupliciter responsum fuit. Primò, quòd clausula illa *alio non apparente*, non fuerat simpliciter appositā in dicta sententia; sed cum adiectione clausulæ *presertim*, cuius dictionis ea vis est, vt ostendat iudicem ob alias rationes motum fuisse: *l. 1. ff. de testib. & ibi Glos. in verb. præcipuè.* Anton. Monac. *decif. Bononien.* 28. num. 44. & 45. & in terminis sententiæ, quòd dictio illa ostendat iudicem ob alias etiam causas motum fuisse; tradit Vantius, *in tit. de nullit. ex defectu process. num. 123. versic. idem foret.*

10. Secundò responsum fuit, clausulam illam *alio non apparente*, duobus modis in sententia apponi posse: Aut enim iudex utitur illa clausula, propter inepititudinem libelli, vel actionis propositæ; quasi uoluerit duntaxat absoluerē ab obseruatione iudicij, aut condemnare reum propter exemptiones minus apte propositas: & hoc casu, quia talis sententia aliam post se expectat, non dicitur definitiua; sed potiùs interlocutoria. Aut verò ex tenore sententiæ colligitur intentionem iudicis eam fuisse, vt procederet ad definitiuam; dictamque clausulam potiùs appositam fuisse per inaduertentiam: & tali casu, clausula illa non mutat naturam sententiæ definitiue, nec aduersatur intentioni iudicis definitiuè iudicare vo-

lentis: vt bene, & fusè distinguit & explicat Morrot. *in tract. de iure offerend. num. 55. & 56.* ergo cùm in casu proposito, iudex super meritis totius causæ iudicare uoluisset, & super negotio principali contestata fuisset, & in ea processus omninò formatus; sequitur quòd clausula illa *alio non apparente*, non præiudicat naturæ totius causæ ad definitiuam instructæ; & ordinationis de portando ad definitiuam de consensu partium factæ: ex traditis per Morrot. *loc. citat.*

De sententia lata *alio non apparente*, vel *ab obseruatione iudicij* tractat Scac. *de re iudic. gloss. 14. quest. 7. num. 99. de appellat. quest. 17. limit. 1. numer. 25.* Addent. ad Mathefilan. *singul. 17. numer. 2.* † Et ab huiusmodi sententia reus appellare potest regulariter. Couar. *lib. 1. variar. resol. cap. 1. num. 8. versic. ex quibus.* Alex. *consil. 75. numer. 1. volum. 7. Gaill. lib. 2. obser. 103. num. 7. Tusch. liter. S. conclus. 169.* nec debet fieri differentia inter sententiam latam *sic stantibus*, seu *alio non apparente*, & latam *ab obseruatione iudicij.* Scacc. *de re iudicata, loc. citato; num. 102.*



CAPVT XCIX.

De ætate requisita ad obtinendam præposituram in Ecclesia Metropolitana. Et quòd dispensatio post collationem obtenta, non præiudicet antea impetranti. De viribus & defectu gratiæ *si neutri.* Et de beneficijs electiuis quæ confirmatione indigent. Et utrùm beneficia simpliciter electiua possint resignari.

SVM MARIVM.

1. *Ætas viginti quinque annorum requiritur ad obtinendam primam dignitatem, post Pontificalem.*
2. *Ætas qua requiratur ad obtinendam primam dignitatem in Ecclesia Collegiata.*
3. *Cura animarum quedam exercetur in foro interiori, alia verò in foro exteriori.*
4. *In dignitatibus habentibus curam animarum, ætas viginti quinque annorum requiritur; siue cura competat in foro interiori, siue in foro exteriori.*
5. *Dignitates Ecclesiarum plerumque habent annexum presbiteratus ordinem.*
6. *Habilitas requiritur de tempore prouisionis.*
7. *In litteris tempus data inspicitur.*
8. *Qui prior est in data, debet præferri illi, qui prior est in præsentatione.*
9. *Dispensatio in Gallia non sumit robur nisi à die qui fuit præsentata in Parlamento, quoad anterioritatem.*
10. *Donatarius secundus qui prius insinuauit, præfertur primo.*
11. *Vicellegatus potest conferre beneficia electiua collatiua, seu confirmatiua.*
12. *Beneficia simpliciter electiua, quomodo resignari possint.*
13. *Obtinens gratiam si neutri, debet docere de non iure utriusque impetrantis.*

Præsupposito quòd quidam minor viginti quinque annorum, dignitatem primam post Pontificalem in Ecclesia Metropolitana fuerit assecutus, per resignationem illius ultimi possessoris; nullâ tamen tunc temporis obtentâ, nec exhibitâ ætatis dispensatione; quòdque alius post aliquot dies, eandem Præposituram impetrauerit tanquam vacantem per inhabilitatem dicti primi prouisi; idémque secundus impetrans pro maiori iurium suorum corroboratione, & ius iuri addendo, obtinuit confirmationem electionis antea factæ per Capitulum dictæ Ecclesiæ de persona sua, etiam cum prouisione sedis Apostolicæ: denique quòd tertio loco alius impetrauerit gratiam *si neutri*, super illo beneficio.

Quæritur primò, utrùm illi, qui primo loco prouisus fuit, obstat defectus ætatis. Secundò, utrùm dispensatio per primum prouisum, ante datam litterarum suarum & prouisionum obtenta, ipsi suffragari possit. Tertio, utrùm primo prouiso existente inhabili, tertius impetrans sit in sua impetratione fundatus.

1. Ad primam quæstionem Respondetur Præposituram prædictâ, cum sit dignitas principalis in Ecclesia Metropolitana, non potuisse conferri minori viginti quinque annis: *cap. cum in cunctis. 7. §. inferiora. de elect. Rebuff. in tract. de pacif. possess. num. 182. & ante eum Cardinalis in Clem. generalem. de atate & qualitate & ordin. præficiend. numer. 7. Rebuff. in praxi tit. de dispensat. ratione atate. num. 4.*
2. Et quamuis ex dispositione Concil. Trident. *sess. 24. cap. 12. de reformat.* in dignitatibus Ecclesiarum collegiatarum, quæ non habent annexam curam animarum, sufficiat attigisse annum vigesimum tertium; & secundum alios, annum vigesimum secundum; qui ita interpretantur verba dicti Concilij: *viginti quinque annis non minores*, vt dicit Barbof. *d. sess. 24. cap. 12. numer. 14.* Tamen sacra Congregatio declarauit requiri annos completos, teste eodem Barbof. *in tract. de canonicis & dignitat. cap. 13. num. 22. versic. & ideo.*
3. Nihilominus absque difficultate concludendum est, in casu proposito requiri, quòd prouisus de Præpositura prædictâ attigerit vigesimum quintum suæ ætatis annum. † Primò, quia dictæ Præposituræ annexa est cura animarum, in iurisdictione spiritali consistens, quoad forum saltem exterius; cum habeat correctionem morum, & ius priuandi distributionibus, & aliàs ordinandi circa mores capitularium: hæc enim propriè dicuntur concernere iurisdictionem fori exterioris, impropriè verò respiciunt curam animarum, teste Mascardo *conclus. 469. num. 1. & 2. Gonzal. ad regul. 8. gloss. 6. num. 61.* Vnde Doctores dum dicunt in principalibus dignitatibus, non solum Metropolitanarum & Cathedralium Ecclesiarum; sed etiam vt plurimum Collegiatarum, requiri ætatem viginti quinque annorum inceptorum; fundantur in eo † quòd regulariter dignitates collegiatarum habent curam animarum in foro interiori, vel exteriori, & iurisdictionem spiritualement Gars. *de benefic. par. 7. cap. 4. n. 65. Barbof. in dict. cap. cum in cunctis. §. inferiora. num. 30. & in tract. de Episcop. part. 3. allegat. 60. numer. 65. Sayr. in florib. decis. lib. 1. de atate. & qualitat. tit. 8. decis. 4.*
4. Præterea, quia regulariter huiusmodi Præposituræ Ecclesiarum Metropolitanarum, habent annexum ordinem præbiteratus: *cap. 1. de atate. & qualitat. Rebuff. in praxi, tit. requisita ad collationem bonam, numer. 31. Gars. d. part. 7. de benefic. cap. 1. num. 40. & propterea Idem, d. part. 7. cap. 4. numer. 73. concludit ad Decanatum, Præposituram, &*

Archipræbiteratum; etiam si eis animarum nulla cura sublit, requiri etiam hodie ætatem viginti quinque annorum: ex quo de iure annexum habent sacrum præbiteratus ordinem.

Ad secundam difficultatem facilis est responsio; cum dispensatio postea obtenta non præiudicet illi, qui anterior est in impetratione: quia Papa nunquam intelligitur præiudicare iuribus tertij, per regulam Cancellariæ *de iure quasito non tollendo.*

Præterea, licet dictus primus prouisus, fuisset effectus habilis per dispensationem; tamen habitas ipsi non suffragaretur: quia oportebat ipsam interuenisse tempore collationis, seu prouisionis. Tornet. *litter. B. num. 29.* quando autem habitas requiritur à principio, non sufficit quòd postea interueniat. Paris. *de resignat. lib. 4. quæst. 1. num. 14. & in hoc nulla est difficultas.*

Maius dubium videtur, si primus ille prouisus doceat se obtinuisse dispensationem, antequam sibi de Præpositura prouideretur; quæ tamen postea fuerit præsentata, seu annexa post impetrationem, & prouisiones factas ad fauorem secundi impetrantis, Videtur enim quòd gratia per solam signaturam sit perfecta: *cap. si cui. & cap. si tibi absent. de rescript. in 6. † & in gratiosis litteris inspicitur tempus datæ, quia in illo instanti ius quæsitum est pari: cap. eam te. & cap. constitutus. de rescriptis, & cap. eum qui de præbendis, lib. 6. Rebuff. in praxi tit. de rescript. gratia, & instit. num. 53. † Vbi quòd non inspicitur tempus præsentationis litterarum gratiæ, sed tempus datæ: & tradunt Geminian. & Franc. in cap. tibi. de rescript. in 6. Vbi quòd canonicus qui primo præsentauit; non præfertur ei qui primus est in data, posterior tamen est in præsentatione. Sed verendum est ne huiusmodi doctrinæ reiiciantur in Gallia, † vbi non inspicitur data, sed præsentatio, & annexio; ad instar donationis quæ licet prius facta fuerit, si tamen posterius fuit insinuata, non habet effectum nisi à die insinuationis: & sic † secundus donatarius, si prius insinuauerit, præfertur primo: loquendo tamen in terminis iuris communis, quando non est assignatus certus terminus ad insinuandû. Rebuff. *de donat. insinuand. artic. 1. gloss. 6. & glos. 7. in princip. Menoch. consil. 292. num. 3. & 4.**

Ad tertiam quæstionem Respondetur, tertium illum impetransem non esse fundatum vigore gratiæ *si neutri*, contra primum prouisum; qui antea obtinuerat & præsentauerat suam dispensationem: nec contra secundum, qui habet electionem Capituli, & prouisionem Vicelegati, † qui sine dubio potuit prouidere: cum dicta Præpositura non esset simpliciter electiua, sed præterea requireret collationem, seu confirmationem Superioris: *cap. 40. num. 6. & 7. Et † tamen quamuis esset electiua simpliciter, poterat etiam resignari subsecuto Capituli consensu, secundum ius commune. Paris. lib. 2. quæst. 5. num. 1. Licet in Gallia propter Bullam Leonis X. in Concordatis, in merè electiuis opus sit Regiæ nominatione.*

Non est igitur fundatus iste tertius, qui tenebatur docere de non iure tam primi, quàm secundi prouisi. Rip. *in cap. eam te. num. 27. de rescript. Rebuff. in tit. de rescript. si neutri, numer. 20. & per tot. Rot. decis. 726. numer. 1. & 3. part. 2. recent. & decis. 10. numer. 5. & 105. numer. 3. ead. part. 2.* hoc enim probandum est ab eo, qui obtinuit gratiam *si neutri*, de qua plura apud Barbof. *de clausul. cap. 164.*



CAPVT XCX.

De legato factò Ecclesiæ regulari pro fundatione missarum. Vtrùm spatio quadraginta annorum præscribatur, si non constet de acceptatione illius. Quid si legatum factum fuerit de viginti salmatis, vel iugeribus terræ, ex prædio maioris quantitatis; & prædium impetu fluminis fuerit pro parte corrosus; vtrùm Ecclesia legataria partis quantitativæ, debeat in totum, vel pro parte sentire damnum illud. Et vtrùm stari debeat iuramento Superioris, vel Guardiani asserentis missas fuisse iuxta fundatoris voluntatem celebratas.

S V M M A R I V M.

1. Legatum, si non fuerit acceptatum à legatario, præscribitur spatio triginta annorum: quia mala fides non attenditur, dum agitur de iure quærendo; maximè in legatis onerosis.
2. Eadem præscriptio datur in fideicommissis, si non intervenierit acceptatio intra spatium triginta annorum.
3. Legatum non præscribitur adversus Ecclesiam minori tempore 40. annorum.
4. In legatis annuis præscriptio datur pro annis præteritis, non pro futuris; licet non constet de præcedenti acceptatione favore Ecclesiæ.
5. Contrarium de iuris rigore verius est.
6. Attamen ex æquitate, datur Ecclesiæ restitutio in integrum adversus lapsum temporis.
7. Legatis certis iugeribus ex prædio maioris quantitatis, si pars pereat casu fortuito, perit periculo hæredis: Contra, num. 8.
9. Peremptis casu fortuito corporibus hæreditariis, diminuitur pro rata, legitima: item & falcidia, num. 10.
11. Quæ sit differentia in materia periculi rei legatæ, inter legatum factum de certa specie, vel de incerta ex certis corporibus; & incerta ex ince tis.
12. Nomen speciei apud Iurisconsultos accipitur pro eo, quod Philosophi vocant individuum.
13. Debitor generalis respectu speciei peremptæ speciei liberatur.
14. Intellige, si tota species perempta fuerit, secus si pars tantum.
15. Legatum incertæ speciei de genere subalterno extinguitur, si totum genus subalternum extinctum fuerit.
16. Hic tamen distinguendum est, vtrùm ante mortem, vel post, legata res perierit.
17. Legatum quota ex certa re patitur diminutionem pro rata rei peremptæ.
18. Exponitur differentia inter legatum quantitativum, & quotitativum.
19. Stante negligentia acceptationis legati facti

Ecclesiæ, ad minus fructus præteriti peti non possunt: sed tantum futuri.

20. Vtrùm standum sit iuramento Superioris regularis, dicentis missas fundatas, fuisse celebratas: variæ referuntur sententiæ: tandem numer. 21. concluditur hoc iudicis arbitrio remittendum.

Super legato pio factò Conventui religiosorum viginti iugerum cuiusdam terræ maioris quantitatis: dubitatum fuit primò, vtrùm spatio octuaginta annorum præscriptum esset; cum de eius petitione vel acceptatione nullo modo constaret. Secundò vtrùm vi fluminis perempto prædio, legatum pro rata minuendum esset. Tertio, vtrùm probatio celebrationis missarum spectaret ad Conventum, an verò solo Superioris iuramento super hoc standum esset.

Ad primam quæstionem responsum fuit; quòd cum agatur de iure quærendo, si non constet de aliqua acceptatione legati facta per Monasterium, maximè quia agebatur de legato oneroso, propter onus missarum impositum; hæres potuit præscribere adversus Monasterium, quamvis habuisset notitiam testamenti, in quo legatum continebatur. Quia dum agitur de iure quærendo, prout in legatis, in quibus ius non quæritur legatario ante acceptationem; non debet fieri distinctio bonæ, vel malæ fidei; quia neglectum hoc casu videtur legatum, ob tanti temporis silentium: & ideo hæres non est in mala fide; cum iustam habeat causam credendi, Monasterium noluisse assumere onus illud celebrandi missas: nec per consequens legatum acceptare; cuius tacita renuntiatio ex cursu temporis inducitur. Theaur. iun. lib. 1. quæst. forens. 41. numer. 7. Gaspard. Roderic. de annu. redit. b. lib. 1. quæstione 17. numer. 103. versic. huic autem. Balb. de præscrip. 2. part. 3. part. quæst. 13. numer. 9. & 11. Rot. Rom. decis. 180. numer. 8. part. 2. divers. Gratian. decis. 4. per tot. † Et idem de fideicommissis tenet Fusar. 2. quæst. 528. numer. 12.

Verum tamen est, quòd licet in aliis sufficiat 30. præscriptio triginta annorum; hoc casu requiruntur quadraginta anni; cum agatur de Ecclesia, adversus quam minori tempore quàm 40. annis non præscribitur: cap. de quarta, de præscrip. cap. illud. eod. tit. Rot. d. decis. 180. n. 6. & in terminis tenuit Bald. in cap. cum non liceat. numer. 3. versic. unde in quæstione de facto. vbi agit de legato factò Ecclesiæ, sub modo; quæ dicitur in mora, si modum non adimpleverit: & ideo illi imputandum est, si modum adimplere neglexerit spatio 40. annorum.

Licet Senatus Pedemontanus partim ex æquitate, partim ex concursu aliarum circumstantiarum; & maximè quia agebatur de legato annuo in quo tot sunt præscriptiones, quot anni; non obstante lapsu 40. annorum condemnauerit hæredes ad solvendum Ecclesiæ legatum annuum, pro annis futuris; absolviendo ipsum pro annis præteritis: vt per Theaurum iun. lib. 1. quæst. forens. 86. numer. 5. vbi constat quòd agebatur de iure quærendo, & Ecclesia non acceptauerat illud legatum. † Sed Ego existimo de iuris rigore verius esse, quòd si nullo modo constet de acceptatione legati facta per Ecclesiam; præsertim lapsò tanto tempore; non possunt hæredes in casu isto compelli ad solutionem legati, propter præscriptionem: & præsumptam remissionem illius, & recusatorem oneris; vt mox dictum est: cui rationi non video fuisse responsum per Theaurum d. loco.

6. Verùm, aduersus præscriptionem huiusmodi, dari restitutionem in integrum ex æquitate, propositâ probabili testamenti ignorantia, non negamus; ex Cancerio, *lib. 3. cap. 20. de legat. num. 64.* qui licet loquatur de præscriptione 30. annorum; idem tamen fauore Ecclesiæ, imò & multò fortius locum habere debet in Ecclesia, & fauore animæ testatoris; & hac ratione niti existimo dicti Excellentissimi Senatus decisionem.

7. Ad secundam quæstionem fuit dictum, quòd casu quo constaret de acceptatione, vel interpellatione per Monasterium facta, & præscriptionis interruptione; non ita facilis est illius resolutio. Nam licet vi fluminis pars illius prædij, ex quo viginti iugera defumenda erant ad vtilitatem Ecclesiæ, fuerit consumpta, & corrosa: tamen cum prædium illud maioris esset quantitatis, & residuum eiusdem prædij sufficeret pro soluendis viginti iugeribus Ecclesiæ legatis, periculum peremptionis prædij spectare debebat ad dominum, nempe ad hæredem; quia res perit domino: *l. neque pignus. Cod. de pignorat. actiõn.* non enim Ecclesia erat domina, aut legataria huius, vel illius partis prædij; sed incertus erat locus, ex quo legatum præstari debebat; & sic habebat ius illud petendi, in toto prædio; & in qualibet eius parte: & per consequens vnâ parte peremptâ, ius conseruabatur integrum Ecclesiæ in tota parte residua.

8. Difficultatem nihilominus excitat text. in *l. in ratione 30. §. diligenter. ff. ad l. falcid.* vbi debitor speciei, vel generis subalterni, peremptâ re liberatur à præstatione legati: & tradit Mantic. *de coniect. vltim. voluntat. lib. 9. tit. 12.* faciunt notata per Peregrin. *de fideicom. artic. 36. numer. 33. & 34.* vbi perempto genere subalterni, perit etiam ius illius, qui eiusdem subalterni generis creditor erat. † Et ideo peremptis corporibus hæreditariis, perimitur legitima pro rata vt *ibidem* notat Peregrin. † Eademque ratione perimitur falcidia, ex decisione illius: *l. in ratione. 30. ff. ad l. falcid.* ibi, *Quod enim remota lege falcidia in toto iuris foret, hoc idem foret in ea parte, que lege falcidia constitueretur.* Et per has rationes Ego inclinabam in eam sententiam, vt saltem interitus illius prædij ad Ecclesiam pro rata parte spectaret: quemadmodum periculum ipsius fuisset, si prædij portio post testatoris obitum fuisset Monasterio assignata: *l. que fortuitis. Cod. de pignorat. actiõn. Mantic. d. lib. 9. tit. 12. numer. 7. de coniectur. vltim. voluntatum.*

11. Verior tamen est ea sententia, quæ periculum interitus prædij ad hæredem spectare censet. Pro cuius confirmatione, & contrariorum resolutione, duæ considerationes fieri debent. Prima, vt fiat differentia vtrum legatum certæ speciei, & legatum speciei incertæ non quidem in totum, hoc est speciei incertæ de incertis; sed incertæ de certis, hoc est sub certo genere subalterni, factum fuerit per modum quotæ; aut per modum quantitatis. Si legatum certæ speciei, hoc est certi corporis factum fuerit; peremptâ specie seu corpore legato, perit & legatum, & hæres ab illius præstatione liberatur; dummodò perierit casu fortuito, & sine culpa hæredis: & ita debent intelligi tradita per Mantic. *d. lib. 9. tit. 12. numer. 7.*

12. † Aduertendo tamen (ne versetur in ambiguo) quòd nomine speciei illud intelligimus, quod Logici indiuiduum vocant, *Institut. quibus modis testam. infirm. & ibi* notat. *Glos. in princip. & tradunt. DD.*

13. in *l. quod re. §. ff. si certum petat.* † Idem etiam dicendum est de eo, qui est debitor generis respectu certæ speciei: quia peremptâ specie liberatur. *l. quidam testamento 99. §. si tibi. ff. de legat. 1.* Surd. expli-

cat, *consil. 331. num. 29.* † hoc esse verum, si tota perempta fuerit: nam in eo quod residuum est, legatum pro parte subsistit; cum agatur de re diuidua: vt in simili tradit *Cost. de ratione rat. quæst. 107. num. 5.*


Si verò legatum factum fuerit speciei incertæ de certis; tunc si omnes species peremptæ sint in totum perit etiam legatum: quia perempto toto genere subalterni, extinguatur obligatio: veluti si duos ex seruis, quos domi habeo, legauerim; hauiissem verò decem, qui omnes mortui sunt casu fortuito; legatum extinguatur, & obligatio perit: secus est, si omnes non obierint; sed aliqui de illo genere superstites fuerint: tunc enim obligatio remanet in superstitebus: ex traditis per Bartol. *in d. l. quod re. numer. 8.* † cum distinctione tamen, vtrum perierint ante moram, vel post; vt *ibi* notat Bartol. Vnde cum legatum de quo agitur factum fuerit de viginti mensuris, seu iugeribus ex prædio maioris quantitatis; si totum prædium fortuito casu perierit, extinguatur obligatio: si verò aliquid ex illo prædio remanserit; in illo residuo adhuc manet legatum, & illius obligatio sustinetur in totum: si verò pars remanserit, quæ non sit ad totum legatum præstandum sufficiens, illa pars debetur.

Neque similis est casus iste supputationi legitimæ, vel falcidiæ; quia in his creditor partem habet quotitatiuam in quibuslibet bonis: vnde nihil mirum, si vno corpore perempto, diminuitur etiam pro rata portio quotitatiua legitimæ, vel falcidiæ: quod non eodem modo procedit in legatario speciei, ex certo genere subalterni præstandæ; cum tota obligatio adhuc in speciebus illius generis restantibus subsistat: & hoc est quod voluit Castrens. *in dict. l. in ratione 30. §. in princip. n. 8. ff. ad l. falcid.* per text. *in d. §. diligenter.* vbi æquiparat legatum speciei, & legatum generis subalterni; quando totum illud genus subalternum casu fortuito, & sine culpa hæredis peremptum est; vt vtroque casu, hæres ab omni præstatione, & obligatione liberetur: & Imol. *in dict. §. diligenter. numer. 3.* vbi dicit quòd genus generalissimum perire non potest; genus verò subalternum perimitur duntaxat peremptis omnibus speciebus illius generis. † Et idem *num. 4.* ostendit quotam, seu partem quotitatiuam legati minui pro rata, si perimatur quælibet res particularis: vt sic fiat differentia inter legatum factum sub nomine quotæ, & sub nomine corporis sub certa quantitate ex certa re defumendi. Quamobrem concludendum est, cum maior pars prædij legati remaneat, quàm quæ legato viginti iugerum continetur; totum legatum deberi: nec interitu, seu peremptione partis prædij à flumine corrosi, legatum illud pium fuisse diminutum.

Tertia quæstio dupliciter considerari potest: aut in thesi, aut in hypothesi, seu in casu particulari de quo agitur: hoc secundo modo facilis est resolutio: quia cum non constet de acceptatione legati facta per Ecclesiam, quomodo potest remitti iuramento Prioris, vel Guardiani veritas celebrationis missarum fundatarum; cum non constet de substantia debiti, nempe de acceptatione legati; præsertim quia in omnem euentum, ex æquitate Conuentus solum petere potest futuros fructus, non præteritos: vt fuit decisum apud Thefaurum, *d. quæst. 86. lib. 1. numer. 5.*

Si verò negotium sumatur in sua thesi; videretur decisum in fauorem Conuentus, quòd super missarum celebratione stetur iuramento Superioris: teste Mascard. *de probat. conclus. 969. numer. 1.* sed tamen Senatus Pedemontanus in eadem causa noluit hoc admittere

admittere, ne quis sit iudex in causa propria; cum causa Monasterij non possit diuidi ab interesse Superioris eiusdem: & licet pro Monasterio concludat Guido Pap. *decif. 614.* tamen *ibi* Additio contrarium statuendum esse monet: post hos Molfes. *in summa tract. 13. cap. 5. num. 167.* adhæret opinioni Mascardi, & Guidonis; dicens se ita multoties iudicatum vidisse. Quia sicut standum est intentioni sacerdotis missas Deo offerentis; cuius solus Deus iudex, & cognitor est; ita & eorum iuramento super ipsa celebratione standum est. † Ego ab arbitrio prudentis iudicis totum hoc pendere existimo, qui personarum qualitatem, summarum magnitudinem, omnèque facti circumstantias maturè considerabit; vt iuramento Superiorum fidem adhibendam, vel non adhibendam esse pronuntiet: quod etiam videtur voluisse Molfes. *loc. citat. num. 168. in fin.* & colligitur ex traditis per Mascard. *conclus. 709. Executores. num. 2. & per tot.*



CAPVT CI.

Vtrum Episcopi habeant suam intentionem fundatam in quarta decimali, aduersus Parochos: Et vtrum Parochi exempti soluant quartam Episcopo, de prædiis postea acquisitis, & de noualibus; Et vtrum transactio super decimis, comprehendat etiam prædia in futurum acquirenda: Et vtrum debeant Episcopi quartam accipere de manibus Parochi. Denique vtrum aduersus illam quartam opponi possit præscriptio; & quæ hoc casu ad illam requirantur.

S V M M A R I V M.

1. Episcopi habent intentionem fundatam in exactione quarta partis omnium decimarum.
2. Quarta decimalis debetur Episcopo ratione coniunctionis, & vniuersalis curæ animarum.
3. Quarta decimalis debetur Episcopo duntaxat ratione decimarum, quæ percipiuntur à Parochis.
4. Religiosi sunt exempti à præstatione decimarum.
5. Consuetudo soluendi per religiosos quartam decimalem de propriis prædiis, obseruanda est.
6. Religiosi Parochi sunt immunes à decimis, etiam pro prædiis acquirendis; si speciale habeant priuilegium super hoc.
7. Religiosi qui nituntur sola communicatione priuilegiorum: non eximuntur à decimis, sine speciali expressione.
8. Religiosi etiam sine priuilegiis sunt immunes à decimis, pro prædiis per eos ad culturam reductis.  
Item pro suis hortis & animalibus quæ nutriunt, num. 9. Item pro noualibus quæ ipsi excolunt, non quæ aliis tradunt excolenda. num. 10.
11. Noualium appellatione quid veniat.
12. Quando religiosi nituntur solo priuilegio, vel concessione, vtrum extendatur ad prædia acquirenda.

13. Præscribens decimas in aliena parochia, non habet decimas noualium superuenientium.
14. Præscriptio etiam immemorialis non extenditur ad ea quæ postea superueniunt.
15. Priuilegium super decimis extenditur ad noualia.
16. Proponitur distinctio Brixienfis, quæ reprobatur, num. 24.
17. Immunitas à decimis per viam beneficij extenditur ad futura, non tamen si per viam priuilegij.
18. Perceptio decimarum in aliena parochia, est odiosa.
19. Si noualia sint iuncta cum alio prædio debent decimari eodem modo, quo illud prædium.
20. Præscriptiones non extenduntur, & proprios facti terminos non excedunt.
21. In rebus distinctis, apprehensâ possessione vnius, non censetur apprehensa possessio alterius.
22. Per præscriptionem, & consuetudinem ius commune non extenditur.
23. Explicatur text. in cap. quia circa. de priuilegiis. & notatur differentia inter exemptionem per viam priuilegij, & per viam beneficij.
24. Reprobatur Brixienfis, quæst. 26.
25. Regulares tenentur soluere decimas de prædiis acquirendis, si antea soluebantur ex ipsis.
26. Prædia transeunt ad regulares cum suo onere decimarum.
27. Proponitur resolutio casuum, in quibus religiosi tenentur ad decimas pro prædiis acquirendis.
28. Episcopo datur officium iudicis aduersus laicos, quando Parochus quartam non recipit.
29. Non est certa opinio, quæ vult Episcopum non posse exigere quartam, nisi de manu Parochi.
30. Episcopus habet intentionem fundatam in quarta totius decimæ, non tantum in quarta quarta.
31. Quarta decimalis Episcopi præscribi potest.
32. Quæ sint necessaria ad probandam præscriptionem, aduersus quartam Episcopalem.

Religiosi, quorum Monasterio autoritate Apostolica vnitus erat prioratus cum cura animarum; ratione cuius decimæ in tota parochia ad eos pertinebant: sequentia dubia pro veritate discutenda proposuerunt. Primò, vtrum Episcopus habeat suam intentionem fundatam, in exactione quartæ parochialis; ita vt nihil pro iuris sui probatione, verificare teneatur. Secundò, vtrum Episcopus possit exigere quartam decimalem de propriis prædiis, per dictos Priores acquisitis, & acquirendis. Tertiò, quam consuetudinem, vel præscriptionem probare debeat Parochus, ad impugnandam exactionem quartæ Episcopalis.

Ad primam quæstionem fuit resolutum, Episcopus de iure communi habere intentionem fundatam in exactione quartæ partis omnium decimarum totius Parochiæ, & intra fines illius: cap. conquerente. de offic. Ordin. cap. de quarta. de præscript. cap. quoniam. & capit. dudum. de decim. Cavaler. *decif. 649. numer. 1.* Ludouil. *decif. 519. numer. 1. & ibi Addent.*

Quia hæc quarta debetur Episcopo ratione coniunctionis, & vniuersalis curæ quam habet in Ecclesiis sibi subiectis. Monet. *de decim. cap. 7. num. 14.* Seraph.


- Seraph *decif.* 1204, & 1449. Barbof. *de Episcop. part.* 3. *allegat.* 86. *numer.* 34. Rot. *diuers.* *decif.* 31. *numer.* 5. *part.* 2. & text. in *dict.* *cap. dudum.* 16. *de decimis*, est de hoc satis expressus in illis verbis: *intentione tua de iure communi fundata*. Rot. *decif.* 226. *numer.* 12. *part.* 7. *recent.*
3. In secunda quaestione difficultatem facit; quia quarta decimalis solum debetur Episcopo respectu decimarum, quæ percipiuntur à Parochis. Ludouif. *decif.* 519. *numer.* 3. Barbof. *dict.* *allegat.* 86. *numer.* 35. ergo cum Parochi de propriis prædiis decimas aduersus seipfos non exigant, non videtur etiam Episcopum illas exigere posse à Parochio, qui nullas ex dictis prædiis percepit.
4. Præsertim cum Parochi sint exempti à quacunque decimarum præstatione, propter priuilegia religiosi ordinibus à summis Pontificibus concessa: & dictis religiosi in particulari: & sic tam ex priuilegio proprio, quàm communicato. Mirand. in *manual. prelator. regul. tom.* 2. *quest.* 49. *artic.* 12. Etnauel Roderic. *tom.* 2. *quest. regul.* 43. *artic.* 4.
5. Sed veritas, & ratio contrariam sententiam sequi cogunt; cum distinctione tamen casuum. Primus quidem casus est, quando consuetudo extat soluendi quartam Episcopo, de propriis Parochi prædiis: & in hoc seruandam esse consuetudinem, indubitatum est: vt ostendit Barbof. *de Episcop. part.* 3. *allegat.* 86. *numer.* 16.
6. Secundus casus est, quando Parochi priuilegium habent; per quod eximuntur à præstatione decimarum, tam pro prædiis acquisitis, quàm acquirendis: & tunc sunt immunes à solutione quartæ Episcopalis: quale priuilegium competere testatur Minimis Tambur. *de iure Abbat. tom.* 1. *disput.* 15. *quest.* 18. *n.* 8. propter verba priuilegij Iulij II. ipsis concessi in illis verbis: *Perpetuò libera sint, vel esse censeantur*. sicut & pluribus aliis religiosi: vt fuse Tamburin. *dict.* *quest.* 18. *per totam.*
7. Tertius est casus, quando religiosi non habent speciale priuilegium pro decimis prædiorum per eos acquiritorum, vel acquirendorum; sed solum nituntur priuilegiis concessis aliis ordinibus, cum quibus habent communicationem priuilegiorum: & hoc casu necesse est, vt specialiter in concessione communicationis facta fuerit mentio istius exemptionis à solutione decimarum: quia indiget speciali expressione. Rot. apud Tamburin. *decif.* 89. *numer.* 1. & 2. quia huiusmodi communicationes non extenduntur ad ea, quæ non solent concedi, vel saltem cum magna difficultate conceduntur; etiam in quibus agitur de præiudicio tertij: iuxta notata in *l. ff. de legat.* 1. & *ibi* Iason, *numer.* 21. & 22. & fuse per Rot. *d. decif.* 89.
8. Quartus casus est, quando religiosi nullum habent speciale priuilegium à Summo Pontifice, nec communicationem cum aliis religiosi ordinibus: sed agitur de prædiis de nouo redactis ad culturam, operâ & industriâ religiosorum: & in his ipsi habent priuilegium à iure communi: *cap. ex parte.* 10. *extr. de decim.* Hieron. Roderic. *quest. regul. resolut.* 50. *numer.* 3.
9. Item & de suis hortis, & animalibus quæ nutriunt: *dict.* *cap. ex parte.* & *ibi* Gloss. in *verb. laborum suor. versic. alijs vero monachis*. Intelligendo de hortis, & animalibus quæ inseruiunt pro vsu Monasterij; & de animalibus, quæ ipsi religiosi nutriunt; non de illis quæ aliis nutrienda tradunt.
10. Rotâ *decif.* 493. *numer.* 1. *part.* 4. *recent.* † De noualibus etiam, id intelligendum est, de illis quæ ipsi excolunt; non quæ aliis excolenda tradunt.
- Tamburin. *dicto* *tom.* 1. *disput.* 15. *quest.* 18. *numer.* 6. & *sequentib.*
- Noualium autem appellatione venit terra de nouo ad culturam redacta, cuius non extat memoria quod culta fuisset; & sic dicitur ager nunc primò præcisus: *cap.* 1. & *cap. quid sit nouale. de verb. signific.* Barbof. *de appellat. verbor.* *cap.* 167. cui addendum est; oportere vt prædium sit tale, ex quo nihil aut modicum antea decimæ nomine perciperetur. Tamburin. *dict.* *quest.* 18. *numer.* 6. Moneta, *de decim. cap.* 4. *numer.* 50.
- Quintus casus est, quando religiosi nituntur conuentione, consuetudine, vel priuilegio non soluendi decimas: & tunc magna est controuersia, vtrum hoc priuilegium, conuentio vel consuetudo comprehendat decimas, quæ prouenire poterunt ex prædiis postea per Monasterium acquirendis. † Et quod non extendatur ad prædia acquirenda, probari videtur primò per text. in *cap. cum conuingat.* 29. vbi Abbas, in *ultimo notab. de decimis*: vbi dicitur, quod si quis habeat ius percipiendi decimas in aliena parochia, illud non debet extendi ad noualia quæ de nouo superueniunt; & rationem reddit Abbas, *ibidem*, *numer.* 5. quia sicut in contractibus verba referri debent ad tempus contractus, & futura non respiciunt; ita & in præscriptione, in qua strictior fieri debet interpretatio; cum in ea agatur de detrahendo iuri alterius. † Secundò, quia præscriptio etiam immemorialis, non operatur quoad ea quæ postea superueniunt. Corn. *consil.* 184. *n.* 18. *vol.* 1. sicut nec priuilegium ad futura extenditur. Gloss. in *cap. cum capella, de priuileg.* Tertio, de hoc videretur esse textus expressus in *cap. quia circa.* 22. *de priuileg.* & in *Clem.* 1. *de censib.*
- In contrarium facit textus in *cap. ex parte tua. de decim.* vbi priuilegium de non soluendis decimis Ecclesiasticæ personæ concessum, extenditur ad noualia: & *ibi* notat Gloss. priuilegium ad res futuras trahi, & latè interpretandum esse: & hanc sententiam tuentur plurimi DD. quos citat & sequitur Giouagnon. *consil.* 28. *numer.* 14. *volum.* 2. qui pro hac sententia allegat textum in *dict.* *cap. quia circa.* 22. *de decim.* pro contraria sententia allegatum. † In hac quaestione Bartholom. Brixienfis *quest. dominic.* 26. distinguit, quod aut agitur de priuilegio, aut de præscriptione: si de priuilegio, extensio fit ad futura; si de præscriptione, non extenditur: quia præscriptio non est ita fauorabilis sicut priuilegium. † Sed magis arridet distinctio allata per Barbof. in *dicto cap. quia circa. numer.* 10. quod aut acquisitio iuris immunitatis à decimis, facta fuit per viam beneficij, aut priuilegij: si per viam beneficij, nempe quando immunitas non est contra ius commune; extenditur ad futura: si verò per viam priuilegij, nempe quando fit concessio contra ius commune; tunc strictam recipit interpretationem, & ad futura non extenditur: & cum ista distinctione satisfat omnibus rationibus in contrarium allegatis. † Nam quod dicitur de noualibus; hoc ideo obtinet, quia agitur de decimis in aliena parochia percipiendis: & sic contra ius commune: vnde possessio, vel præscriptio non extenditur ad noualia, quæ postea superueniunt. Gratian. *discept.* 425. *numer.* 14. & *sequentib.* Giouagn. *dicto consil.* 28. *numer.* 9. *volum.* 2. † Quod tamen intelligendum est de noualibus separatis, & distinctis agrorum, qui omninò inculti remanserunt: nam si vnus agri pars excoli solita esset, alia verò non; & hæc de nouo reduceretur ad culturam: sanè possessio vnus partis, seu præscriptio quoad vnâ partem, prodest quoad aliam partem de nouo ad culturam redactam;

- reductam : vt bene explicat Post. in tract. de manu-  
 20. ten. obseruat. 73. num. 162. † Ad id quod secundo loco  
 opponitur de præscriptione ; Respondetur verum  
 esse quòd præscriptio , quæ est contra ius commune,  
 non extenditur ; cùm in ea agatur de tollendo iure  
 tertij : ideo præscriptiones non extenduntur , & pro-  
 prios facti terminos non excedunt : secundùm Bald.  
 in l. final. num. 8. versic. vnum aliud. Cod. communia  
 viriusque iudicij , per text. in l. 1. §. Iulianus ait. ff. de  
 21. itin. act. que priuato. † Et in rebus , & iuribus di-  
 stinctis , quamuis sub aliquo iure vniuersali existant,  
 veluti hæreditate ; ex apprehensione vnius catera-  
 rum possessio non acquiritur. Glos. in l. 3. §. 1. ff. de ac-  
 22. quir. possess. & ibi Barr. num. 4. Iason , num. 30. † Et  
 generaliter per præscriptionem , & consuetudinem  
 ius commune non corrigitur. Iason. in l. de quibus.  
 num. 14. & sequentib. ff. de legib. Molina de primo-  
 23. gen. lib. 2. cap. 6. num. 21. † Nos autem tractamus  
 de materia fauorabili , nempe de decimis ; quarum  
 exemptio concessa fuit non ex priuilegio , nec ex  
 præscriptione ; sed ex beneficio : hoc est secundùm  
 ius commune : prout debet intelligi textus in d. cap.  
 quia circa. de priuileg. vt patet ex illis verbis : *secun-*  
*dùm canonicas sanctiones.* quia ibi Episcopus remi-  
 serat decimas Ecclesiæ parochiali ex causa necessita-  
 tis, vel vtilitatis Ecclesiæ , & cum consensu Capituli,  
 & sic per viam beneficij ; non autem priuilegij : nec  
 agebatur de acquisitione exemptionis per consuetu-  
 dinem , vel præscriptionem : ideo dicitur ibi, quòd  
 cùm in beneficiis lata debeat fieri interpretatio , re-  
 missio illa decimarum , seu quartæ Episcopalis exten-  
 denda erat ad prædia , etiam in futurum acquirenda.  
 24. † Et ex his patet resolutionem Brixienfis , d. quæst.  
 26. de qua supra , num. 16. non posse de iure sustine-  
 ri : cùm etiam si ageretur de priuilegio , immunitas à  
 decimis generaliter concessa , ad futuras acquisitio-  
 nes prædiorum extendi non debeat : & ad hoc fa-  
 ciunt tradita per Hieron. Roderic. quæst. regul. 50.  
 num. 7. Vbi distinguit inter priuilegium quod est  
 præter ius commune , & quod est contra ius com-  
 mune ; intelligendo semper de priuilegio , in quo  
 conceditur generaliter exemptio : nam si priuilegium  
 daret exemptionem , tam ratione acquiritorum ,  
 quàm acquirendorum in perpetuum ; nulla esset dif-  
 ficultas , quin priuilegium deberet obseruari etiam  
 quoad futura : vt supra dictum est num. 6. & tradit  
 Lezan. in summa Regul. tom. 3. in verb. decima quo-  
 ad regulares. num. 11.  
 25. Hinc Sacra Congregatio Concilij sapienter de-  
 cidit , regulares teneri soluere decimas de prædiis  
 acquisitis ex emptione , vel donatione clericorum ,  
 quas eadem prædia prius soluebant , antequam ad  
 eorum manus deuenirent : vt refert Barbof. in tract.  
 de officio Parochi. cap. 28. §. 3. num. 43. & in decis.  
 26. Apostol. collect. 242. num. 5. † Idemque de prædiis  
 per Monasteria acquisitis à personis laicis , quæ  
 transeunt cum suo onere soluendi decimas , fuit reso-  
 lutum in eadem Congregatione , apud Barbof. dict.  
 collect. 242. num. 6.  
 27. Et ex prædictis elicitur resolutio propositæ secun-  
 dæ quæstionis : si enim agatur de religiosis , quibus  
 competit priuilegium exemptionis à solutione deci-  
 marum , tam pro prædiis acquisitis , quàm acqui-  
 rendis : sequitur eos à solutione decimæ Episcopalis  
 esse pro omnibus exemptos. Si generale sit priuile-  
 gium , nec futuras acquisitiones comprehendat ; te-  
 neri soluere pro futuris acquisitionibus. Si nullum  
 habeant priuilegium , teneri de omnibus soluere de-  
 cimam , pro quibus à lege non eximuntur : vt supra  
 explicatum fuit.

Neque obstat argumentum , quòd quarta decima 28.  
 lis Episcopo non debetur nisi quatenus Parochi deci-  
 mas percipiant : ergo cùm à seipsis nihil exigant,  
 nihil etiam Episcopus exigere poterit. Quia non est  
 vera propositio , quòd Episcopus possit exigere quar-  
 tam suam decimalem , nisi quatenus Parochus eam  
 percipiat , vel de manibus eiusdem : cùm in casibus  
 in quibus Parochus non vult , aut non potest deci-  
 mas exigere ; detur Episcopo officium iudicis ad exi-  
 gendam suam quartam , etiam aduersus laicos deci-  
 marum debitores : vt cum maxima causæ cognitione  
 determinauit Rota decis. 327. & 357. par. 5. recent.  
 quæ decisiones inferuntur apud Donat. Anton. de  
 Marin. var. resolut. cap. 81. num. 21. & sequentib.  
 eadem Rota decis. 61. & 334. part. 6. recent. † Et 29.  
 Rota non admittit pro vera dictam propositionem,  
 quòd Episcopus non possit exigere quartam , nisi à  
 manu Rectoris , seu Parochi : quia id nullo iure caue-  
 tur : vt apud Caualer. decis. 247. num. 7. & decis. 64.  
 num. 12. part. 5. recent. vbi dicitur aliam opinionem  
 non esse tutam. † Et ratio est , quia Episcopus non 30.  
 fundat intentionem suam in quarta quartæ Rectori  
 debita , sed in quarta integra totius decimæ : dicto  
 cap. conquerente de offic. Ordin. & cap. de quarta. de  
 præscript. Abbas , in cap. 1. num. 3. de decim. Moneta  
 in tract. de decim. cap. 3. num. 2. Rota, decis. 61. num. 2.  
 part. 6. recent. plurima hac de re habentur apud Bar-  
 bos. de iure Eccles. vniuers. lib. 3. cap. 20. num. 16.  
 & multis sequentib.

Ad tertiam quæstionem Respondetur quartam 31.  
 Episcopalem præscribi posse. Abbas , & Felin. in cap.  
 de quarta. de præscript. idem Felin. in repertorio in  
 verb. quarta decimarum. Monet. de decim. cap. 7.  
 num. 15. versic. poterit tamen. sed ista præscriptio  
 de iure communi non procedit , nisi probatâ posses-  
 sione immemoriali in contrarium , vel quadragena-  
 riâ cum titulo , Caualer. decis. 649. num. 2.

Pro cuius possessionis negatiuæ probatione ne- 32.  
 cesse est , vt testes bene coarctent negatiuam , & de-  
 ponant quòd Episcopo volente quartam suam deci-  
 malem exigere , fuerit ipsi solutio denegata : & quòd  
 Episcopus huic denegationi acquieuerit ; prout re-  
 quiritur ad probandam negatiuam illam non solu-  
 tionis quæ releuet : vt ex Seraph. decis. 1102. num. 8.  
 & aliis decis. tradit Burat. decis. 572. num. 13. Po-  
 stius de manuten. obseruat. 10. num. 101.



CAPVT CII.

An & quomodo infirmi , & senes , qui non  
 possunt interesse diuinis officiis , vel anni-  
 uersariis illorum , aut missarum stipendia  
 lucrentur. Vtrùm distributiones contine-  
 antur sub nomine fructuum beneficij.  
 Quid dicendum sit de absentibus causa  
 studij Theologiæ , vel iuris Ciuilis , aut Ca-  
 nonici ; vel etiam Gramaticæ : An & quan-  
 do percipere possint distributiones quo-  
 tidianas. Cuius ad hoc licentia requiratur.  
 De absentibus pro seruitio Episcopi , vel  
 eundo eius nomine ad limina Apostolo-  
 rum , aut eum associando ad limina , eun-  
 do , aut redeundo. Et vtrùm Capitulum  
 possit statuere , vt absentes lucrentur di-  
 stributiones quotidianas.

## S V M M A R I V M.

1. *Infirmi lucrari debent distributiones quotidianas, quamvis diuinis officiis non intersint. Intel- lige, dummodo interueniant requisita, de quibus num. 2.*
3. *Ampliatu, etiam si infirmitas ex culpa proces- serit. num. 3.*
4. *Senes lucrantur distributiones, quia pro infirmis habentur; & quomodo hoc procedat.*
5. *Infirmi & senes lucrantur stipendia anniuersa- riorum.*
6. *Lucrum anniuersariorum equiparatur distribu- tionibus quotidianis.*
7. *Cerci, qui dantur Canonicis associantibus funus, non debent dari non interessentibus, non ob- stante contraria consuetudine: num. 9.*
8. *Funeralia, qua manualiter distribuuntur, equipa- rantur distributionibus.*
10. *Anniuersaria veniunt sub nomine distributionum quotidianarum.*
11. *Si testator mandauerit anniuersaria distribui in- ter presentes, & assistentes; infirmi illa ni- hilominus percipere debent.*
12. *In materia stricta, appellatione distributionum non veniunt anniuersaria.*
13. *Anniuersaria gaudent eisdem priuilegiis, quibus distributiones quotidianae.*
14. *Infirmi non participant in eleemosinis qua dantur pro Missis.*
15. *Absentes causa studij lucrantur fructus, sed non distributiones; reprobata contraria opi- nione.*
16. *Dispensatio ex causa studij pro non residentibus, qua forma, & sub quibus praecautioibus fieri debeat.*
17. *Licentia Episcopi requiritur pro non residentibus ex causa studij.*
18. *Dictaque licentia debet esse expressa, nec sufficit tacita.*
19. *Intelligendum est, hoc secundum aliquos de solo studio Theologiae.*
20. *Sed verius est, hoc locum habere etiam pro aliis facultatibus, seu studiis.*
21. *Excipiuntur particulares Ecclesiae consuetudines, vel statuta.*
22. *Studium, ad dandam excusationem a residentia, debet esse in Vniuersitate generali; & ap- probata.*
23. *Studium iuris Canonici equiparatur studio Theo- logiae.*
24. *Referuntur Doctores de hac materia tractan- tes.*
25. *Si redditus beneficij consistant omnes in distribu- tionibus, absens causa studij illas lucratur, dempta tertia parte qua reseruatur inter- essentibus.*
26. *Canonici existentes in actuali seruitio Legati, aut Vicelegati, lucrantur fructus; sed non distri- buiones.*
27. *Capellani Francorum Regis Christianissimi lu- crantur fructus ex priuilegio Pontificio; sed non distributiones.*
28. *Familiares Papae, non lucrantur distributiones sine speciali priuilegio; sed duntaxat fru- ctus prabendarum.*
29. *Cubicularij ad bussolam S. D. N. Papae non lu- crantur distributiones.*
30. *Et ita decidit Congregatio, & Rota Romana.*
31. *Canonici associantes Episcopum visitantem limi- na, excusantur a residentia.*
32. *Isti canonici dicuntur esse in seruitio ipsius Ec- clesiae.*
33. *Canonicus associans Episcopum ad limina, non potest petere salarium. Intellege, non con- uentum.*
34. *Ampliantur praedicta ad Canonicos Ecclesiae Col- legiatae.*
35. *Non tamen locum habent in hebdomadariis, qui non sunt in dignitate constituti.*
36. *Insignia canonicatus non possunt dari hebdoma- dariis sine autoritate Apostolica.*
37. *Quando omnes redditus consistunt in solis distri- butionibus, absentes ex iusta causa illas percipiunt: quia sunt loco prebenda.*
38. *Dempta tertia parte, ex mente Congregationis.*
39. *Et ita declaratum per Congregationem pro ciui- tate Auenionensi.*
40. *Hoc locum habet in absentibus causa studij.*
41. *Absentia causa studij non dispensat a residentia in parochialibus.*
42. *Explicantur casus, in quibus detrahi debet ter- tia pars distributionum. & numer. 43. & 44.*
45. *Priuilegium euntibus ad limina durat, tam eun- do, quam redeundo.*
46. *Qui redit, dicitur permanere in eodem itinere.*
47. *Non valet statutum quod absens lucretur distri- butiones, exceptis certis casibus, de quibus num. 48.*

VAtia sunt causa propter quas absentes lucrantur distributiones quotidianas, & alia emolumenta Ecclesiae: circa quarum praecipuas, quaedam & notatu digniora paucis exponenda sunt.

Primò igitur tractandum est de infirmis, quos 1. lucrifacere distributiones quotidianas certum est; per textum expressum in cap. unic. versic. exceptis illis quos infirmitas &c. de cleric. non residentibus. lib. 6. † Dummodo aegritudo sit talis, vt praebat ve- 2. ram absentiae causam; & talis infirmus solitus esset tempore sanitatis interesse diuinis officiis: & non alias. Monet. de distribut. quotid. part. 2. quest. 6. num. 21. Couar. lib. 3. variar. resolut. cap. 13 num. 8. versic. sexto hoc ipsum. & Paul. Rubeus in annot. ad decis. Rota 576. par. 4. recent. tom. 3. num. 125. Idque declarauit Sacra Congregatio apud Barbof. in decis. Apostol. collect. 258. num. 4. † Quod ampliatu etiam 3. ad eos, qui ex propria culpa inciderunt in morbum; vt isti pariter lucretur distributiones quotidianas: vt dicit Couar. loc. citat. versic. septimò. † Et quod de 4. infirmis dictum est, idem etiam statuendum est de senio confectis; quando talis est senectus, vt cano- nicum impediatur ab assistentia, tempore quo hora matutinae; vel alia etiam diuina officia recitantur: cap. 1. & ibi Glos. de cleric. egrot. vel debilit. cap. 1. §. sin. autem. de cler. egrotan. in 6. Gratian. discep. forens. cap. 805. num. 40. & ita intelligit Sacra Congregatio apud Barbof. in decis. Apost. dict. collect. 258. num. 4. Donat. Anton. de Marin. quotidian. re- sol. cap. 40. num. 4. & 5.

Circa lucrum anniuersariorum, maior videtur 5. esse difficultas; in qua affirmatiuè nempe in fauorem senio confectorum respondit Trentacinq. consil. 56. lib. 1. per text. in cap. unic. de cleric. non resident. in 6. versic. de distributionibus. vbi idem statuendum esse dicitur quoad non residentes, ratione quotidianarum distributionum, & ratione anniuersario- rum



6. rum. † Vnde Gemin. in d. §. de distributionibus dicit, distributiones quæ dantur pro anniuersariis defunctorum æquiparari distributionibus quotidianis; & illum qui non potest percipere de distributionibus quotidianis, non posse percipere de anniuersariis: † vnde infert, quòd si Capitulum canonicorum inuitatur ad sepulturam, canonici qui personaliter non vadunt ad funus, non habebunt cereos, qui dantur canonicis qui funus comitantur. Idem tenet Lopus allegat.
7. 43. † Vbi quòd appellatione quotidianarum distributionum continentur ea funeralia, quæ inter præfentes manualiter distribuuntur, ex eo quòd interfuit illi ætui. † Adeo vt non valeat consuetudo, vt illi qui non interfuit, lucrentur sicut interfuites.
8. † Et quamuis inter DD. fuerit disputatum, vtrum anniuersaria contineantur appellatione quotidianarum distributionum, in qua quæstione negatiuam sententiam amplexus fuit. Cardin. Zabarella in Clem. vt si qui. §. illi vero. de arat. & qualit. n. 15. Nauar. consil. 13. de cleric. non resident. num. 2. Affirmatiua tamen verior est propter dispositionem text. in d. cap. vnic. de cler. non resident. in versic. finali, & illam tenet Ioannes Andreas in d. cap. vnic. in verb. anniuersariis. Gemin. ibidem, in §. de distributionibus. in principio Felin. in cap. ad aures. n. 2. de rescriptis. † Et propterea Sanch. in consil. moral. lib. 2. cap. 2. dubio 105. non solum in terminis iuris communis, existimauit lucrum anniuersariorum deberi infirmis; sed etiam in casu quo testator mandauerit stipendium illud anniuersarij solis præsentibus, & interfuitibus acquiri; cum infirmi pro interfuitibus habeantur, & dispositio testatoris in dubio conformari debeat, & explicari secundum dispositionem iuris communis. Attamen sacra Congregatio die 10. Septembris 1639. in vna Auenionensi Distributionum inter Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ S. Agricoli, & D. Iulium Michaelem beneficiatum eiusdem Ecclesiæ; censuit eum qui, licet absens, distributiones quotidianas lucratur, non posse percipere anniuersaria defunctorum, & alia huiusmodi incerta pro Missis relicta, vel elargita.
9. Hoc tamen quod anniuersariis, sub distributionum quotidianarum nomine comprehendendis, dictum est, intelligo vt procedat, nisi ageretur de materia stricta, veluti de dispensatione: & ideo si summus Pontifex aliquem dispensauerit, vt possit lucrari distributiones quotidianas; sub tali dispensatione anniuersaria non continentur: quia requirunt aliquam magis particularem interessentiam, quam distributiones. Moneta, de distribut. quotid. par. 2. cap. 14. num. 22.
10. Rot. decis. 59. num. 7. par. 7. recent. † Et in effectu propriè loquendo, anniuersaria non comprehenduntur sub nomine distributionum, licet gaudeant eodem priuilegio: dixit Rota, decis. 32. num. 6. & 7. ead. part. 7. recent.
11. Infirmos tamen non posse participare in elemosinis quæ dantur pro Missis, quæ per Sacerdotes eiusdem Ecclesiæ celebrantur; declarauit Sacra Congregatio apud Barbof. in decis. Apost. collect. 258. n. 20.
12. Quod autem attinet ad absentes causâ studiorum, verum quidem est, ex dispositione iuris communis fructus omnes, sed non etiam distributiones quotidianas illis deberi: per textum expressum in cap. licet. 32. de præbendis. versic. nolumus autem. vbi nominatim dicitur absentem causâ studij Theologiæ, fructus beneficiorum suorum percipere posse, & debere; non tamen quotidianas distributiones: quidquid dixerit Anton. Donat. de Marin. dicto cap. 140. num. 6. quia textus per eum allegati in cap. relictum. 4. † & in cap. tue fraternitati. 12. de cleric. non resident. non loquuntur de distributionibus quotidianis: similiter

text. in cap. final. de magistris, solum loquitur de fructibus beneficiorum, non autem de distributionibus: imò Glossa ibidem, in verb. interroga. clarè dicit absentem causâ studij Theologiæ, non lucrari dictas distributiones quotidianas: quod etiam dicitur expressè in d. cap. licet. 32. de præb. per eum allegato: & in cap. 2. de priuileg. in 6. vbi Gloss. in verb. integrè. notat studentes non lucrari distributiones quotidianas: sicut nec de hoc quidquam dicitur in cap. cum ex eo, 34. de elect. in 6. Constans igitur est regula de iure communi, non deberi distributiones absentibus ex causa studij; sed duntaxat alios fructus; atque ita declarauit Sacra Congregatio: teste Gonsal. §. 7. proximal. num. 179. de Marin. dicto cap. 40. num. 7. versic. an autem absentes. vbi alios casus excusationis absentium prosequitur, & bene exponit.

Quomodo autem, & cum quibus cautelis obtineri debeat dispensatio super residentia causâ studij? Plenè explicat Pyrrus Conradus in tract. de dispensat. lib. 5. cap. 6. num. 21. & sequentibus.

Hoc certum est, nec essariam esse saltem Episcopi licentiam, vt absens causâ studiorum fructus beneficii lucratur. de Marin. d. cap. 40. n. 6. † Quæ licentia debet esse expressa, nec sufficit tacita. Ludouic. & ibi Adder. decis. 154. n. 8. Rota decis. 354. n. 15. part. 4. recent.

Præterea hoc intelligendum est de eo, qui abest causâ studij Theologiæ, non alterius facultatis: quia fauore Theologiæ, adest dispositio iuris communis: pro aliis verò facultatibus requiritur dispensatio Episcopi, vel Papæ: vt notauit Moneta de distribut. quotidian. par. 2. quæst. 10. n. 7. & 8. † Quamquam & dispositionem d. cap. licet. de præbend. procedere etiam fauore studentium in iure Canonico, vel Ciuili, & in Grammatica ostendat Ricc. in prax. aur. resolut. 33.

Excipiendo tamen semper statuta, vel consuetudines particulares Ecclesiarum: vt ibi notat Moneta, nec non priuilegia, qualia à summis Pôtificibus Vniuersitati Auenionensi pro studentibus concessa fuerunt.

Rursus non debet sufficere studium particulare: quia illud non gaudet priuilegio; sed debet quis studere in aliqua Vniuersitate publica, quæ Rectorem habeat, & alia priuilegia Vniuersitatibus concedi solita; cum autoritate Doctoralem gradum conferendi: qualis est nostra Auenionensis Vniuersitas: vt dicit Pyrr. Conrad. de dispens. d. lib. 5. cap. 6. n. 31. † Vbi etiam refert Sacram Congregationem declarasse, quòd sufficit incumbere studio Theologiæ, vel sacrorum Canonum, vt quis fructibus beneficii in absentia potiat. † Reliqua de hac materia tractat Moneta in d. tract. de distribut. quotid. par. 2. quæst. 10. Zerola in praxi Episcop. par. 1. in verb. studij. Quaranta, in summa Bull. in verb. residentia. Vbi notat quòd si prouentus beneficii in distributionibus quotidianis consistant, absens causâ studij eas lucratur, demptâ tertiâ parte ipsarum, quæ interfuitibus accrescit. Quod etiam voluit Donat. de Marin. d. cap. 40. num. 7. versic. an autem absentes. qui dicunt hoc esse de mente Sacræ Congregationis.

Supereft vt agamus de Canonicis existentibus in actuali seruitio Legati; aut Vicelegati: Et sanè idem dicendum est quod de existentibus in seruitio Episcopi, vt lucrentur fructus beneficii; non tamen distributiones quotidianas: cap. cum dilectus, & ibi Gloss. in verb. fructus. de cleric. non resid. & ibi DD. Ioan. de Selu. de benef. par. 4. quæst. 6. n. 6. in fine iuncto n. 7. † Eodèque modo, quamuis capellani & clerici Christianissimi Francorū Regis, ex priuilegio Felic. Record. Clem. VI. Ioan. Regi & Reginae Francorum concessio, quandiu in eorū obsequio ministrat, à residetia excusetur; & fructus integros beneficiorū percipiat:

- non tamen diaria, & honoraria stipendia, quæ distributiones nuncupantur, vlla percipere possunt: vt notat Addit. ad Ioannem Selu. *de benefic. d. par. 4. quæst. 6. num. 1.* hac adhibitâ moderatione, vt numerus exemptorum non sit maior, quàm congruens
28. Ecclesiæ seruitium pati possit. † Imò & ipsi summi Pontificis familiares, cessante speciali priuilegio, quotidianas distributiones in absentia non percipiunt: teste Moneta *in dicto tract. de distribut. quotid. par. 2. cap. 9. num. 8. iuncto num. 23.* Barbof. *in tract. de*
29. *canonic. num. 1. & 3.* vbi † quòd Cubicularij S. Domini nostri Papæ ad bussolam Sanctitati suæ actu seruientes, eaque de causâ ab Ecclesia absentes, non possunt petere quotidianas illas distributiones: atque ita declaratum fuisse per Sacram Congregationem.
30. † Quæ idem declarauit in existentibus in seruitio Legati, teste Barbof. *ibidem num. 4.* & de familiaribus summi Pontificis, adest decisio Rotæ *22. num. 15. par. 5. recent.* vbi quòd licet ipsi lucrentur fructus, non tamen quotidianas distributiones.
31. Præterea excusantur etiam à residentia Canonici associantes Episcopum euntem Romam, ad visitanda limina Apostolorum: quamuis Moneta *in dicto tract. de distributionibus quotid. par. 2. quæst. 8. num. 23.* reuocet in dubium decretum Sacræ Congregationis desuper factum; de quo per Garf. *de benefic. par. 3. cap. 2. num. 349.* quo deciditur Canonicos associantes Episcopum euntem ad limina Apostolorum, vel ab eo ad hunc finem missos, non solum fructus præbendarum; sed etiam quotidianas distributiones lucrari: illud tamen decretum omninò obseruandum esse sæpius eadem Sacra Congregatio declarauit. † Et primò quidem certum est; ex dispositione iuris communis, existentes in seruitio sui Episcopi, aut illum visitantem Apostolorum limina associantes, dici occupatos in seruitio suæ Ecclesiæ; & ad vtilitatem eiusdem: & idè pro præsentibus haberi, & lucrari fructus suorum canonicatum: vt notatur in *cap. de catero. & cap. ad audientiam. de clericis non residen. & ibi DD.* † Et propterea cum Episcopus duos assumpisset Canonicos, qui Socij sui itineris essent, dum ad Regis curiam proficisceretur; non deberi aliquod salarium eisdem Canonicis, sed eos debere esse contentos lucro suarum præbendarum, quas percipiunt quasi præsentibus, decisum fuit apud
32. Cabedo, *decis. 94. part. 1.* † Et hoc procedit non solum in Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, sed etiam in Canonicis Ecclesiarum inferiorum. Riccius *in collect.*
33. 2686. † Non tamè procederet in hebdomadariis, qui non habent dignitatem: vt *ibidem* notat Ricc. iuxta
34. Nouarium *decis. 24. num. 18. in fine par. 1.* † Vbi dicit, quòd licet Episcopus possit dare insignia Canonicis, veluti almutium; non tamen hebdomadariis ea concedere potest, sine sedis Apostolicæ auctoritate: sed quoad distributiones quotidianas, maius est dubium: ex traditis per Monet. *loco citato.* † Et ideo pro resolutione casus, aduertendum est in primis, quòd quando reditus omnes Ecclesiæ consistunt in distributionibus; illæ succedunt in locum præbendæ: & ideo absens lucrari debet, ne alioqui priuilegium concessum istis canonicis associantibus Episcopum, vel ab eo missis ad visitanda limina, remaneat inutile: vt notauit Quaranta *in summa Bullarum, in verb. residentia, versic. quod autem communis.* & in Additione *in principio.* Gonsal. *ad regul. 8. §. 7. proæmiali, num. 205.* † & ideo Sacra Congregatio æquitatem sequuta, ordinauit canonicum in seruitio Episcopi existentem, lucrari in absentia duas tertias partes distributionum quotidianarum: aliam verò tertiam partem accrescere interessentibus: teste Bar-
35. *bosa de Episcop. allegat. 53. num. 142.* Monet. *de distribut. quotid. part. 2. quæst. 8. num. 14. in fine versic. limitatur. ergo Garf. de benefic. part. 3. cap. 12. num. 113. & sequentibus, & num. 351. & 353.* † Atque ita declarauit etiam Sacra Congregatio sub die 13. Ianuarij 1635. inter venerabile Capitulum Ecclesiæ Sancti Agricoli, & R. D. Euangelistam Rosati, tunc eiusdem Ecclesiæ Canonicum: ita vt de veritate huius conclusionis non sit amplius disputandum. Sed vt res clarior & sine ambiguitate remaneat; varij casus distinguendi sunt, vt sciatur quomodo Canonicus distributiones lucrari debeat, quando in illis consistunt omnes fructus canonicatus. † Primus est, dum agitur de absentibus causâ studij, & hos lucrari distributiones demptâ tertiâ parte, quæ præsentibus accrescit, censuit Ricc. *in prax. aurea resol. 495. num. 3.* Sed contrarium tenet Garf. *de benefic. part. 3. cap. 2. num. 353.* ex decisionibus Congregationis prædictæ per eum relatis *eodem cap. num. 113. & 114.* & Lotter. *de benefic. lib. 3. quæst. 27. num. 154.* Et quidquid sit; † absentia causâ studij non suffragatur ob-
36. *41.* tinentibus parochiales: quia cum non debeat de eis prouideri nisi per concursum, oportet eos esse capaces, & non egere vltiori studio. Barbof. *in decis. Apost. in verb. studium. collect. 683. num. 1.*
37. Secundus casus est de eo, qui canonicatum, & simul Ecclesiam Parochialem obrinet: qui ex decreto Pij V. tenetur residere in Parochiali; & hic integras percipit distributiones. Garfias *ibidem, numer. 353.*
38. Tertius est casus, de absentibus causa inimicitiarum, vel propter seruitium Episcopi: & hoc casu debet fieri detractio tertiæ partis distributionum, quando in eis omnes beneficij reditus consistunt. Garf. *d. num. 353.*
39. Quartus casus est, de associantibus Episcopum visitantem limina: & hoc casu, saluâ determinatione Sacræ Congregationis, videtur quòd isti lucrentur integras distributiones, quando in illis reditus omnes consistunt, sine detractioe tertiæ partis: quia ex notatis per Garf. *loc. citat. num. 348.* constat quòd Canonici existentes in seruitio Episcopi, regulariter non possunt percipere distributiones quotidianas: ad quam regulam duæ dantur limitationes. Prima est *num. 351.* vbi id limitat non procedere, quando fructus canonicatus consistunt in solis distributionibus quotidianis. Secunda est, quando Canonicus, comitatur Episcopum euntem ad limina, vt *ibidem num. 349.* quo casu dicit simpliciter Canonicum percipere distributiones: sed in priori casu, asserit duas tertias partes duntaxat percipere posse; & ita simpliciter absque mentione detractioe tertiæ partis de visitante, vel associante ad limina Episcopum; tradit Barbof. *ad Concil. Trident. sess. 24. cap. 12. num. 101.* Ricc. *in prax. rer. fori Ecclesiast. decis. 498. num. 3.* Idem Barbosa *de Episcop. allegat. 53. part. 3. numer. 159.*
40. Istud autem priuilegium visitantibus limina nomine Episcopi, aut eum associantibus Canonicis, non solum competit tempore quo itur ad limina; sed etiam tempore reditus: quamuis Episcopus ad alia loca proficisceretur: ex doctrina Baldi in *l. liberti. Cod. de oper. libert. num. 15. versic. dubitatur.* † vbi dicit, quòd tempus absentiae pro seruitio reputatur, & salarium debetur etiam pro diebus itinerum: per tex in *l. qui mittuntur §. penult. ff. ex quibus causis maior.* vbi ad hoc est bonus textus: & duo dicuntur insimul fuisse in studio, aut alio negotio, licet vnus venerit prius alio. Bartol. in *l. quid ergo §. quod ait ff. de his qui notant. infamia.*

47. Sed quæres utrùm valeat consuetudo, vel statutum ordinans, quòd ij qui non interfunt officio diuino percipiant distributiones quotidianas? Respondetur non valere. Probatur ex Concil. Trident. *sess. 24. cap. 12. ibi Reliqui quauis collusionem, aut remissione exclusi*, & determinauit Sacra Congregatio de remissione harum distributionum loquens apud Garf. *de benefic. par. 3. cap. 2. num. 432.* & probatur in *cap. vnic. de cler. non resident. ibi penitus improban-tes. Burat. decis. 193. num. 19. & sequentib. Barbos. de Episcop. part. 3. allegat. 53. num. 140.* & vide Sanch. *in consil. moral. lib. 2. cap. 2. dubio 110. & 111.* vbi bene explicat utrùm valeat consuetudo, quòd absentes lucrentur distributiones: & Paulus Rubeus *ad decis. 576. num. 159. & 170. part. 4. re-cent. tom. 3.* † Exceptis tamen certis casibus, & ob iustam causam, de quibus Moneta *de distrib. quotid. part. 2. quest. 12. num. 42.*

**D**efinitorum apud religiosos magna est potestas, secundum cuiusque ordinis & regulæ approbatas constitutiones, aut consuetudinem concessa. Hi sunt selecti quidam Patres, qui Superioribus assistunt ad decisionem grauiorum negotiorum; & in quibusdam religionibus votum habent consultiuum duntaxat, quorum opinionem requirere tenetur Superior; sed non sequi: in aliis verò decisiuum; seu deliberatiuum, quorum sententiam exquirere & sequi Superiores omninò tenentur: vt explicat Hieron. Roderic. *question. regul. resol. 51. numer. 1. & 2. Mirand. in manual. Pralat. regul. tom. 2. quest. 17. num. 1. & 2.*


Si constitutio dicat procedendum esse cum consilio, & consensu Definitorum; non solum debet Superior exquirere consilium, sed saltem maioris partis Definitorum consensum habere tenetur. Lezan *in summa regul. tom. 4. in verb. littera Apostolica. num. 21.*

Si solum requiratur consilium, ad duo tenetur Superior; nempe ad petendum consilium, & ad expectandum vt illud detur: & actus ante datum consilium factus, nullus est. Abbas *in cap. ex parte. de constitut. & habetur ex cap. cum in veteri. de elect. Emanuel Roderic. tom. 2. quest. regul. 103. art. 1.*

Sed regulariter cessante constitutione, vel consuetudine religionis contraria, Superior tenetur sequi sententiam maioris partis Definitorum; ex regula generali, † quòd quoties quis debet iudicare, vel actum facere de consilio alicuius, qui sit cum eo particeps officij; illius votum non solum requirere, sed etiam sequi, & secundum illud iudicare tenetur: vt notat Vant. *in tractat. de nullitat. ex defect. iurisdic. ordin. numer. 152. versic. & stantibus huiusmodi.*

Definitores autem sunt officij participes cum Superiore: ergo votum illorum Superior sequi tenetur. Mirand. qui sic arguit *dicto tom. 2. quest. 17. artic. 2. in 4. conclus. versic. & praterea.* Plura de consilio exigendo, tradit Tusch. *in verb. Consilium. conclus. 769. per totam.*

Licet igitur variae sint constitutiones in diuersis ordinibus regularibus; iuxta cuiuslibet ordinis consuetudinem: vt dicit Emanuel. Rodericus *tom. 2. quest. regul. 45. artic. 1.* Tamen ex his quæ in facto supponebantur Respondi, † ad solos Definidores antiquos spectare munus definitiones, & decisiones faciendi, bonum publicum totius ordinis concernentes; quæ pro regula & modo viuendi in futurum obseruari deberent. † Reliqua verò acta capituli, quæ vel particulare certorum locorum bonum, vel nonnullorum particularium negotia concernunt, ad novos Definidores pertinere debere: cum enim tam ex consuetudine, quàm ex summi Pontificis constitutione consuetudinem illam confirmante, ad Definitoris Generalis electionem, nec non ad quascumque ordinationes, definitiones, ac declarationes in primis & ante omnia procedendum esset: certum est quòd definitiones generales fieri debent per antiquos Definidores; quorum potestas, dum ex fiunt, adhuc durat: at verò ius faciendi alia acta Capituli, veluti acceptationes conuentuum, impositiones poenitentiarum, receptionem nouitiorum, ex statuto, seu constitutione, & alia huiusmodi quæ generale bonum minimè concernunt; ad ipsos quoque Definidores novos pertinere. Cui iuri & facultati nullo modo fuit derogatum per constitutiones Capituli generalis; quæ definitiones seu decisiones, ante electiones quascumque, ab antiquo Definidore fieri mandauit. † Quia definitionum aut decisionum appellatione, solum ea continentur, quæ regulam aliquam in futurum



CAPVT CIII.

De potestate, & autoritate Definitorum, inter religiosos. Et utrùm Superiores illorum opinionem petere, & sequi teneantur. Et utrùm ad antiquos Definidores, an verò ad novos spectet facere regulamenta, & definitiones generales, totius ordinis statum & viuendi normam concernentes.

SUMMARIUM.


1. Definitorum potestas qua sit in religiosis ordinibus: & utrùm eorum vota sint consultiua tantum; an verò deliberatiua.
2. Vota Definitorum sunt deliberatiua, si constitutio requirat eorum consilium, & consensum.
3. Si solum requiratur consilium Definitorum, licet Superior illud sequi non teneatur; tamen debet illud petere, & expectare.
4. Cessante consuetudine, vel constitutione contraria, votum Definitorum debet requiri, & secundum illud fieri.
5. Quando consilium alicuius requiritur qui est socius in officio, non solum exquirendum est; sed etiam sequendum.
6. Definidores sunt participes officij cum Superiore ordinis regularis.
7. Definitorum potestas regulatur iuxta consuetudines, & statuta cuiuslibet religionis.
8. Definitiones generale bonum, ac statum concernentes facere, spectat ad solos Definidores antiquos religionis; cessante contraria consuetudine.
9. Definitiones verò locales aliòsque actus particulares concernentes facere, spectat ad novos Definidores ex constitutionibus religionis, quæ sic debent intelligi.
10. Definitionum appellatione continentur regula bonum generale concernentes.
11. Quando agitur de reuocatione antiquæ obseruantie, stricta fieri debet interpretatio.
12. In preiudicium iurisdictionis ordinaria, verba non debent sumi in latiori significatione.
13. Illa interpretatio in dubio fieri debet, quæ est verisimilior; & ex qua non sequitur absurdum.



futurum obseruandam continent; ac veluti certum canonem viuendi normam concernentem: vt habetur in Lexico iuris *in verb. definitio sumitur.* & tradunt Addent. ad Dec. in l. *omnis definitio.* 203. ff. de *regul. iur.* Ergo alia acta capitularia quæ non respiciunt generalem viuendi regulam, ac normam; non sunt talia, vt definitionis appellatione contineri queant: non censetur itaque per nouam constitutionem derogatum antiquæ nouorum Definitorum potestati. † Quia cum agatur de antiquæ consuetudinis & obseruantie reuocatione; non est recedendum à proprietate verborum: sed stricta fieri debet interpretatio. † Præsertim cum agatur de fauorabili, & ordinaria potestate Definitoribus nouis de iure, & consuetudine competenti. Tufch. *liter. V. conclus.* 91. num. 1. Barbof. *axiomat.* 222. num. 4.

13. Addatur quòd non est verisimile, Definitoribus antiquis Vicarij generalis absoluti visitatorum, vel ipsorummet Definitorum correctionem, & coarctationem in casu delicti fuisse attributam; quam tamen haberent: & sic vel in propria causa ius dicerent, vel in causa suorum in officio factorum, erga quos plus debito indulgentes esse possent: Ideo ad hoc euitandum, verisimilius est potestatem illis datam ad sola negotia tangentia Definitores Generales restringi debere: cum ea verborum fieri debeat interpretatio, quæ magis ad id quod verisimile est accedit. *Surd. consil.* 431. num. 24. *cum similib.* & omnis interpretatio sic fieri debeat, vt non sequatur absurdum, vel inconueniens. *Mantic. de tacit. conuent. lib. 2. tit. 13. num. 1. & alibi passim.*

Vnde conclusum fuit, & (vt audio) obseruatum, antiquis Definitoribus solùm ius competere, definitiones & decreta generalia, non autem localia nec particularia aliæque acta capitularia similia faciendi.



## CAPVT CIV.

De iure decimandi prætenso per Ecclesiasticos in aliena parochia. Quid debeat probari per prætendentem tale ius. Quomodo probetur possessio immemorialis, & ex quibus talis probatio elidatur. Dandum esse potiùs mandatum de manutenendo Parocho in paritate probationum. Et quis foueat meliora iura in petitorio.

## S V M M A R I V M.

1. Parochus primitiuus habet suam intentionem fundatam in toto territorio, pro exactiõne decimarum: & num. 3.
2. Quod ampliatur vt procedat in eo, qui per Vicarium curam exercet animarum: quia hac in re, Vicarius nihil prætere de potest; sed sua congrua contentus esse debet.
4. Præterdendens decimas exigere in aliena parochia, habet contra se iuris præsumptionem.
5. Titulus vel immemorialis possessio probari debet ab eo, qui decimas vult petere in aliena parochia.
6. Sola iuris assistentia non sufficit, vt Parocho detur manutentio in exactiõne decimarum in sua parochia.
7. Præterdendens decimas in aliena parochia non debet vincere in possessorio, nisi etiam titulum pro-

bet, cum immemoriali possessione.

8. Quando data fuit dilatio ad probandum, & probatum habendum; testes producti in termino non possunt examinari extra terminum.
6. In dubio præualere debent in materia decimarum testes pro Parocho, qui habent pro se iuris assistentiam.
10. Quando probatio possessionis est turbida, ad petitorium deueniendum est.
11. Actus violenti non debent haberi in consideratione in possessorio.
12. Quæ probanda sint ad hoc, vt sufficenter dicatur constare de immemoriali.
13. Vt excludatur probatio possessionis immemorialis, sufficit quòd adsit aliqua probatio in contrarium: imò sufficit quòd constet de contrario rumore, vel tumultu.

Parocho non solùm dandum esse mandatum de manutenendo, aduersùs Capitulum alterius Ecclesiæ, non obstante eius prætentione, quæ fundata esse videtur in possessione, & præscriptione iuris decimandi: verum etiam Parochum in petitorio definitiue à Capituli prætentionibus absoluendum esse, Dixi. † Quia Parochus primitiuus habet suam intentionem fundatam, pro exactiõne decimarum in toto suæ parochiæ territorio: & per cõsequens in illa portione, de qua contendebatur: *cap. cum contingat. cap. cum in tua. de decim.* Ludouif. *decif.* 449. num. 1. Nouat. *lib. 1. quæst. forens. cap. 21.* † Quod non solùm procedit in eo, qui curam animarum exercet actu; sed etiam in eo, qui ipsam habet habitu; nempe inferuendo per Vicarium: quia Vicarius nihil prætere de potest circa decimas; sed solà suã congruã portione debet esse contentus *Ludouif. decif.* 174. num. 3. & 8. † Vnde solus Parochus habet pro decimarum exactiõne iuris assistentiam, inter limites suæ parochiæ: *dicto cap. cum contingat. & dicto cap. cum in tua.* Seraph. *decif.* 802. num. 2. † Et è conuerso, 4. aduersùs Capitulũ præterdendens decimas in aliena parochia, adest iuris resistentia. Postius *de manutent. obseruat.* 44. num. 47.

Ad hoc vt Capitulum obtinere posset aduersùs Parochum, docere debebat de titulo, vel immemoriali possessione: quod tamen non fecit. Postius *dicta obseruat.* 44. num. 47. & 48. & post eius tractatum Rota *decif.* 187. num. 7. Marefcot. *lib. 1. variar. resolut. cap. 11. num. 38. 39. & 40.* Menoch *consil.* 36. num. 34.

Et licet dubitari posset, vtrum Parocho ex sola iuris communis assistentia, dandum esset mandatum de manutenendo; ex traditis per Ricc. *collect.* 1013. Post. *obseruat.* 45. num. 42. & 43. & sequentibus. tamen etiam antiqua Parochi possessio, per plures testes bene deponentes fuerat sufficenter probata: & sic non poterat Capitulum alterius Ecclesiæ prætere de manutentionem, quamuis crederet se possessionem suam per testes comprobasse: quia, vt mox dictum est, † 7. ultra possessionem, debebat probare titulum; vel docere de immemoriali possessione. Postius *loco citat. & obseruat.* 44. num. 19. vbi dicit interim debere dari manutentionem Parocho, donec constet de immemoriali, vel de præscriptione per tres sententias conformes. Rot. *decif. superius allegata.* Giouagnon. *consil.* 28. num. 32. & 33. lib. 2.


Neque testes examinati aduersùs Parochum nocere poterant illius intentioni: quia omiffa illa oppositiõne, quæ dabatur aduersùs illorum examen; † 8. Nempe quòd licet producti fuiffent in termino, tamen fuerant examinati post terminum, & dilationem Capitulo assignatam ad probandum; & probatum

- tum habendum per omne genus probationis : quo casu testes producti in termino , non possunt examinari extra terminum : Farinac. *de testib. quæst.* 80. num. 85. & 86. † cum adessent testes pro vtraque parte examinati ; illi verò qui deponebant pro Parocho essent maioris fidei , & pertinentius deponerent , & essent numero plures , prævalere debebant : cum tamen in dubio , præferendi essent testes deponentes in fauorem Parochi , qui pro se iuris habebat assistentiam. Postius, *de manuerit. obseruat.* 71. num. 90. 97. & 109. Rota post eius tract. *decis.* 158. num. 7.
10. Et in omnè euentum negari non posset, quin probationes , & possessio turbida redderetur : quo casu videndum est de iuribus partium in petitorio. Gratian. *discept. forens. cap.* 450. num. 41. & cap. 870. num. 19. Verul. *decis.* 200. part. 2. Postius *obseruat.* 49. num. 1. 2. & 3. cum ibi citatis. Mantie. *decis.* 95. num. 10. & interim deberet fieri sequester. Postius *dicta obseruat.* 71. num. 125. † Maximè quia si quæ possessio ex parte Capituli probaretur ; constabat illam fuisse factam per violentiam , & actus violentos : & propterea non suffragari Capitulo. Giouagn. in terminis , *consil.* 28. num. 18. volum. 2. Surd. *consil.* 262. num. 73. & *consil.* 419. num. 35.
12. In meritis autem non constabat de iuribus Capituli , cui incumberebat onus probandi titulum , vel possessionem immemoriam : vt est textus expressus in *cap. 1. de prescript. lib. 6.* pro cuius immemorialis probatione , oportebat vt testes deponerent de visu per quadraginta annos , ante motam litem : & quòd ita audiuerant à suis maioribus , qui ab aliis suis maioribus ita dici audiuerant : & quòd ipsi , nec maiores sui quidquam viderunt , vel audiuerunt in contrarium ; nec non deponere debebant de publica voce , aut fama , per hæc verba : *fuit , & est.* Ludouif. *decis.* 196. num. 1. & ibi Addent. num. 3. iuncta *Glof. in d. cap. 1. in verb. memoriam. de prescript. in 6.* non enim dicitur constare de immemoriali , nisi omnes testes sint conformes , & contestes , in omnibus prædictis requisitis. Mantie. *decis.* 289. num. 4. & debent omnes testes prædicta requisita recensere explicitè , non se referendo ad articulos ; nec non debent deponere per hæc verba : & *citra.* Marefcot. *lib. 2. variar. resolut. cap.* 100. num. 10. & 11. ita vt si vnus ex testibus deficeret in aliquo ex prædictis requisitis , fidem non faceret ad effectum probandi immemorialem. Rota *diuers. decis.* 557. in fine par. 4.
13. Præterea , cum per plures testes constaret de continuata Parochi possessione , in percipiendo decimas in territorio contentioso : ex hoc solo , excludebatur probatio contrariæ immemorialis possessionis : quia vt de ea constet , necesse est , vt testes deponant , quòd nihil actum fuit in contrarium : vnde eneruatur probatio immemorialis possessionis , cum constet de pluribus actibus contrariis. Rota , *decis.* 254. num. 3. & *decis.* 324. num. 13. part. 1. recent. & *decis.* 248. num. 7. part. 2. recent. Imò ad exclusionem immemorialis , sufficit quòd constet de solo rumore , & tumultu in contrarium. Additio ad Ludouif. *decis.* 298. num. 13. Vnde pro Parocho conclusum fuit aduersus Capitulum , sub præsupposito veritatis probationum.

tuere , in præiudicium antiquæ fundationis , reducendo formam solutionis ipsorum ad formam distributionum quotidianarum pro augendo cultu diuino. Quòd hoc fieri debeat cum autoritate Episcopi , & seruando formam antiquam , ac proportionem solitam : ita vt qui plus lucratur , plus amittat ; & portiones absentium acquirantur præsentibus , quando certa massa , vel portio esset assignata anniuersariis distincta à massa capitulari.

S V M M A R I V M.

1. *Quæ sit differentia inter fructus beneficiorum , & distributiones quotidianas.*
2. *Portio fructuum beneficiorum privilegiata quæ dicatur , & in quo consistat.*
3. *Distributiones quotidiana propriè sumptæ in quo consistant.*
4. *Quòd soluitur Canonicis pro tota die , quando vni ex diuini officij horis intersunt , non est distributio quotidiana.*
5. *Beneficiatis non competit præbenda ; sed vocatur portio , vel quasi præbenda.*
6. *Canonici , pro augmento cultus diuini , possunt facere constitutiones super lucro distributionum.*
7. *Capitulum Canonicorum , sine interuentu Beneficiatorum , potest statuere super anniuersariis.*
8. *Capitulum nihil potest statuere in præiudicium antiquarum consuetudinum Ecclesie.*
9. *Solus Episcopus potest statuta condere circa formam officij , & eorum quæ inde dependent.*
10. *Anniuersariorum distribuendi formam consuetam Capitulum sine Episcopo alterare nequit.*
11. *Capitulum , circa formam distributionum soluedarum , constitutiones facere verum quidem est ; sed intelligendum dummodò nihil innouetur circa antiquas cõiuetudines Ecclesie.*
12. *Canonici non possunt facere conclusionem , per quæ eorum portio ex anniuersariis fiat maior , in præiudicium beneficiatorum , seu portionariorum.*
13. *Quæ debentur illis qui intersunt vni ex horis Canonicis , non debent reduci ad formam distributionum.*
14. *Capitulum etiam cum autoritate Episcopi nihil facere potest contra ius commune.*
15. *Mutatio status Ecclesie quoad residentiam pro augmento cultus diuini fieri potest ; sed non sine autoritate Episcopi.*
16. *Distributionum eadem debet esse regulariter proportio , & anniuersariorum iuxta Ecclesie consuetudinem.*
17. *Anniuersaria , pro quibus adest corpus separatum à massa capitulari , non debent accrescere Capitulo pro absentium portione ; sed solis præsentibus , & inter eos distribui.*
18. *Si ex massa capitulari certa portio præsentibus detur portio deficiens accrescit Capitulo non autem intereßentibus.*



C A P V T C V.

Vtrum Canonici Ecclesie Collegiate possint nouam formam anniuersariorum consti-

**P**Ræsupponebant Beneficiati cuiusdam Ecclesie Collegiate quòd per fundationem autoritate fealic. record. Ioann. XXII. factam , constituti fuissent in dicta Ecclesia Prior , Canonici , & Clerici qui nunc sunt Beneficiati , assignatâ singulis præbendâ ; nepe Priori triginta librarum , Canonicis quindecim , Beneficiatis verò septem cum dimidia : eademque proportio per

fundationem seruabatur quoad distributiones quotidianas, quæ omnibus ultra victum communem præstabantur.

His non obstantibus; Canonici, qui singulis annis soluebant, mediante persona Oeconomus, Beneficiatis certam frumenti quantitatem, pro illorum præbenda, seu veriùs portione; cupiebant præbendam, seu portionem illam reducere in formam quotidianarum distributionum, punctuatores constituere, & absentes priuare.

Supponebatur etiam in eadem Ecclesia duo adesse, & adfuisse semper horrea; quorum vnum magnum, aliud paruum nuncupabatur: magnum pertinet ad corpus Capituli, paruum ad corpus anniuersariorum, quod destinatur pro celebrantibus magnas, & paruas missas; & magnæ quidem, per solos beneficiatos celebrari solent: paruæ, indistinctè per Canonicos & Beneficiatos.

Ex quibus sequentes propositæ fuerunt questiones decidendæ. Prima, vtrum Oeconomus, aut etiam Capitulum potuerit mutare formam solutionis illius portionis, quæ beneficiatis solui consuevit, in formam distributionum quotidianarum. Secunda, vtrum casu quo potuerit alterari forma consueta; saltem cum autoritate Episcopi, debeat ad minus eadem portio seruari quoad quantitatem distributionum, & aliàs quomodo fieri debeat reductio, & cui accrescant absentium vel negligentium portiones.

1. Notandum est pro eruenda vera resolutione propositarum difficultatum; quatuor esse Ecclesiasticorum emolumentorum species. Prima est præbendarum, quæ sunt quidem in certo numero, sed non sunt distinctæ. Secunda, quando præbendæ sunt quidem distinctæ, sed soluuntur de massa communitatis Capituli illis, qui resident in loco; quamuis non assistant diuinis officiis. Tertia est illarum, quæ distribuuntur inter illos, qui actualiter choro interfunt. Quarta comprehendit emolumenta quæ diuiduntur inter eos, qui personale seruitium præstant in certis diuinis officiis; veluti anniuersariis, mortuariis, & aliis similibus actionibus pietatis. Quas quatuor distributionum species, copiosè satis explicat Monet. in *tract. de distribut. quotid. lib. 1. quest. 3.*

2. Frumentum, quod Capitulum singulis annis tradere solitum erat Beneficiatis, desumptum ex magno horreo; erat inter secundi generis distributiones, quæ ex massa capitulari capiuntur, & solis præsentibus quamuis non interessentibus in choro persoluuntur: & hæc vocatur portio priuilegiata, iuxta Rebuff. in *Concord. tit. de collationib. §. 1. in verb. distributionum.* Vbi ostendit, quod absentes à choro, amittunt distributiones propriè dictas; sed non fructus grossos. Quia portio priuilegiata dicitur, quando omnes redditus sunt communes, & percipiuntur per vnum loco Capituli; & in fine anni fiunt certæ portiones secundum priuilegium, seu statum, & cui-libet datur sua portio: sequitur Garl. de *benefic. par. 3. cap. 2. num. 440. & sequentib.* de quibus etiam agitur in *extranag. cum nonnulla 11. de præben. & dignit. in §. præterea cum in aliquibus.* Vbi dicitur quod cum panis, & potus pro certarum Ecclesiarum personis, de præbendarum ipsarum corporibus, pro quolibet die deputetur; & etiam interdum certa quantitas bladi, & quandoque certa pecuniæ summa, & aliquando alterum pro altero pro singulis mensibus vel hebdomadis de licentia Capituli absentibus exhibeantur; tales summæ non debent inter distribu-

3. tiones quotidianas numerari. † Sed ex tantum quæ Canonicis quotidie pro diurnis, & nocturnis horis

sine fraude distribuuntur. † Quod procedit, etiam si 4. ad lucrandas istas panis, & vini, aut alterius rei præstationes necesse esset, vt Canonicus assisteret, & interesset singulis diebus alicui ex horis, seu officii diuinis; veluti matutino, vel vesperis, aut maiori missæ: hoc enim non posset contineri sub nomine distributionum, sed potiùs accedit ad præbendam. Vnde in multis Ecclesiis, qui interest vni ex horis officij diuini, lucratur totam præbendam illius diei; non tamen lucratur distributiones quotidianas, nisi pro illa hora quæ præsens est corporaliter: vt bene aduertit Cosin. ad *pragmatic. sanct. tit. quo tempore quisque debet esse in choro. §. iubet etiam in verb. distributiones.* Quia aliàs esset canonicatus sine præbenda, quod esse non debet: *can. si quis obiecerit. 1. quest. 3. cap. relatum. de præben.* Et de hoc genere distributionum, seu potiùs emolumentorum intelligendus est textus, in *cap. olim. 16. de verbor. significat.*

Quamuis autem beneficiatis verè præbenda non 5. competat, & portio quæ illis datur pro præsentia in loco, quamuis diuinis horis non intersint, non contineatur sub nomine præbendæ; nihilominus tamen est quasi præbenda, & portio nuncupatur: vnde & beneficiati vocantur portionarij: vt dicit Puteus, *decis. 431. num. 4. lib. 1.*

Vnde pro resolutione quæstionis propositæ con- 6. cludendum videbatur, quod licet solus Capituli Oeconomus antiquam formam solutionis præbendæ, & portionis huiusmodi alterare non possit; tamen maior videbatur ratio in Capitulo dictam conclusionem faciendi; cum de iure solum Capitulum possit se congregare, & decreta ac ordinationes facere super forma diuini seruitij, absque eo quod Beneficiati, seu portionarij talibus congregationibus interueniant; præsertim ad augendum cultum diuinum, & dum reditur ad ius commune ratione residentia, & seruitij personalis. Abbas. in *cap. cum omnes in 2. notab. num. 1. de constitut. & ibi Dec. num. 3. Felin. num. 7. versic. sed si forte. Rota. decis. 375. num. 4. par. 2. recent. & par. 4. recent. decis. 606. & decis. 494. num. 6.* † Maxime verò quando 7. agitur de distributionibus anniuersariorum, super quibus ordinare pertinet ad Capitulum absque interuentu Beneficiatorum, seu portionariorum. Rota *decis. 145. par. 5. recent. & decis. 32. num. 9. par. 7. decis. 76. num. 1. eadem parte, & decis. 309. num. 1. part. 6. recent. Cæsar de Grass. decis. 4. de his que sunt à maior. par. capituli.*

Sed tamè his non obstantibus, pro parte Beneficiatorum data fuit pertinens, ac iuri & æquitati conformis Responsio: Quia licet Canonici absque portionariis constituant corpus Capituli, & statuere possint circa cultum & seruitium diuinum; † Tamen in causis 8. arduis, & in quibus agitur de mutatione status Ecclesiæ, aut de alterandis antiquis eiusdem consuetudinibus, Capitulum nihil statuere potest, aut debet: vt dicunt DD. in *d. cap. omnes. de constitut.* † Cum hoc 9. solum permissum sit Episcopo, vt nouam consuetudinem introducere possit in sua Ecclesia, duabus tamen conditionibus concurrentibus. Prima, quod constitutio illa noua, sit bona, & laudabilis. Secunda, quod interueniat consensus Capituli. *can. nouit. 12. distinct. cap. cum consuetudinis. de consuet. Franc. in cap. vnic. §. statuimus. de cler. non resident. lib. 6. & ibi Geminian. n. 4. Ioan. Andr. n. 1.* † Et in propriis 10. terminis diuisionis faciendæ de emolumentis anniuersariorum, quod Capitulum nihil possit statuere, per quod alterentur antiquæ foundationes, vel consuetudines Ecclesiæ; fuit decisum per Rotam *decis. 32.*

num. 11. part. 7. recent. confirmata per plures alias decisiones.

11. Non negatur quin Capitulum possit, seruatis seruandis, prouidere circa diuisionem distributionum, & ipsius etiam grossæ: vt dicit Decius, in d. cap. cum omnes. in 2. lectura. num. 3. versic. & supradicta locum habent. Iuxta Glos. in cap. 2. in verb. statutum. de verb. signif. Oldrad. consil. 56. in fin. Tusch. litter. C. conclus. 48. Sed hæc doctrinæ debent intelligi vt locum habeant, quando per talem Capituli constitutionem non fieret præiudiciū antiquis Ecclesiæ foundationibus, aut consuetudinibus, quæ per nouas, ratione præbendarum & portionum, mutari vel alterari non possunt: cap. vnic. de cler. non resident. lib. 6. in illis verbis iuxta cuiuslibet Ecclesiæ ordinationem rationabilem. Rota d. decis. 32. num. 3. part. 7.

Quod tantò magis in casu proposito concludendum est: quia corpus anniuersariorum erat omninò separatam à corpore Capituli, retinendo massam & bursam omninò separatam, & horreum separatam: cum magnum pertineat ad Capitulum; paruus uero spectet ad anniuersaria: unde locus est generali regulæ, quòd quando agitur de diuisione pecuniarum ad bursam communem spectantium, antiquæ Capituli constitutiones obseruandæ sunt, & pecuniæ ad usum communem, non autem ad utilitatem nonnullorum in præiudiciū aliorum applicandæ sunt:

12. † Ita vt non potuerint Canonici portiones suas ex anniuersariis augere, in præiudiciū Beneficiatorum. Clem. 2. & ibi Glos. in verb. non ad alium. de religios. domib. Rota, decis. 413. num. 13. part. 5. recent.

Neque obstat quod opponitur, per nouam hanc Capituli deliberationem fieri redditum ad dispositionem iuris communis. † Quia Respondetur quòd de iure portiones istæ non subiacent p unctuationi, cum debeantur solùm ratione residenti in loco, non autem interessentiæ in choro: vt per Glos. in d. cap. vnic. de cler. non resident. in verb. improbant. lib. 6. & probatur per text. in d. cap. cum omnes. de constitut.


14. Ideo reducere anniuersaria ad formam distributionum, contra antiquam consuetudinem, & foundationem; est statuere contra iuris communis dispositionem: quod Capitulum etiam cum consensu Episcopi facere non potest. Oldrad. consil. 259. num. 6. Federic. de senis consil. 17. per tot. Alex. consil. 106. num. 2. lib. 2. Burat. decis. 758. num. 13.

15. Non negamus tamen Episcopum cum assensu Capituli prouidere posse, & debere, ne diuinus cultus negligatur; & ne pia fundatorum & benefactorum intentio elusoria reddatur; assignatâ certâ portione, quâ absentes & non interessentes priuentur: quia alioquin omnes recederent hora, qua anniuersarium recitari deberet: sed hoc spectat ad Episcopum, cum agatur de mutatione status Ecclesiæ quoad residentiam. Oldrad. consil. 181. Decius, in d. cap. cum omnes. & in 2. lectura num. 3. cum aliis supra allegatis.

16. Hoc tamen casu seruanda erit eadem proportio, quæ in distributionibus quotidianis; vt Canonici duplo plus habeant, & amittant, quàm portionarij. Prior uero, duplum similiter vnus ex canonicis hæretur, & respectiue amittat; non autem in odijuna solùm portionariorum: aliàs decretum huiusmodi esset ambitiosum: l. ambitiosa. ff. de decret. ab ord. faciend. Felin. in cap. cum omnes. num. 12. de constit. Iason in l. ciuitas. num. 10. ff. si cert. petat. Imol. & alij in cap. 1. de consuetud. quia non potest quidpiam decerni, aut statui in præiudiciū tertij, Abbas, in d. cap. cum omnes. ubi dicit seruandam ef-

se æqualitatem, & antiquam consuetudinem, adhibita debita proportione: & ibidem Decius, num. 3.

Et ex prædictis resultat resolutio secundæ difficultatis, nempe distributiones anniuersariorum quas, post factum ab Episcopo regulamentum, absentes canonici, vel portionarij amittent; accrescere debere iuxta proportionem consuetam in alijs distributionibus; & iuxta foundationem obseruari solitam. Quia cum omnes tam Canonici, quàm Beneficiati collectiue uocentur ad eandem rem, & ad eisdem redditus pro anniuersariis assignatos; ita vt concursu partes facere debeant: sequitur vt si quis deficiat, & concurrere nolit, vel non possit; cæteri possint totum iure suo obtinere. Bellon. in tract. de iure accresc. cap. 3. quæst. 2. numer. 14. Couar. lib. 3. variar. resolut. cap. 13. numer. 7. versic. & sane ni fallor. Quòd autem certa quantitas fuerit pro anniuersariis assignata, ex tota massa fructuum, iam diximus: quia anniuersariorum corpus est separatam à corpore Capituli, & habet suam massam distinctam à massa capitulari, & grana parui horrei non sunt ad alium usum destinata, quàm ad utilitatem anniuersariorum: ideo portio deficiens solis præsentibus accrescere debet; nisi aliter statuto, vel consuetudine caueatur: vt optimè docuit idem Bellon. de iur. accresc. cap. 6. quæst. 47. num. 7. apud quem plures alij allegantur. † Aliud dicendum esset, si certa duntaxat quantitas ex massa capitulari solis præsentibus, & interessentibus assignata esset; neque redditus anniuersariorum defumerentur ex massa particulari, & distincta ab horreo Capituli: tunc enim portiones quibus absentes priuarentur, accrescerent Capitulo; non autem præsentibus: vt ostendit idem Præses Bellon. d. quæst. 47. in primo casu. Intellige seruata semper cuiusque Ecclesiæ consuetudine, à qua non est recedendum.



CAPVT CVI.

Vtrum permutatio loci collegialis monachalis, fieri possit cum sacristia eiusdem ordinis: & an hæc præstimoniam, seu portiones sint beneficia; an uero quid temporale. Beneficia quamuis manualia, & regularia, permutari posse cum officiis monachalibus, vel beneficiis perpetuis; aut resignari etiam coram Papa in fauorem certæ personæ. Et ex quibus inducatur tacita professio. Quid circa tacitas professiones obseruetur in Gallia.

SVMMARIVM.

1. Loca collegialia monachalia ad vitam, vel sine temporis limitatione concessa, sunt merè Ecclesiastica: secus si ad tempus limitatum: & num. 2.
3. Loca collegialia perpetua, & onus spirituale annexum habentia, cum beneficijs permutari possunt.
4. Permutationes huiusmodi in Curia Romana passim admittuntur.
5. Beneficia regularia licet manualia, & amonibilia; tamen cum alijs beneficijs permutari possunt.

6. Beneficia manualia saepe coram Papa resignantur.
7. Manualitatis beneficij expressio non est necessaria, quando narratur Papa illud beneficium esse regulare.
8. Tria requiruntur ad inducendam professionem tacitam in ordine regulari.
9. Tacite professiones non sunt abrogatae per Concilium Tridentinum.
10. In Gallia tacite professiones non habentur in consideratione: sed hoc intelligendum est de tacitis professionibus Monachorum in Gallia degentium: secus est in professionibus tacitis factis in terris Ecclesiae; etiamsi his sit decidenda in Gallia.

**D**ubitatum fuit de validitate permutationis cuiusdam loci collegialis Monachalis, cum Sacristia eiusdem ordinis, in Senatu Gratianopolitano, ex duobus. Primò, cum loca ista collegialia non sint verè beneficia, non potuerunt permutari cum dicta Sacristia: sunt enim potius quaedam portiones Monachales, & praestationes temporales, quae propterea cum beneficio permutari non posse videntur. Secundò, quia tempore permutationis, possessor loci collegialis nondum erat professus, nec per consequens capax Sacristiae compermutatae.

1. Non obstantibus istis difficultatibus, Dixi permutationem esse validam: quia loca collegialia in duplici sunt differentia; aliqua enim sunt temporalia, & mera laicalia, nullum habentia onus spirituale annexum; & si aliquod habeant seruitium, illud tale est, quod per laicum potest expediri: & haec non sunt beneficia, neque sub constitutionibus loquentibus de beneficiis continentur. Alia sunt perpetua, & onus spirituale annexum habentia; & haec proprie beneficiorum appellatione veniunt. Hanc distinctionem affert Staphil. *de liter. grat. tit. de stat. & qualitat. benefic. num. 4. & 5. versic. licet contrarium.* Geminianus, *conf. 89. circa finem, versic. puto considerandam naturam.* Gonzal. *ad regul. 8. glos. 5. §. 2. num. 10.* Rebuff. *in tract. Nominat. quest. 9. num. 26. & quest. 15. num. 23. & in tract. de pacif. possess. num. 90.* Lotter. *de re benefic. lib. 1. quest. 35. num. 1. & sequentib.*
2. Locus iste monachalis & collegialis, de quo agebatur; est, & erat merè Ecclesiasticus, & beneficij Ecclesiastici appellatione dignus: quia non concedi solet ad tempus certum, & limitatum; sed nemo ab eo per Superiorem amoueri potest (vt in facto suppositum fuit) absque alterius beneficij vel mansionis competentis assignatione: & huius & similibus locorum possessores tenentur interesse personaliter diuinis officiis tam diurnis, quam nocturnis in Ecclesia Collegij celebrandis, iuxta legem foundationis eiusdem Collegij. In concursu quarum circumstantiarum negari non potest, quin huiusmodi loca sint verè beneficia Ecclesiastica. Gonzal. *d. glos. 5. §. 2. num. 12.*
3. cum aliis supra citatis. † Et ideo haec loca siue praestimonia, cum beneficiis Ecclesiasticis permutari possunt. Federic. de Senis *in tract. de permut. quest. 14.* Petr. de Vbald. *in eodem tract. num. 6.* Cokier. *de permut. benefic. lib. 2. cap. 6. num. 1. & sequentib.*
4. Imò suppositum fuit in facto, loca ista Collegialia monachalia, cum beneficiis & officiis eiusdem ordinis Monachalis quotidie permutari consueuisse: & permutationes huiusmodi tam in Romana Curia, quam in Legatione admitti: quod non fieret, si non essent eiusdem naturae, cuius beneficia: quae consuetudo optima est interpres in hac materia. Gonzal.

*ad d. regul. 8. gloss. 5. §. 2. num. 13.*


Neque obstat si opponatur omnia beneficia Monachalia esse manualia, & ad nutum Superiorum amouibilia. Quia qualitas ista non impedit quominus cum aliis beneficiis permutari queant: aut etiam coram summo Pontifice in fauorè certae personae resignari: dicuntur enim vera, & perpetua beneficia, quando absque temporis limitari definitione concedi consueuerunt, prout ea de quibus agitur: vt in facto suppositum fuit. Lotter. *de re benefic. lib. 1. quest. 7. num. 20.* post Feder. de Senis, *consil. 35. sub num. 1.* Selua, *de benefic. part. 3. quest. 68.* quia inquit beneficium dicitur perpetuum, quod certo tempore non limitatur; licet detur ad beneplacitum Superioris: & in terminis permutationis beneficiorum regularium, quamuis sint vt plurimum amouibilia, tractat Cokier *in d. tract. de permut. benefic. part. 2. cap. 9.* Francisc. Marc. *decis. 318. num. 2. part. 2.* † Et quòd etiam resignationes coram Summo Pontifice fiant de beneficiis manualibus & amouibilibus tradit Addit. ad Paris. *de resignat. lib. 2. quest. 14. in fin.* & ipse Paris. *lib. 2. quest. 11. num. 1. & sequentib.* adeo vt sic à summo Pontifice prouisus amoueri non possit: quia inferior non potest infirmare prouisiones factas per Papam: vt per Paris. *in d. quest. 11. num. 8. & sequentib.*

Imò nec necesse est narrare Papae beneficium esse manuale: quia sufficit narrare illud esse regulare: cum inde resultet qualitas beneficij manualis, & amouibilis; & sic Papa per hanc expressionem sufficienter informatus censetur de natura beneficij. Caslad. *decis. 4. de prabend. & decis. 12. num. 8. & sequentib. eodem tit.*

Ad id verò quod de defectu professionis opponebatur, Responsum fuit portiones illas monachales ex inueterata consuetudine, simplicibus clericis concedi solitas; qui adueniente legitimâ aetate profiteri, & ad professionem recipi debeant: sed quia responsio ista consistebat in facto, nec plenè satisfaciebatur; ideo ad tollendas omnes difficultates, † fuit dictum constare de tacitâ professione, concurrentibus tribus circumstantiis. Prima, quòd Monachus iste durante spatio decem, vel duodecim annorum, continuò gestauit habitum monachalem indistinctum inter nouitios & professos. Secunda, quòd cum operam nauasset per aliquot annos iuri Canonico, non ignorabat ex adeo longi temporis in Monasterio perseuerantia, tacitam induci professionem. Tertia, quòd perseuerantia illa fuit praesente ac sciente Superiore, qui poterat illum admittere ad professionem: ex traditis per Emanuel. Roderic. *tom. 3. quest. regul. 17. artic. 1.* Sanch. *ad praecep. decalog. lib. 5. cap. 3. numer. 14. & sequentib.* † Quae tacita professio non est abrogata per Concilium Tridentinum, vt dicit Sanch. *loc. citat. numer. 36.* Hieronym. Roderic. *quest. regul. cap. 101. numer. 53.* † Et quia negotium tractabatur in Gallia, non poterat tamen opponi ordinatio Caroli IX. Molinæis lata artic. 11. Quia tacita ista professio reperitur facta in Ciuitate Auenionensi, & per consequens non est attendenda Regis ordinatio: cum nos summo Pontifici simus immediatè subiecti; & locus contractus, hoc est dictae professionis in qua religiosus cum

Monasterio se obligat, sit attendendus: ad tradita per Barthol. & alios *in l. cunctos populos. Cod. de summa Trinit. & fide Catholica.*





CAPVT CVII.

De contractibus factis per aliquot Moniales, per modum hospitij in aliqua ciuitate degentes, ante actualem Monasterij erectionem. Et quòd antea non dicatur contractus capitulariter gestus, & Moniales ibidem remaneant, & contrahant vti particulares; non vti Monasterium.

SUMMARIUM.

1. Monasteria sine autoritate sedis Apostolica, & assensu Episcopi, de nouo in aliquo loco nequeunt erigi.
2. Concilium Tridentinum, licet in erectione Monasteriorum Episcopi licentiam requirat; non excludit autoritatem sedis Apostolica.
3. Episcopus non potest erigere Collegium Monialium nisi præuia obseruatione contentorum in Bullis Apostolicis.
4. Collegium contra voluntatem Principis erigi non potest.
5. Moniales, ante actualem Monasterij erectionem, consideranda sunt vti persone particulares.
6. Monasterium antiquius non potest præcedere nouum, si antiquius nondum in formam conuentus fuerit erectum, nec adimpleta requisita omnia contenta in Bulla erectionis.
7. Contractus omnes Monasterij fieri debent capitulariter, & Capitulo legitime congregato.
8. Religiosi tanquam particulares, non possunt obligari, vel contractus celebrare.
9. Probationes respicientes validitatem actus, fieri debent eo modo, vt percutiant tempus celebrati contractus.


Moniales quædam ex Episcopi concessione accesserant ad ciuitatem; vt in ea per modum hospitij, per aliquod tempus remanerent; donec domum, Ecclesiam & clausuram competentem, eiusdem Episcopi, & sanctæ Sedis interueniente autoritate habuissent. Interea temporis congregatæ, vt dixerunt capitulariter, domum emerant, & se ad prætij satis magni solutionem obligauerant. Dixi contractum istum nullum esse, & inualidum: quia dictæ Reuerendæ Moniales contrahentes haberi debebant pro personis particularibus, nec poterant corpus Collegij seu Monasterij constituere: † cùm sine autoritate Episcopi & sanctæ Sedis Apostolicæ noua Monasteria erigi non possint: vt diximus supra cap. 23. num. 6. & tradit Hieron. Roderic. *quest. regul. 55. num. 3.* vbi de autoritate Episcopi: & Concil. Trident. *sess. 25. de regul. cap. 3.* † Et quamuis Concilium non faciat mentionem de autoritate sedis Apostolicæ, non tamen ex eo censetur derogasse dispositioni iuris communis illam requirentis, in cap. 1. de excessib. Pralat. vt tradit Zerol. in *prax. Episcop. part. 1. in verb. Monachi.* §. 2. Barbof. de *Episcop. allegat. 26. num. 4.* Quod etiam summus Pontifex Urbanus VIII. constituit in suo decreto edito die 28. Augusti 1624. vt refert Tambur. de *iur. Abbatiss. & Monial. disput. 34. quest. 1. num. 6.* Tantùm autem abest vt hoc casu summi Pontificis, aut Episcopi interuenisset autoritas, in huius Mo-

nasterij erectione; quin potius ipsemet Episcopus solùm concesserat facultatem duabus, aut tribus Monialibus, habitandi in illo loco per modum hospitij, donec condiciones requisitæ per Bullam erectionis Monasterij autoritate Apostolica factam, fuissent executioni demandatæ; & Monasterium completum: & sic Religiosæ illæ non poterant cõstituire Collegium, resistente Papæ, & Episcopi voluntate. Papæ quidem, ob non impletas condiciones rescripti: † Episcopi, quia non Monasterium, sed hospitium permiserat, nec plus illis ante adimplementum conditionum in Bulla contentarum permittere poterat: Non igitur erat adhuc constitutum Collegium: l. 1. §. quibus. in princip. ff. quod cuiusque vniuers. nom. Socin. in l. 1. §. municipes. num. 4. versic. & sic potest. ff. de acquir. possess. Rota apud Burat. *decis. 795. num. 3.* & 4. † vbi deciditur quòd cùm in Bulla inter cetera requireretur, quòd habitatio esset ad formam Monasterij redacta; negari non potest quin dici nequeat Collegium, resistente nimirum voluntate Papæ, Ferrer. ad Guid Pap. *decis. 258.* & non potest Capitulum congregari, nec Moniales contrahere sine autoritate Abbatissæ; quæ nulla erat adhuc constituta: vt post Ioan. Andr. in cap. cum omnes. de constit. & Paul. de Castro in l. 1. §. in filij. ff. ad Trebell. dicit Lezana in *summa regul. par. 2. cap. 12. num. 24. versic. sine prioris.* † Et propterea dictæ Moniales in contractu emptionis, de quo agebatur, non poterant considerari tanquam capitulares, nec vti facientes corpus Monasterij; sed tantùm vti persone particulares: prout etiam fuit consideratum in dicta *decis. 795. num. 2.* apud Burat. † vbi fuit decisum præcedentiam esse concedendam Monachis Oliuetanis: quia constituebant Collegium; aduersus Monachos Montis Virginis: quia licet ibi essent plures Monachi sub vno Superiore, vel Priore; tamen quia nondum erant adimpleta requisita per Bullam Pontificiam, ibi non debebant tanquam constituentes vnum corpus Collegij: sed vti particulares. Quod etiam considerauit Rota in duabus aliis decisionibus apud Tamburinum de *iur. Abbat. decis. 110. num. 4.* & *decis. 102. num. 2.* Non potest igitur vlla ratione validus esse contractus dictæ emptionis, quoad Moniales sic per modum hospitij residentes, sine mandato Abbatissæ & Monasterij à quo dependent; siue puellas istas consideremus vti Moniales, siue vti priuatas. Non vti Moniales; quia non constituunt corpus Capituli, vt iam dictum est: † & tamen contractus omnes fieri debent capitulariter, & Capitulo legitime congregato. Rota *decis. 204. num. 8. & 9. par. 4. diuers.* & notatur in cap. nouit. & cap. quanto. de his que fiunt à Pralato sine consens. Capit. † Nec vti singulares persone, cùm essent mortuæ mundo: & sic contractus inire proprio nomine non potuerint. *Authen. ingressi. Cod. de sacrosanct. Eccles.* Tusch. *liter. M. conclus. 319. num. 28. & 29.*

Nec obstat, quòd dictæ Moniales plures alios contractus fecerint. Tum quia illi eodem vitio nullitatis laborant, etiamsi in præsentia Episcopi, vel eius Vicarij facti fuissent: quia illi dispositioni iuris communis, nec non dictæ Bullæ Apostolicæ non poterant derogare: tum etiam quia tales contractus facti fuerant longè post dictum contractum emptionis; & sic non esset inconueniens, quòd illo intermedio tempore, omnia per Bullam Apostolicam requisita fuissent adimpleta. † Certum est autem probationes respicientes actus validitatem percutere debere tempus, quo talis actus fuit celebratus. Seraph. *decis. 1172. num. 2.* Burat. *decis. 175. num. 17.*

Et ex his iudicatum fuit contractum emptionis Domini

Domini d'Albaron factum per Moniales Sancti Bernardi in ciuitate Cauallionis, nullum esse; & ita fuit executioni demandatum: dictusque Dominus d'Albaron domum suam reperere coactus fuit.



## CAPVT CVIII.

De declaratione facta per moribundum pro exoneratione conscientia, quod læsio ultra dimidium iusti pretij interuenerat in contractu per eum aliàs celebrato; vtrum talis confessio præiudicet hæredi, vel filio legitimam petenti. Et de vi; ac efficacia similibus declarationum in articulo mortis, pro exoneratione conscientia factarum; vtrum gaudeant priuilegio pia causa. Et de contractu sine solemnitate statuti facti per mulierem, aut minorem, ad exonerationem conscientia: Et vtrum confessio illa sit reuocabilis.

## S V M M A R I V M.

1. Confessio facta in exonerationem conscientia, censetur facta ob piam causam.
2. Confessio illa valet nemine acceptante facta, seu parte absente.
3. Substitutio pupillaris excludit matrem à legitima, quando facta fuit in exonerationem conscientia.
4. Quod procedit, maxime si illa confessio fuerit iuramento roborata.
5. Confitens se aliquid habere depositum, vel pignus, obligatur irreuocabiliter; si id fecerit pro exoneratione conscientia.
6. Faure anima facta confessio præiudicat, & disponit.
7. Confessio incerta sustinetur faure pia causa.
8. Legatum pro salute anime factum dicitur pium.
9. Quando agitur de terij præiudicio, non sufficit declaratio testatoris sub prætextu conscientia facta, nisi aliunde probetur ipsum habuisse in illa re conscientiam læsam.
10. Legatum ad pias causas probari potest per duos testes.
11. Confessio patris ad pias causas, non præiudicat legitima filij.
12. Legatum pro restitutione malè ablatorum, debet per intrinsecas probationes iustificari.
13. Confessio pro exoneratione conscientia, non præiudicat hæredi in sua falcidia.
14. Legatum pro certis malè ablatis, secundum aliquos, non dicitur factum in causam piam: quod explicatur ibidem.
15. Dum queritur vtrum dispositio sit ad pias causas, inspicitur potius cui datur, quam causa propter quam datur.
16. Confessio adminiculari debet, quando agitur de legato facti pro conscientia exoneratione.
17. Læsio præteriti temporis etiam per peritos probari potest.
18. Minor, vel mulier si contraxerint sine solemnitatibus, pro exoneratione conscientia, illorum confessio debet per adminicula roborari.
19. Confessionem pro exoneratione conscientia factam,

fidem facere, & obligare hæredem; verius est.

20. Et ex hoc oritur obligatio non vti rei debita, sed vti testamento relicta.
21. Confessio illa non nocet creditoribus, nec filio quoad legitimam, nec hæredi quoad falcidiam.
22. Decisionem 237. Vincent. de Franch. Rota Romana approbanit.
23. Hæres potest probare quod testator fecerit confessionem falsâ credulitate motus, & docere de errore.
24. Plura de confessione facta in testamento. Remissiuè.
25. Confessio prædicta reuocari potest.
26. Falit si fuerit iurata.

Declarauerat quidam moribundus læsionem enormissimam interuenisse in quodam contractu venditionis: & ideo pro exoneratione suæ conscientia mandauerat hæredi, vt prædium venditori restitueret: Vnde dubitatum fuit, vtrum talis declaratio esset valida, & hæredi præiudicaret? Pro validitate dicebatur dictam confessionem probari per duos testes, omni exceptione maiores, Sacerdotes, quorum vnus erat ex venerabili Capucinatorum ordine, & ex Illustri familia oriundus: † & cum facta fuisset pro exoneratione conscientia, censebatur facta faure pia causa; & videbatur deberi tanquam æs alienum, quod ipsi etiam legitime præfertur: l. papinianus. §. 4. ff. de inoffic. testam. quia anima cæteris omnibus rebus anteponenda est: l. sancimus. Cod. de sacros. Eccles. † Ideo declaratio & confessio prædicta, quamuis absente parte facta, plenè probabat prædictam læsionem in præiudicium hæredum ipsius, Guillelm. Benedict. in cap. Raynuntius. de testam. in verb. si absque liberis moreretur. num. 26. vbi dicit † quod licet substitutio pupillaris tacita non excludat matrem à legitima; tamen illam excludit si pia causa pro exoneratione conscientia, vel pro restitutione malè ablatorum fuit substituta: quod etiam voluit Fufarius plures allegans in tract. de substitut. pupil. quest. 157. num. 57. † Quod maxime procedit, quando confessio fuit munita iuramento: vt per Guillelm. Benedict. loc. citat. num. 28. Idem tradit Mascard de probat. conclus. 347. num. 99. volum. 1. † Vbi dat exemplum de eo, qui confessus est se habere aliquid in depositum, vel loco pignoris; dicens talem confessionem esse irreuocabilem, & habere vim debiti confessati tanquam præsentate parte factam, & ab eo acceptatam: & conclus. 1176. num. 68. volum. 2. † Et quod talis confessio disponat, & præiudicat confitenti, cum dicatur facta faure animæ, & per consequens faure pia causa; tenuit Iason consil. 110. num. 2. volum. 1. in versic. nec dicatur. vbi dicit, † legatum factum faure animæ pro exoneratione conscientia, non vitiari propter incertitudinem; cum sit factum ad pias causas. Idem tradit Paul. Emil. Gall. in tract. de except. tit. 2. except. 1. part. 1. num. 26. vbi dicit † confessionem, & renunciationem factam pro exoneratione conscientia, quamuis absente parte, & non acceptatam, esse validam: Bertachin. in tract. de Episc. lib. 4. part. 4. num. 82. vbi ad longum explicat, quænam legata dicantur facta ad pias causas; & inter cætera recenset legatum factum pro salute anime. Ideo non est dubitandum quin legatum, de quo agitur, censeatur factum ad piam causam, & gaudeat illius priuilegiis: iuxta tradita per Vincent. de Franch. decis. 237. num. 3. † Præsertim quia hîc non agebatur de præiudicio terij, sed solius hæredis; quidquid aliud dicendum esset,

esset, si ageretur de præiudicio tertij, veluti si sub prætextu conscientia, testator fecisset declarationem, vt præiudicaret liberis primi matrimonij, & fraudem faceret dispositioni legis: Hodierna, *ad l. hac Edictali, quæst. 37. Cod. de secund. nupt.* vbi copiosè disputat vtrum legatum certæ quantitatis à coniuge in arbitrium viri relictum, vt illud pro eius anima distribuatur, subiaceat dispositioni *l. hac Edictali: Cod. de secundis nuptis.* ergo videbatur quòd confessio, & declaratio prædicta subsisteret in præiudicium hæredis, tanquam facta fauore piæ causæ, & per duos testes omni exceptione maiores comprobata:

10. † quod sufficit in hac materia, per text. in *cap. relatum. de testam. & ibi Couarr. & alij.*

Contra tamen inualidandam dictam confessionem dicebatur, quòd licet præmissa vera sint; tamen intelligenda sunt dummodo aliunde quàm per assertionem testatoris probetur malè ablatum. † Sicut dicitur de declaratione patris in præiudicium legitimæ filij: quia si crederetur patri sic confitenti, sequeretur quòd pater posset filium priuate legitima: & sic aperta esset via fraudibus: vt in simili tradit Costa

11. *de facti scientia, centur. 2. distinct. 2. num. 29.* † Ideo vltra confessionem testatoris dicentis relicta fecisse pro vsuris, & malè ablati, debet aliunde probari ipsum habuisse conscientiam læsam. Peregrin. *de fideicom. artic. 4. num. 14. versic. quamuis etiam.* Tusch.

12. *in verb. legatum. conclus. 144. num. 3.* † Et quod dictum est de legitima, eodem modo statuendum est in falcidia, Tusch. *in dicto verb. legatum. conclus. 55. num. 7.* Merlin. *in tract. de legitim. lib. 2. tit. 1. quæst. 10. num. 15.* post Bartolum *in l. qui uxori ff. de auro & argent. legat.* vbi plures allegat: & loquitur etiam de præiudicio hæredis volentis detrahere falcidiam, quam ex tali legato detrahere potest; nisi per testes, aut alias probationes doceatur testatorem in tantumdem fuisse obligatum effectualiter pro malè ablati, & vsuris.

13. Præterea Doctores non dant præcisè priuilegium piæ causæ similibus legatis factis pro restitutione malè ablatorum, nisi aliunde constet de veritate relictæ; quando persona, cui legatum factum fuit, est certa; vt videre est apud Barthol. *in l. 1. Cod. de sacros. Eccles. num. 36.* quem sequitur Angel. *in tract. de testam. glos. 7. num. 5.* & videtur annuere Tiraquel. *in tract. de priuileg. piæ caus. in præfat. circa finem.* Menoch. *lib. 4. presump. 115. num. 28.* qua de re agit Anthon. de Bassotis, *in dicta l. 1. num. 125.* cui assentior, vt habeant priuilegium piæ causæ, si verè facta fuerint pro salute animæ; non fictè, aut coloratè. Quia licet quando agitur de restitutione faciendâ certæ personæ, tunc videatur relictum non posse peti, nisi præiudicium probatione veritatis aliunde quàm ex confessione defuncti: & sic non videatur peti posse tanquam legatum, vel relictum; sed potius tanquam debitum: *l. qui Roma. §. augerius ff. de verb. obligat. l. si is cui 94. §. flauius. ff. de solut.* tamen stantibus adminiculis & indiciis verisimilibus, poterit Episcopus vel executor stare iuramento penitentis: vt dicit *ibidem* Andreas de Bassotis, *dicto num. 125. inter Repetentes volum. 7.* post Bald. & Ioan. Andream *ibi* citatos. Imò Ego existimo ista legata pro malè ablati, vel pro exoneratione conscientia, certis personis relicta; eodem gaudere priuilegio, quo relicta pro incertis malè ablati: quia vtroque casu, agitur de relicto facto pro salute animæ, quæ sine dubio inter legata pia ab omnibus recensentur: ex Barbof. *de iur. Eccles. lib. 3. cap. 27. num. 11.* Imò vt dicit Barthol. *in dicta l. 1. Cod. de sacrosanct. Eccles. num. 36.* maior est ratio fauoris

animæ in similibus relictis pro certis malè ablati: quia in illis maior aut saltem æqualis est necessitas; vt eis, quibus debita sunt, restituantur: nam illis non relictis, testator decederet in peccato mortali: ergo si opera pia voluntariè facta priuilegium habent fauore animæ, vt eruat a pœnis Purgatorij; vt dicit Barbof. *dict. cap. 27. num. 43.* quantò magis id locum habebit in relictis, in quibus adest necessitas; & quibus non relictis agitur de euidenti periculo animæ relinquentis.

Quod maximè procedit in casu proposito: quia pia causa non congruit personæ, cuius fauore legatum seu declaratio facta fuit; cum non ageretur de paupere, nec de causa in qua verteretur animæ præiudicium, nisi læsio cum dolo interuenisset; & ad iudicandum vtrum legatum sit pium, an non; potius inspicere debet cui detur, quàm causa propter quam datur: Hodiern. *ad dict. l. hac Edictali. quæst. 37. num. 33. & 34.*

In hac controuersia Consului illi, in cuius fauorem declaratio facta fuit, vt confessionem seu declarationem defuncti aliquibus adminiculis roboraret; quibus iudicis animus moueri posset, & rei veritas aliqua ratione comprobari: cum adminicula verisimilitudini iuncta multum probent: ex traditis per Burat. *decis. 330. num. 7.* cum similibus.

Probatio autem læsionis ad effectum adminiculi fieri potest per testes, vel per peritos; nam etiam temporis præteriti læsio per peritos probari potest: vt ex communi sententia tuetur Pinellus *ad l. 2. Cod. de rescind. vendit. cap. 4. num. 2.* Seraph. *decis. 665. num. 2.* Gratian. *discept. forens. cap. 600. num. 21.*

Hanc eandem considerationem habuit Rota Romana *decis. 245. part. 7. recent.* vbi mulieris declarationem pro exoneratione conscientia factam, non obseruatâ formâ, & solemnitate statuti requirentis præsentiam patris, declarauit validam; non obstante defectu dictæ solemnitatis: & ad hoc mora fuit propter varia adminicula, quibus concurrentibus, illa confessio erat adminiculata, & verisimilis reddebatur.

Verum, maior difficultas esset, si nulla prorsus concurrerent adminicula: & nihilominus illo casu verius videtur, confessionem esse validam, & obligare hæredes cum priuilegiis piæ causæ: vt fuit decisum in Senatu Tholosano apud Stephanum Durant, *quæst. 26. Cod. Fabr. lib. 4. tit. 24. definit. 36.*

† Ita tamen vt istud debitum non debeatur, nisi in vim testamenti & vltimæ voluntatis; & dummodo non fuerit confessio reuocata: vt dicit Merlin. *controuers. forens. lib. 1. cap. 85. num. 13.* † dummodo non agatur de præiudicio legitimæ liberorum: quia tunc confessio deberet aliunde probari, sicut si ageretur de præiudicio creditorum. Ioan. Steph. Durant, *dicta quæst. 26. num. 3.* vel de interesse liberorum primi matrimonij Hodiern. *ad dictam l. hac Edictali. quæst. 37.* Dilect. *de art. testand. tit. 6. cautel. 6. num. 4.* vbi loquitur de præiudicio creditorum, vel legitimæ liberorum. Idem dicendum esset si ageretur de præiudicio falcidia debitæ hæredi: ex traditis per Mercurial. Merlin. *in d. tract. de legitima, lib. 2. tit. 1. quæst. 10. num. 15. & 16.*

Et quamuis Hodierna *ad dictam l. hac Edictali. quæst. 37.* existimauerit decisionem Vincentij de Franc. 237. esse dubiam; tamen illam sequuta fuit Rota, *dicta decis. 245. num. 25. & sequentib. part. 7. recent.* vbi dicit confessionem factam ad exonerandam conscientiam, assimilari & æquiparari dispositioni factæ ad fauorem animæ, & causæ piæ; in qua solemnitates statuti non sunt necessariae; quod etiam

etiam voluit Gratian. *discept.* 83 1. *num.* 1. & 878. *num.* 21. & 22. quia pia causa in generali non continetur dispositione. *Glof. in capit. 2. de rebus Eccles. non alienand.* cum similibus.


Quod tamen Ego non ita simpliciter verum existimo: quia quemadmodum mulier, & minor prohibentur per statutum contrahere; ita etiam prohibentur confiteri. *Picus ad statutum Urbis glof. 7. numer. 41.* nisi tamen confessio esset adminiculata: ut per eundem, *numer. 42.* Ratio est, quia confessio illa censetur facta in fraudem statuti: *l. qui testamentum 27. ff. de probat.* ubi si is qui non poterat alicui legare ultra certam summam, illam leget, & in eo quod summam excedit, confiteatur se debitorem; talis confessio non valet, tanquam facta in fraudem legis. *Pic. dist. glof. 7. numer. 236.* Ergo dicta Rotæ Romanæ decisio procedit in suis terminis, nempe quando concurrunt adminicula, & indicia verisimilitudinis eiusdem confessionis: quibus cessantibus, non erit validus contractus minoris, aut mulieris sine statuti solemnitatibus factus; alioqui semper sub eo prætextu fierent fraudes: & minores, aut mulieres assererent se contrahere pro exoneratione conscientie: quod esset absurdum, & Reipublicæ damnosum, ac intentioni statuentium planè contrarium: & in iis terminis existimo veram esse decisionem prædictam Vicentij de Franch. 237. nempe ut procedat in confessione verisimili, & adminiculis suffulta, & iudiciis, ex quibus constare possit verisimiliter pro conscientie exoneratione; & non in fraudem statuti factam fuisse huiusmodi confessionem.

23. Non tamen negandum est, quin licitum sit hæredi probare errorem confessionis, & declarationis dicti testatoris: si enim testator falsa credulitate motus existimans interuenisse læsionem in contractu venditionis, præfatam confessionem fecisset; sicut ipsemet confessionem reuocare potuisset, docendo de errore: ita etiam eius hæres reuocare poterit. *Cyriac. lib. 1. controuers. 65. per tot. & maximè num. 8. & 15.*

24. Cætera quæ concernunt generaliter confessionem factam in testamento videri poterunt apud Surd. *consil. 69. numer. 5.* ubi quòd talis confessio non probat debitum; sed valet in vim legati: & *decis. 285. num. 6.* ubi dicit hoc habere locum, etiam si testator nullis verbis dispositiuus usus fuerit; sed adfit simplex confessio: quod tamen limitat idem Surd. *decis. 250. num. 7.* ut non valeat talis confessio in vim legati, quando constat quòd testator non habuerat animum legandi: plura Gratian. *discept. forens. cap. 116. numer. 42. & sequent.* *Gomel. lib. 1. variar. resol. cap. 12. de legat. num. 81.* *Riccus collect. 1120. & 3393.*

25. Et quòd confessio prædicta etiam ad exonerationem conscientie facta, sit irreuocabilis; tradit *Seraph. decis. 487. num. 11.* *Tiraquel. de priuileg. pia causa, priuileg. 117.* *Merlin. dicta controuers. 85.*

26. † Fallit si sit iurata, vel stipulatio interuenierit; tunc enim reuocari non potest. *Gratian. dict. cap. 116. num. 56.* *Mantic. de coniect. lib. 9. tit. 8. num. 10.* *Surd. consil. 169. num. 9.*



## CAPVT CIX.

Vtrum Episcopus ex ordine regulari ad Episcopatum assumptus, possit insimul

cum Episcopatu Præposituram in Ecclesia Cathedrali suæ dioceseos sæcularem obtinere. Episcopus qui simul habet ex consuetudine Episcopatum, & præbendam canonicalem; quem ordinem in Ecclesia & Capitulo debeat obtinere. Quid de eo qui simul & Vicarius est & Canonicus. Regula de infirmis resignantibus an locum habeat in prouisionibus per obitum coram Ordinario factis: Et quid circa hoc obseruetur in Gallia: Et vtrum illa regula locum habeat in beneficiis referuatis, vel vacantibus in mense referuato. Quid in permutationibus, vel resignationibus factis in fauorem certæ personæ. Quid in prouisis Apostolicis.

## S V M M A R I V M.

1. Episcopus simul & Canonicus in eadem Ecclesia de iure quis esse non potest.
2. Potest tamen de consuetudine canonicatus cum Episcopatu obtineri.
3. Episcopus simul & Canonicus, quomodo in Capitulo sedere debeat.
4. Quomodo cognoscatur vtrum quis interuenierit uti Episcopus, vel uti Canonicus.
5. Vicarius Episcopi sedens in Capitulo, quem locum obtinere debeat.
6. Regularibus beneficia secularia conferri non possunt.
7. Monachus factus Episcopus non dispensatur à votis substantialibus religionis, sed duntaxat ab accidentalibus; veluti silentio, ieiunijs, & similibus.
8. Bona Episcoporum religiosorum, non ipsis, sed Ecclesie de iure communi acquiruntur.
9. Quæ sita per religiosos antequam ad Episcopatum assumpti fuerint, pertinent ad Monasterium.
10. Regula de infirmis resignantibus seu de 20. diebus, secundum veram & communem sententiam, locum habet in resignationibus factis coram ordinario collatore.
11. Renunciatio facta tempore magna infirmitatis, præsumitur fraudulenta.
12. Regula Cancellaria habent vim legis, & omnes ligant.
13. Hodiernis temporibus obseruatur in Gallia, quòd regula de 20. diebus non habet locum in resignationibus factis coram Ordinario.
14. Idem in permutatione obtinet, nisi sit fraudulenta, & ex quibus colligatur fraus.
15. Regula de 20. diebus locus est, quando per resignationem & collationem fieret præiudicium Graduatis, vel Nominatis, etiam coram Ordinario: sed vide num. 17.
16. In qualibet permutatione coram Ordinario facta, locum esse regula de 20. diebus verius est: atque ita indicatur in Gallia, & super hoc plura arresta supremorum Tribunalium referuntur.
17. De praxi regula de 20. diebus apud Gallos, Remissive.
18. Etiam si non ageretur de præiudicio Graduatorum, aut Nominatorum; tamen ex arrestis supremorum Senatuum Gallie; regula de viginti diebus

*diebus locum habet in quacumque permutatione, coram Ordinario facta.*

**E**piscopus quidam ex ordine regulari ad Episcopatum assumptus, duas decidendas quæstiones proposuit: quarum prima est, vtrum ipse, qui regularis erat, posset vnà cum Episcopatu Præposituram in Ecclesia Cathedrali suæ dioceseos obtinere. Secunda, vtrum regula de viginti diebus, seu de infirmis resignantibus locum habere possit in collationibus factis per Ordinarium; an verò duntaxat in collationibus factis per Sedem Apostolicam.


1. Ad primam quæstionem responsum fuit duo eidem Domino Episcopo obstatè impedimenta, ne possit dictam Præposituram in Ecclesia Cathedrali, simul cum Episcopatu possidere. † Primum impedimentum est, quia dicta Præpositura incompatibilis est cum Episcopatu; non enim quis potest simul Patris, hoc est Episcopi; & filij, hoc est Canonici personam gerere; & eodem tempore capituli, ac membrorum vices sustinere: ex notatis in *cap. de multa. de præbend. & capit. literas. de concessione præbend. Cardinal. Tuschus litter. B. conclusion. 66. numer. 2.*
2. Non negamus tamen quòd si in aliqua Ecclesia adesset consuetudo, vt quis simul Episcopatum & præbendam obtineret: talis consuetudo sit valida, & obseruanda: per text. in *cap. cum in Ecclesia. 25. de præbend. lib. 6.* † Et hoc casu quando Episcopus interuenit in Capitulo tanquam Canonicus, debet sedere tanquam talis in loco, in quo sederet, si Episcopus non esset: si verò tanquam Episcopus; primam sedem obtinere debet. † Et quando dubitatur quomodo in Capitulo interuenerit, videndum est in quo loco sederit: nam ex eo colligitur vtrum interuenerit tanquam Prælati, vel tanquam Canonicus.
3. † Idemque dicendum est de Vicario Episcopi; quando est Canonicus, & simul Vicarius. *Glos. in cap. à collatione. 11. de præbend. in 6. in verb. Prælati. Menoch. consil. 51. numer. 43.* Cum igitur in dicta Ecclesia Cathedrali nulla extaret consuetudo, quòd Episcopus præbendam obtineret; concludendum est quòd illam simul cum Episcopatu possidere non poterat: multò minus Præposituram, quæ prima dignitas est post Pontificalem.
4. Alterum impedimentum consistit in eo, quòd cum ipse Episcopus regularis esset, non poterat beneficium obtinere sæculare: iuxta regulam quæ vult, quòd beneficia regularia regularibus, sæcularia sæcularibus conferantur: *cap. cum de beneficio. 5. de præbend. in 6. §. volumus. de collation. in Concord.*
5. † Si quidem regulares ad Episcopatum assumpti, non amittunt essentialia, & substantialia religionis. Hostiens. in *capit. clerici. 15. de vita & honest. cleric.* dispensantur enim duntaxat à silentio, ieiunio, abstinentiis, & aliis similibus austeritatibus vitæ religiosæ; sed quoad vota substantialia, semper remanent obligati, & semper remanent monachi, & religiosi: vt notat & explicat Barbof. *de Episcopis. tit. 1. capit. 4. numer. 11. & sequentib.*
6. † Verum quidem est, quòd bona huiusmodi Episcoporum non ipsis, sed Ecclesiis acquiruntur de iure communi: *can. vnic. 18. quest. 1.* Quod procedit etiam si bona eidem Episcopo acquirantur ex donatione, aut hæreditate: prout explicat Barbof. *de Episcop. par. 3. alleg. 114. numer. 5. & seq.* Lezan. in *summa regul. tom. 1. capit. 17. numer. 12.* Vbi tamen dubitat vtrum bona Episcopi monachi ac-

quirantur camera Apostolicæ tanquam spolia, vigore Bullarum Pontificiarum. † Hoc tamen certum est, quòd quæsitæ ante Episcopatum, pertinent ad Monasterium, seu religionem; tam de iure, quàm ex Bullis per Clem. IV. ordini Prædicatorum, & Alexandrum IV. ordini Minorum concessis: vt notauit Lezan. *loco citato, num. 14.* quo loco multa alia explicat concernentia obligationes religiosorum ad Episcopatum assumptorum: & sic patet quòd dictus Dominus Episcopus prædictam Præposituram obtinere non potest: tum quia incompatibilis est, tum quia sæcularis, sine dispensatione Apostolica; in qua fiat mentio vtriusque impedimenti.

Ad secundam quæstionem Respondetur secundum opinionem magis receptam inter DD. regulam illam de infirmis resignantibus locum etiam habere in collationibus factis per Ordinarios collatores: adeo vt si resignans mortuus fuerit intra 20. dies, beneficium non vacet per resignationem, sed per obitum. Ratio est, quia Paulus III. addidit dictæ regulæ clausulam illam: *Quauis autoritate conferantur.* Et sic clarè constat ex mente summi Pontificis, regulam comprehendere quascumque resignationes, etiam coram Ordinariis factas. Præterea, quia hæc regula emanauit, vt fraudibus infirmorum renunciantium obuietur. † Quia ex quo renunciatio facta fuit tempore magnæ infirmitatis, præsumitur fraudulenta: vt notat Alexand. in *l. filia mea. ff. solut. matrim.* quæ ratio æquè militat in resignationibus factis in curia, & extra curiam, siue coram collatore ordinario, siue coram Legato; cum non respiciat personam seu autoritatem collatoris, sed solius resignantis; ne videatur quasi per viam testamenti, seu vltimæ voluntatis, de beneficiis disponere: & hæc fuit sententia Rebuff. *consil. 72. numer. 8. & in tractatu Nominat. quest. 17. numer. 17.* Rationem afferens: † Quia regulæ Cancellariæ tractæ ex rationibus iuris naturalis, Ciuilibus, vel Canonici; habent vim legis, & ligant omnes (sicut ratio legis etiam si non sit regula,) & sunt seruandæ, & omnes ligant. Neque rationi congruit, vt Ordinarius sit melioris conditionis quàm Papa: & ratio qua fundatur illa regula, etiam militat in Ordinario; ne videlicet locus detur malitiis hominum, qui aliquos etiam semimortuos inducunt ad resignandum. Idem Rebuff. in *notis ad dictam regulam, de infirmis. glos. 3. versic. Idem si quis. & in glos. 12. Paris. de resignat. lib. 12. quest. 5. numer. 7. & multis sequentib.* Cokier. *ad eandem regulam. 18. alias 19. numer. 20. Crescent. decis. 12. de renunciat. alias decis. 61. libro 1. cum aliis relatis per Paris. & Cokier locis citatis.* Et sic patet malè consuluisse Dec. *consil. 224. In casu proposito. numer. 4. versic. alio etiam principali fundamento.* Quia loquitur contra mentem Rotæ Romanæ, & contra communem opinionem.

Cæterum licet hæc vera sint, negari non potest quin in Gallia contrarium nunc obseruetur: licet enim antiqua Iurisprudencia Gallica primæ opinioni adhæreret, vt relata per Rebuff. *locis citatis,* arresta manifestè comprobant: † hodiernis tamen temporibus iudicatur regulam hanc de infirmis, locum non habere in collationibus factis apud Ordinarios: cuius sententiæ rationes affert Petrus Gregor. in *institut. rei benefic. capit. 31. numer. 16.* vbi multa refert super hoc lata per supremos Senatus arresta: adeo vt superfluum nunc esset rationibus apud Gallos aduersus tot præiudicia contendere.

- Hoc idem sequitur Peleus *in comment. ad regul.*
14. *Cancellaria, cap. 31. fol. 73.* † vbi hoc ampliatur, vt dicta regula non procedat coram Ordinario, etiamsi ageretur de permutatione; nisi esset fraudulenta: cum morti proximus renunciat consanguineo, & accipit inæquale beneficium: ex hoc enim fraudem argui certum est: vt notavit Anton. Faber. *in Cod. lib.*
15. *1. tit. 2. definit. 88.* † Idem si ageretur de præiudicio Graduatorum, vel Nominatorum, Papon. *lib.*
16. *3. tit. 2. arrest. 3.* † Imò etiam in qualibet permutatione coram Ordinario facta, locum esse regulæ de infirmis resignantibus, decisum refert Papon. *ibidem arrest. 2.* rationem reddens, quia renunciatio ista facta per viam permutationis præsumitur facta in fraudem collatoris ordinarij; vt cogatur conferre beneficium compermutanti, & priuetur facultate conferendi alteri personæ sibi beneuolæ, dum casus eueniet proximè venturæ vacationis. Atque ita iudicatum fuisse in Senatu Tholosano testatur Maynard. *lib. 1. cap. 53.* vbi deciditur regulam de infirmis, locum non habere in resignationibus, & collationibus, coram Ordinario factis: iuncto *cap. 54.* vbi decisum refert Ordinarij collationes prædictæ regulæ subiacere; nisi quando factæ fuerunt vigore permutationis per infirmum factæ. † Plura de hac re videri poterunt apud Adden. ad Louet, *littera P. num. 42.* & *littera. I. numer. 5.* qui dicto *num. 42.* varia refert supremarum Curiarum placita, quibus iudicatum fuit resignationes coram Ordinario validas esse, licet infirmus resignans intra viginti dies moriatur. † Quamuis ageretur de præiudicio Graduatorum, aut Nominatorum. Ideo non est faciendum fundamentum in arresto per Paponium supra relato *dict. lib. 3. tit. 2. arrest. 2.*



## CAPVT CX.

De iure optandi, vtrum de iure vel tantum ex Ecclesiarum consuetudine competat. Vtrum consuetudo illa sit contra, vel præter ius. Intra cuius temporis spatium hæc consuetudo inducatur. Quomodo, & intra quod tempus optio fieri debeat. In quibus beneficiis optioni locus sit: Et in quo vacationis modo. Quis possit iuri optandi derogare. Coadiutor optante, vtrum ius acquiratur Coadiutori: Et quæ dicantur præbendæ, vel prædia canonicatui annexa, quæ distincta; & multa alia de iure optandi notabilia referuntur.

## S V M M A R I V M.

1. *Ius optandi non est fundatum in iure communi, sed tantum in consuetudine.*
2. *Consuetudo optandi videtur contra ius commune, cum per eam quis acquirat ius spirituale, propriâ auctoritate. Sed respondetur adhibitâ distinctione, ex mente Rota, num. 3.*
4. *Quanto tempore introducatur consuetudo optandi, sine sit contra, sine præter ius.*
5. *Intra quod tempus, quomodo, & à quibus optio fieri debeat.*

6. *Optioni locus non est in beneficiis summo Pontifici reseruatis.*
7. *In beneficiis iurispatronatus laicalis, vel mixti, non cadit optio; nisi adsit contraria consuetudo.*
8. *Optio cadit in beneficiis per obitum vacantibus, non per resignationem, aut permutationem.*
9. *Expenditur ratio, quâ nonnulli probant in beneficiis resignatis, vel permutatis, optioni locum non esse: & vera proponitur ratio. n. 10.*
11. *Optioni locus non est in resignatione facta in manibus Papæ in fauorem; secus si Papa simpliciter contulerit in vim simplicis resignationis, vel per priuationem: num. 12.*
13. *Legatus aut Vicelegatus derogare solet iuri optandi.*
14. *Ordinarij nullo modo possunt beneficiorum resignationes impedire.*
15. *Statutum, aut consuetudo attendi debet, dum queritur vtrum coadiutor succedat in præbenda, vel prædio per coadiutum optato.*
16. *Consuetudo & statutum à pari procedunt in materia optionis.*
17. *In quacumque promissione Apostolica, si clausula prægnantes apponantur, cessabit optio.*
18. *Sed tamen in prouisionibus, que non motu proprio, sed ad partis petitionem fiunt per Papam; requiritur specialis derogatio iuris optandi.*
19. *Valida est consuetudo optandi aduersus prouisos Apostolicos.*
20. *Facile conceditur in Cancellaria derogatio iuris optandi.*
21. *Quæ obseruanda sint dum queritur, vtrum coadiutor succedat in optione facta per coadiutum.*
22. *Clausula, cum iuribus & pertinentiis, &c. non comprehendit separata, & non annexa canonicatui.*
23. *In materia optionis, magna est differentia inter resignationem, & coadiutoriam.*
24. *Per coadiutoriam dum succedit coadiutor, beneficium dicitur vacare per obitum.*
25. *Coadiutor succedit in annexis canonicatui; sed non in separatis.*
26. *Annexio, quamuis non sit perpetua, est tamen rei spiritualis, ideo succedit coadiutor.*
27. *Quemadmodum canonicatus transit in coadiutorem, ita & præbenda per eum optata.*
28. *Annexio probanda est per illū, qui in ea se fundat.*
29. *Quomodo cognoscatur quæ præbendæ sint annexæ, quæ separata; adhibitâ distinctione explicatur.*

**P**ro intelligentia quæstionum super iure optandi inter Canonicos Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiæ, sæpius propositarum; sequentia fundamenta supponenda sunt.

Et primò quidem, ius optandi non niti iuris communis dispositione: sed Ecclesiarum duntaxat particulari consuetudine à iure approbata, vel statuto: vt probatur per textum cum *ibi* notatis, in *cap. fin. de consuetud. lib. 6. Monet. in tract. de optione canon. cap. 2. num. 1.*

Sed tamen quòd consuetudo optandi sit contra regulas iuris, & ideo restringenda quantum fieri potest, videtur concludendum. Nam quòd quis propriâ auctoritate possit ius spirituale, vel spirituali annexum acquirere, est contra ius commune: *cap. 3. & cap. finali, de institut. cap. per nostras. de iurispatron.* alias rationes affert Calderin. *tit. de consuet. consil. 7.*

Hanc difficultatem proponit Rota, *decis. 6. de consuet. in nouis, ante n. 1.* Illamque sequenti adhibitâ distinctione

tionem resoluunt. Aut præbendæ, quatenus sunt tituli beneficiales, sunt inter se distinctæ; aut præbendæ non sunt quidem distinctæ; sed solum emolumenta præbendarum, iuxta assignationes capitulares; aut aliàs inter se distinctionem habent. Primo casu, quando præbendæ sunt inter se distinctæ, ius optandi dicitur esse contra ius commune: quia per optionem nouus acquiritur titulus, nouumque ius spirituale sine autoritate Superioris possidetur: & in hoc primo casu procedit obiectio Calderini. Secundo casu, quando solum assignationes, & emolumenta inter se distinguuntur; quia tunc non acquiritur nouus titulus beneficalis, sed duntaxat nouum emolumentum, ac veluti nouum prædium; tunc cum non acquiratur nouum ius spirituale realiter distinctum, nec dimittatur antiquus titulus, cessat obiectio: & per consequens hoc secundo casu, optio non est contra ius commune: vt bene *ibidem* Rota explicat: & prædictam distinctionem in alio casu agnouit Rota apud Mantuam. *decis. 273.* vbi duo hæc præbendarum genera bene explicantur.

4. Huius quæstionis magna est utilitas; quia in casibus in quibus consuetudo optandi, est contra ius commune; non introducitur nisi spatio quadraginta annorum: si verò secundum ius, sufficiunt decem anni; vt fusius explicat Monet. *de optione canon. dict. cap. 2. num. 15.* vbi tamen procedit ad ampliorem distinctionem; & ideo videndus erit, dum casus occurrerit: & post eum Barbof. *in tract. de Canon. & Dignitat. cap. 3. num. 3. & sequentib.* ne illorum verba hic inutiliter repetamus. Videndus etiam Gonzal. *ad regul. 8. glos. 34. numer. 11.* cum aliis per eos citatis.
5. Secundò supponendum est, quòd optio fieri debet intra viginti dies, & ad eam admittuntur antiquiores, non quidem iuxta ordinem ætatis; sed iuxta tempus receptionis: & viginti dies computantur à die scientiæ vacationis: & optare possunt qui non sunt in Sacris, quamuis vocem in Capitulo non habeant. Hæc omnia comprobatur, & explicatur Barbof. *de Canon. & Dignit. dicto cap. 30. à num. 5. vsque ad 16.* Intellige nisi statutum, vel consuetudo sit in contrarium.
6. Tertio supponendum est, optionem non habere locum in beneficiis summo Pontifici reseruatis; siue generaliter, siue specialiter sint reseruata; veluti per regulam 8. *de mensib. & alternatiua.* aut in mensibus Apostolicis Barbof. *ibidem. num. 22.* Burat. *decis. 390. num. 7.* Rota *decis. 142. num. 3. & 4. par. 2. recent.* Ludouil. *decis. 478. num. 2. & 5.*
7. Quarto notandum est, non esse locum optioni in beneficiis iurispatronatus laicalis, aut mixti; nisi accedat consensus patroni, aut ad sit in contrarium consuetudo legitime introducta, nempe per 30. annos contra laicum, & per 40. contra Ecclesiam: Monet. *in dict. tract. de option. cap. 3. num. 112. & sequentib.*
8. Quintò obseruandum est, locum quidem esse optioni in vacatione per obitum, non autem in vacatione ex causa resignationis, vel permutationis: & de permutatione loquitur quidem Cokier *in tract. de permur. benef. par. 2. cap. 20. num. 5.* post Tusch. *litera P. tom. 6. conclus. 305. numer. 10.* Monet. *loco citato cap. 3. num. 94.* per text. *in Clem. unic. de rev. permur.* Vbi statuitur collationes beneficiorum aliis quàm permutantibus factas, nullius esse roboris, & momenti: si autem locum haberet optio, beneficium
9. alteri quàm permutanti conferretur. † Sed ista ratio non concludit, quia aliud est beneficium, aliud ius optandi; & quando huic iuri locus est, beneficium

non datur alteri quàm permutanti: sed non ex eo sequitur quin ius optandi pinguiorem præbendam, alteri dari possit: cum omnibus Canonicis vt Canonicis generaliter ad omnes præbendas vacaturas competat. † Vera ergo ratio est, quia permutans re- 10. mittit Canonicatum cum præbenda per eum possessa; & sic non potest fieri quin præbenda cum Canonicatu transeat in compermutantem, & per consequens cessare debeat ius optandi præbendam, quæ non vacat; sed translata fuit in compermutantem. Eademque ratio militat in resignatione, per quam resignatur Canonicatus insimul cum sua præbenda, & vtrumque confertur: & si domus, vel camera sit annexa Canonicatu resignato, licet iuri optandi supposita, simul cum Canonicatu resignatur, & in resignatarium transfertur. Non vacat igitur præbenda, domus, vel camera, per resignationem respectu optionis; sed in resignatarium transfertur: aduersus quem per consequens optioni locus esse non potest. Gonzal. *dicta glos. 34. num. 36.* † Quod intel- 11. ligendum est de resignatione facta in manibus Papæ, vt dicit Paris. *de resign. lib. 1. cap. 4. num. 55. & lib. 2. cap. 20. num. 7. & sequentib.* † Licet Additiona- 12. tor ad Paris. *d. cap. 20.* existimet optioni locum esse, siue Papa contulerit per resignationem simpliciter, vel nullius fauore factam; siue per priuationem Canonicè sequutam; nisi Papa iuri optandi derogauerit.

Et licet Moneta *in dicto tract. de optione Canon.* 13. *num. 104.* dixerit supradicta non procedere in resignatione facta coram Legato; hoc tamen non est verum quoad Eminentiss. D. Legatū Auenionensem, seu eius Vicelegatum, propter amplas facultates illis concessas: provt quotidie videmus per Expeditionarios in prouisionibus beneficiorum, etiam per obitum vacantium, apponi derogationem statutorum super iure optandi, quæ executioni demandantur sine difficultate: adeo vt prouisus obtineat Canonicatum & præbendam, & excludatur in totum facultas optandi, & ad hoc facit *decis. 644. par. 4. diuers.* † Or- 14. dinarij verò non possunt impedire reservationem. Rota, *decis. 642. num. 7. par. 4. diuersor.*

His ita præsuppositis, dum dubitaretur vtrum co- 15. adiutor mortuo Principali, sicut in beneficio succedit; ita & succedere deberet in præbenda, vel prædio, seu re per coadiutum aliàs optata, exclusâ antiquiorum optione: Dixi in primis recurrendum esse ad statutum Ecclesiæ, vel illius consuetudinem: ex notat. *in dicto cap. fin. de consuet. lib. 6.* † Statutum 16. enim, & consuetudo à pari procedunt in materia optionis. Glos. *in dicto cap. ult. in verb. consuetudo. in fin.* Rota Rom. apud Caualer. *decis. 134. num. 1.*

Præterea Dixi quòd ex mente plurium Doctorum, 17. consuetudinariæ, vel statutiariæ optioni locus non est in quacumque prouisione Apostolica, propter clausulas in similibus prouisionibus apponi consuetas. Francisc. Marc. *decis. 1271. num. 2. par. 1.* Petr. Gregor. *de benef. capit. 39. num. 4.* Paris. *de resign. benef. lib. 2. quæst. 20. num. 8.*


Quod nonnulli intelligunt in prouisionibus per 18. summum Pontificem motu proprio factis, non autem in iis quæ fiunt ad petitionem alterius: in his enim requiritur specialis derogatio iuris optandi. Monet. *in dict. tract. de option. canon. capit. 8. numer. 11.* † Et hoc sine dubio, quando Ca- 19. pitulum esset in consuetudine optandi aduersus prouisos Apostolicos: quam consuetudinem validam esse testatur ex Oldrado *consil. 285. numer. 1.*

20. Sed vt omnis tollatur difficultas, consultius est, prout ego semper obseruavi, & obseruari feci; vt apponatur specialis derogatio iuris optandi, quam se nunquam negatam vidisse testantur Adden. ad Paris. ad d. lib. 2. quæst. 20. num. 8.
21. Vnde pro resolutione propositæ controuersiæ, attendenda in primis erant verba, & clausulæ contentæ in concessione coadiutoriæ per summum Pontificem concessæ. Secundò statutum, vel consuetudo Capituli, quatenus illi per prouisiones Apostolicas non fuisset derogatum. Tertio istis cessantibus generalis est regula, cessante coadiutoriâ, Canonicos tempore cessationis existentes, posse exercere optionem in præiudicium coadiutoris superuenientis, quando agitur de membris distinctis & separatis à canonicatu, de cuius coadiutoria agitur: quia cum supponamus illa esse omninò à canonicatu distincta, & separata; non comprehenduntur in prouisione canonicatus facta in fauorem coadiutoris. † Clausula enim illa *cum iuribus, & pertinentiis, annexis, & connexis dicti Canonicatus, &c.* non comprehendit hæc membra, quæ nullam annexionem habent cum canonicatu, Caualer. *decis.* 116. num. 2.
23. Et licet supra dixerimus non esse locum optioni, quando agitur de resignatione facta in fauorem; tamen aliud est resignatio, aliud coadiutoria: Rota *decis.* 10. lib. 3. par. 3. *diuersorum.* † Quia per coadiutoriam inducitur vacatio per obitum, cum coadiutor retineat beneficium, vitâ durante: Puteus, *decis.* 108. num. 2. & 3. lib. 2. & *decis.* 226. num. 9. lib. 3.
25. † Si verò agatur de præbenda, vel præstimonio canonicatui annexo, non autem de domo, vel prædio separato à canonicatu; tunc coadiutor succedens in canonicatu, succedit etiam in illis: cum sint ex iis quæ cum canonicatu transferuntur, illique adhærent. Garf. de *benefic. part.* 4. cap. 5. numer. 118. & *sequentib.* vbi allegat Gonzal. & ex parte reprobatur Lotter. de *re benefic. lib.* 2. quæst. 25. num. 41.
26. Cæterum notandum est, quòd licet annexio istarum præbendarum canonicatui, non sit perpetua; de qua annexione Abbas, in *cap. maioribus.* num. 4. *versic. quandoque.* & in *cap. dilecto. de præbend. num.* 6. est tamen spiritualis, & dicitur de dependentiis canonicatus, & sub canonicatus concessione continetur. Rota, *decis.* 141. num. 34. & 35. par. 4. *recent. tom.* 2. † Vnde quemadmodum canonicatus transit in coadiutorem, ita & præbenda per eum optata, Lotter. *dict. lib.* 2. cap. 25. num. 55. & *sequentib.* Garf. *loco citat.* num. 118. quidquid in contrarium dixerit Gósales, quem etiam reprobat Lotterius, *loco citato.*
28. Annexio tamen probanda est per eum, qui in ipsa se fundat: vt dicit Additio ad Ludouif. d. *decis.* 478. num. 6. & ideo Rota denegauit inmissionem prouiso Apostolico de canonicatu vacante in mense reseruato, respectu cuiusdam prædij à defuncto possessi; ex eo quòd non probabatur, quòd illud prædium esset canonicatui annexum: vt refert Ricc. *collet.* 3690. *versic. & ideo. par.* 8.
29. Et vt dignosci possit quænam sint præbendæ, vel prædia annexa, & quæ distincta; sciendum est duo esse genera annexionum. Primum est, earum rerum quæ à certo canonicatu sunt inseparabiles; ita vt nemo possideat canonicatum; quin simul obtineat prædium, aut præbendam illi annexam; veluti Prioratus certo beneficio, aut dignitati perpetuò vnitus, & annexus; & in his non cadit optio. Secundum est earum rerum quæ sunt quidem annexæ in genere alicui ex canonicatibus, sed non vni potius quàm alteri, & modò ad vnum, mo-

dò ad alium pertinent: & hæc annexio, quia non est perpetua, sed reuocabilis; bene se compatitur cum iure optandi: ita bene explicat Lotter. de *re benefic. lib.* 1. quæst. 19. numer. 21. & *sequentib.*

Còcluditur ergo primò, optioni minimè subiacere prædia, vel alia prorsus à canonicatu separata, & per consequens non transire ad coadiutorem: vt probauimus supra.

Secundò, cum coadiutus, ex veriori sententia Garliæ *dicto numer.* 118. post coadiutoriam optare possit: Rota *dicta decis.* 140. par. 4. *recent. tom.* 2. num. 18. & 19. tali casu, quia sicut coadiutor subrogatur in canonicatum, ita & in prædium, aut præbendam, seu præstimonium illi annexum. Rota, *ibidem,* num. 19. non obstante quòd annexio sit renocabilis, & variabilis per optionem reddi possit: vt diximus *supra numer.* 27. ex Rota, *dicta decis.* 140. num. 27. Lotter. *dict. lib.* 2. quæst. 25. num. 55.



## CAPVT CXI.

De eadem materia iuris optandi: Et vtrum Canonici vltimæ foundationis, quamuis prius recepti, & admissi in Ecclesia; cedere debeant Canonicis antiquæ foundationis, posteriori loco receptis. De receptione Canonicorum adhibitâ clausulâ, cum plenitudine iuris Canonici. De Canonicis supernumerariis, & quæ sit eorum differentia cum Canonicis ex noua foundatione aggregatis. Et quomodò amittatur facultas iuris optandi.

## S V M M A R I V M.

1. Canonici quasi possessio includit possessionem stalli in Choro, vocis in Capitulo, & aliorum iurium canonicatum.
2. Collatio beneficiorum dicitur fructus Episcopatus.
3. Canonici supernumerarij fruuntur omnibus iuribus canonicatibus, sicut & ceteri.
4. Canonici supernumerarij vocandi sunt ad Capitulum, & in eo vocem habere debent.
5. Eligendi potestas fructus est possessionis, ideo competit Canonicis nouis, non obstante nouâ dote datâ.
6. Fructus spectant ad possessionem; & explicantur tradita supra, cap. 68. de Canonicis nouæ foundationis.
7. Canonicus nouæ foundationis prius receptus, præferendus est in optione, Canonicis antiquæ foundationis postea receptis: Intellige, vt num. 9.
8. Quæ sit vis illius clausulæ, cum plenitudine iuris Canonici.
9. Canonici nouæ foundationis, si fuerint recepti cum protestatione, & reservatione iurium antiquæ foundationis Canonicorum, nihil prætere possunt in præiudicium antiquorum.
10. Canonici supernumerarij distributiones quotidianas consequuntur, si Capitulum eos admitterit sine protestatione, & consenserit numerum frangi.
11. De Canonicis supernumerariis, plura Remissiuè.
12. Differentia



12. *Differentia est inter Canonicos supernumerarios, & aggregatos Capitulo.*
13. *Protestatio Capituli præseruat iura Canonicorum primæ foundationis.*
14. *In beneficalibus per actus particulares à causa vniuersali procedentes, censetur adepta possessio omnium iurium.*
15. *In iuribus prohibitiuis non acquiritur possessio, nisi à die prohibitionis cum acquiescentia.*
16. *Possessio iuris optandi non amittitur, nisi probeatur quòd Canonicus noluit optare, & fuit prohibitus.*

**I**N eadem optionis materia, de qua capite præcedenti actum est; notabilis aliàs occurrit controuersia, dum mortuo vno ex Canonicis, quidam posteriori loco receptus peteret se aduersus antiquiorem præferri in optione, sub eo prætextu, quòd Capitulum antiquitus ex multis Canonicis compositum auctum fuerat per nouam duorum Canonicorum erectionem, & foundationem in eadem Ecclesia Collegiata, autoritate Apostolicâ factam: dictus verò Canonicus, quamuis iuxta possessionis & receptionis ordinem esset antiquior; tamen quoad tempus foundationis, seu Canonicatus, erat posterior. In qua quidem controuersia causam antiquioris receptione, quamuis foundatione posterioris, meliorem esse Respondi.


1. Nam cum iste Canonicus nouæ foundationis, esset in quasi possessione omnium iurium canonicalium, etiam cum præcedenti aduersus Canonicos antiquæ foundationis posterius receptus; veluti stalli in Choro, vocis in Capitulo, & præcedentiæ in publicis processionibus; non poterat illi denegari mandatum de manutenendo in omnibus istis iuribus canonicalibus, & aliis similibus. Quia isti sunt fructus possessionis, & illam necessariò sequuntur. Ioan. Baptist. Ferrer. *consil.* 313. *num.* 2. *volum.* 2. Idque ne nomen Canonici sit inane: *cap. dilectus.* 1. *de præben. cap. dilecto. eodem tit. cap. 1. de cleric. non residen. in 6.* & notatur in *cap. cum omnes. de constit.* † Sicut collatio beneficiorum dicitur esse de fructibus Episcopatus. *Glof. in cap. cum olim. in verb. capitulo. versic. sed collatio beneficiorum. ext. de maiorit. & obedien.* † Vnde & Canonici supernumerarij debent habere omnia iura canonicalia, sicut & cæteri; siue autoritate Papæ, siue autoritate Capituli fuerint recepti: *Felin. in cap. cum M. Ferrariensis. num.* 23. *de constitutionibus.* † Et habent vocem in Capitulo, etiam in electionibus, & ad eas vocandi sunt. *Federic. de Senis. consil.* 290. *Quia in presenti. colum.* 3. *versic. an isti recepti.* † Quia eligere, fructus est possessionis: ideo cum isti sint in possessione Canonicatus, debent habere potestatem eligendi; idque non obstante noua dote, huiusmodi Canonicatibus tempore nouæ foundationis, assignatâ: quia non per hoc excludendi sunt ab aliis emolumentis, & fructibus Canonicatus. 6. *Seraph. decis.* 98. *versic. nec obstat. num.* 2. † Fructus siquidem spectant ad possessorem: *cap. querelam. 24. de elect. cap. consultationibus. de inrepatron. cap. cum olim. de causa possess. & propriet.* ergo fructus iste, facultas videlicet optandi, ad illos vti Canonicatus possessores pertinebit; quamuis de nouo fundati sint: stante quòd sine vlla reseruatione, aut protestatione reseruatoria iurium, antiquæ foundationis Canonicis competentium fuerunt recepti: in quibus terminis procedunt tradita per nos, *cap. 68. num.* 15. & *sequentib.*
7. Et per consequens Canonicus iste, qui prius ad

possessionem capitulariter receptus fuerat, & erat in pacifica possessione præcedentiæ; prædicto antiquæ foundationis Canonicus posterius recepto, in optione præferendus erat: ex traditis in *capit. preced. numer.* 5. & docet *Gonzal. ad regul.* 8. §. 3. *proemiali. numer.* 23. & multis sequentibus. ad tradita in *capit. final. de consuetud. in 6. Moner. de option. Canon. capit. 4. quæst. 1. numer.* 11. & *cap. 5. num.* 2.

Quod vel ex eo maximè locum habere debet; quia suppositum fuit in facto quòd tam in Bullis erectionis istorum nouorum canonicatum, quam in Bulla prouisionis eiusdem Canonici nouæ foundationis, adest illa clausula, *cum plenitudine iuris canonici, seu canonicalis*: cuius ea vis est; vt Canonici, etiam si essent supernumerarij, gaudere debeant omnibus priuilegiis, iuribus, & prærogatiuis aliorum Canonicorum: maximè si fuerint admissi ad stallam in choro, & vocem in capitulo. *Barbos. de Canon. cap. 3. numer.* 12. & *sequentibus.* † Quæ assignatio stalli, & admissio ad vocem hoc operatur; vt etiam in supernumerariis Capitulum censetur consensisse, vt per talem admissionem, & receptionem, numerus Canonicorum frangeretur; nisi tamen Capitulum protestationem fecerit, quòd non intendebat frangere numerum; sed istum vti simpliciter supernumerarium admittebat. *Lotter. de re benefic. lib. 1. quæst.* 19. *num.* 46. & 47. † Adeo vt etiam tales supernumerarij debeant consequi quotidianas distributiones, postquam Capitulum consensit numerum frangi; nisi Capitulum protestationem contrariam fecerit, vel consuetudo sit in Ecclesia, quòd supernumerarij non lucrentur distributiones, donec fuerint installati; & aliis exceptis casibus, de quibus *Moneta de distribut. quotidian. part.* 2. *cap. 1. num.* 9. & multis sequentibus. † Et prædicta de eo, qui ultra numerum receptus est in Canonicum, cum plenitudine iuris; copiosè comprobatur *Menoch. consil.* 1179. *num.* 22. & per totum illud *consilium.* vbi per plures casus explicat distinctè materiam Canonicorum supernumerariorum. Qua in re diutiùs non est nobis insistendum; cum casus, de quo agitur; sit longè diuersus, & magis priuilegiatus. † Isti siquidem nouæ foundationis Canonici, non possunt dici supernumerarij, sed aggregati Capitulo cum plenitudine iuris; & admissi ad omnia priuilegia, & emolumenta; iura, & præminentias aliorum: vt bene aduertit *Gratian. discept. forens. cap. 867. num.* 5. & 9. † Intelligenti semper hæc procedere, quando pro parte Capituli nulla facta fuit reseruatio, & protestatio: prout non fuerat facta in casu, de quo per nos *sup. cap. 68.* sicut fuerat facta in casu *Gratiani d. cap. 867. num.* 11. & *sequentibus.*

Vnde cum iste Canonicus, & alij nouæ foundationis, essent in pacifica quasi possessione omnium iurium Canonicalium, in vim prædictarum clausularum nec non præcedentiæ, iuxta ordinem suæ receptionis; manutenendi erant in possessione omnium, quæ Canonicatum consequuntur: & per consequens prærogatiuæ optionis iuxta antiquitatem possessionis capitulariter captæ. † Quia in beneficalibus, per adeptionem, vel continuationem possessionis quoad aliquos actus dependentes ex iure, & titulo vniuersali beneficij; censetur apprehensa, & continuata possessio quoad alios omnes actus, & iura, ex illo titulo vniuersali dependentia. *Adden. ad Ludouif. decis.* 557. *num.* 6. & *sequentibus.* & in specie, quando possessio capta fuit in capite, & in ipsa Ecclesia. *Gonzal. ad regul.* 8.

- glos. 34. num. 109. Monet. de optiou. canon. cap. 5. quaest. 3. num. 38. & 39. optimè Ioan. Bapt. Ferret. consil. 14. numer. 3. lib. 1. & num. 6. vbi loquitur de iuribus, post adeptam possessionem obuentionibus.
15. Nec dicto nouæ foundationis Canonico nocere poterat, quòd aliquando dum casus optionis occurrit, soli antiquæ foundationis Canonici optarunt: quia non ex hoc illi de noua fundatione fuerunt exclusi, nisi probatum fuerit ipsos optare voluisse, & fuisse repullos; quippe hoc in omnibus iuribus prohibitiuis generale est, vt non amittatur possessio, nisi quis prohibitus fuerit, & prohibitioni acquieuerit, Ludouif. decis. 472. num. 1. & sequentibus.
16. Et in terminis iuris optandi, possessio non amittitur, nec acquiritur per cessationem illius, qui poterat optare; nisi probetur hoc ideo factum fuisse, quia cum voluit optare, fuit impeditus; aliàs præsumitur quòd non optauit: quia ita sibi non placuit. Geminian. dicto capit. final. de consuetud. in 6. numer. 3. Anchar. ibidem in fin. versic. quòd si isti Canonici. Vbi reddit rationem; quia ius istud est facultatiuum, & ideo non amittitur possessio per non usum. Tusch. in verb. Optio. conclus. 163. num. 4.



## CAPVT CXII.

De legato facto religiosis Sanctæ Vrsulæ, quæ tamen religiosæ non erant; sed sæculares: vtrum Episcopus, aut eius Vicarius possint legatum illud, non vocatâ parte, & sine causa, ad Monasterium religiosarum professarum transferre.

## S V M M A R I V M.

1. Qui se non habuit pro spoliato manus enendus est, alioquin reintegrandus.
2. Superioris factum non nocet Monasterio, vt dicatur se habuisse pro spoliato.
3. Commutatio aut alteratio ultimarum voluntatum est contra ius. Nota hic confundi nomen commutationis, & alterationis; & hoc nomen alterationis sumi largo modo.
4. Episcopus aut eius Vicarius legi derogare non potest, nisi in casibus à iure expressis.
5. Episcopus non potest ultimam voluntatem commutare, quamuis commutatio hæc fieret in melius: idem infra num. 14.
6. Amplia vt nec commutari possit dispositio testatoris, quamuis accederet voluntas hæredis.
7. Explicatur Concil. Trident. sess. 22. cap. 6. de reform. quo cauetur Episcopum posse commutare ultimas testantium voluntates.
8. Admittenda est oppositio habentium interesse, dum agitur de commutatione ultima voluntatis.
9. Nemo sine cognitionis causa à sua possessione amouendus est.
10. Etiam commissarius extraiudicialiter procedens ad commutationem ultima voluntatis, citare debet habentes interesse: intellige vt n. 11.
12. Ampliatur, vt procedat etiam si in commissione non adesset clausula, vocatis vocandis.
13. Iusta causa necessariò adesse debet; quæ tamen non præsumitur, dum tractatur de commutatione ultima voluntatis.
14. Episcopus est executor ultimarum piarum voluntatum, & per consequens illas manutenere debet; non autem illis derogare, aut contravenire.
15. Sorores Sanctæ Vrsulæ, quæ tria vota non emisissent, & strictam clausuram non seruant; non sunt religiosæ; sed sæculares.
16. Falsa demonstratio non vitiat legatum, quando constat de voluntate testatoris erga certum corpus, vel certam personam.

Testator quidam venerabilibus Religiosis, & Sororibus Sanctæ Vrsulæ ciuitatis illius in qua morabatur, nuncupatis de Luynè, domum suam, & alia plurima bona reliquerat; sub ea tamen conditione, vt in eadem domo Monasterium erigerent, diuina officia cantarent, & alias functiones facerent quas tales religiosæ facere consueuerunt, & prout facere solent in ciuitate Auenionensi; & cum onere ponendi inscriptionem in porta Ecclesiæ, in qua fundatoris mentio fieret; & aliàs prout in legato continetur.

Mortuo testatore Vicarius Generalis, Sanctæ Vrsulæ Sorores expulit; quamuis iam in dicta domo per aliquod tempus inhabitassent, & ad illam alterius professionis Sorores & Religiosas introduxit. † Respondi Sorores Sanctæ Vrsulæ reponendas esse in pristinam domus possessionem; & in ea, aliisque bonis definitiuè manutenendas, & conseruandas.

De possessione quidem non erat dubium, siue per viam manutentionis, si se pro spoliatis non habuissent; siue per viam reintegrationis, si animo à possessione destitissent, vel suspicatae fuissent se posse repelli: iuxta text. cum ibi notat. in l. 3. §. qui ad nundinas. ff. de acquir. possess. Ludouif. decis. 46. num. 9. † Nec sufficeret quòd sola Superior Monasterij, se habuisset pro spoliata: quia eius factum toti Monasterio nocere non poterat. Seraph. decis. 1417. num. 3. Addent. ad Ludouif. decis. 116. num. 5.

De definitiua bonorum adiudicatione Sororibus Sanctæ Vrsulæ faciendâ, non videtur etiam dubitari posse; cum pro ipsis clara sit voluntas & dispositio fundatoris, quam Vicarius commutare, aut alterare non poterat; præsertim in tertij præiudicium: † cum hæc alteratio, seu commutatio piæ voluntatis fundatoris, sit contra ius: can. ultima voluntas. 13. quest. 2. cap. nos quidem. cap. si hæredes. cap. tua nobis. & cap. Ioannes. de testam. Clem. quia contingit. in princip. de relig. domib.

Non enim potest Episcopus, aut eius Vicarius derogare legi, nisi in casibus à iure expressis, Abbas in cap. cum dilecti. num. 10. de elect. Sanch. de matrim. lib. 2. disput. 40. num. 1. & in terminis commutationis ultimarum voluntatum tradit Couar. in dicto cap. tua nobis. num. 7. & bene probat text. in dicta Clem. quia contingit. in illis verbis: saluâ Sedis Apostolicæ autoritate. Sayr. in flor. decis. tit. de reb. Eccles. non alienan. decis. 2. Genuens. in prax. Episcop. cap. 19. num. 1. † Vbi hoc ampliatur, quamuis commutatio fieret in melius: † imò etiam si accederet consensus hæredis; cum non agatur de voluntate ipsius, cui possit renuntiare; sed de obseruanda voluntate testatoris defuncti. Et quid circa hoc obseruetur Romæ,

Romæ, tradit Pyrr. Conrad. *in praxi dispensat. lib. 9. cap. 7. n. 37. & sequentib.* Et licet in Concil. Trident. *sess. 22. de reformat. cap. 6.* constitutum fuerit Episcopum tanquam sedis Apostolicæ delegatum, posse ultimas defunctorum voluntates commutare: hoc tamen intelligendum est vt procedat, dummodo summi Pontificis autoritas interueniat: quod patet ex verbis dicti Concilij, dum dicitur: Episcopum tanquam sedis Apostolicæ delegatum, summarie & extraiudicialiter cognoscere debere; nihil in precibus tacitâ veritate, vel suggestâ falsitate fuisse narratum; priusquam dictæ commutationes executioni demandentur: & per hanc rationem ita docet Didac. Spin. *de restam. 1. part. rubric. n. 24.* & post ipsum Eman. Roderic. *tom. 2. quæst. regul. quæst. 125. artic. 9.* Et quod dispositio Concilij intelligenda sit in dicto *cap. 6.* de commutationibus vltimarum voluntatum autoritate Pontificiâ factis, patet ex notatis per Monetam *de commut. vltim. volunt. cap. 5. num. 409.* qui plura de intellectu dicti Concilij in loco supra dicto proponit, *in eodem tract. cap. 7. numer. 36. & multis sequentib.* Intelligendo tamen prædicta sub modificationibus, de quibus *cap. 68. num. 7. cap. 23. num. 8. & cap. 25. num. 8.* & iuxta tradita per Barbof. *de Episcop. alleg. 83. num. 1.*

7. Quidquid sit, non potest in dubium reuocari, quin Vicarius nulliter processerit, non vocatis & reuentibus Sororibus Sanctæ Ursulæ, de quarum præiudicio agebatur; & quarum contradictio præualere debebat ad tuendam vltimam voluntatem, & illam executioni iuxta dispositionem testatoris demandandam. Genuens. *in prax. Archiep. cap. 19. num. 3.* Barbof. *de Episcop. allegat. 83. num. 6.* † Nec æquitati conuenit possessores non citatos, sine causa à sua possessione remoueri; quamuis nullum possidendi colorem haberent. Oldrad. *consil. 227. numer. 3. ante finem, versio. nunquam autem.* & probatur *in cap. licet Episcopus. 32. de præbend. in 6.* † cum etiam in processibus extraiudicialibus, in quibus quis lædi potest per commutationem vltimæ voluntatis; requiratur citatio illius, qui lædi potest. Monet. *dict. tract. de commut. vlt. volunt. cap. 7. num. 278.*

8. † Quod non de proprie dicta citatione intelligendum est, quæ in extraiudicialibus locum non habet; sed de simplici vocatione, & monitione: vt *ibi* Moneta aduertit. † Et præmissa procedunt, etiamsi in commissione non adesset clausula, *vocatis vocandis:* quia nihilominus vocari debent omnes illi quorum interest. Monet. *dict. cap. 7. num. 344.* & quod plus est, non solum citatio, sed etiam consensus eorum quorum principaliter interest, in vltimæ voluntatis commutatione requiritur: vt plurimis iuribus seu potius exemplis comprobatur idem Monet. *cap. 7. num. 369. & sequentib.*


9. Neque iusta causa præsumitur in commutatione vltimæ voluntatis facta per Episcopum, seu eius Vicarium; nisi de ea legitime constet. Vasqu. *controuers. illustr. cap. 25. num. 28.* Monet. *cap. 6. num. 56. de commut. vlt. volunt.* cum tamen ex Concilio Tridentino *dicta session. 22. cap. 6. de reformat.* necessariò iusta causa in simili voluntatis commutatione requiratur: vt etiam notauit Ricc. *collect. 558.*

10. Et quamuis superius *cap. 68. num. 8.* dixerimus Episcopum vltimam testatoris voluntatem nondum effectuatam, seu executioni demandatam commutare posse, instâ interueniente causâ: tamen in casu proposito, agebatur de voluntate iam effectuatâ: quia Sorores istæ sanctæ Ursulæ, iam in effectu domus possessionem apprehenderant, & in ea exercebant solita pietatis officia. † Vnde Episcopus qui est

generalis executor vltimarum voluntatum, seu eius Vicarius nihil poterat facere contrarium vltimæ voluntati. Abbas *in dicto cap. tua nobis. num. 4. & ibidem Couar. num. 7.*

Nec obstat quòd legatum factum fuisset religiosis sanctæ Ursulæ; cum tamen dictæ Sorores non essent religiosæ, eo quòd non emitterent vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ: & idèò legatum non videbatur posse sortiri suum effectum, in fauorem ipsarum.

Quia licet verum sit istas Sorores Sanctæ Ursulæ non esse veras Religiosas, sed potius sæculares; & eorum Collegium esse sæculare: vt docet Menoch. *consil. 948.* & Cyriacus *controuers. 504. num. 9.* vbi copiosè de similibus Collegiis virginum disserit: † tamen falsa demonstratio non vitiat legatum, nec aliam dispositionem, quando constat (provt in casu isto) de corpore, seu de substantia legati: *l. si quis in fundi vocabulo. & ibi Barthol. num. 4. ff. de legat. 1. Surd. decis. 161. numer. 27. & 29. & decis. 249. num. 22.* Vnde conclusum fuit dictas Sorores sanctæ Ursulæ restituendas esse, & definitiuè conseruandas in possessione dictæ domus, & bonorum; iuxta piam testatoris voluntatem. De his quid in Gallia obseruetur, vide *supra cap. 2. per totum.*



CAPVT CXIII.

De Oblatis Religionum, quomodò differant à Conuersis, & in quo conueniant. Vtrum isti Oblati, gaudeant priuilegio fori, & an possint testari, contrahere, & de bonis suis disponere. Quis illis ab intestato morientibus succedere debeat. Et quid si Oblati votum fecerint paupertatis, castitatis, & obedientiæ; vtrum ex hoc dicantur Religiosi.

SVM MARI VM.

1. Oblati quamuis votum emiserint, non propterea censendi sunt religiosi.
2. Oblati non mutant habitum secularem; Conuersi verò regulari habitu induuntur.
3. Nec Oblati, nec Conuersi dici possunt religiosi, nisi votum in aliqua religione iuxta institutum illius emiserint.
4. Oblati qui verè non sunt religiosi, non gaudent fori priuilegio; nisi quando actualiter sunt in consortio Monasterij, cui se obtulerunt.
5. Oblatio religioni fit aliquando animo profitendi, aliquando verò simpliciter: & hoc casu, potest fieri vel quoad personam tantum, vel etiam quoad bona ipsius Oblati.
6. Oblatus si de bonis suis non disposuerit, illi proximiores succedunt ab intestato.
7. Oblatio simpliciter de bonis offerentis facta, intelligitur de bonis presentibus; nec extenditur ad futura, nec ad bona tempore oblationis reseruata.
8. Vota simplicia non obligant ad certam religionem, sed respectu certæ religionis fieri debent, vt ad illam adstringant.
9. Votum simplex fit Deo immediatè; votum verò religionis fit quidem Deo, sed mediante persona Superiorum ordinis.


10. *Qui votum simplex emisit, potest à religione recedere, quando non fuit emissum Superiori illius ordinis, & respectu certa religionis.*

**D**Vbitatum aliàs fuit de obligatione Monasterij erga quemdam adolescentem, quem pater Monasterio tradiderat, seu obtulerat, assignatâ ipsi, alimentorum nomine, summâ quingentorum scutorum: cû pacto expresso quòd si ipse dimitteretur, Monasterium summâ receptam restituere teneretur: pro cuius dubij explicatione, sequentia deducta fuère.

1. In primis dictum adolescentem nullo modo posse, aut potuisse dici religiosum, non obstantibus votis paupertatis, castitatis, & obedientiæ per eum emissis; cûm vota illa non emisit solemniter, & animo ingrediendi religionem; sed tantum pro bono viuendi modo: non enim aliorum regulam professus est, sed generalia vota emisit ad nullam certam religionem limitata: & modus ille profitendi valde diuersus est à modo profitendi aliorum religionum ordinis illius, vnde actus ille non debuit operari ultra illius intentionem; *l. non omnis. ff. si certum petat.* & ita docet Mirand. *in manual. pralat. regul. part. 1. quest. 29. artic. 2.*
2. Secundò conclusum fuit, dictum adolescentem non posse dici Conuersum, sed potius Oblatum: hæc enim inter Conuersos, & Oblatos est differentia; quòd illi mutant habitum sæcularem, & accipiunt regularem; Oblati verò in habitu sæculari permanent. Abbas *in cap. non est. de regul. num. 2.* & post eum Mirand. *loc. citat.* Eman. Roderic. *tom. 3. quest. regul. quest. 21. artic. 1.* Sanch. *in decalog. lib. 6. cap. 7. n. 9.*
3. Hoc autem tam Conuersis, quàm Oblatis commune est; vt non censeantur religiosi, quamuis tria emittant vota nisi sub certa regula, & religione, seu ordine certo emiserint: vnde si quis ita voueat, *promitto paupertatem, castitatem, & obedientiam,* non propterea dicitur religiosus, nisi addat *secundum regulam huius, vel illius ordinis &c.* Roderic. *dicto tom. 3. quest. 21. artic. 1.* Lezan. *in summa regul. tom. 2. cap. 8. num. 4.*
4. Hinc sequitur quòd cûm nos aliàs in *tract. de prauent. iudicial. cap. 29. num. 32, & 33.* insequentes dispositionem Concilij Trident. *sess. 24. cap. 11. versic. exceptis tamen iis,* dixerimus familiares religionum, qui actu illis inseruiunt intra eorum septa, & Monasteria, viuentes sub eorum obedientia; frui eodem fori priuilegio, quo fruuntur ipsimet religiosi: intelligendo non de obedientia religiosa, ex professione debita; sed tantum de ea quæ debetur ratione muneris iniuncti, dum actualiter famulantur. Eadem ratione dicendum est, istos Oblatos, qui religiosi non sunt, nec vota religionis emiserunt in certa regula, & ordine præfinito; non posse gaudere fori priuilegio: nisi quandiu intra septa Monasterij, & sub obedientia non quidem religiosa, sed ratione tantum muneris sibi iniuncti debita, viuunt: vt dicit Lezan. *dicto cap. 8. num. 13. tom. 2.*
5. Tertio fuit dictum duo esse Oblatorum genera; quidam enim se, & sua offerunt Monasterio; alij verò se tantum offerunt, non autem bona sua: ita distinguit Castrenf. *consil. 69. volum. 1.* vbi dicit quòd isti actus dedicationis, & oblationis factæ Monasterio, sunt ex se indifferentes; & possunt intelligi vt facti sint ad effectum professionis, aut sine intentione profitendi: vnde si appareat quòd ille qui se dedicauit Ecclesiæ regulari, voluit mutare habitum, & profiteri eo modo quo alij religiosi; colligitur ex eo, quòd voluit renunciare sæculo, neque referre sibi facultatem disponendi de bonis suis: & è

conuerso; illi qui se, & non bona sua obtulerunt Monasterio, non amittunt facultatem disponendi de bonis suis; quia verè & propriè non sunt religiosi: vt voluit Abbas, *consil. 102. versic. venio ad secundum. part. 2.* & Tusch. *tom. 5. liter. O. conclus. 16. num. 7. & sequentib.* † Et si de bonis suis minimè dispo- 6. sponuerint, succedunt ipsis post eorum mortem proximiores ab intestato venientes. Sanch. *in præcep. decal. lib. 7. cap. 34. numer. 1.* † Possunt autem tales 7. Oblati, qui religiosi non sunt, omnia bona sibi referuare, vel partem aliquam: vel si simpliciter se, & bona sua obtulerint; illa oblatio & dedicatio, de bonis præsentibus intelligenda est, nec futura comprehendit. Sanch. *dicto cap. 34. numer. 1.* Lezan. *dict. cap. 8. numer. 14. & 15.*

Vnde sequitur, quòd cûm iste iuuenis nullum fecisset nouitiatum, & per consequens, si eum quis voluisset accipere tanquam religiosum, eius professio nulla fuisset: ex notatis superius per nos *cap. 77. num. 22.* & ex Concil. Trident. *sess. 25. de regularib. cap. 15.* † Et cûm vota paupertatis, castitatis, & 8. obedientiæ, de quibus agitur; non possint dici vota solemnia religionis; nec facta fuerit per istum adolescentem actualis traditio sui ipsius, animo religionem profitendi; non impeditur de bonis suis ad libitum disponere, & à Monasterio (seruatis tamen votis) ad libitum recedere, vel ab eo dimitti: ex traditis per Barbof. *in cap. rursus. Qui clerici vel vouent.* Bonacin. *de matrim. quest. 3. puncto 4. num. 1.* † Hæc enim est differentia inter votum simplex, & 9. votum solemne religionis; vt simplex soli Deo fiat immediate, solemne verò religionis votum fiat Deo mediante persona Ministrorum ab Ecclesia ex Dei commissione ad id deputatorum: vt *ibidem* explicat Barbof. plures alios referens. † Potuit igitur iste, qui 10. votum simplex emiserat, & nulli Superiori, aut religioni se se obligauerat, recedere; vel dimitti: maxime stante pacto in contractu receptionis, seu oblationis ipsius apposito; quòd in casum recessus, vel dimissionis, restituerentur illi, vel suis, quingenti aurei à Monasterio tempore dictæ admissionis recepti: & ita fuit obseruatum. Quia adolescens recessit à Monasterio, illiq; restituti fuère dicti quingenti aurei.



## CAPVT CXIII.

De sepulturis quæ aliàs extra Ecclesiam, postea in atrio, denique in ipsa Ecclesia conceduntur fidelium corporibus humi reponendis; non tamen subtus altare. De electione sepulturæ libera, etiam extra Ecclesiam parochialem. Religiosi vtrùm sibi sepulturam eligere possint. Vtrùm pater pro filio. An intra Ecclesiam Monialium benedictam, nondum tamen consecratam. Electio sepulturæ quomodò proberetur. Vtrùm possit alteri committi. Vxor, Filius familias, Canonicus, Beneficiatus vbi sepeliendi.

## S V M M A R I V M.

1. *Olim sepultura extra Ecclesiam; deinde in atrio; nunc autem intra Ecclesiam conceduntur.*
2. *Corpora*

2. Corpora infidelium, vel infantium non baptisatorum, intra Ecclesiam non sepelienda.
3. Sepultura nemini subitus altare concedenda; vel si fuerint concessa, amouenda sunt.
4. Electio sepultura cuiuslibet permessa, etiam extra parochialem Ecclesiam; reseruata quartâ parochiali.
5. Eligens sepulturam extra parochiam, si in loco electo sepeliri nequeat, non est in parochia sepeliendus.
6. Religiosi, exceptis Prælatis, non habent ius eligendi sepulturam; sed in proprio Monasterio sunt sepeliendi.
7. Fallit si in loco à Monasterio remoto decesserint, ita ut ad illud commode deferri nequeant: & tunc eligere possunt sepulturam: & non factâ electione, sunt in parochiali Ecclesia sepeliendi.
8. Pater pro filio sepulturam eligere non potest, nisi talis sit consuetudo, quæ probanda est.
9. Filius familias pubes potest sibi sepulturam eligere, non tamen impubes, nisi sit proximus pubertati.
10. Eligere quem posse sepulturam in Ecclesia Monialium benedicta, & nondum per Episcopum consecrata.
11. Electio sepultura probatur per testes singulares.
12. Electio sepultura an possit alteri committi, ut eligat post mortem suam.
13. Vxor, & filius, virum possint eligere sepulturam: & virum filius pro patre mente capto, vel frater pro fratre, tutor pro pupillo.
14. Canonicus, Rector Ecclesie, Vicarius perpetuus, Vicarius temporalis, Præbiter amouib lis, & stipendiatus, & ille qui canonicatus renuntiauit, ubi sint sepeliendi.
15. Virum potius in patriâ, vel aui sepultura, quis sepeliendus sit.
16. Filius spurcius, vel illegitimus ubi sepeliendus.
17. Vxor in sepultura mariti sepelienda: quid si ad secunda vota conuolauerit.
18. His omnibus deficientibus, debet quis in parochia sepeliri, in qua recepit Sacramenta viuens.
19. Plura de sepulturis. Remissiuè.

VARIÆ sapiùs exortæ sunt controuersie inter Ecclesias parochiales, & alias, super sepulturis; & quo in loco defuncti sepeliri debeant. Pro quarum resolutione, multa paucis, breuiter & resolutiuè exponenda sunt.

1. Primò antiquis temporibus sepultura extra urbem habebantur, cap. *ubicumque* 13. quæst. 2. Deinde crescente fidelium numero, sepultura prope Ecclesiam, in Cœmeterio concessa sunt: cap. *sicut antiquius* 17. quæst. 4. Postmodum in atrio Ecclesie, dignitatis causa: cap. *præcipiendum* 13. quæst. 1. Denique & in ipsa Ecclesia, laicis concessa fuit sepultura, *Caualer. decis. 15. num. 1.* Barbof. *de iur. Eccles. lib. 2. cap. 10. num. 8.*
2. Dummodò tamen non sepeliantur ibi corpora eorum, qui in infidelitate decesserunt, aut infantium, qui sacro baptismatis lauacro abluti non sunt; debent enim exhumari huiusmodi cadauera, si in Ecclesia sepulta sint, & discerni possint, si verò discerni non possint, Ecclesia est reconcilianda, & corpora exhumanda non sunt. *Tusch. litera. S. conclus. 187.*
3. Dummodo etiam sepultura non sint subtus altare: cap. *præcipiendum* 13. quæst. 2. & determinauit Sacra Congregatio Episcoporum, teste *Ricc. collect. 3838.* & si in effectu corpora subtus altare fuerint

sepulta, non debet in illo altari celebrari, sed debet interdici, donec corpora in alium locum transferantur. Sacra Congregatio relata per *Ricc. loco citato. Barbof. in decis. Apostol. collect. 76. num. 2.*

Secundò, sepultura electio cuiuslibet conceditur in loco sibi beneuiso; quamuis locus ille esset minùs religiosus quàm Ecclesia parochialis: text. est in cap. 2. §. *final. de sepult. in 6. & in cap. fraternitatem*, cum ibi notatis, eodem titulo, in *Decret.* Potest enim eligi sepultura in loco per eligentem ad libitum designando: *can. soror. 13. quæst. 2. can. vos: & can. Ebron. ibidem.* Bertachin. in *repert. in verb. sepultura. n. 1. 2. & 3.* dummodo parochie sua quarta reseruetur. *Capol. de seruit. urban. prædior. cap. 82. de sepult. num. 8. & 9.* & hoc vñu receptum esse testatur *Molfes. in summa part. 13. cap. 8. num. 20. & 21.* Atque ita determinauit Sacra Congregatio teste *Barbof. ad Concil. Trident. sess. 25. de reformat. cap. 13. num. 19. & in decis. Apostol. collect. 671. num. 10.* his verbis: *Sepultura electio in alia Ecclesia præter parochialem, non potest per Parochum impediri; dummodo illi reseruata sit sua quarta funeralis.*

Tertiò, si quis elegerit sepulturam in alia Ecclesia quàm parochiali, & ibi propter aliquod impedimentum sepeliri non possit; non est sepeliendus in Ecclesia parochiali; cum iam animum suum declarauerit, quòd ibi sepeliri non intendebat: sed in alio loco per Episcopum eligendo, vel per eius Vicarium, prout arbitrabitur esse magis conforme voluntati, & intentioni defuncti. *Prax. Genuenf. cap. 61. num. 5.*

Quartò, Religiosos sibi sepulturam eligere posse censuit *Hostiens. in summa, tit. de sepult. numer. 1. versic. eadem ratione.* Quia, inquit, electio refertur ad illud tempus; quo ipse futurus est à iugo obedientie exemptus; cum mortui non subiaceant obedientie. Sed hæc ratio non est bona: quia non inspicitur tempus executionis, ad iudicandum virum quis habilis sit ad disponendum; sed tempus dispositionis: cum ergo religiosus viuens, sit tamen mortuus mundo, nec habeat velle aut nolle; non potest etiam habere ius eligendi sepulturam: & ita nempe religiosos non habere ius eligendi sibi sepulturam, sed in proprio Monasterio sepeliendos esse, Prælatis exemptis, qui facultatem habent illam eligendi; tradit *Lezan. in summ. regul. tom. 1. cap. 9. num. 10.* † Nisi sint ita remoti à propriis Monasteriis, ut ad illa deferri nequeant: tunc enim possunt sibi eligere sepulturam: quòd si non elegerint; in Ecclesia parochiali, in qua decesserunt, sepeliendi sunt. *Barbof. de offic. Paroch. cap. 26. num. 30.* Quòd si extra claustra decesserint, debent nihilominus in suis Monasteriis sepeliri. *Barbof. dicto num. 30.*

Quintò, pater pro filio sepulturam eligere non potest de iure, secus de consuetudine; quæ tamen cum in facto consistat, est probanda: & pro hac probatione concedi potest remissoria. *Ludouif. decis. 276. numer. 1.* Quòd intelligendum est de filio impubere: † nam si filius sit maior 14. annis, potest sibi sepulturam eligere; nisi etiam in indiuiduo probetur consuetudo etiam in terminis filijfamilias puberis: *Cuman. in l. tam is. §. filius. numer. 5. ff. de donat. caus. mort.* Impubes autem sepulturam sibi eligere nullo modo potest: cap. *licet. de sepult. in 6. nisi sit proximus pubertati.* *Molfes. in summa. tract. 13. capit. 8. numer. 25.* Cæterum, in hac ciuitate Auenionensi receptam esse consuetudinem illam, ut pater pro filio impubere sepulturam eligere possit; testatur *Oldrad. consil. 225. num. 7.*

Sextò, electio sepultura fieri potest in Ecclesia Monialium

Monialium benedicta licet nondum consecrata; pro-  
vt aliàs de Ecclesia quadam in hac ciuitate Auenio-  
nensi, ita Respondi ad requisitionem Illustrissimi &  
Excellentissimi Domini Ducis de Vantadour, recla-  
mantibus Parochis, ann. 1635. Ratio est, quia ad  
hoc vt cadauer in aliquo loco sepeliatur, sufficit  
quòd locus sit benedictus, licet non consecratus.

Pater; quia Cœmeterium non consecratur, sed be-  
nedicitur; *cap. nemo, de consecrat. distinet. 1.* & pro-  
pterea Cœmeterium non potest propriè dici sacrum,  
sed duntaxat largo modo. Abbas, *in cap. abolenda. de*  
*sepult. & ita decidit Nat. consil. 432. num. 13.*

11. Septimò, electio sepulturæ sufficienter probata  
dicitur, quamuis de ea constet per depositionem  
testium singularium; Ricc, *in prax. rer. for. Eccles.*  
*in praxi sepult. decis. 664.* & sufficiunt duo testes.  
Praxis Genuens. *d. cap. 61. num. 16.*

12. Octauò, electio sepulturæ potest alteri committi,  
quia licet mandatum morte mandantis regulariter  
re integra expiret; tamen hæc regula non procedit  
in illo mandati genere, quod non nisi post mortem  
mandantis effectum sortiri potest; *cap. fin. §. fin. de*  
*testam. in 6.* Sicut potestas executorum durat, imò  
executionem non habet nisi post obitum testatoris,  
Consultius tamen esset eligere sepulturam in Eccle-  
sia, & tumulo quem eligens diceret se ad aurem di-  
xisse hæredi, aut alteri personæ confidenti; quia li-  
cèt alienæ voluntatis arbitrium alteri committi non  
possit; tamen committi potest alienæ voluntatis se-  
cretum; iuxta *l. Theopompus, cum ibi notat. ff. de*  
*dote preleg.*

13. Nonò, si vxor, aut filius non elegerint sibi sepul-  
turam; potest vxori maritus vel filio pater sepul-  
turam eligere; *cap. licet. de sepult. in 6.* & ibi DD.  
communiter. Ipsa tamen vxor, viuente viro, sibi  
sepulturam eligere potest; *cap. de vxore. de sepult.*  
Frater autem pro fratre sepulturam non eligit. Se-  
bast. Med. *de sepult. quest. 8. num. 24.* Nec filius pro  
patre, quamuis mente capto, vel furioso. Idem,  
*num. 25.* Nec tutor pro pupillo. Idem, *d. quest. 8.*  
*num. 26.*

14. Decimò, si nulla fuerit facta electio sepulturæ; si  
sit Canonicus, sepeliendus erit in Ecclesia in qua  
habet canonicatum, & præbendam. Innocent. *in cap.*  
*1. de sepult.* Rector Ecclesiæ parochialis in sua Ec-  
clesia; sicut & Vicarius perpetuus, non autem tem-  
poralis: Capellani in Ecclesia in qua capellam ha-  
bent, aut beneficium perpetuum; non autem Præsbite-  
ri amouibiles, qui habent stipendium à Capitulo,  
& quandocumque possunt amoueri: hi sepeliendi erunt  
in sua parochia, vel in sepulchro suorum maiorum,  
siue sit familiare, siue hæreditarium. Renuncians be-  
neficio, siue illud resignans, sepeliendus est in Eccle-  
sia, in qua desinit esse beneficiatus, seu Canonicus,  
aut Prælati: ita Medic. *in d. tract. de sepult. quest. 7.*  
*num. 8. & multis sequentib.*


15. Filius autem in sepultura parentum: *cap. 1. de se-  
pult.* sed si alia Patris, alia Ani sit sepultura; præfer-  
tur illa in qua patris ossa quiescunt. Ioan. Andr. *in*  
*cap. 15. de sepult. in 6.* † Spurius tamen sepeliendus

16. est in sepulchro matris, nisi viuo patre fuerit legiti-  
matus: *arguenn. l. si qua illustris. Cod. ad Orfician.*  
Legitimus verò potius in paterno, quam materno

17. sepulchro. Medic. *loc. citat. num. 22. & 23.* † Vxor  
verò in sepulchro viri, si fuerit ad eius domum tra-  
ducta; dummodo non interuenerit sententia separa-  
tionis thori, nulla sequuta reconciliatione; & dum-  
modo ad secunda vota non conuolauerit: tunc enim  
in sepulchro secundi mariti sepelienda est. Medic. *loc.*

18. *citat. num. 26.* † His deficientibus, vltimo loco in

parochia sepeliendus est defunctus, in qua Sacra-  
menta recepit: nam sepulchrum maiorum primum  
locum obtinet, & Ecclesiæ parochiali præfertur: *cap.*  
*1. de sepult. cap. 2. eodem tit. lib. 6.* † Reliqua quæ ad  
materiam sepulturæ spectant, fusiùs prosequitur  
Sebast. Medic. *in dicto tract. de sepulturis,* & Molfes.  
*in summ. dicto tract. 13. cap. 8.* Ricc. *in dicta praxi*  
*rer. for. Eccles. de prax. sepult.* Baibos. *de iur. Ec-*  
*cles. vniuers. lib. 2. cap. 10. & in tract. de offic. & po-*  
*rest. Paroch. capit. 26.* Hostiens. *in summa, tit. de*  
*sepult.*



## CAPVT CXV.

De pœna hæredi imponenda, qui testatoris  
defuncti animæ curam non habuit; illique  
ad mortem properanti Medicum spiritua-  
lem, hoc est Parochum non adhibuit. De  
obligatione Parochi visitandi parochia-  
nos suos infirmos. An & quomodò priue-  
tur successione defuncti, qui illum in Ci-  
uitate peste infecta dereliquit, & ab illo  
loco aufugit.

## S V M M A R I V M.

1. Qui infirmo laboranti Medicum non adhibuit,  
illius successione indignum se reddit.
2. Maritus non potest se iuuare pacto lucranda do-  
tis, si vxori infirma non adhibuerit Me-  
dicum.
3. Idem dicendum in successione Maioratus: quia illo  
se reddit indignum, si vltimo possessori infir-  
mo Medicum adhibere neglexit.
4. Regula generalis est, illum qui sperat lucrum ob  
mortem alicuius, eo priuandum esse, si Me-  
dicum infirmo adhibere non curauerit.
5. Mater qua liberos tempore pestis dereliquit, illo-  
rum successione priuata fuit.
6. Curans, vel curari faciens infirmum, non red-  
ditur indignus, si aliquid ex accidentibus  
omiserit.
7. Qui infirmi curam habet, non tenetur de leuis-  
sima culpa.
8. Imputandum est Parocho qui non visitauit infir-  
mos, & illi Sacramenta Ecclesiæ non mini-  
strauit.
9. Parochus tenetur singulis diebus infirmos visita-  
re, & prouidere ne sine Sacramentis dece-  
dant.
10. Qui infirmi curam non gerit, excusatur; si ade-  
rant alij qui curam suscipiebant, vel susci-  
pere debebant.
11. Qui negligit animam dicitur causare mortem  
anima, qua deterior omnino est morte cor-  
poris.
12. Qui vxorem, aut liberos peste infectos dereliquit  
in loco pestifero; non reddit se indignum,  
si eis prouiderit de omnibus rebus neces-  
sariis.
13. Impugnatur Castrensis sententia dicentis, non  
adhibendos Medicos, quando salus agrotan-  
tis est probabiliter desperata.
14. Explicatur decisio Coleri de qua supra, num. 5.  
vt locum habeat quando quis aufugit à loco  
pestifero, relictis personis quarum curam  
habet.

*habet; veluti liberis, pupillis, matre, & aliis similibus personis, quæ nondum erant peste infecta.*

15. *Mulier quæ accusabatur quod marito Sacramenta administrari non curauerat, fuit absoluta: quia nulla eius lata culpa, vel dolus probatus fuit.*

**H**onestæ quædam mulier à marito hæres instituta, indignitatis & ingratitude arguebatur, quod marito in extremis laboranti, sacrosancta Ecclesiæ Sacramenta ministrari minimè procurasset: qua de causa prætendebatur ipsam mariti successione non mereri, & donationem illi factam ex capite ingratitude reuocandam esse.

1. Indignum siquidem illum dicimus, qui infirmo testatori Medicum non adhibuit: *l. indignum. ibi si culpâ & negligentia hæredis moreretur. ff. de his quibus ut indign. & ibi Glossa exemplificat in eo, qui*
2. Medicum non adhibuit, vel malum. *† Idem in l. si ab hostibus. §. final. ff. solut. matrim. vbi maritus non potest se iuuare pacto lucranda dotis, si vxori infirmæ non adhibuerit Medicum: & hoc deducit ibidem Barbof. num. 1. iuncto num. 13. versic. hanc tamen ampliationem. post Baldum, consil. 26. Punctus. num. 4. volum. 3. Ripa, in l. final. num. 155. Cod. de reuocand. donat. & hoc casu perinde punitur vxor, priuatione lucrorum; ac si maritum occidisset: *l. quod si nolit. 31. §. si mancipium. ff. de Edilitio Edicto, l. necare. ff. de liber. agnoscend. & Barbof. loc. citat. num. 32. versic. his ita expeditis. Molin. de priuog. lib. 3. cap. 2. num. 33. † Vbi dicit, quod filius primogenitus qui parentem infirmum non curauit, aut ei Medicum non adhibuit; non succedit**
4. in Maioratu. *Mascard. conclus. 1286. num. 134. † vbi proponit regulam generalem, quod quicumque sperat luctum ex morte alterius, non debet illud accipere, si causam dedit morti; aliquid faciendo, vel negligendo: vnde si maritus, muliere peste laborante, vel parturiente, aufugerat; lucra dotalia amittere*
5. censuit *Addit. ad decis. Coleri 257. num. 18. † Et viduam, quæ liberos tempore pestis à se in Xenodochium repulerat, eorum successione priuandam esse fuit decisum apud eundem Colerum decis. 159. num. 12. & 15.*

Quod si præmissa procedunt in eo, qui infirmitatem corporis neglexit; & Medicos corporis non adhibuit: multò magis, hæc vidua ingratitude, & indignitatis notam incurrisse censenda est, quæ marito animam exhalanti Confessarium adhibere, & Parochum in auxilium exeuntis animæ euocare noluit; forsân vt faciliùs bona occultaret, aut vt ad mortem faciliùs maritum properare permitteret, & corporali carentem remedio, & salutaribus animæ subsidiis destitutum.

Verùm, his non obstantibus, Viduam hanc honestæ conditionis, & vitæ, ac bonæ famæ mulierem, non solùm excusandam; sed etiam ab omni culpa immunem declarandam Censui, ac à mariti hæreditate nulla ratione repellendam: prout in effectu mariti bona postea pacificè possedit. Primò, quia vidua durante mariti infirmitate, quæ longa & diuturna erat; sapiùs illum ad Ecclesiam in cathedra deferri curauerat, vt ibi missam diebus festis audiret, & sanctissimam Eucharistiam suscipere. Deinde in ualescente morbo, ita vt ad templum deferri sine periculo non posset; admonuerat Parochum, imò & illi quintodecimo ante mortem die, & extremam Vnctionem, & Sacratissimum Viaticum præberi procurauerat. Quod si deinde subito, & non Expe-


ctato euentu, mors inopinato tempore superuenerit; nihil vxori imputandum est, quæ casum istum præuidere non poterat: ex notatis per Bald. *in l. que fortuitis. Cod. de pign. action. colum. 6. versic. venio ad leuissimam. num. 13. vbi dicit, † quod curans, vel curari faciens infirmum, non tenetur si aliquid omiserit ex contingentibus, propter quod veritabiliter res salua esse potuisset: ista enim est leuissima culpa. † Et is qui infirmi curam habere debet, non tenetur de leuissima culpa, Gloss. in dicta l. quod si nolit. 31. §. mancipium. in verb. culpam. ff. de Edilit. Edict. textus autem in dicta l. indignum. qui loquitur de eo qui mortuus est ob culpam hæredis, intelligendus est de culpa lata, seu saltem leui; & non de leuissima: *l. in venditione. §. de tempore. & ibi Gloss. in verb. culpa. ff. de bon. author. iudic. possid. & ibi Barthol. & ideo qui nullum adhibuit Medicum, vel non adhibuit peritum, tenetur quidem, & pro indigno habendus est: vt explicat Gloss. in dict. l. indignum. Sed ista mulier non peccauit in substantialibus, adhibuit enim Parochum, qui Medicus est spiritualis animarum: vnde si aliquid ex contingentibus euenerit, non ideo indignitatem incurrit. *Natt. consil. 462. & post ipsum Mantic. de coniect. ult. volunt. lib. 12. tit. 5. num. 10.***

Præterea si quæ adfuerit culpa, non ipsi vxori sed Parocho imputanda erat; cuius officium est, ad visitandos infirmos, accedere, eosque opportunis remediis iuuare; idque maximè, & maiori cum obligatione, quando infirmi incipiunt agonizare; cum tunc sint in eo statu, à quo vel in bono, vel in malo dependet æternitas: vt dicit Barbof. *de offic. Paroch. cap. 7. num. 26.* Parocho igitur non hæredi imputandum est, si quid omissum fuerit, vel neglectum; cum sit approbatus ab Episcopo, & in officio suo expertus: *argum. l. 1. ff. si mensor falsum mod. dix. l. illicitas. §. sicuti ff. de offic. Præs. l. Medico ff. de var. & extraord. cognit. cap. proposuisti. & ibi DD. de probat. Rota Auen. decis. 21. num. 2. † Neque expectare debet Parochus vt moneretur; sed ex officio tenebatur se se informare de statu infirmi, & quotidie debebat illum visitare, ne sine Sacramentis moreretur. *Ricc. in praxi rer. for. Eccles. in praxi pœnarum. decis. 350. vbi dicit Parochum qui permiserat culpâ seu negligentia infirmum decedere sine Sacramentis, fuisse suspensum ab exercitio suæ Curæ per biennium: quia cum in officio suo deliquisset, consequenter debebat in eo puniri: sequitur ergo huic viduæ nihil esse imputandum nec illam de ingratitude erga maritum argui posse.**

Vnde non obstant rationes in contrarium adductæ: quia licet negari non possit hæredem, qui salutem animæ defuncti neglexit, si dolo malo, vel latâ culpâ id actum sit: perinde incidere in vitium ingratitude, ac si corporis curam neglexisset: (quando videlicet non aderant alij proximiores, vel qui id muneris meliùs obire poterant:) vt explicat *Alex. consil. 123. num. 4. volum. 7. Ruin. consil. 139. num. 3. & 4. volum. 4. quia † animæ salus præualet sanitati corporis: l. sancimus. 17. & ibi DD. Cod. de sacros. Eccles. Et triplex est mors, vna videlicet corporis, alia spiritualis, tertia gehennalis: *distinct. ult. de pœnit. in fine, in illis verbis: qui autem impœnitens moritur, omninò moritur: sed in casu proposito nulla nequidem leuis aderat culpa; sed potiùs casus fortuitus, & nullo modo præuisus: quia cum longa esset infirmitas, non tam citò, nec tam inexpectato euentu moriturus testator credebatur: vt supra dictum est.**

Quod autem de eo, qui defunctum peste afflictum

- etum neglexit, superius dictum est; locum non habet si aufugiens à loco pestifero, vxorem vel liberos iam peste laborantes dereliquit; dummodo eis necessaria tam pro victu, quam pro cura infirmitatis reliquerit. † Nunquam enim approbarem doctrinam Castrenf. in dicta l. si ab hostibus. 11. §. final. num. 3. ff. solut. matrim. dum voluit quòd si vxor tali peste erat infecta, vt inutilis esset Medicorum assistentia, quia omnes communiter moriebantur; nihil marito imputandum est, si vxori Medicos non adhibuerit: quia docuit experientia tempore acerbissimæ contagionis, multos qui desperati credebantur euasisse: & idèd etiam in ultimo vitæ spiritu constitutis, & deploratæ salutis, semper remedia adhibenda sunt: quia quamdiu anima est, spes est. Rota Auen. decis. 21. num. 5. † Decisiones verò superius ex Colero allegatæ, veræ sunt in casu suo, nempe quando antequam liberi, mulier, maritus, aut similis persona peste inficerentur; mater, maritus, aut alij, apud quos harum personarum sollicitudo esse debebat, aufugerunt relictis illis personis in loco peste infecto: tunc enim negari non potest, quin incursum fuerit vitium ingratitude; & quin in morte subsecuta, culpæ latæ rei sint: quia personas illas in loco peste infecto dimittere non debebant: vt tradit Rip. in tract. de peste, tit. de priuileg. contract. num. 204. & post ipsum, Barbof. in d. l. si ab hostibus. 11. §. fin. ff. solut. matrim. num. 35. sed hæc nihil ad casum nostrum. † Ideo mulier ista ab hac prosecutione seu persecutione immunis euasit.



## CAPVT CXVI.

Matrimonio per verba de futuro contracto, quòd & quale interesse peti possit, contra recusantem adimplere illud in facie Ecclesiæ. Quid si per verba de præsentis, & matrimonium nondum sit consummatum, & vnus ex coniugibus alio inuito religionem profiteatur; vtrum sit locus repetitioni expensarum, & petitioni lucrorum ex conuentionibus matrimonialibus debitorum; an verò mors naturalis sit expectanda. Quid dicendum, si ambo coniuges consummato matrimonio profiteantur religionem. Quid si coniugium declaretur nullum ex capite impotentia, aut separetur tantum quoad habitationem, & thorum.

## S V M M A R I V M.

1. Qui sponsalia contraxit per verba de futuro, si promissionem adimplere recuset, tenetur ad interesse damni emergentis; non tamen lucri cessantis: quod exemplis demonstratur.
2. Interesse aduersus recusantem adimplere matrimonium promissum peti potest coram iudice Ecclesiastico, vel seculari.
3. Matrimonio per verba de præsentis contracto, sed nondum consummato; potest alter ex coniugibus religionem ingredi: & datur illi tempus duorum mensium ad deliberandum super hoc.

4. Vxor nondum traducta ad domum mariti, non lucratur augmentum, nec iocalia secundum quosdam: quia dantur in premium virginitatis amissa.
5. Afferuntur DD. contrarium sentientes; alij verò afferentes hanc questionem Imperiali decisione indigere.
6. Statuto Auenionensi cauetur, lucra deberi statim post donationem corporum inter coniuges factam.
7. Lucra debentur coniugi dum alter ingreditur religionem, non expectatà morte naturali ex veriori Rota Romana sententia.
8. Mors civilis, & naturalis quando equiparentur.
9. Quando idem statuendum sit in casu vero; & in casu ficto.
10. Implementum fictum quando aequiualet vero.
11. Iocalia missa ad coniugem, si religionem ingrediat, restituenta sunt.
12. Per ingressum in religionem Societatis Iesu, non dissoluitur matrimonium ratum, non consummatum.
13. Vbi adest impotentia, ab initio matrimonium est nullum: nec datur dos, nec lucra tali casu.
14. Sed in hac questione distinguendi sunt casus scientie vtriusque coniugis, vel ignorantie impedimenti in utroque; & scientie in donatore, ignorantie in donatario; vel è contra: num. 15. 16. 17.
18. Quando vterque coniux consummato matrimonio profiteatur religionem, tunc de iure communi lucra non debentur statim; sed duntaxat post mortem naturalem.
19. Intellige si ambo profiteantur: nam si vnus tantum profiteatur; qui remanet in saculo, statim factà alterius professione, lucra sua facit.
20. De iure Gallico mors civilis aequiualet naturali, & lucra debentur statim, non expectatà morte. Intellige vt num. 21.
22. Matrimonio ob coniugis seuitiam separato, locus est restitutioni augmenti; & iocalium.
23. Si vxor, consummato matrimonio, à marito sine causa, & ex sola animi leuitate recedat; tenetur marito reddere iocalia qua secum tulit.

PROVT matrimonium variis modis dissoluitur, vel separetur; ita & variæ occurrunt quæstiones, circa augmentum, lucra dotalia, vestes & iocalia; ex consuetudine, vel statuto, aut etiam ex pacto alteri ex coniugibus in casum superuitæ debita, vel promissa: ideo singuli casus separatim tractandi, & considerandi sunt.

Primus casus est quando matrimonium fuit contractum duntaxat per verba de futuro, & vnus ex sponfis recusat contrahere in facie Ecclesiæ per verba de præsentis: & hoc casu duplex considerari potest interesse, aduersus sponsalia adimplere recusantem: alterum lucri cessantis, alterum damni emergentis. Interesse lucri cessantis in eo consistit, quòd vxor v. g. virum diuitem habitura fuisset, & ab eo iocalia, pensiones viduales, augmentum seu lucrum dotis, & similia: aut vicissim maritus diuitem vxorem fuisset habiturus, & ab ea amplam dotem, &c. & hoc interesse lucri cessantis peti non potest, etiam si interuenisset pactum expressum de eo soluendo, tempore sponsaliùm contractorum initum: quia hoc nimum restringit libertatem, quæ magna in matrimonio esse debet. Præterea lucra huiusmodi non debentur, nisi occasione Matrimonij per verba de præsentis



fenti contracti: adeo vt multi dubitent, vtrum debeantur ante consummationem, vt mox dicitur: ergo nondum contracto per verba de præfenti matrimonio, minus debentur; aut in pactum quasi loco pœnæ deduci possunt. Quæ ratio locum non habet, ratione interelle damni emergentis, quod non quidem peti potest tanquam pœna; sed tanquam verum, & reale damnum, passum ob culpam illius, qui fidem violat; & matrimonium perficere recusat. Vnde si quis expensas fecerit, in vestibus, conuiujs, annulis, iocalibus, & similibus, damnum istud, quatenus verè & realiter passus fuit, repetere potest à recusante, & fidem promissam seruare renuente: ita tradit Bonacin. *de matrim. quest. 1. punct. ult. n. 6.* post Sanch. *de matrim. lib. 1. disput. 30. num. 14. 15. & 16.* vbi huius sententiæ veritatem aduersus contrariū sentientes bene confirmat, & sequitur Gutier. *in eod. tract. de matrim. c. 17. n. 14.* Barbos. *in c. gemma. n. 5. de sponsal.*

2. Istam autem actionem, pro restitutione damni emergentis, aduersus sponsalia perficere per celebrationem matrimonij recusantem; coram iudice Ecclesiastico, vel sæculari ad libitum intentare licebit: quia est distincta, & separata ab actione, super validitate matrimonij. Nam si sponsus sponsam cogere vellet ad perficiendum matrimonium; quoad hunc articulum laicus iurisdictione caret. Sanch. *loc. citat. disput. 29. num. 9. lib. 1.*

3. Secundus casus est, quando matrimonium est quidem ratum, & contractum per verba de præfenti, nondum tamen consummatum: quo casu licet vxori, vel marito, aut vtrique religionem ingredi; & illi qui declarat se velle religionem ingredi, datur bimestre ad deliberandum: iuxta text. *in cap. ex publico. de conuers. coniug.* Circa quod plura tradit Sanch. *de matrim. lib. 2. disput. 18. & sequentib.* Et hoc casu, adhuc dubitatum fuit in facti contingentia, vtrum is qui remanet in sæculo, per quem non stat matrimonium consummetur, petere possit lucrum dotis, seu augmentum, iocalia, & alia lucra in casum prædecessus superuiuenti promissa: Quæstio est pulchra, & difficilis.

4. Primò enim, multi Doctores censuerunt, quòd si vxor nondum fuerit ad domum mariti traducta, aut aliter matrimonium non fuerit consummatum; non est locus petitioni augmenti, & pactis de lucro dotis, aut similibus lucris; quæ non videntur deberi, nisi propter deflorationem vxoris, & in præmium amissæ virginitatis. Cancet. *lib. 3. variar. resol. cap. 11. de spons. num. 115. & sequentib. & lib. 2. cap. 1. quest. 30. per totam, à num. 67. in nouis.* Tiraquell. *ad leg. conub. l. 16. glos. 2. n. 18. & sequentib.* Sanch. *de matrim. lib. 6. disput. 19. num. 3.*

5. Alij verò, in contraria fuerunt sententia; nempe quòd statim contracto per verba de præfenti matrimonio, augmentum illi debetur per quem non stetit quominus matrimonium consummaretur. Molin. *de pact. dotal. lib. 3. quest. 16. num. 41. & sequentib.* vbi alios citat. Boër. *decis. 22. num. 33.* quem citat, licet ipse nihil resoluat Fontan. *de pact. nuptialib. claus. 7. gloss. 1. part. 1. n. 29.* & satis ambiguè loquitur etiam in hac quæstione Cod. Fabrian. *lib. 5. tit. 7. de fin. 1. n. 9.* Eandem sententiam, quòd statim contracto matrimonio, licet nondum consummato, sit locus lucris dotalibus; tenet Gaill. *lib. 2. obseruat. 80. n. 3. & seqq.* & adducuntur plures DD. pro vtraq; sententia asserentes pro se communem adesse Doctorum opinionem: vt dicit Cenalos *commun. opin. quest. 110.* Rot. *decis. 307. n. 2. par. 6. recent. & decis. 237. n. 3. & 5. eadem par. 6.* adeo vt quæstionè istam Imperiali decisione indigere dixerit Minsinger. *centur. 6. obseru. 78.*

Quod attendentes statutorum Auenionensium conditores, prudenter statuerunt augmentum dotis, seu donationem in casum prædecessus factã in contractu matrimonij statim deberi, post traditionem corporum, seu matrimonij contractum in facie Ecclesiæ, per verba de præfenti: vt habetur *lib. 1. Rubric. 69. artic. vnic.* his verbis. *Quia saepe contingit fieri in contractu matrimonij etiam per verba de futuro, donationem per maritum vxori; si maritus ante uxorem moriatur: & hæsitatur an non soluta dote constituta, debeat in solidum dicta donatio; an verò pro rata tantum dotis soluta: huic dubitationi providere volentes, Statuimus; quòd si dos fuerit ab alio quàm ab vxore constituta, prædicta donatio debeat, etiam dote non soluta; cum marito imputari possit, quòd dorem à constituyente non exegerit: quæ donatio locum habeat statim post donationem corporum.*

Dubium hoc aliàs in terminis vxoris religionem ingredientis, fuit decisum per Rotam Romanam, *decis. 92. diuers. par. 2.* in qua conclusum fuit lucra dotalia deberi, quando non stat per coniugem quominus matrimonium consummaretur; quamuis alter coniux religionem ingrediens, nondum naturaliter, sed tantum ciuilitè per ingressum religionis mortuus fuerit: † quia mors ciuilis æquiparatur naturali quando post mortem ciuilem frustra expectatur naturalis: vt ex communi opinione tradit Rota, *dict. decis. 92. num. 10.* quidquid alij in contrarium dixerint. † Et quando casus verus, & casus fictus æquiparantur; dispositum in casu vero; locum etiam habet in casu ficto: vt ibidè, per Rotam, *n. 5. † & implementum verum, & fictum, eiusdè sunt virtutis. l. Iure civili. ff. de condit. & demonstr. & sic lucrum dotis debetur etiam non consummato matrimonio, si alter religionem ingrediatur, ex sententia Rotæ.*

Quoad iocalia verò ad sponsam missa, & expensas occasione matrimonij factas; non videtur dubitandum, quin coniugi in sæculo manenti restitui debeat: vt fuit decisum per Rotam apud Ludouis. *decis. 474. & in recent. decis. 113. part. 1.* vbi dicitur hoc locum habere tam in sponsa, quàm in vxore *n. 2.* & faciunt tradita supra *n. 1. & seqq.* Quia si illa procedunt in sponsa, multò fortius in vxore, in qua maius est vinculum, & maius damnū erga maritum, vel respectiue in vxore erga maritum dissoluentem matrimonium contractum per verba de præfenti, per ingressū religionis.

Notandum tamen prædicta non procedere in religiosi Societatis Iesuitarum: quia per ingressum Societatis non dissoluitur matrimonium ratum, & non consummatum. Cum enim emittant professionem post longum tempus, non esset conueniens vt alter coniux tanto tempore expectare cogereretur. Ita declarauit sacra Concilij Congregatio apud Barbos. *in decis. Apostol. collect. 465. num. 30.*

Tertius casus est, quando matrimonium fuit quidem celebratū in facie Ecclesiæ, & subsequuta vxoris traductio ad domū viri; sed postea detecta impotentia perpetuā matrimonium dissoluitur: hoc casu videtur dicendum non deberi iocalia, nec lucrum dotis, vel augmentum: quia vbi adest impotentia, matrimonium est à principio nullum: *cap. 2. & ibi DD. de frigid. & malefic.* Bonacin. *de matrim. quest. 3. puncto 13. n. 9.* Sanch. *lib. 7. disput. 92. n. 2.* vbi autem non adest matrimonium, non adest dos, neque lucrum, neque donatio propter nuptias. Gomes. *ad l. 50. Tauri. num. 7.* Barbos. *in l. 2. ff. solut. matrim. par. 1. n. 158.* & ita determinauit Rota Romana *decis. 237. num. 8. part. 6. recent.*


Et tamen hæc Rotæ sententia non ita simpliciter, sed cum distinctione intelligenda est: & primò quidè videndum

videndum est, vtrum is qui donauit vestes, iocalia, augmentum, vel lucrum dotis, & similia; sciuerit & notitiam habuerit suæ impotentia, aut alterius impediementi; & donauerit ignoranti tale impediementum: & hoc casu, quia donator fuit in dolo, non habet repetitionem, vel conditionem rerum donatarum: *l. anrepenult. ff. de donat. inter vir. & vxor.* Bellonus senior *consil.* 84.

15. Si verò donans impedimentum ignorauerit, errans in facto, credens mulierem esse potentem, vel se etiam aptum ad matrimonium existimans: hoc casu ratione bonæ fidei repetit data, & habet conditionem aduersus tales promissiones, tanquam cessante causâ propter quam factæ fuerunt. Ioan. Baptif. Cost. *de facti scientia, distinct.* 82. *numer.* 7. *centur.* 1. Caualkan. *decif.* 58. *n.* 23. *par.* 2. Vincent. de Franch. *decif.* 52. & *ibi* Addent.
16. Secundò, si vterque coniux sciuerit impedimentum; ratione malæ fidei donationes non subsistant, & pro non factis habentur. Idem si donans ignorauerit, donatarius verò sciuerit impedimentum. Nouarius *in Addit. ad decif. de Franchis, 52. in 2. & 3. casu,* Sanch. *de marrim. lib.* 6. *disput.* 2. *per tot.* Fontanel. *de pact. dotal. claus.* 4. *gloss.* 1. *num.* 66. Intelligendo quod ibi dicitur de confiscatione, quando agitur de incestis nuptiis, aut aliàs à iure sub tali pœna reprobatis: quia leges intelligendæ sunt, vt pœnam non extendant ultra casum ipsarum: vt bene notauit Peregr. *in tract. de iure fisci lib.* 3. *tit.* 5. *num.* 14.
17. Tertio, si vterque coniugum impedimentum ignorauerit, nulla debetur donatio, nec lucrum seu augmentum; sed data hinc inde restituntur conditione sine causa. Sanch. *lib.* 2. *disput.* 2. & *disput.* 20. *num.* 3. Barbof. *dict.* l. 2. *num.* 158. *ff. solut. marrim.* Mantie. *de tacit. conuent. lib.* 12. *tit.* 33. *num.* 50. Nouar. *ad dictam decif.* 52. *in 1. casu.*
18. Quartus casus est, quando consummato matrimonio coniuges zelo deuotionis ducti religionem ingredi desiderant: qui casus mihi occurrit in negotio maximè ponderis, inter personas potentissimas; quarum summa pietas toti Gallia cognita est: & hoc casu Dixi diuersimodè respondendum esse secundum iuris communis constitutiones diuersas ab iis quæ in supremis Gallia Tribunalibus decidi solent. Nam ex iuris communis dispositione nonnulli DD. existimarunt, ad hoc vt sit locus lucro dotis, expectandâ esse mortem naturalem coniugis; nec sufficere mortem ciuilem per religionis ingressum: Ancharan. *consil.* 438. *num.* 4. & *consil.* 273. Roland. *de lucro dot. quest.* 60. *num.* 6. 7. & 8. † Quorum sententia vera est, quando ambo coniuges de communi consensu ingrediuntur Monasterium; secus si vnus ingrediatur, altero in sæculo remanente, seruatis iis de quibus *in tit. de conuers. coniugat.* & hoc casu verius videretur manentem in sæculo, statim lucra matrimonialia acquirere post professionem, & mortem ciuilem coniugis; non expectatâ illius morte naturali: text. est *in §. sponsalibus. in versic. si verò constante. & vers. seqq. de sanctiss. Episc. collat.* 9. & *ibid.* Angel.
20. De iure verò Gallico, mors ciuilis hoc casu æquiparatur morti naturali, statimque viro, vel vxore ciuilitè mortuis, locus est petitioni conuentionum matrimonialium: vt decisum refert Add. ad Louet *litt. C. num.* 26. † Non tamen locus est petitioni illius summa, quam vnus ex coniugibus sibi præcipuam, iuxta Gallia consuetudinem stipulatus est; cuius respectu mors ciuilis locum petitioni non aperit: sed mors naturalis expectanda est. Idem Additionator ad Louet, *littera L. n.* 14. *versic. autre chose est du precipu stipulé en cas de predecés.*

Quintus casus est, quando matrimonij separatio fit duntaxat quoad thorum, & habitationem: tunc iocalia, & alia lucra pertinent ad illum ex coniugibus, qui sine culpa est; & ille qui culpa sua diuortio causam dedit priuatur illis lucris, nec mors coniugum expectanda est: *l. 3. Cod. de repudiis, l. si cum dorem. 23. ff. solut. marrim. l. cum quarebatur. 120. ff. de verb. signif. cum aliis allegatis per Adden. ad Louet, dicta littera L. num.* 26. Et quòd hoc casu locus sit restitutioni dotis faciendæ vxori, nec non augmenti, & iurium matrimonialium, si separatio fiat propter scuitiam viri; tradit Vincent. de Franch. *decif.* 244. Seraph. *decif.* 1318. & 1325. Chenu *quest.* 42. & de augmento Surd. *de aliment. tit.* 7. *quest.* 16. *n.* 31. Gratian. *discep. forens.* 159. *n.* 9. & 10. Farin. *de delict. carn. quest.* 143. *n.* 188. Menoch. *consil.* 1124. *n.* 17. Roland. *consil.* 50. *n.* 4. & 16. *volum.* 1. Rota. *decif.* 10. *n.* 7. *par.* 4. *recent. tom.* 2. vbi alius casus proponitur.

Sextus casus, quando constante & consummato matrimonio vxor sine vlla mariti scuitia, aut alia iusta causa cessante, ex muliebri leuitate recedit à domo mariti, & secum iocalia sua extra eius domum transportat: & hoc casu, potest maritus obtinere vt vxor cogatur iocalia asportata sibi restituere, & illorum vsum ab vxore reuocare, non quidem actione rerum amotarum, sed actione legis Aquiliae; cum proprietates iocalium per maritum vxori traditorum, ad ipsum maritum constante matrimonio pertineat: vt bene comprobatur Rota. *dict. decif.* 10. *per totam.*



## CAPVT CXVII.

De contractu matrimonij inter raptorem & raptam. Quid de eo qui alienam sponfam per verba de futuro, aut etiam de præsentem alteri coniugatam rapuit, & ad aliam ciuitatem & Monarchiam deduxit: vtrum, & quando ciuilitè & criminaliter hoc casu agi possit: & an causa criminalis sit præiudicialis actioni, super nullitate Matrimonij ex causa metus, aut alia, posterius intentatæ. De pœnis raptus tam de iure Ciuili, quàm ex Concilio Tridentino. Denique vtrum puella hoc casu sit sequestranda, lite pendente.

## S V M M A R I V M.

1. Actio ciuilis & criminalis si ab eodem fonte procedant; criminalis vti maior, prius est decidenda & tractanda.
2. Si ex diuersis fontibus, separatim tractantur, nec vna aliam impedit.
3. Si ex eodè fonte procedant, præiudicialis prius est tractanda, & sufficit possibilitas præiudicij.
4. Si iudex nolit prius causam præiudicialem tractare, locus est appellationi.
5. Causa raptus est præiudicialis causa matrimonij respectu raptoris.
6. Ex Concilio Tridentino, matrimonium contrahi potest inter raptorem & raptam, dummodò hæc sit constituta extra raptoris potestatem.
7. Rapiens desponsatam mulierem per verba de præsentem, prohibetur cum illa, & cum alia quacumque matrimonium contrahere; præsertim si illa à raptore cognita fuerit.

8. Dispensationes matrimoniales non solent concedi nisi cum clausula, dummodo rapta non fuerit.
9. Ex mente Senatus Parisiensis, non potest tractari causa super fœdere matrimonij, nisi prius finita causa raptus.
10. Mulier, que in raptu de eius persona facta, culpam admisit; non potest cum rapto, nec cum alio matrimonium contrahere.
11. Pœna, quibus quis prohibetur nubere ex causa delicti, in desuetudinem abierunt.
12. Hodie solum votum, sponsalia, & interdictum, præbent impedimentum matrimonio.
13. Causa adulterij quoad pœnas, præiudicialis est causæ matrimonij, quando nullitas matrimonij fundatur in defectu consensus; veluti propter votum: secus si ob affinitatem.
14. Actio adulterij datur etiam aduersus sponsam per verba de præsentis.
15. Socrus potest pro raptu in personam nurus commissio querelare.
16. Index alius quàm ordinarius Ecclesiasticus, de matrimonio indirectè cognoscere potest.
17. De iure Ciuili, pœna raptus est pœna mortis naturalis, si interueniant requisita ad raptum; & quæ illa sint.
18. Ad raptum requiritur traductio de loco, ad locum.
19. Item quòd sequatur copula cum vi, aut persuasione dolosis.
20. Mulier in dubio præsumitur seducta ad raptum.
21. Voluntas mulieris consentientis non excusat à pœna raptus; si inuitis, aut duntaxat ignorantibus parentibus, aut iis, sub quorum custodia erat, abducta fuerit.
22. Raptus in mulierem coniugatam grauius punitur.
23. Quæ sit pœna raptus ex Concilio Tridentino.
24. Pœna raptus ex Concilio imponenda non est locus, nisi factus fuerit causâ matrimonij contrahendi.
25. Quo animo raptus factus fuerit probatur coniecturis.
26. In dispensationibus matrimonialibus apponitur hodie clausula, dummodo propter hoc rapta non fuerit: id est, eo animo ut matrimonium contraheretur.
27. Ad pœnam iuris ciuili, contrarium probandum est, nempe raptum fuisse factum causa explenda libidinis.
28. In raptu sponsa aliena, etiamsi causâ matrimonij, vel causâ libidinis tantum, raptus sit commissus; locus est pœna tam Ciuili, quàm Canonica.
29. Factores, & auxiliatores raptus; eadem pœnâ, quâ principales, puniuntur. Quid de associantibus; ibidem.
30. Mulier agens ad nullitatem ob causam metus, sequestranda est lite pendente.
31. Multò magis si accusetur de delicto, poni poterit in sequestro loco carceris.

Contraxerat quidam nobilis adolescens matrimonium per verba de præsentis, in facie Ecclesiæ, cum eiusdem conditionis puella; nondum tamen consummauerat: cum alius quidam puellam ad exterâs ciuitates deduxit; & à parentum, sub quorum custodia, & sequestro extraiudiciali posita fuerat, ipsis inuitis, vel saltem, minimè consentientibus, abstulit: ex quo propositæ fuerunt quæstiones sequentes.

Primò vtrum potestâ querelâ & accusatione criminali contra raptorem, & non contra raptam; ipsa mulier agere possit ad nullitatem matrimonij: sub

prætextu quòd illud metu impulsa contraxerit, aut aliâ de causâ, quandiu pendebit lis criminalis super raptu, contra solum raptorem intentata.

Et quid si contra vtrumque, nempe raptorem, & raptam; vtrum hoc saltem casu, causa criminalis super raptu, sit præiudicialis, & faciat in ciuili super fœdere matrimonij supersederi, donec causa criminalis fuerit terminata.

Secundò, vtrum aliqua ratione impediri possit, ne causa illa super matrimonij nullitate, coram Ordinario Ecclesiastico pertractetur.

Tertiò, quam pœnam mereatur raptor tam de iure Ciuili, quàm ex Concilio Tridentino.

Quartò, si puella rediret, vtrum sequestranda esset tam pendente lite super raptu, quàm super nullitate matrimonij.

Pro resolutione primæ difficultatis repetenda sunt quæ nos aliàs diximus in tract. de præuent. iudiciali. cap. 15. num. 24. & sequentibus. Quòd si causa ciuili & criminalis oriantur ex eodem fonte, quamuis ciuili fuisset prius intentata: si tamen superueniat criminalis, ipsa tanquam maior, & grauior facit vt supersedeatur in ciuili: l. 1. Cod. qui accusari non possint Rot. decis. 118. num. 1. par. 3. recent.

E conuerso, si procedant ex diuersis fontibus, quælibet causa tali casu separatim potest intentari, nec vna aliam impedit. Bartol. in l. 1. §. penult. ff. de verb. obligat. Gratian. discept. forens. capit. 394. num. 14.

Dum ex eodem facto oriuntur, vna alteri præiudicialis producit exceptionem rei iudicatæ respectu alterius; quod procedit, siue producat, siue possibile sit quòd producat: quia quoad hoc, sola possibilitas attenditur. Ludouil. decis. 470. num. 17. † Et si iudex hoc casu procedat ad vltiora, non obstante litispendentiâ super causa præiudiciali, datur appellatio. l. 1. ff. de appellat.

His ita suppositis; videndum est, vtrum in casu proposito causa criminalis sit præiudicialis causæ super nullitate matrimonij intentatæ. Qua in re, duplex considerari potest respectus; Primò quoad raptorem. Secundò, quoad raptam.

Ratione raptoris; si ageretur de matrimonio inter ipsam, & mulierem raptam contrahendo: certum est ob causam criminalem super raptu, supersedendum esse in ciuili super fœdere matrimonij. † Licet enim verum sit secundum dispositionem Concilij Tridentini sess. 24. de reform. matrim. cap. 6. posse contrahi matrimonium inter raptorem, & raptam; dummodò rapta constituta sit in loco libero, & extra raptoris potestatem: Menoch. consil. 1083. num. 6. Farin. de delict. carn. quest. 145. num. 26. † Tamen quando raptus commissus est in mulierem alteri desponsatam per verba de præsentis; tunc non solum locus est pœnæ raptus, vt per Farin. dicta quest. 145. num. 30. sed etiam hoc casu prohibetur raptor matrimonium contrahere, tam cum illa, quàm rapuit; quàm cum alia quacumque. Bonacin. in tract. de matrim. quest. 3. puncto 14. num. 13. maximè si copula cum tali muliere rapta subsequuta fuerit: Sanch. de matrim. lib. 7. disputat. 12. num. 43. 45. & 46.

Sed consideratione dignum est, quod supponitur raptorem esse affinem mulieris raptæ in gradu consanguinitatis, vel affinitatis, impediente matrimonium; adeo vt necessaria sit dispensatio Apostolica, vt inter ipsos matrimonium subsistere possit: (etiam suppositâ nullitate matrimonij iam contracti); in talibus autè dispensationibus apponi solet, & ex stilo debet, hæc clausula dummodo propter hoc rapta non fuerit:


- & sic supposito raptu, non solet concedi dispensatio: vt bene aduertit Pirr. Conrad. *in tract. de dispensat. lib. 7. cap. 6. num. 53.* & de hoc adest expressa regula Cancellariæ 47. ergo causa raptus est præiudicialis causæ matrimonij: quia supposito raptu, non obtineri solet dispensatio.
9. Et in effectu cum aliàs in Senatu Parisiensi, similis quæstio proposita fuisset; Senatus existimauit causam raptus disceptationi causæ super fœdere matrimonij præiudicalem esse; nec hanc prius intentari posse, quàm illa finita & terminata esset: vt habetur apud Egid. Magist. *in placit. eiusdem Curia, lib. 12. tit. 7. de raptu, arrest. 1.*
10. Respectu verò ipsius mulieris, eadem propemodum præiudicij ratio subsistit, si cū ipso raptore (declaratâ prius nullitate) nubere contendat: quia stante prædicta affinitate, dispensatio non concedetur, nisi cognito prius an rapta fuerit; vt mox dictum est. Stante enim raptu, nec cum raptore, nec cum alio nubere poterit; supposito, quòd eius delictum, & culpa in raptu interuenerit: idque in pœnam delicti. Bonacin. *de matrim. quest. 3. puncto 14. num. 3.* Sanch. *lib. 7. disput. 12. num. 44.* per textum expressum *in can. statutum. 27. quest. 2.*
11. Erit tamen aduertendum; utrùm pœnæ circa matrimonium contrahendum ratione raptus abierint in desuetudinem, etiam hoc casu; prout generaliter tradunt DD. teste Diana *resol. moral. part. 3. tract. 4. cap. 259.* † solum enim votum, sponsalia, & interdictum, impediunt matrimonium hodiernis temporibus. Sanch. *de matrim. lib. 7. disput. 17. num. 9.* & in specie de pœna dicti *can. statutum. 27. quest. 2.* quòd hodie abierit in desuetudinem. Basil. Pont. *de matrim. lib. 6. cap. 14. num. 3. versic. denique puniuntur. iuncto num. 4.*
12. Tutius autem erit fundare præuentionem in actione adulterij per maritum intentanda, quàm nullitatis matrimonij, & accusationis ex capite adulterij: quæ actiones tales sunt, vt vna alteri præiudicet, si nullitas in defectu consensus, veluti propter metum, fundamentum habeat; secus si propter affinitatem, Farin. *de delict. carn. quest. 141. n. 62. & quest. 142. n. 16.* Ideo sententia ferenda in causa adulterij, exceptionem parit rei iudicatæ in causa matrimoniali; saltem quoad amissionem dotis, & alias pœnas.
13. De adulterio autem sponsum accusare posse, si per verba de præsentem matrimonium interuenerit, non est dubitandum: quia matrimonium qualecumque, neque spem matrimonij violare permittitur: *l. 1. §. penult. ff. ad leg. Jul. de vi public.* Farin. *de delict. carn. quest. 141. num. 50.*
14. Pro raptu etiam in nulum commissio; focero, criminali iudicio delictum prosequi, licet: *l. si confidas. 3. ff. ad l. Jul. de vi publica.*
15. Ad secundam quæstionem facilis est responsio: quia causæ matrimoniales coram Ordinario Ecclesiastico in prima instantia intentari debent, ex Concilij expressa dispositione, *sess. 24. de reformat. cap. causa omnes. 20.* indirectè tamen, & incidenter potest alius iudex de matrimonio cognoscere: ex Peguer. *decis. 42.* & ibi Adden.
16. Ad tertiam quæstionem responderetur, distinguendas esse iuris Ciuilis constitutiones, à iuris Canonici, seu Concilij Tridentini sanctionibus: siquidem de iure Ciuili pœna raptus, est pœna mortis naturalis: *l. 1. Cod. de rapt. virg.* Farin. *quest. 145. num. 7.* Cyriac. *controuers. 355. num. 30.* & præterea pœna amissionis honorum, quæ mulieri captæ debet applicari. *d. l. vnic.* Farin. *num. 8.* Intelligendo tamen dummodo interueniant requisita ad essentiam raptus, de quibus per DD. in *d. l. vnic.* Iulius Clar. §. raptus. & ibidem Baiard. Tusch. *litera R. conclus. 5. & 6.* & Gomes. *ad l. 80. Tauri n. 36. & seqq.* Berlich. *comm. concl. tom. 5. concl. 41. à n. 1. vsque ad 17.* Bonacin. *de matrim. q. 4. punct. 18.* & Barbol. *ad Concil. Trident. d. sess. 24. de reform. matrim. cap. 6.*
- Inter cætera requiritur traductio de loco, ad locum Sanch. *de matrim. lib. 7. disput. 12. n. 20.* † Item quòd copula fuerit subsequuta, aut per raptorem non steterit quominus sequeretur: Gomes. *d. l. 80. Tauri, numer. 40. in fine.* Theaur. *decis. 217.* Fontanel. *de pact. dosal. claus. 5. glos. 6. numer. 12.* Item requiritur quòd interueniat violentia, seu persuasiones dolosæ, & violentæ, quæ sufficiunt etiam ad pœnam. Sanch. *loc. citat. n. 11.* † In dubio tamen præsumendum est mulierem coactam, & seductâ fuisse raptam: Sanch. *n. 9.* Genens. *in praxi Archiepisc. c. 20. n. 11.* vbi etiam dicit † voluntatem mulieris aliquid conferre ad excusationem delicti, quando ipsa fuit abducta inuitis parentibus, sub quorum custodia erat constituta: Theaur. *d. decis. 217. n. 4.* Peguer. *decis. 43. n. 6.* distinguendo tamen utrùm puella volens, rapta fuerit ignorantibus parentibus; an verò ipsis etiam inuitis, & reluctantibus: Farin. *d. quest. 145. num. 122.* Sanch. *d. lib. 7. disp. 12. n. 13.* Barbol. *in cap. cum causam. 6. n. 3. de raptor. & incendiar. † Cæterum grauius puniri raptum, commissum in personam mulieris nuptæ; testatur Theaur. d. decis. 217. n. 2.*
- De iure verò Canonico nouissimo, videlicet ex Concil. Trident. *sess. 24. de reform. matrim.* pro raptu imponitur pœna infamiæ, & excommunicationis. Farin. *d. quest. 145. n. 16. 17. & 19.*
- Huic tamen Concilij pœnæ locus non est, nisi probetur mulieris traductionem, factam fuisse animo contrahendi matrimonium: non enim ad hunc effectum sufficit illam fuisse factam animo explendæ libidinis. Farin. *d. q. 145. n. 24.* Sanch. *vbi supra, lib. 7. disput. 13. n. 3. & 4.* Et ita declarauit sacra Concilij Congregatio, teste Pirr. Conrad. *in prax. dispens. lib. 7. c. 6. n. 48.* † Qui quidè actus traductionis, factus animo contrahendi matrimonium; probatur ex confessionibus delinquentis; aut aliis præsumptionibus, & coniecturis: *c. 2. de renunciat. in 6. l. doli. Cod. de dolo Mascard. de probat. concl. 899. num. 5.* & alibi passim.
- Animus traductionis factæ ad effectum contrahendi matrimonium, multò magis est probandus, si agatur ad impediendam dispensationem, in casum declaratæ nullitatis matrimonij. Quia licet superius *n. 8.* dixerimus in dispensationibus matrimonialibus, apponi solitam clausulam, *Dummodo rapta non fuerit:* hodiernus tamen stilus hoc habet, vt sic concipiatur illa clausula, *Dummodo propter hoc rapta non fuerit.* Id est quòd raptus non fuerit factus ea intentione, vt matrimonium contraheretur: vt aduertit Pirr. Conrad. *d. lib. 7. cap. 6. num. 48. versic. unde cum prius.* qui subdit, quòd si raptus fieret vtrâque intentione; nempe libidinis, & matrimonij: semper subsistens causa libidinis sufficeret: vt ibidem, *versic. ex quibus.*
- Contrarium tamen obseruandum est, dum agitur ad punitionem ex iure Ciuili: quia omninò probandum est traductionem causâ libidinis fuisse factam. Salicet. *in d. l. n. 6. versic. extra hanc causam. Cod. de raptu virginum.* Mascard. *de probat. Concl. 1259. aliàs 1253. num. 33. & sequentibus. lib. 3.*
- Sed quidquid sit in aliis casibus, vtrique pœnæ ciuili nempe, & canonice locus erit, si agatur de raptu in alienam sponsam commissio: quia hoc casu, etiam pœnæ locus erit, quamuis raptus factus fuerit animo contrahendi matrimonium: quia verè est raptus alienum perturbans matrimonium, imò magis

gis quàm solius libidinis explendæ causa : hoc enim casu etiam libidinis effrenatum adest desiderium, dum attentatur nullum, & inualidum, cum muliere coniugata (maximè verò affinitate iunctâ) coniugium : vt optimè explicat Sanch. de matrimon. d. lib. 7. disput. 12. num. 49.

29. Cæterum easdem pœnas incurrunt fautores, & auxiliores raptorum. Peguer. decis. 43. num. 12. Farin. d. quaest. 45. num. 11. Item associantes, nisi ignoranter, & casu fortuito id fecerint, Farin. ibidem, n. 35.

30. Vltimæ quaestionis resolutio pendet ex iis quæ superius cap. 55. & 79. diximus : quibus addo fuisse aliàs decism per Rotam Romanam, quòd si mulier alleget se metu inductam fuisse ad contrahendum matrimonium, quamuis hoc casu non detur possessorium marito; quia causa matrimonialis habet causam proprietatis annexam; & persona libera possideri non potest, si ab initio non consenserit; tamen talis possessorij controuersia terminari debet per sequestrum, seu depositum huius mulieris : sicut aliàs sæpè causæ possessoriæ terminantur mediante sequestro. Ludouif. decis. 351. n. 40. aliàs decis. 147. n. 28. par. 1. recent.

31. Et dictum sequestrum multò magis concedendum est, si mulier ipsa accusetur de adulterio, & raptu, cui ipsa consenserit, aut alio graui delicto : adeo vt locus esset carcerationi : quia sæpiùs mulieres loco carceris reponuntur, & sequestrantur in Monasterio, aut alio loco, lite pendente, arbitrio iudicis : vt notat Farin. de carcerib. & carcerat. quaest. 27. n. 52. & seqq.



CAPVT CXVIII.

Quando collator ordinarius conferre possit beneficia iurispatronatus laicalis, habenti pro se medietatem vocum. Quid si vnus non habeat qualitatem Sacerdotij, ex fundatione requisitam. Quando sufficiat in beneficio Sacerdotali, prouisum, esse Sacerdotem habitu; an verò requiratur quòd sit actu celebrans: & ex quibus verbis hoc colligatur. De probatione iurispatronatus, dum inter ipsos Patronos contenditur. Patronus non potest variare quamuis sit laicus post institutionem; & dum admittitur variatio, illa debet fieri cumulatiuè. Vicarius Generalis sine speciali mandato, sicut etiam Vicarius Capituli, sede vacante, beneficia iurispatronatus conferre possunt. Quando attendendus sit vltimus status, & obseruantia in prouisionibus factis de beneficiis iurispatronatus : Et alia multa vtilia ad materiam iurispatronatus exponuntur.

S V M M A R I V M.

1. In beneficialibus danda est manutentio illi, qui potiora iura habet.
2. Prouisio Apostolica ligat manus inferiorum collatorum.
3. Praferendus est in dubio qui est de familia, extraneo.
4. In dubio praefertur obtinens beneficium illi, qui beneficio destitutus est.
5. Vicarius Generalis non potest beneficia conferre sine speciali mandato. Fallit, vt infra, n. 35.

6. In beneficiis patronatis, sufficit assensus Patronorum interueniens post collationem.
7. In beneficiis Sacerdotalibus, sufficit quòd tempore collationis quis sit ad Sacerdotium capax; licet non sit actu Sacerdos: dummodo intra annum promoueri possit. Intellige vt num. 27. & sequentibus.
8. Attendi debet obseruantia, quando beneficium solitum est concedi clericis non Sacerdotibus. Intellige vt infra, num. 39.
9. Beneficium potest conferri non habenti qualitates ex fundatione requisitas, si interueniat consensus Patronorum: sed vide infra num. 38.
10. Collatio facta per Ordinarios ad praesentationem Patronorum, nulla est; si non interuenierint edicta, iuxta forma cap. final. de elect. in 6. de quo tamen vide infra, num. 40.
11. Quasi possessio praesentandi suffragatur quoad successores Patronorum, & num. 18.
12. In patronatus in dubio praesumitur hereditarium.
13. In patronatus est hereditarium, quando in fundatione facta fuit mentio heredu, & successoru.
14. Et quoties nulla facta est mentio descendendum, dicitur hereditarium.
15. Finita familia, in patronatus transit ad heredes extraneos, nisi fundator fecisset taxatiuè mentionem familie.
16. In iurepatronatus hereditario voces sunt computande in stirpes, & mille persona alicui succedentes pro vnica voce computantur.
17. Idem si in patronatus fuerit ab initio familiare, & postea deueniat ad extraneos: quia quoties in eo succeditur iure hereditario, voces computantur in stirpes.
19. In patronatus relictum Consulibus non dat ius praesentandi Communitati; sed dumtaxat solis Consulibus.
20. Patronus laicus re non integra variare non potest: & quando res non dicatur integra.
21. In casibus in quibus Patronus laicus potest variare, per secundam praesentationem non potest recedere à prima; sed variatio admittitur cumulatiuè.
22. In praesentatione cumulatiua, locus est gratificationi.
23. Gratificari non solum potest Episcopus hoc casu, sed etiam eius Vicarius.
24. Quando ille qui praesentatus fuit à medietate Patronorum obtinuit institutionem, perinde est ac si ab omnibus Patronis fuisset praesentatus.
25. Per clausulam dummodo alteri non fuerit ius quaesitum, Papa non censetur voluisse derogare iuri quaesito, per praesentationem Patronorum.
26. Quando Sacerdotium de iure est annexum beneficio, sufficit quòd prouisus sit Sacerdos habitu, & quòd promoueat intra annum.
27. Quando qualitas Sacerdotij fuit in fundatione adiecta verbo praesentationis, veluti si dictum fuerit quòd debeat praesentari Sacerdos; tunc qualitas Sacerdotij debet adesse actu in prouiso, tempore quo fit praesentatio.
28. Qualitas Sacerdotij debet interuenire actu, quando fundator vsus est verbis negatiuis.
29. Eadem qualitas sacerdotij actualis requiritur, si fundator mandauerit quòd praesentatus debeat horis diurnis & nocturnis interesse Ecclesie deservire, & missas celebrare.
30. Praesentatus à minori parte admittendus est, si sit actu Sacerdos; praesentatio à maiori parte excluso, qui non habet hanc qualitatem; dum ex lege fundationis requiritur.

31. Quando maior pars presentauit eum qui non habet qualitates requisitas, Ordinarius secundum multorum sententiam non potest instituire, nisi lapsa quadrimestri laicis Patronis dato.  
Ius conferendi quando pertineat, vel non, iure deuoluto, ad Superiorem in beneficijs patronatis. ibidem.
32. Patroni tenentur se informare de qualitatibus in presentando ex fundatione requisitis, nec fundationis ignorantiam allegare possunt.
33. In iurepatronatus locus est iuri accrescendi: & si una pars presentauerit non idoneum, totum ius ad alios deuoluitur.
34. Quomodo sit verum illud; quod qui est de linea fundatoris ceteris est preferendus.
35. Vicarius Generalis potest instituire in beneficijs patronatis, sine speciali commissione.
36. Vicarius Capituli sede vacante potest conferre beneficia patronata.
37. Si collatio fuerit facta non habenti qualitates ex fundatione requisitas, de consensu omnium Patronorum; hoc intelligitur pro unica vice, nec trahendum est in consequentiam.
38. Non tamen derogari potest dictis qualitatibus ex fundatione requisitis, etiam cum consensu omnium Patronorum, ob prohibitionem expressam Concilij Tridentini.
39. Observantia non suffragatur aduersus qualitates expressas, & claras, requisitas ex fundatione; sed tantum in casu dubio.
40. Edicta requiruntur in beneficijs iurispatronatus, iuxta cap. fin. de elect. in 6. nisi tamen consuetudo sit in contrarium.
41. Exceptio nullitatis institutionis ob non publicationem edictorum in beneficijs patronatis, iuxta cap. fin. de elect. in 6. non obstat in possessorio; sed ad petitorium est reicienda.
1. Prætendebat prouisus Apostolicus se preferendum esse prouiso ab Ordinario in prioratu, & secundaria, ac annexis; asserens se meliorem habere titulum: ideo præferendum, & sibi decernendum esse mandatum de manutenendo: iuxta decis. Guid. Pap. 71. Natta, consil. 572. numer. 13. & 16. Alex. consil. 88. num. 9. lib. 5. & consil. 110. num. 4. lib. 1. Abbas, & Felin. in cap. licet causam. de probat. Tulch. litera l. conclus. 286. num. 23. Postius de manutenent. obseruat. 71. numer. 113. † Habere siquidem prætendebat consensum maioris partis Patronorum, cum prouisione Apostolica, quæ ligat manus inferiorum collatorum. Paris. de resignat. lib. 7. quæst. 11.
2. num. 6. † Præsertim quia filius est vnus ex patronis præsentis, & sic in dubio præferendus. Barbof. de Episcop. allegat. 72. num. 199. & 203. Burat. decis. 647. num. 16. & decis. 679. num. 12. † Item quia ipse beneficio destitutus, præferri debet alteri, beneficium aliud obtinenti. Cæsar de Grass. decis. 109.
3. aliàs decis. 1. num. 9. de iurepatron. † Præterea non constabat de potestate Vicarij Generalis, qui beneficium contulerat; cum tamen Vicarius Generalis sine speciali mandato beneficia conferre non possit. Paris. de resignat. lib. 9. quæst. 7. num. 32. Garf. de beneficijs, par. 5. cap. 8. num. 181. † Assensus autem Patronorum sufficit, quamuis, interuenerit post collationem. Paris. lib. 2. de resign. quæst. 4. num. 16.
4. Nec obstare videbatur qualitas sacerdotis, quam habebat prouisus ab Ordinario: quia de iure in beneficijs sacerdotalibus sufficit quod quis sit sacerdos

habitu, licet non actu; & quod intra annum promoueri possit: cap. commiss. 35. de elect. in 6. Paris. de resign. lib. 4. quæst. 8. num. 36. & 37. Seraph. decis. 1328. num. 4. † Præsertim verò, quia vltima collatio facta fuerat non Præbitero, de consensu Patronorum: & sic vltimus actus, & obseruantia attendi debet in hac materia. Gratian. discept. forens. cap. 191. num. 13. † Maximè propter dictum patronorum consensum, qui sufficit vt Episcopus possit alterare qualitates in fundatione requisitas. Lambertin. in tract. de iurepatron. lib. 2. par. 3. in 5. quæst. princip. artic. 6. num. 2.

Denique collatio facta per Ordinarium, nulla & inualida videbatur: cum non fuisset facta seruata formâ cap. fin. de elect. in 6. Videlicet non publicatis edictis; quæ tamen necessariò interuenire debebant. Licet enim text. in d. cap. fin. loquatur de electionibus, eadem tamen ratione procedere debet in præsentationibus, seu collationibus factis in vim præsentationis factæ per Patronos. Gemin. in dicto capit. fin. num. 17. in glos. in verb. præsentatione. Ricc. in praxi iurispatronat. decis. 160.

His tamen non obstantibus, Dixi prouisum ab Ordinario præferendum esse. Non enim negari poterat quin beneficium istud esset de iurepatronatus Laicali, quod non solum ex confessione prouisi Apostolici probabatur, nec non ex ipso fundationis instrumento: † sed etiam ex vltima prouisione facta in Legatione ad præsentationem Patronorum laicorum; per quam inter ipsos prouisos probatur quasi possessio iuris præsentandi. Rota coram Durano, decis. 200. num. 2. lib. 1. & coram Coccino decis. 286. num. 1. & decis. 469. num. 4. & 5. & decis. 525. 573. & 336. par. 4. diuers. decis. 176. num. 1. 3. & 5. par. 4. recent. Marius Antonin. variar. resol. lib. 1. resol. 55. num. 10. resol. 60. num. 34. 40. & 42. Barbof. ad Concilium Trident. sess. 25. de reformat. c. 9. n. 77.

Secundo loco supponendum est, iuspatronatus de quo agitur, non esse familiare seu gentilitium; sed hæreditarium; cuius rei magnus est effectus, vt mox videbitur. † Quia in dubio præsumendum est, iuspatronatus esse hæreditarium, & ad quoscumque hæredes transitorium, si non doceatur de contrario. Rota, decis. 707. num. 8. part. 1. & 756. num. 1. part. 2. recent. Pereg. consil. 27. num. 1. volum. 2. Duran. discurs. 285. num. 7.

Sed in casu isto verba fundationis erant clara: quia referuatum fuerat iuspatronatus Consulibus, & Procuratoribus Communibus; nec non nobilibus fundatoribus, eorumque hæredibus, & successoribus; quæ verba denotant iuspatronatus hæreditarium. Duran. loc. citat. num. 7. versic. & tanto magis. in dicto num. 3. præmissis, in versic. tertio habetur in eodem instrumento. † Et generale est, vt iuspatronatus dicatur hæreditarium, quoties nulla descendendum mentio facta est in eius fundatione. Duran. decis. 122. num. 1. in fine, & num. 2. par. 1.


Sed omnis tollitur difficultas ex eo, quod illi qui modo præsentarunt, sunt extranei; nec de nomine & familia fundatorum: non enim finitur iuspatronatus extinctâ familiâ, sed omnibus extinctis deuoluitur ad hæredes extraneos, nisi limitatè fuerit fundatum, & taxatiuè. Seraph. decis. 378. & 364. n. 1. & 8.

Tertiò, hinc sequitur voces inter duas hæredum familias numerandas esse in stirpes, & non in capita: Clementin. plures. cum ibi notat. de iurepatron. adeo vt mille personæ pro vna reputentur. Duran. decis. 438. n. 12. Gratian. discept. 521. n. 14. † Idem dicendū est, quamuis iuspatronatus fuisset ab initio gentilitium seu familiare: quia dū postea deuenit ad extraneos,

- neos, voces incipiunt computari in stirpes, & non in capita. Quod generaliter obtinet, quotiescumque succeditur in iurepatronatus, titulo hæreditario: text. Glof. & DD. communiter, in d. *Clement. plures. de iurepatron.* Roch. de Curte in tract. de iurepatron. in verb. ipse vel is à quo. num. 5. Lambertin. in eodem tract. lib. 1. part. 2. quæst. 1. artic. 5. num. 7. & sequentibus, & num. 16. Burat. decis. 647. num. 4.
18. Quartò non est dubitandum de pertinentia iurepatronatus inter prouisos, stante dicta quasi possessione præsentandi eorum, quibus Patroni moderni successerunt: vt supra dictum est, num. 11. Quibus addo Ludouif. decis. 417. num. 14. Rot. decis. 337. num. 3. part. 2. recent. & decis. 534. num. 5. part. 4. recent. tom. 3. Intelligendo tamen iuxta decis. 37. num. 4. part. 6. recent. nempe vt hoc verum sit, nisi alij Patroni docerent de iure suo, exclusiuo iuris prætenforum patronorum: quia præsumptio debet veritati cedere.
19. Quoad Consules verò, non potest dubitari quin eorum iurepatronatus ad ipsos vti Consules, non autem ad corpus Communitatis pertineat: ideo eorum voces, & personæ duntaxat sunt considerandæ in hac materia præsentationis. Duran. decis. 130. num. 2. part. 1. & discurs. 285. num. 124. Rot. decis. 574. num. 8. part. 1. diuers.
20. Quintò aduertendum est, quòd licet vnus ex Consulibus præsentationem fecisset in fauorem prouisi ab Ordinario, & post eius institutionem legitime factam, Consul iste variasset; & vnà cum socio suo in Consulatu nominasset prouisum Apostolicum; talis variatio nullius est effectus, tanquam facta re non integra, id est post Ordinarij collationem. cap. cum autem. 24. cum ibi notat. de iurepatron. cap. quod autem. 5. cod. tit. Barbof. de Episc. allegat. 72. num. 151. & sequentibus. † Et in omnem euentum illa præsentatio censeretur tantum cumulatiuè facta, non recedendo à priori præsentatione, à qua sine iusta causa resilire non potest Patronus laicus. Barbof. ibidem, num. 158. Ric. in prax. rer. fori Eccles. decis. 173. num. 109. & 110. cum ibi citat. Garf. de benefic. part. 5. cap. 9. num. 211. & 213. Et sic licet secunda præsentatio esset valida, tamen prima remaneret semper in suo robore, in fauorem prouisi ab Ordinario: † & per consequens cum hic haberet medietatem vocum, potuit Ordinarius vti gratificatione. Barbof. de Episcop. d. allegat. 72. num. 199. cui locus est etiam in casu variationis cumulatiuæ:
23. vt ibidem notat Barbof. † dictamque gratificationem non solum facere potest Episcopus, sed etiam eius Vicarius. Ric. in praxi rer. for. Eccles. decis. 218. vbi hoc confirmat allatâ Rotæ Romanæ decisione.
24. † Factâ autem dictâ institutione per Ordinarium, in fauorem habentis medietatem vocum; perinde est ac si ipse solus, & nullus alius fuisset præsentatus: d. *Clement. plures. & ibi Vitallinus, de iurepatron.* Lambertin. de iurepatron. lib. 2. part. 2. quæst. 3. artic. 6. & 7. † Ergo prouiso Apostolico obstabit clausula, in Bullis apponi consueta, *Dummodò tempore data presentium, non fuerit alteri ius quaesitum*: quia Papa non censetur voluisse derogare iuri quaesito per præsentationem. Rot. decis. 52. num. 3. part. 2. recent. Caualer. decis. 231. num. 4.
26. Ex alio etiam capite excludendus est prouisus Apostolicus; quia non erat actu Sacerdos: quæ tamen qualitas ex fundatione requirebatur: inerat autem in prouiso ab Ordinario. † Quamuis enim dum qualitas sacerdotij requiritur ex dispositione legis, sufficiat illam inesse habitu, & non actu; cap. si quis. de præbend. in 6. cap. 2. de institut. in 6. Ferrer. con-
- fil. 305. vbi quòd sufficit promoueri intra annum: † tamen quando in dispositione hominis, qualitas 27. Præbiteri fuit adiecta ipsi præsentationi, velut dum fuit dictum quòd presentetur Præbiter, vel sacerdos; tunc illa qualitas debet adesse actu, & non sufficit quòd insit habitu solo, idque tempore præsentationis: quia qualitas adiuncta verbo, debet inesse tempore verbi: vt bene probat Rota, decis. 216. num. 1. part. 2. recent. & decis. 496. num. 2. & 5. eadem parte 2. cum aliis citatis per Burat. decis. 680. num. 2. iuxta distinctionem Abbatis in cap. cum in cunctis. §. inferiora. de elect. num. 11. † Idque maxime locum habet, quia fundator vsus fuerat verbis negatiuis dicens; quòd voluit præsentari Præbiterum, & non alium; & quòd in casum præsentationis non Præbiteri, talis præsentatio sit nulla: vt fateatur Gratian. discip. forens. 133. num. 2. † Quod 29. confirmatur ex sequentibus verbis dictæ fundationis, dum dicitur, quòd secundarius, & sui successores teneantur & debeant interesse in dicta Ecclesia in horis diurnis & nocturnis, & eidem Ecclesia deseruire, missasque celebrare alternis vicibus cum Parocho: ex quo etiam actualis sacerdotij qualitatem, tempore præsentationis esse necessariam, decisum fuit per Rotam, part. 4. diuers. decis. 570. num. 1. videantur tradita supra cap. 31.
- Quamuis igitur prouisus Apostolicus esset præsentatus à maiori parte Patronorum, & esset fundatoris consanguineus; tamen præsentatus à minori, & habens qualitates ex fundatione requisitas, illi præferendus esset: Roch. de Curte, de iurepatron. in verb. honorificum. quæst. 16. num. 43. Burat. decis. 680. num. 1.
30. Sed hoc casu aduertendum est, quòd multi DD. existimarunt; quòd quando maior pars Patronorum indignum, aut non idoneum præsentauit, Ordinarius non debet confestim de beneficio patronato prouidere; sed expectare debet finem quadrimestris: vt per Lambertin. d. lib. 2. part. 3. quæst. 4. artic. 5. num. 1. & 2.
- Item aduertendum est, quòd lite existente inter præsentatos, non poterat Ordinarius etiam post quadrimestre prouidere iure deuoluto, quamuis Patroni aliam præsentationem fecissent. Ricc. in praxi rer. for. Eccles. decis. 188. num. 192. Ludouif. decis. 94. num. 10. Rot. decis. 586. num. 6. part. 4. diuers. in qua decisione singulariter explicantur casus, in quibus ob negligentiam Patronorum, ius conferendi pertinet, vel non pertinet ad Superiorem iure deuoluto.
31. Quòd si patroni allegare velint ignorantiam qualitatibus ex fundatione requisitarum, non sunt audiendi, cum de illis se se informare teneantur. Caualer. dicta decis. 231. num. 3.
- Cum igitur Patroni malè, & contra legem fundatoris non idoneum præsentauerint; totum ius præsentandi pro illa vice deuolutum est per ius accrescendi ad alios, qui idoneum præsentarunt. Rip. in l. re coniuncti. num. 234. in fin. ff. de legat. 1. Ioan. Anth. Bellon. de iure accresc. cap. 6. quæst. 48. num. 28. Caualer. d. decis. 231. num. 2. Et ex his satis constat de meliori iure prouisi ab Ordinario, aduersus Apostolicum.
32. Neque obstant opposita in contrarium, & primò quòd prouisus Apostolicus est præferendus, cum sit filius vnus ex Patronis. Quia vltra quòd non est de linea fundatoris, in quibus terminis DD. ex aduerso citati loquuntur; obiectio procederet, si reliqua omnia essent æqualia, & prouisus Apostolicus esset capax, & idoneus secundum legem fundatoris; quòd

non concutrit in casu proposito, propter defectum Sacerdotij, de quo supra. In istis enim terminis, nempe datâ paritate loquuntur DD. vt Barbof. *d. allegat. 72. num. 202.* Roch. de Curte *de iure patron. in verb. honorificum. quest. 18. num. 45.* Qui loquitur de duobus æquè idoneis, quorum vnus sit de sanguine fundatoris: sicuti & Lambertin. *lib. 2. part. 3. quest. 5. artic. 4.*

35. Non obstat secundò quod opponitur, Vicarium Episcopi sine speciali mandato non habere facultatē beneficia conferendi. Quia posito quòd de ea non constet, posset nihilominus Vicarius Generalis, nisi expressè ipsi prohibitum esset præsentatum à patronis instituere. Barbof. *de Episcop. allegat. 54. num. 70.*
36. vbi plures cum communi opinione allegat. † Sicut videmus quòd Vicarius Capituli sede vacante constitutus, licet beneficia Ecclesiastica conferre non possit, tamen potest præsentatum à Patronis instituere. Idem Barbof. *de Episcop. dicta allegat. 72. num. 183. & in tract. de iure Ecclesiast. lib. 1. cap. 32. num. 95.*
37. Non obstat terriò obseruantia allegata præsentandi simplices clericos. Quia si non constet nisi de vnica præsentatione, hoc non sufficit: quia multi DD. tenent derogari posse per Episcopum de consensu Patronorum qualitatibus ex foundatione requisitis, pro vnica vice tantum; & ideo non est trahendum in consequentiam. Seraph. *decis. 871. num. 4.* † Quamquam ex mente Concilij Tridentini, non posse foundationibus etiam pro vnica vice Episcopum, quamuis Patroni consentiant derogare; multis ostendat, & explicet Garf. *de benefic. part. 7. cap. 1. n. 102. & sequentib. Rota decis. 216. num. 4. part. 1. recent. & decis. 496. num. 9. part. 2. recent.*
38. Præterea Responderit locum quidem esse obseruantia, quando verba foundationis sunt dubia; secus vbi sunt clara: prout talia esse superius comprobatum fuit: vt in nostro casu docet Lotter. *de re benefic. lib. 2. quest. 47. num. 31.* Rota *d. decis. 216. num. 4. part. 1. recent. & decis. 496. num. 9. part. 2. recent.* Præsertim quia potest esse, quòd simplices clerici, qui beneficium illud obtinuerunt, fuerint à summo Pontifice dispensati: vt considerauit Rota *d. decis. 216. num. 9. in fine.*
40. Vltimò non obstat quod opponitur, collationem factam ab Ordinario de beneficio patronato, nullitatis vitio laborare, propter defectum publicationis edictorum, quæ requiruntur iuxta text. *in cap. finali de elect. lib. 6.* Quia Responderit dispositionem illius textus, quamuis ex rationis identitate extendatur etiam ad præsentationes, & collationes beneficiorum de iure patronatus existentium: tamen locum non habere, quando adest consuetudo in contrarium: quæ consuetudo facile probari poterit in Dicecesi de qua agebatur, aliisque locis vicinioribus: quâ consuetudine probatâ, institutio præsentati remanet valida, etiam non publicatis edictis. Lotter. *de re benefic. libr. 2. quest. 16. numer. 20. 36. & 37.* Costa *de subsid. remed. 13. numer. 3.* Marius Antonin. *lib. 1. variar. resol. capit. 108. numer. 43. & 44.*
41. † Qui numer. 43. dicit hanc exceptionem edictorum non publicatorum, respicere peccatorum, & non esse admittendam in iudicio peccatorum.



## CAPVT CXIX.

De alienatione aut concessione in emphyteusim bonorum Ecclesiæ nondum incorporatorum: Et ex quibus probetur factam fuisse incorporationem. De validitate, aut nullitate pacti de renouando emphyteusim Ecclesiæ. De validitate transactionis factæ nomine Ecclesiæ, super hæreditate delata quidem, sed litigiosa, & nondum plenè acquisita. Quando Prælatus possit bona in emphyteusim concedi solita, alteri concedere in præiudicium successoris, antequam facta fuerit deuolutio: Et de vi, ac effectu inuestituræ abusivæ. Quomodò probetur bona solita esse alienari, vel in emphyteusim concedi. Quæ sunt solita concedi, non tamen alienari posse nisi ad vtilitatem Ecclesiæ. Denique vtrum lineâ finitâ, Prælatus propriâ auctoritate possit capere possessionem bonorum emphyteuticorum nomine suæ Ecclesiæ.

## S V M M A R I V M.

1. Bona Ecclesie nondum incorporata alienari, vel in emphyteusim concedi possunt, sine solemnitatibus.
2. Pactum de renouando emphyteusim post lineam finitam, an & quando sit validum.
3. Ex quibus probetur bona fuisse incorporata Ecclesia.
4. Ecclesia potest transigere super hereditate delata, nondum tamen plenè acquisita, quamuis dimittat bona in manibus colligantis.
5. Renunciatio emphyteusis facta per Prælatum non subsistit, nisi post illius deuolutionem.
6. Emphyteusis non potest concedi non comprehenso, ante eius deuolutionem, nisi præiâ renunciatione possessoris, & actuali missione in possessionem noui inuestiti.
7. Concessio in emphyteusim facta per Prælatum, non adstringit successorem, si ante deuolutionem facta sit.
8. Inuestitura abusiva que dicatur, & quod non obliget successorem in Ecclesia.
9. In rebus solitis in feudum vel emphyteusim concedi, non valet inuestitura per Prælatum facta, que incipit habere robur tempore successoris in eadem Ecclesia.
10. Inuestitura abusiva, vel verbalis etiam sub pre-textu meritorum facta, non obligat successorem.
11. Gratia per predecessorem in Ecclesia facta si consummata non fuerit; successorem non afficit.
12. Quæ sint necessaria ad hoc vt bona Ecclesia dicantur solita concedi in emphyteusim.
13. Tempus quadraginta annorum non sufficit, quamuis eo tempore bona fuerint possessa in emphyteusim: sed vera requiritur solemnitatis probatio, non presumpta.



14. *Ex tempore quadraginta annorum requisito ad probandum solitum quoad emphyteusim: deducendum est tempus quo Ecclesia fuit sub potestate Prælati, qui erat affinis vel consanguineus possessoris.*
15. *Solitum concessionis non sufficit probari in genere; sed probandum est specificè, quoad actus de quibus est controuersia.*
16. *Etiamsi constet de solito, tamen concessio emphyteusis non valet, si forma consuetæ fuerit alterata.*
17. *Concedi solita non possunt dari in emphyteusim, nisi interueniente Ecclesia utilitate euidenti.*
18. *Probatio istius utilitatis fieri debet per emphyteutam.*
19. *Utilitas in concessione emphyteutica rerum Ecclesie, consideranda est habito respectu ad tempus concessionis.*
20. *Emphyteusi concessa ad certam generationem, si linea fuerit finita, dominus potest possessionem naturalem capere propria auctoritate.*
21. *Prædo non debet manuteneri aduersus eum, à quo causam habet.*
22. *Dominus non potest capere possessionem, deuolutâ emphyteusi ob lineam finitam, nisi deuolutio sit clara, hoc est constet euidenter de dominio directo, de fine lineæ, & de identitate bonorum; etiam stante pacto capiendi possessionem auctoritate propria.*
23. *Emphyteuta finitâ lineâ manutenendus est, si deuolutio sit dubia.*

Varij sunt casus in quibus Ecclesia, aut Prælatus bona Ecclesiastica in alium, titulo emphyteusis sine solemnitatibus transferre possunt: de quibus in præsentî capite agendum est per distinctas conclusiones.

1. Prima conclusio: bona Ecclesiæ nondum incorporata possunt sine solemnitatibus in emphyteusim concedi, aut alio titulo alienari: vnde si bona emphyteutica ad Ecclesiam reuersa sint, & deuoluta propter non solum canonem, aut propter finitam generationem, quando limitatè ad secundam vel tertiam generationem concessa fuerant; non cogitur quidem Ecclesia ad renouationem emphyteuseos: imo potest illa si velit ipsa, seu Prælatus retinere, & mensuræ suæ incorporare; quando nullum pactum renouationis in contractu emphyteutico fuit adiectum: vt fusè comprobatur Gratian. *discep. forens. cap. 88. num. 5. & sequentibus. Mantic. decis. 10. per totam, & bene ostendit Amic. in tract. de iur. emphyteut. quæst. 64. per totam.* † Dixi quando non fuit in concessione appositum pactum de renouando; quia licet pactum illud vt continens perpetuam alienationem bonorum Ecclesiæ non valeat; vt dicit Gratian. *d. cap. 88. num. 10. Mantic. d. decis. 10. num. 4. & 14. Amic. dict. quæst. 64. num. 5.* tamen si appositum sit cum solemnitatibus, & causis in alienatione bonorum Ecclesiæ requisitis; dubitari non potest quin sit validum: & ita intelligi debent tradita per Mantic. *dicta decis. 10. numer. 13.* & per Amic. *dicta quæst. 64. numer. 12.* vt non contradicant traditis per eos in eodem loco numeris præcedentibus: vbi simpliciter dictum fuerat non valere pactum de renouando emphyteusim.
2. Hoc igitur casu, quo res emphyteutica reuersa est ad Ecclesiam; si semel fuerit incorporata, non potest alienari aut titulo emphyteuseos trãsferri; nisi de nouo interuenientibus omnibus in alienatione bonorũ Ecclesiæ requisitis. Si verò bona nondum fuerint in-

corporata, possunt dari in emphyteusim, (si sic concedi consueuerint,) nullis solemnitatibus requisitis. Quarant. *in summa Bull. in verb. alienatio rer. Eccles. numer. 40. versic. insuper supra affirmata conclusio.* Potest igitur Prælatus bona ad Ecclesiam reuersa incorporare, sed incorporata non potest alienare: vt dicit Redoan. *de reb. Eccles. non alienand. quæst. 62. num. 4.*


Incorporata verò bona dicuntur, si Prælatus expressè declarauerit suam intentionem, & voluntatem incorporandi: & eadem ratione non incorporata, si id Prælatus fuerit protestatus. Si verò de altero ex duobus expressè non constet, recurrendum erit ad coniecturas; nempe vtrum Prælatus hæc bona, cum alijs suæ mensuræ in libris Ecclesiæ descripserit; aut de illis tanquam incorporatis disposuerit, & aliàs provt ex facti circumstantiis iudex arbitrabitur: vt ostendit Redoan. *de reb. Eccles. non alienandis, quæst. 62. num. 4. & 5.* fusè Mascard. *de probat. conclus. 203. Menoch. lib. 6. præsump. 87. & consil. 79. per tot. & de arbitrar. casu 433.*

Et per hanc rationem Consului nuper, ad requisitionem quorundam religiosorum; quòd ipsi validè potuerant inire transactionem super hæreditate sibi delata, nondum tamen incorporata; (quamuis illam acceptassent cum beneficio legis, & Inuentarij) etiam dimittendo bona in manibus aduersarij: quia nondum bona illa erant eorum mensuræ vnita, nec perfectè acquisita; imò inhibiti erant de capiendo illorum possessionem, pro quo lis vertebatur: quo casu Dixi † alienationem, & transactionem prædictam sustineri, nec alienantes vllam pœnam incurrisse, non obstante defectu solemnitatum: per ea quæ notat Alciat. *consil. 17. num. 8. lib. 1. & Natta, consil. 441.* vbi dicit quòd quando Monasterium aliquid dimittit, quod non possidet; potest transigere: & transigendo, bona controuersa penes aduersarium dimittere sine solemnitatibus. Bald. *in l. præses. num. 6. colum. 2. versic. item secundum quosdam. Cod. de transact.* Menoch. *consil. 73. num. 8.* dicens quòd quando res aliqua non est perfectè vnita Ecclesiæ, nec eius mensuræ incorporata; tunc solus Prælatus potest illam dimittere transigendo cum aduersario. Barbof. *in cap. nulli. 5. num. 13. versic. nisi translatio. de reb. Eccles. non alienand.*

Secunda conclusio: In casibus in quibus Prælatus potest renouare inuestituram, si talis renouatio fiat in fauorem personarum, in præcedentibus concessionibus minimè comprehensarum, concessio illa seu renouatio nulla est, & inualida, si de illo tempore nondum deuoluta esset emphyteusis ad Ecclesiam: siue deuolutio fiat per obitum, siue per renunciationem possessoris, aut alio legitimo modo. † Et præterea requiritur, quòd iste de nouo inuestitus adeptus fuerit possessionem viuente Prælato, talem renouationem seu inuestituram concedente: vt est text. *in cap. 1. qui success. feud. dare possunt, in vrb. feud. tit. 3. & in cap. 1. tit. 9. qui success. feud. ten. confirmare.* aliàs incipit *Hic potest esse titulus.* & nominatim Federic. Schenk. † vbi dicitur, quòd inuestitura per Prælatum de feudo nondum aperto facta, successorem non adstringit, si viuente inuestitore feudum apertum non sit; cum præsentium duntaxat rerum, non etiam futurarum post mortem suam administrationem Prælatus habeat. Sufficit autem possessionis traditio: quia per eam negotium iam suam periodum & robur irreuocabilis iuris adeptum fuerit, à nullo amplius dubio euentu dependentis. † Alioqui simplex verbalis inuestitura, quæ apud feudistas abusiuam nuncupatur, nulla reali traditione roborata,

- roborata, Prælaturam aut alium Ecclesiæ successorem non obligat. Aluarot *d. tit. 3.* & Iacob. à sancto Georgio, vterque *num. 1.* Bald. *in d. tit. 9. qui success. ten. feud. confir. num. 2. in 3. notabili.* Petrus Raueau *in epis. feud. lib. 1. tit. 3. § 9.* Ifernias *d. tit. 3. num. 5.* Iacob. de Ardizon. *in summ. feud. cap. 9. de inuestit. Prælat. versic. si verò faciam inuestituram. & versic. si vero sub conditione.* vbi requirit, & bene, quòd missio in possessionem huius noui inuestiti, fiat de voluntate & consensu possessoris. Balzaran. *de feud. lib. 1. tit. 9. num. 12. fusè Rosent. de feud. cap. 6. conclus. 16. cum ibi notat. in glos. & cap. 4. conclus. 9.*
9. Intelligas prædicta vera esse etiam in casibus, in quibus agitur de rebus solitis in emphyteusim concedi. Iaf. *in tit. de his qui feud. dar. poss. num. 11. & 12.* vbi dicit quòd etiam solita infeudari non possunt concedi per Prælaturam, quando secundus emphyteuta inciperet duntaxat frui effectu suæ inuestituræ, & bona possidere, postquam prima inuestitura esset finita: quòd etiam dicit Balzaran. *in dicto tit. 3. qui successor. feud. dare teneant. colum. 6. versic. nota quòd Prælatus.*
10. Quod ampliatur vt locum habeat, etiamsi inuestitura ista abusiua, & verbalis, fuisset facta sub prætextu remunerationis: quia remuneratio, re integrâ, extinguitur superueniente morte remunerantis. Balzaran. *d. tit. 3. colum. 4. versic. amplia & secundò.*
11. † Et generaliter gratia antecessoris valet in præiudicium successoris, quando gratia fuit consummata, durante vita concedentis: si verò non fuerit consummata, expirat adueniente morte illius; cum Prælatus non possit supplantare suum successorem, conferendo ea quæ vacatura sunt tempore sui successoris: vt dicunt omnes *in d. tit. 3. qui success. & nominatim Baldus, num. 4. & 5.* & Dixi *in tract. de Præuent. iudiciali, cap. 26. num. 13. & 22.*
12. Tertia conclusio: Ad hoc vt bona Ecclesiæ dicantur solita alienari, & in emphyteusim concedi; alterum de duobus probandum est: nempe aut quòd adfit vna alienatio solemnis, & cum omnibus in simili alienatione requisitis facta, & effectuatæ, aut duæ minus solemnnes obseruatæ, & effectuatæ, durante spatio quadraginta annorum continuorum. Rodoan. *de reb. Eccles. non. alien. quest. 65. per tot. cum aduersus Ecclesiam non præscribatur minore spatio 40. annorum: cap. de quarta. 4. & ibi Glos. in verb. quadragenaria de præscript. & ita tenuit Rota. decis. 241. num. 7. in recent. part. 4. tom. 2. & decis. 36. num. 7. par. 7. recent. vbi aliæ decisiones allegantur.*
13. Adeo vt non sufficiat præsumpta confirmatio alienationis, quæ oritur ex lapsu triginta annorum, aut etiam longioris temporis: quia verè & realiter interuenire debuit solemnitas, & de ea legitimè & concludenter constare aliundè, quàm ex longissimi temporis præscriptione; si vnica eaque non solemnis concessio producat. Seraph. *decis. 434. num. 1. versic. nec obstat. & habetur in dicta decis. 36. num. 8. par. 7. recent.*
14. Deducendum quoque est ex spatio quadraginta annorum, in casu de quo agitur, tempus illud quo Prælatus, vel Rector Ecclesiæ fuit affinis, aut consanguineus possessoris: quia cum tunc Ecclesia nullum habeat legitimum defensorum non suspectum, nullum ipsi tempus currere potuit. Rota, *decis. 689. num. 12. & sequentib. par. 4. recent. tom. 3.*
15. Denique notandum est quòd non sufficit generalis soliti probatio, sed illa debet præcisè probari quoad actum, & casum de quo agitur; veluti si concessiones præcedentes factæ fuissent vsque ad tertiam generationem masculinam, & Prælatus vellet extendere concessionem ad lineam fœmininam, non suffragaretur probatio soliti, nisi probetur solitum fuisse etiam concedere fœminis: solitum enim, seu obseruantia probari debet præcisè, respectu illius casus de quo agitur. Bart. *in l. 1. §. hoc interdicto. ff. de itinere actûq. priuat. Crauet. consil. 30. num. 5. Narta consil. 575. num. 15. Surd. consil. 354. num. 26. & conf. 382. num. 40. & decis. 131. num. 101. & præcisè in istis terminis Rota, decis. 176. num. 45. par. 5. recent.*
- Ratio est, quia etiam in casibus in quibus constat de solito, circa alienationem, & concessionem bonorum in emphyteusim; omninò obseruanda est forma consueta, nec illa alteranda est, aut extendenda in præiudicium Ecclesiæ: si enim solitus modus alteretur, tota concessio redditur nulla; & vtile per inutile vitiat. secundum mentem plurimorum Doctorum. Decius *in Authent. qui rem. num. 22. & ibi Cagnol. num. 58. Cod. de sacros. Eccles. Alexand. consil. 9. num. 3. volum. 2.* Curt. Iun. *in tract. de feud. par. 2. quest. 6.* quos citat & sequitur Rot. coram Duran. *decis. 250. num. 22. & hæc verior est sententia, quam fusè tuetur Amic. de iur. emphyteut. quest. 62. per tot.*
- Quarta conclusio; in casibus in quibus Ecclesia vult renouare inuestituram, finitâ lineâ, vel sequutâ deuolutione; etiamsi agatur de solitis concedi in emphyteusim, necesse est ad hoc vt talis concessio sit valida, quòd fiat in euidentem Ecclesiæ vtilitatem: vt decisum fuit per Rotam, *d. decis. 36. par. 7. recent. num. 12.* Adeo vt non sufficiat Ecclesiam non fuisse damnificatam; sed præterea constare debeat ipsam ex tali concessione lucrum, & vtilitatem percepisse: eadem Rota, *in recent. decis. 265. num. 15. par. 4. tom. 2. & ibidem, num. 14.* vbi quòd vtilitas ista debet esse euidentis, clara & indubitata: & *decis. 241. num. 25. eadem parte.* † Quæ probatio debet fieri per emphyteutam, qui validam esse concessionem sustinet. Rota, *decis. 582. num. 1. part. 1. diuersorum.* † dictaque vtilitas adesse debet, non respectu temporis primæ concessionis in emphyteusim; sed respectu temporis quo fit renouatio, seu vltima concessio. Seraph. *decis. 413. num. 2.*
- Quinta conclusio: Quando emphyteusis fuit concessa vsque ad certam generationem, & linea est finita, eaque ratione deuoluta fuit emphyteusis, & ad Ecclesiam reuerfa; nec illam potest, aut respectiue vult Prælatus iterum concedere; licet sit solita concedi: tunc potest Prælatus propria autoritate capere possessionem rei emphyteuticæ, & debet illi dari manuentio ex sua possessione ciuili, quæ est efficax pro recuperatione naturalis contra hæredes vltimi inuestiti, seu alios bonorum occupatores. Honned. *consil. 21. num. 19. & sequentib. volum. 2.* † Quia licet prædo veniat manutenendus regulariter; tamen regula illa locum non habet, quando agitur aduersus eum, à quo ille causam habet; qualis est emphyteuta aduersus suum dominum directum. Rota apud Marchef. *decis. 23. num. 3. part. 1. fol. 968. Paul. Rub. in addit. ad decis. 420. num. 65. part. 4. recent. tom. 2.*
- Quod tamen non ita simpliciter intelligendum est; sed in eo casu duntaxat, in quo deuolutio est clara, & non turbida; veluti quando euidenter constat de tribus, nempe de dominio directo, de sine lineâ, & de identitate bonorum: vt decidit Rota, *decis. 359. num. 5. & per totam, par. 5. recent.* Postius, *in tract. de manuent. obseruat. 16. num. 47. & 48.* vbi loquitur etiam in terminis pacti de capiendo possessionem propriâ autoritate, D. Argel. *de legit. Contradict. quest.*

quæst. 16. artic. 3. num. 51. & sequentib. maxime num. 64. Rot. apud Marches. decis. 14. num. 1. par. 1. fol. 959.  
 23. Si verò deuolutio non esset clara, veluti quòd dominium directum deduceretur in controuersiam, vel non esset clara bonorum identitas, aut dubium aliquod probabile verteretur circa finem lineæ, vel generationis, ad quam concessio facta fuit: tunc non esset Domino directo, vel Prælato, aut Rectori danda manutentio; sed potius possessori bonorum emphyteuticorum, donec legitime probata fuisset deuolutio: & in his terminis procedit decisio Ludouij 105. cum Addent. *ibidem* num. 111. & 12. Menoch. *consil.* 503. per tot. Gabriel. *consil.* 83. num. 23. volum. 1. cum multis aliis, qui in contrarium allegari possent.



CAPVT CXX.

De causis nullitatis matrimonij, & quis in illis sit iudex competens. An vxor alterius fori, citari possit coram iudice Ecclesiastico domicilij mariti, ad declarationem dictæ nullitatis: Et ibi explicatur quoad hoc, sensus cap. ex parte 14. de restitut. spoliat. & doctrina Abbatis: *ibidem*, expenditur. De nullitate, & defectu propriij Parochi. Quis in hac materia dicatur proprius Parochus. De metu in matrimonio, & quomodò de metu constare debeat. Matrimonij metu contracti ratificationem requiri expressam, & simultaneam; verbis, vel signis explicatam coram Parocho, & testibus: nec sufficere quòd metus dicatur per cohabitationem purgatus: maxime durante eadem causâ metus.

S V M M A R I V M.

1. Causa matrimonialis coram iudice ordinario Ecclesiastico pertractanda est.
2. Ad prorogandam iurisdictionem iudicis incompetentis, requiritur speciale mandatum.
3. Clericus sine licentia Episcopi coram alieno iudice citatus, comparere non debet; sed aliud in laico statuendum est in causis spiritualibus: non tamen dum agitur de Sacramentalibus.
4. Causa dissolutionis sponsaliorum, aut nullitatis matrimonij coram iudice Ecclesiastico domicilij mariti tractanda est.
5. Expenditur doctrina Abbatis in cap. ex parte 14. num. 5. de restit. spoliat. & num. 9.
6. Agens remedio l. diffamati. Cod. de ingen. manumiss. est reus originarius: & si habeat plures indices, ille qui citatus fuit potest eligere vnum ex iudicibus competentibus citantis: & num. 8.
7. Ratione contractus quis forum sortitur.
8. Ille qui est actor originarius eligit vnum ex pluribus iudicibus rei originarij, si plures habeat.
9. Textus in cap. ex parte. 14. de restitut. spoliat.

- supponit ambos coniuges esse eiusdem fori.
10. Quando nullitas sponsalium, aut matrimonij est euident, sufficit petere ab Episcopo licentiam transeundi ad aliud matrimonium.
  11. Vxor per matrimonium efficitur de foro mariti, & ibi potest conueniri.
  12. Ampliatur primò vt procedat, etiamsi vxor à marito conueniretur.
  13. Ampliatur secundo, etiamsi vir & vxor nunquam simul cohabitauerint.
  14. Limita nisi matrimonium esset nullum; tunc enim vxor non sortitur forum viri.
  15. Sublimita, vt tamen sortiatur, donec nullitas matrimonij sit detecta.
  16. Infidelis, & fidelis, si litigent super diuortio, coram quo iudice agere debeant: & qua sit ratio diuersitatis.
  17. Papa dispensationes matrimoniales saepe committit iudici domicilij coniugum.
  18. Matrimonium coram proprio Parocho non contractum, nullum est.
  19. Proprius Parochus ad matrimonium quis dicatur.
  20. Quid in illis, qui propter pestem aufugerunt.
  21. Quid de iis qui student in aliquo loco, aut famulantur, aut de puellis educationis gratia in Monasterio existentibus.
  22. An matrimonium sit nullum, si partes datâ operâ adierint locum, in quo Concilium Tridentinum non est receptum.
  23. Matrimonium propter metum annullatur.
  24. Vxor nondum cognita, licet traducta, metum allegans non est viro restituenda.
  25. Metus non in genere, sed in specie quoad illum actum, de quo agitur, probandus est.
  26. Quando, & ex quibus coniecturis metus probetur. Remissiuè.
  27. Omnes actus gesti durante vita illius, qui metum intulit, quamuis hilaris animi specimen præ se ferant; censentur semper meticolosi.
  28. Consensus est de forma, & de substantia matrimonij: siue illud respiciatur tanquam contractus, siue vt Sacramentum.
  29. Contractu ex causa metus deficiente, non sufficit tacita ratificatio, sed nouus consensus expressus, & simultaneus requiritur, verbis vel signis demonstratus.
  30. Nouus iste consensus præstari debet hoc casu coram Parocho, & testibus.
  31. Occultum non dicitur quod testibus probari potest.

Præcipuas controuersias circa causas nullitatis matrimonij, & quæ circa illas notatu digniora, & magis practicabilia sunt, ad sequentes conclusiones reducenda existimauimus.

Prima ergo sit conclusio: Quòd causa nullitatis matrimonij, coram iudice ordinario Ecclesiastico tractanda est; cui soli, & priuatiuè quoad omnes iurisdictionis competit: per text. in cap. accedentibus. de excess. Prælat. Concil. Trident. sess. 24. de reformat. cap. 20. vers. ad hæc. Barbof. de offic. & potest. Episcop. allegat. 84. num. 1. Sanch. de matrim. lib. 3. disput. 28. num. 22. Ric. in prax. rer. for. Eccles. in prax. matrimon. decis. 245.

Vnde aliàs Consului processuras coram Archiepiscopo Tholosano factas aduersus quemdam originarium, & habitatorem Carcassonæ, qui ad nullitatem matrimonij conueniebatur nullas esse ex defectu iurisdictionis; & litem instaurandam esse coram iudice



- iudice Ecclesiastico Carcaffonæ, qui iudex erat rei conuerti: *cap. cum contra. de foro competent.* Idque non obitante comparitione procuratoris, qui prorogauerat iurisdictionem Archiepiscopi Tholofani;
2. cùm tamen non haberet speciale mandatum: † Quod tamen requiritur ad hoc, vt quis possit prorogare iurisdictionem iudicis incompetentis. Guido
  3. Pap. *decif. 285. num. 2.* † Tum etiam quia quamuis ageretur de iplo principali, non tamen illi licitum fuisset tacite, vel expresse prorogare iurisdictionem alterius iudicis, non solum laici (quod indubitatum est) sed etiam Ecclesiastici incompetentis. Nam licet verum sit, constituendam esse differentiam inter prorogationem iurisdictionis, factam per personas Ecclesiasticas in fauorem tribunalis incompetentis; & eam quæ fit per personas laicas, & sæculares: vt Ecclesiastici nullo modo possint sine licentia sui Episcopi, alienam iurisdictionem prorogare; laici verò possint in causis etiam spiritualibus, alieni Episcopi prorogare iurisdictionem: tamen hoc procedit quando agitur de causis simpliciter spiritualibus, veluti si ageretur de decimis, vel de iurepatronatus, aut similibus; tunc enim verum est laicum posse coram alieno Episcopo comparere, approbando & prorogando illius iurisdictionem: secus autem est, si agatur de causis spiritualibus Sacramentalibus; veluti si agatur de fœdere matrimonij: nam hoc casu laicus non potest per suam prorogationem coram alieno Episcopo factam, illi iurisdictionem tribuere, in præiudicium Episcopi sui ordinarij, cui priuatiuè quoad Sacramenta subditus est: sed requiritur ad hoc consensus proprij Episcopi: per text. in *cap. omnis. de penitent.* & in *can. 1. 9. quest. 2.* ibi: *Nec alterius parochianum iudicare:* & secundum communem DD. distinctionem in *cap. significasti. 18. de for. compet.* & ibi per Socin. *art. 6. versic. secundo principali casu.* Felin. *ibidem. num. 1.* Panormit. *num. 15. in 2. casu princio.* August. Barbof. *num. 10.* & Petrum Barbof. in *l. 1. ff. de iudic. artic. 3. num. 197.*
  4. Cæterum, si inter virum & vxorem sit contentio de nullitate matrimonij, aut inter sponsos de nullitate, seu dissolutione sponsalium; adeundus est iudex domicilij mariti, quamuis maritus licentiam petat aliam ducendi: quia ipse est reus originarius: vt notabiliter explicat Abbas, in *cap. ex parte 14. num. 5. in 4. notabili, de restitut. spoliat.*
  5. Sed aduertendum est quòd Abbas in dicto loco duplici ratione nititur ad ostendendum, quòd ista licentia transeundi ad aliud matrimonium petenda est coram Episcopo loci, in quo maritus habet domicilium.  
Primo, quia maritus petens licentiam à iudice conuolandi ad aliud matrimonium, nihil petit à parte; sed tantum à iudice: ideo iudicem sui domicilij adire debet. Secundo quia maritus hoc casu est reus originarius, & propterea sortitur forum coram Ordinario suo; cùm non possit ab actore trahi extra forum sui domicilij.  
Prima ratio non videtur subsistere: quia cùm licentia transeundi ad aliud matrimonium, implicitam habeat dissolutionem sponsalium, vel matrimonij præcedentis; certum est licentiam illam, & declarationem nullitatis fieri non posse, nisi citatâ parte: & per consequens maritum esse actorem; eaque de causa teneri vxorem citare in foro ipsius vxoris, ex regula generali, quòd Actor sequitur forum rei; *cap. sane. cap. si clericus cap. cum sit generale. de for. compet.*
  6. Secunda ratio videtur posse retorqueri: † quia licet verum sit, quòd quando maritus est reus origi-

narius, debet causa tractari coram foro ipsius mariti, adinstar illius, qui agit remedio *l. diffamari Cod. de ingen. manumiss.* iuxta tradita per Rot. *decif. 236. par. 1. diuer. & per D. Cæsar. Argel. in suo utilissimo & eruditissimo tractatu de legitim. contradict. quest. 3. n. 190.* & nos ostendimus in *tract. de præuent. indic. cap. 8. n. 4.*

Ideo cùm maritus ratione contractus matrimonij 7. fortiatur forum coram Episcopo loci contractus, iuxta *cap. Romana §. contrahentes. de for. compet. in 6.* videtur quòd vxor possit illum conuenire coram proprio ipsius vxoris Episcopo in cuius diœcesi matrimonium fuit celebratum, licet vxor postea ad domicilium mariti, in alia diœcesi, fuerit traducta; cùm is qui intentat remedia huiusmodi proponendo exceptiones per modum actionis, quamuis sit reus originarius, & coram suo iudice conueniendus sit; † tamen si habeat plures iudices, & in diuersis locis 8. fortiatur forum, est in electione citati in vim dictorum remediorum, reum originarium conueniendi coram vno ex iudicibus ipsius rei originarij, dummodo sit competens: vt Dixi *d. cap. 8. num. 4. de præuent. ex Couar. lib. 1. variar. resol. cap. 18. num. 6.* & egregiè Socin. *fen. consil. 94. volum. 3.* & sic intelligenda sunt quæ dixi *cap. 8. num. 4.*

Nodum huius difficultatis non resoluit text. in 9. dicto *cap. ex parte. 14. de restit. spoliat.* quia ibi vxor erat Senensis, & maritum seu sponsum conueniebat coram Episcopo Senensi, qui etiam erat iudex domicilij mariti, qui erat pariter Senensis: vt ibi notat Abbas; dicto *num. 5. in fine,* & Glos. in figuracione casus, in *codem cap. ex parte.*

Præterea textus ille continet casum specialem: si 10. quidem ibi agebatur de puella, quam septennio minore patrius desponsauerat, & nubilis facta, sponsalia adimplere recusabat: ideo càm euident & clara esset nullitas sponsaliorum, non erat cogenda mulier ad matrimonium perficiendum; & traductio interuenisset non sequitâ copulâ, & matrimonium esset notoriè nullum: ideo sufficiebat licentiam petere ad alia sponsalia transeundi, nec opus erat aliqua declaratione nullitatis notoriæ.

Sed dubium nostrum versatur in muliere traducta & cognita, quam à diœcesi sua maritus ad proprium domicilium, ac diœcesim deduxit, sequutâque copulâ, post aliquod temporis spatium, ipse maritus illam coram proprio suo Episcopo conuenire desiderat: & hoc casu, saluo saniori iudicio, Ego crederem posse litem intentari, coram iudice domicilij mariti, quamuis vxor ab alia diœcesi traducta fuisset: † Quia 11. ratione matrimonij & traductionis ad domum mariti, vxor fuit effecta de foro ipsius. Molin. *de rit. nupt. lib. 1. compar. 23. numer. 44.* Petrus Barbof. in *l. exigere dotem. 65. ff. de iudic. num. 13.* Duen. *reg. 277.*

Et ideo dicunt DD. quòd si vxor litiget cum 12. marito, etiamsi ab illo conueniatur, conuenienda est & litigare debet coram iudice sui mariti, & in eius domicilio. Dec. in *l. cum quedam puella. 19. num. 8. ff. de iurisdict. omnium iudic.* Iason *ibidem num. 1. in 2. ampliat.* Cagnol. *num. 4. etiam in 2. ampliat.* † 13. Quod etiam ampliatur vt procedat, etiamsi vir & vxor simul non cohabitassent. † Et licet dicta regula 14. non procedat, quando matrimonium non valuit, vt dicit Card. Tusch. *littera V. conclus. 387. num. 29.* Felin. in *cap. iuravit, 6. num. 2. in glos. ignorabat pars.* & in *cap. 1. num. 25. de sponsalib.* Bald. in *d. cap. iuravit, num. 2.*

Tamen quando nullitas matrimonij non est notoria, sed deducitur in controuersiam; tunc lite pendente contractus manutenuendus est: *cap. litteras. de restit.*

*spoliat. etiam ad instantiam illius qui agit ad rescissionem. Vincent. de Franch. decis. 373. per tot. & sic donec matrimonij nullitas sit detecta, vxor non priuatur effectu matrimonij, vt viri forum teneatur sequi.*

16. Vnde sequitur quod si fidelis contrahat cum infideli, cum matrimonium regulariter nullum sit; vt docet Basil. Pont. *de matrim. lib. 7. cap. 46.* si fidelis agat ad diuortium, debet conuenire infidelem coram iudice seculari: vt dicit Sanch. *lib. 7. disput. 3. num. 9.* maximè cum infidelis non agnoscat forum coniugis fidelis: & sic actor sequitur forum rei. Sed dum matrimonij nullitas detecta non est, non videtur recedendum ab illa regula, quod vxor sequitur forum mariti, vt mox dictum est: † attamen in facti contingentia, Consului vt obtineretur commissio excicatoria iurisdictionis, à summo Pontifice, directa Episcopo domicilij mariti: quod sic fieri posse, & commissionem à summo Pontifice dirigi ad Ordinarium domicilij coniugum, fusè explicat Pyrr. *Conrad. in praxi dispens. Apostol. lib. 7. cap. 5. numer. 31. & 32.*
17. Secunda conclusio: matrimonium in locis vbi Concilium Tridentinum receptum fuit, celebratum sine assistentia proprii Parochi, aut alterius ab eo licentiam habentis, est ipso iure nullum: ex Concilio Trident. *sessio. 24. cap. 1. de reform. matrim. & sapius fuit dictum per Rotam Romanam, nominatim in Toletana Matrimonij, decis. 629. par. 4. recent. tom. 3. & decis. 645. num. 1. part. 1. diuers. † Proprius autem Parochus quoad matrimonium dicitur ille, in cuius loco contrahentes, licet de nouo venerint, habent animum stabiliendi domicilium, & ibi perpetuò viuendi. Diaz. in pract. crim. canonic. cap. 73. de clandestinis nupt. interessentibus, versic. decimo quarto. ibi: si verò inter duos. Ceual. cap. 458. num. 35. & cap. 604. num. 44. Gutier. de matrim. cap. 63. per totum. Bonacin. in eod. tract. quest. 2. punct. 8. num. 4. Gratian. discept. forens. cap. 75. num. 18. Sanches de matrim. lib. 3. disput. 23. num. 14. Barbof. ad dictum cap. 1. Concil. Trident. sess. 24. de reformat. num. 8.*
20. Similiter proprius Parochus dicitur ille, qui curam animarum exercet in eo loco, ad quem matrimonium contrahere volentes aufugerunt propter suspicionem pestis: ille enim Parochus potest confessiones confugientium audire, illorum matrimonia celebrare, seu solemnizare, & alia omnia peragere, exceptis iis quæ ordinum susceptionem concernunt. Sanch. d. libr. 3. disput. 23. num. 12. sequitur Gutier. eod. tract. de matrim. cap. 63. num. 19. apud quos reliqua de proprio Parocho quoad matrimonium videri possunt; idè non sunt hîc inutiliter repetenda.
21. Eadem ratione proprius Parochus dicitur, Parochus loci in quo mulier habitat causa famulandi; vel in Monasterio causâ educationis, vel causâ addiscendi virtutes. Gratian. discept. forens. capit. 75. num. 19. lib. 1.
22. Vtrum autem matrimonium contractum, non seruata formâ Concilij, sit validum; quando celebratum fuit in loco, ad quem coniuges diuerterunt absque intentione ibi manendi pro maiori parte anni; si talis sit locus in quo Concilium nondum fuit receptum: affirmatiuè resoluit Bonacina *de matrim. quest. 2. punct. 7. num. 5. & punct. 8. num. 4.* Barbof. *de Episcop. allegat. 32. num. 77.*
23. Tertia conclusio: matrimonium metu celebratum cadente in constantem virum, est omninò nullum, propter defectum consensus: qua de re, & tota me-

tus in matrimonio interuenientis materia, fusè Basil. Pont. *lib. 4. cap. 10. & sequentib.* Gutier. *capit. 76. num. 8. & per totum.* Sanch. *lib. 4. diffus. 12. & sequentib.*

Et adeo nullum est matrimonium metu contractum, vt si vxor nondum à viro cognita, alleget se per metum contraxisse, quamuis ad mariti domum fuisset traducta; non ideo tamen viro restituenda esset, lite pendente: tum ob periculum virginitatis, quod esset irreparabile; tum etiam quia non potest dari possessio liberæ personæ, illius consensu deficiente: vt fuit dictum per Rot. *decis. 147. num. 28. part. 1. recent.* vbi dicitur quod hoc casu possessorium admixtam habet proprietatis causam: quæ decisio est repetita apud Ludouif. *decis. 351. num. 40.*

Dum autem agitur de probando metu tam quoad matrimonium, quàm quoad alios contractus, dubitari potest vtrum sufficiat, metum fuisse probatum in genere, an verò probandus sit in specie, respectu illius contractus de quo agitur: Duæ sunt sententiæ, quarum prior vult satis esse metum probari in genere, quâ tenet Rebuf. *in constit. Reg. tom. 2. tit. de resc. contract. art. unic. gloss. 22. n. 5.* vbi dicit sententiâ Afflicticontrariū tenentis esse subtilem, & pulchram; sed in Gallia non seruari. Crauet. *consil. 241. num. 20. col. 10. versic. alibi scribit.* Thesaur. *Iun. lib. 1. quest. 51. num. 7.* Posterior sententia, quæ verior & receptior est; asserit metum in specie probandum esse respectu matrimonij, vel alterius actus de quo contenditur: quam tenent Afflict. *decis. 246.* Menoch. *consil. 389. num. 9.* Mastril. *decis. 140. num. 17. part. 12.* Viuius, *decis. 507. num. 9. part. 3.* & ideo cauendum est ab opinione Fontanel. *de pactis nuptial. tom. 2. claus. 7. part. 5. numer. 61. & sequentibus.* quia aduersus eum stat ratio, & communis opinio, nee non iudicia supremorum Senatuum: vt eleganter comprobatur Ioseph. Ramon. *consil. 96. numer. 20. & sequentib.*

Quomodo autem, & ex quibus probetur metus in matrimonio: vltra DD. citatos, & tradita per Farin. *in fragm. in verb. metus,* videri poterit *decis. Rotæ 86. apud Barat. & 213. & 205. apud eundem, & decis. 643. part. 1. recent.* quæ est eiusdem Burati. Ludouif. *decis. 326.* Giouagn. *consil. 67. lib. 1.* & est materia satis trita.

Quarta conclusio: Si matrimonium habet initium meticulosum, nunquam purgatus censetur durante vita illius, qui metui causam dedit. Ludouif. *decis. 392. num. 5. & per totam vbi ampliatur num. 3.* etiam si tales actus præ se ferant lætum ac iucundum animum: imò ex illis magis confirmari probationem metus existimat Theodos. Rub. *in singulari ad decis. Ludouif. fol. 19.* Idem tenuit Rot. *decis. 315. num. 9. & 12. par. 5. recent.* Adden. ad Barat. *d. decis. 205. litera. C. in fin.* Rot. *decis. 179. num. 4. part. 4. recent. & decis. 172. num. 43. & 44. part. 7. recent.*

Quinta conclusio: Sola coniugum habitatio per duos, aut tres annos continuata, non conualidat matrimonium quod habuit initium meticulosum. Quia cum ipsum matrimonium sit ab initio nullum ex defectu consensus, qui quidem consensus est de forma, & substantia matrimonij, siue illud consideretur tanquam contractus, siue tanquam Sacramentum: vt pluribus citatis comprobatur Rot. *decis. 124. num. 1. & 2. par. 7. recent.* sequitur † quod consensus propter metum deficiente, matrimonium consensu carens non potest reddi validum, nisi nouus, isque non tacitus, sed expressus signis aut verbis animum declarantibus significatus accedat consensus: & sic

solam cohabitationem non sufficere talémque consensum simultaneum, vtroque coniuge interueniente requiri: quidquid in contrarium dicat Sanch. *de matrim. lib. 2. disput. 37. numer. 12. & sequentibus.* Quia eius sententiam pluribus bonis fundamentis impugnat Basil. Pont. *de matrim. lib. 4. capit. 24. numer. 9. & num. 5.* vbi dicit hoc fuisse iudicio Ecclesiæ terminatum per felic. recordat. Clem. VIII. tunc summum Pontificem. Idem fusè comprobatur Gutier. *de matrim. cap. 76. num. 32.* quorum dicta hic repetere esset inutile.

30. Sexta conclusio: Non solùm ad matrimonij per metum contracti validitatem; nouus, expressus & simultaneus vtriusque coniugis consensus requiritur; sed etiam consensus ille nouus præstandus est coram Parocho, & testibus; iuxta formam sacri Concilij Tridentini. Hæc conclusio est contra sententiam Sanch. *dicto tract. lib. 2. disput. 37. numer. 3. & sequentibus.* Bonacin. *de matrim. quest. 2. punct. 9. num. 4. cum ibi citatis.* Sed vera est, quia actus ratificatus

redditur validus vt ex nunc, non vt ex tunc: & ideo omnes solemnitates requisitæ in actu principali, adhibendæ sunt in ratificatione, cum ratificatio illa dicatur nouus actus: debet igitur interuenire in ratificatione, Parochi & testium præsentia per Concilium requisita, perinde ac si antea nullum matrimonium præcessisset: & hæc fuit sacre Congregationis Interpretum Concilij sententia, vt testatur Seraph. *decis. 900.* quam ad hoc bene inducit Basil. Pont. *lib. 5. de consens. clandest. capit. 6. & multis sequentibus.* Gutier. *de matrim. dict. capit. 76. num. 32.* & ad longum Rot. apud Ludouic. aliàs Gregor. XV. *decis. 395. per tot.* vbi loquitur etiam quando metus impedimentum fuit occultum. † Quamquam nec occultum dici possit, quando per testes probari potest: vt dicitur in *dict. decis. 395. num. vlt.* quo casu nempe metus notorio existente impedimento ipsemet Sanches, & eius sententiæ sectatores fatentur solum coniugum consensum non sufficere; nisi iterum interueniant Parochus, & testes.


*Hic prima huic parti finem impono, ad laudem Dei Omnipotentis & Gloriosissima Virginis Mariae Patrona mea. Omnia subiiciens correctioni Sanctæ Matris Ecclesiæ. Et quacumque à me ex Gallia moribus dicta sunt, approbare non intendens, si & quatenus iurisdictioni Ecclesiastica essent contraria: quid fiat potius illo casu referens, quàm quid fieri debeat. Protestans me semper amplexurum opiniones sanctæ Sedi magis fauorabiles, summique Pontificis authoritati, cuius me fidelissimum Vassallum & Feudatarium esse profiteor, & vsque ad mortem profitebor.*





# QVÆSTIONVM ET RESOLVTIONVM BENEFICIALIVM PARS SECVNDA.

*In qua Compendium totius materiae beneficalis in primo libro  
non explicata continetur.*



## CAPVT I.

Quid sit Beneficium Ecclesiasticum, & quid  
sub nomine Beneficij contineatur.

### §. I.

*In quo varia Beneficij descriptiones  
proponuntur.*

**V**ARIAS in medium afferunt Beneficij Ecclesiastici, de quo loquimur, definitiones; seu potius descriptiones. Quidam dicunt Beneficium esse ius spirituale vtendistruendi rebus Deo dicatis, clerico propter diuinum officium competens. Alij verò dicunt Beneficium esse, distinctam & spiritali muneri coniunctam iurium Ecclesiasticorum portionem, certis ædibus sacris ad hoc assignatam, vt perpetuò ad vitam vtenda clerico legitime assignetur. Alij definiunt, vt sit ius percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis, clerico propter diuinum officium competens. Cui definitioni addenda censent verba illa: *diuinum officium, vel obsequium*, vt per Garf. *de benefic. part. 1. cap. 2.* vt etiam comprehendat Commendas, seu Præceptorias militarium Ordinum, quæ verè sunt beneficia. Alij dicunt Beneficium esse portionem illam obuentionum, & reddituum Ecclesiasticorum quæ datur ministris Ecclesiæ pro seruitio spiritali. Similia refert Stephan. Gratian. *discept. forens. cap. 397. numer. 50.* Petr. Gregor. *in Instit. rei benefic. cap. 6. & in syntagm. iuris, lib. 17. cap. 2* & passim alij de beneficiis tractantes. Ex qua beneficij descriptione quædam notabilia inferri possunt.

### §. 2.

De simplici deputatione Sacerdotis.

1. *Simplex deputatio Sacerdotis non meretur nomē beneficij, si non interuenerit erectio in beneficium.*

2. *Beneficium Ecclesiasticum sine Superioris auctoritate constitui non potest.*
3. *Non potest dici Beneficium pia fundatio, nisi conferri possit in titulum perpetui beneficij.*

**P**rimò infertur simplicem deputationem Sacerdotis pro celebratione Missarum, si non interueniat erectio facta auctoritate Superioris, non esse beneficium, neque beneficij nomine contineri; cum non habeat titulum perpetuum, nec auctoritatem Superiorum: imò potius sit quid merè temporale, & laicale. Felin *in cap. ex parte. 2. numer. 2. de Rescript.* Guid. Pap. *decis. 187. numer. 1.* † Nam beneficium Ecclesiasticum sine erectione, seu institutione Ordinarij, suum esse non habet. Gloss. *in Clementin. 2. in verb. si beneficiorum, in fin. versic. tu dic. de Decim.* Rot. *decis. 509. numer. 1. part. 1. diuersor. & 238. per tot. part. 5. recentior. coram Illustrissimo & Reuerendissimo Domino Du Noiset Iuniore, Rota Romana Decano, quem uti Dominum, & Patronum meum singularem veneror*: quod etiam refert & sequitur Donat. Anton. de Marin. *quotidianar. resolut. cap. 36.* Marius. Antonin. *lib. 1. resolut. 112. cas. 53.* Garf. *de benefic. part. 1. cap. 2. num. 95.* Gonsal. *ad regul. 8. gloss. 5. in princip. numer. 20. & sequent.* Barbof. *de Iur. Eccles. vniuers. lib. 3. cap. 5.* Burat. *decis. 1. num. 21. & 224. num. 5.*

Quod præsertim locum habet, si fundator non assignauerit certum locum, in quo Missæ erant celebrandæ: ideo non potest hæc pia fundatio assignari in titulum perpetui beneficij; sine qua assignatione, & perpetuitate non potest mereri nomen beneficij. Cassador. *decis. 3. num. 34. de Prabend. & decis. 4. num. 2. eod. tit.* Antonin. *dicto casu 53. versic. secundò.* Gratian. *discept. forens. 397. num. 73.*

### §. 3.

De Capellis & Capellaniis.

1. *Capella non est beneficium Ecclesiasticum, si non fuerit erecta cum auctoritate Ordinarij in titulum beneficij.*

2. *Prinatam Capellam in domo priuata nemo potest construere, nisi interueniente auctoritate Episcopi, quae aliquando praesumitur ex diurnitate temporis.*
3. *Capellanus obtinens in Ecclesia, dicuntur veri beneficiorum possessores, si obtineant vocem in Capitulo, & stallum in Choro, quamuis eorum numerus non sit in Ecclesia definitus.*
1. **E** Adem ratione Capellae non continentur sub nomine beneficiorum, si per laicum intra proprium fundum constructae fuerint; sed auctoritate Episcopi non sint erectae, & ordinatae: ideo possunt ad libitum, sine requisitione Episcopi, per fundatorem conferri. Guid. Pap. *decis.* 182. † Non tamen potest etiam in propria & priuata domo, nec fundo constructi Capella, nisi cum auctoritate Episcopi, à quo si non fuerit approbata, & spiritualisata: non dicitur beneficium Ecclesiasticum; ut notat Ferrer. *ad dictam decis.* 187, sed tamen si Capella per longum temporis spatium collata fuerit tanquam beneficium perpetuum, praesumitur quod interuenierit Episcopi auctoritas. Afflict. *decis.* 368. numer. 5. Rebuff. *in prax. tit. quatuorplex sit beneficium, numer. 5.* Ioann. de Cruce. *ad dictam decis.* Guid. Pap. 187. qui id potissimum locum habere asserit, quando huiusmodi Capellae sunt fundatae, & fabricatae in ipsa Ecclesia, Barbof. *de Iur. Eccles. vniuers. lib. 3. cap. 5. num. 12.* in quo capite fusè agit de istis Capellaniis, & ostendit quibus in casibus sint beneficia, & in quibus beneficiorum appellatione minimè contineantur.
3. Verum si agatur de Capellanis Ecclesiae Receptitiae, seu non Numeratae, quorum licet certus non sit numerus; tamen ipsi habent stallum in Choro, & vocem in Capitulo: tunc licet non inducatur huiusmodi Capellaniarum vacatio, ut infra suo loco ostendemus, tamen ipsorum beneficia verè beneficiorum nomine contineri, ex multis comprobatur Gratian. *discept. forens. cap. 397. numer. 50. & 74.* & passim in dicto capite.
- De his Capellis, nonnulla diximus in libro. 1 cap. 63. & 78.

## §. 4.

## De Pensionibus Ecclesiasticis.

1. *Plurima referuntur differentia inter beneficia, & pensiones.*
2. *Laico pensio assignari potest, sed non beneficium, Intellige ut num. 16.*
3. *Infantes sunt incapaces beneficiorum, sed non pensionum.*
4. *Beneficium non potest resignari, ut resignatio effectum habeat non confectis Bullis, sed extinctio pensionis potest fieri sub simplici signatura.*
5. *Pensio exigi non potest non confectis Bullis.*
6. *Littera Apostolica ad obtinendam solutionem pensionis habent paratam executionem, non obstante exceptione nullitatis resultantis ex ventre ipsarum litterarum.*
7. *Ad obtinendam pensionem sufficit hodie septennium, quicquid dixerit Garstias. In beneficiis autem anni quatuordecim ex dispositione Concilij requiruntur.*
8. *Ratione beneficii subditus quis efficitur Episcopi illius loci, in quo est beneficium; non tamen ratione pensionis.*
9. *Proprius Episcopus non dicitur ad hoc, ut possit clericum ordinare, ratione pensionis, quam in eius diocesi obtinet.*
10. *Illegitimus non potest obtinere beneficia sine dispensatione, potest tamen obtinere pensiones.*
11. *Illegitimi sunt incapaces Ordinum nisi fuerint dispensati.*
12. *Expositi quodammodo ad illegitimos accedere videntur.*
13. *Expositos beneficia & pensiones obtinere posse, sine ulla dispensatione, quidam existimant.*
14. *Illegitimi ad clericatum dispensati ex veriori sententia, secluso stylo in contrarium, non indigent noua dispensatione ad obtinendas pensiones Ecclesiasticas.*
15. *Quod de Illegitimis dictum est, multo fortius locum habet in Expositis.*
16. *Expositi, ad clericatum sine dispensatione non sunt admittendi.*
17. *Examinatur distinctio allata per Garstiam inter pensiones ab illegitimis, vel Expositis obtentatas, vel obtinendas.*
18. *Expositi legitimorum iura consequuntur, si de illorum origine constet, quae sit legitima; non obstante expositione.*
19. *Illegitimus non potest obtinere beneficium in Ecclesia, in qua eius pater beneficium habuit; nec in illa ministrare.*
20. *Illegitimus potest obtinere pensionem super eadem praebenda, super qua olim eius pater habuit aliam pensionem.*
21. *Limita ut hoc non procedat, si agatur de pensione quae fuit assignata Patri in titulum beneficii.*
22. *Quando, & quomodo pensio dicatur assignata in Titulum beneficii; bene & singulariter explicatur.*
23. *Regressus ad beneficia resignata sunt sublatis, conceduntur tamen ob non solutionem pensioni.*
24. *Explicatur quae sit natura Accessus, quae Regressus; & vtriusque differentia proponitur.*
25. *Accessus ad beneficium requirit capacitatem tempore quo acceditur.*
26. *Regressus est quadam continuatio, & veluti reliquiae prioris Tituli.*
27. *Accessus, & regressus ad beneficia ex Concilio non dantur.*
28. *Fallit in casu de quo in cap. si beneficia, de Praebend. in 6.*
29. *Item datur regressus ob euictionem beneficii permutati. Limita nisi fuerit amissum beneficium transactione, vel compromisso.*
30. *Pensionem qui reseruauit, redit ad beneficium resignatum, si sibi illa non soluat per resignarium.*
31. *In Gallia regressus ob non solutam pensionem semper tacite reseruatus censetur.*
32. *Si pensio fuerit reseruata conditionaliter cum clausula, & non aliàs, aliter, nec alio modo; conditione non impleta, cessat consensus resignantis.*
33. *Resignans qui consensum conditionaliter praestitit, potest intentare spoliū aduersus resignarium, qui non satisfacit conditioni.*
34. *Consentiens extinctioni pensionis, sub conditione quod similis pensio ad aliud beneficium transferretur, & super eo imponeretur, si Pensio*



- si pensio translata effectum non sortiatur, retinet primam pensionem.*
35. *Regressus non conceditur ex solo cursu temporis, quo pensionarius solvere destitit; sed requiritur declaratoria.*
  36. *Si Papa liberum regressum resignanti reservaverit cum aliis clausulis prægnantibus, conceditur regressus ob non solutam pensionem absque sententia declaratoria.*
  37. *Concesso resignanti regressu, resignatarius beneficio priuatus non tenetur solvere arreragia pensionum decursarum.*
  38. *Clausula, habitâ, vel non habitâ possessione, facit ut regressus concedatur; quamvis debitor pensionis diceret, se nondum adeptum fuisse possessionem beneficii super quo pensio fuit imposita.*
  39. *Clausula, habitâ, vel non habitâ possessione, ad quid fuerit inuenta.*
  40. *Clausula illa nihil operatur, quando debitor pensionis sine culpa, aut fraude, possessionem beneficii obtinere non potuit.*
  41. *Clausula, quod dicta pensio annullari non possit, excludit exceptionem nullitatis oppositam, ad retardandam solutionem illius.*
  42. *Si pensio medietatem fructuum excederet, reducenda esset ad legitimum modum; non tamen propterea annullanda.*
  43. *Si pensio fuerit reservata cum clausula, Dummodo fructuum medietatem non excedat, in casum excessus non vitatur in totum; sed in eo tantum, in quo medietatem excedit.*
  44. *In Gallia, pensiones non solent excedere tertiam partem fructuum.*
  45. *Propositur constitutio Regia super hac materia edita anno 1637.*
  46. *Resignatarius, aut cessionarius beneficii non potest allegare excessum pensionis; sed illi dicitur quod soluat vel dimittat.*
  47. *Non solum resignatarius, sed etiam resignatarij resignatarius in Gallia, cogitur ad solutionem pensionis, nonobstante excessu pensionis allegato.*
  48. *Limitatur primò, ut illud non habeat locum, si pensionarius fuisset negligens in exigendo pensiones decursas, & beneficium resignatum transisset per plures manus.*
  49. *Limitatur secundò, nisi ageretur de beneficio curam animarum annexam habente.*
  50. *Sed circa hanc secundam limitationem, sæpè contrarium in Gallia tribunalibus fuit iudicatum.*
  51. *Pensio super præbendis Theologalibus, & Præceptorialibus imponi nulla potest.*
  52. *Qui præbendam Theologalem, aut Præceptoriam cum onere pensionis acceptavit; variis Senatus decretis in Gallia ad illius solutionem condemnatus fuit.*
  53. *Tertiò limitatur quod dictum est, cum, cui resignatio facta est, non posse opponere de excessu pensionis; ut non procedat, si pensio esset abusiva, ita ut ferè omnes beneficii fructus absorberet.*
  54. *Nonobstante clausula, Dummodo mediam partem fructuum non excedat, in casum excessus, non potest agi ad cassationem; sed tantum ad reductionem pensionis.*
  55. *Ex mente summi Pontificis, regulariter pensiones non debent excedere mediam partem fructuum beneficii.*
  56. *Quartò limitatur in successore per obitum, qui pensionis reductionem petere potest.*
  57. *Sucessor per obitum, tenetur quidem regulariter ad solutionem pensionis, quæ est onus reale; sed tamen si sit nulla potest de illius nullitate opponere.*
  58. *Qui consensit impositioni pensionis, non auditur opponens de illius nullitate, ad impediendam executionem; nisi nullitas sit notoria.*
  59. *Litteræ pensionis non sunt iustificandæ, quando agitur de eo qui illius impositioni consensit.*
  60. *Non solum titularis, sed etiam illius fideiussores coguntur continuare solutionem pensionis, quando in litteris adest clausula, de qua ibi.*
  61. *Qui nec iuris, nec possessionis successor est, ad pensionis solutionem teneri non potest.*
  62. *Clausula, habitâ, vel non habitâ possessione, non nocet debitori pensionis, si alius enicerit beneficium super quo pensio fuit imposita.*
  63. *Pensionibus decursis peti possunt contra successorem in beneficio, vel contra heredes resignatarij, ad electionem pensionarij.*
  64. *Intellige ut hoc procedat, quando constat pensionarium debitas fecisse diligentias, pro exactione pensionis; alias non potest agere contra successorem pro pensionibus decursis.*
  65. *In Gallia, non admittuntur translationes pensionis in alias personas.*
  66. *Clericus, sicut propter homicidium voluntarium beneficio priuandus est, an etiam similiter priuari debeat pensionibus Ecclesiasticis.*
  67. *Sicut in obtentione beneficiorum, debet fieri mentio de beneficiis aliis obtentis, utrum similiter fieri debeat mentio de pensionibus obtentis.*
  68. *Si quis obtineat pensionem super aliquo beneficio & aliam iterum super eodem beneficio obtinere velit, tenetur de pensionibus iam super eodem beneficio impositis facere expressam mentionem; ne alioquin Ecclesia nimio onere prægruetur.*
  69. *Limitatur ut non procedat, si prima pensio esset nulla.*
  70. *In translatione pensionis iam creata, etiam super eodem beneficio super quo adsunt pensiones anteriores; tamen non est necesse fieri mentionem anteriorum pensionum.*
  71. *In erectione beneficii, Episcopus auctoritatem suam debet interponere: sed in creatione pensionis solus Papa.*
  72. *Etiam in Gallia, pensiones non valent, nisi fuerint creata auctoritate sedis Apostolica.*
  73. *In casum perfidia resignatarij, exigitur pensio, quamvis non fuerit homologata, in Gallia.*
  74. *Debitor pensionis, cui non observatur concordia; iustam habet causam denegandi solutionem pensionis.*
  75. *Episcopus impositioni, seu creationi pensionis auctoritatem interponere non potest, nisi ex iusta causa.*
  76. *Episcopus proprio nepoti studiorum causâ pensionem potest assignare; & hæc iusta causa dicitur.*
  77. *In dubio pensio censetur reservata in causam alimenterum.*
  78. *Pensio Papa auctoritate creata, successores obligat.*
  79. *Pensio pro bono pacis per Episcopum reservata, ligat successores.*

80. Referuntur tres causa propter quas in Gallia, Episcopus potest reservare Pensiones.
81. Pensio in Gallia reservari non potest super alio beneficio, quam super eo quod resignatur, vel permutatur.
82. Episcopus etiam ex causa, Pensionem per modum quote non reservat.
83. Beneficium non potest esse apud duos; secus est de illius fructibus.
84. Beneficium ex sui natura est indivisibile, nec potest esse apud duos.
85. Manutentio non datur adversus successorem in beneficio nisi intimatis prius illi Bullis creationis Pensionis.
86. Hoc tamen in dubium revocatur, si ageretur de successore qui aliquando solvisset.
87. Solutio pensionis facta per antecessorem, constituit in quasi possessione exigendi; qua suffragatur contra successorem.
88. Consultius est, ut semper littere successoris in beneficio intimentur.
89. Intimatio litterarum pensionis, quibus in casibus non requiratur.
90. Ad effectum privationis ob non solutam pensionem, aut Canonizationis regressus, requiritur scientia certa.
91. Procurator, an teneatur probare suum principalem adhuc vivere, dum pensionem exigit; dubium redditur: sed concluditur non teneri probare, num. 92.
93. In impetratione beneficij, faciendam esse mentionem pensionum super aliis beneficiis obtentorum, quidam censent: sed contrarium probatur numer. 94. Debet tamen fieri mentio pensionum super eodem beneficio impositarum per eum qui nova pensione illud gravat. num. 95.
96. Privatio beneficiorum obtinentorum utrum ad pensiones extendatur.
97. In pœnalibus, & adiosis, pensio non venit beneficij appellatione.
98. Ampliatur etiam si verba essent generalia, aut geminata.
99. Aliud sunt fructus beneficij, aliud verò beneficium.
100. Si nulli fructus ex beneficio percipiuntur, nulla debetur pensio.
101. Hæreticus pensionibus tam obtentis, quam obtinendis privandus est.
102. Beneficia promoti ad Episcopatum, vacant.
103. Similiter & pensiones promoti ad Episcopatum extinguuntur.
104. Pensiones debentur, quamvis debitor non inseruiat Canonicali super quo sunt imposita.
105. Distributiones quotidiana, quomodo differant à fructibus beneficij, & num. 106.
107. Capitulum percipiens distributiones Canonici absentis, solvere debet pensionem super Canonicali impositam, pro rata.
108. Quando Capitulum percipit distributiones quotidianas Canonici absentis, vel suspensis; percipit illas per ius accrescendi, non autem per ius non decrescendi.
109. Pensionarius habet electionem agendi contra Capitulum, quod distributiones percipit per ius accrescendi: vel si malit contra titolarem, qui propter culpam suam illas non lucratur.
110. Camera, si pretendat redditus beneficiorum viventis ad se pertinere, si fructus percipiat,

tenetur quoque solvere pensiones, super illo beneficio impositas.

111. Fructus, si ex Capitali redditibus Canonico solvantur, non habito respectu ad servitium diurnum vel horarium, ita quòd alij Canonici non participant: tunc Capitulum eximitur à solutione pensionis imposita super beneficio.
112. Fructus qui ex redditibus Capitali solvantur, & apud ipsum remanent, dicuntur pertinere ad Capitulum per ius non decrescendi.
113. Fructus Canonici absentis si distribuatur inter Canonicos presentes, vel alias sit locus iuri accrescendi, accrescunt cum suo onere pensionis.
114. Ius accrescendi non potest habere locum nisi in parte alicui assignata, seu data, quæ postea deficit.
115. Emolumenta Collegij, seu Vniuersitatis, quando propter absentiam alicuius de Collegio, sint inter alios presentes distribuenda, an verò massa Collegij acquirantur. Remissive.

**D**ubius sanè, & perplexus est iste articulus: utrum pensiones Ecclesiastica, beneficij nomine contineantur; & in constitutionibus & dispositionibus loquentibus de beneficiis comprehendantur. Pro cuius resolutione adeundus est Paris. de resignat. benefic. lib. 2. quest. 15. per tot. vbi varios affert casus in quibus differunt inter se Pensio & Beneficium Ecclesiasticum, quos hîc breuiter duximus recensendos.

Primus est, quòd licet beneficium in fauorem alterius resignari possit, secus tamen est in pensione. Paris. ibid. num. 7.

Secundus, quòd si Papa mandauerit alicui prouideri de beneficio, non potest illi prouideri de pensione. Idem, num. 12.

Tertius, quòd regula de infirmis resignant. non comprehendit illos, qui pensiones transferunt in articulo mortis.

Quartus, quòd habens pensionem super beneficio residentiam requirente, non tenetur residere sicut ille qui possidet beneficium.

Quintus, quòd pensio non inducit incompatibilitatem cum alio beneficio.

Sextus, quòd pensionarius non tenetur recitare magnum officium, sicut ille qui beneficium obtinet.

Septimus, quòd simplici laico potest assignari pensio, sed non beneficium, quod tamen de pensione laico assignanda verum non putat Carol. de Grass. de effect. Clericat. effect. 15. num. 7. Distinguendum tamen est, nam si agatur de pensione spiritali, verum est illam laico assignari non posse; secus est de temporalis, cuius certum est laicum esse capacem, si summi Pontificis autoritas accesserit.

Octauus, quòd qui prohibitus est habere beneficium, non prohibetur obtinere pensionem: ut notat idem de Grass. de effect. cleric. effect. 1. num. 1215. vbi omnes casus supradictos ex Parisio desumptos refert, quos ex eodem fonte nos quoque exhaustimus; sicut & Donat. Anton. de Marin. lib. 1. resolut. 60. num. 11.

Nonum addo casum, quòd licet infans sit incapax beneficij, tamen non est incapax pensionis: Ideo prouisio pensionis in fauorem infantis sustinetur, quando summo Pontifici fuit defectus infantilis ætatis expressus: & illo casu, non prouidetur illi de pensione tanquam clerico, sed uti laico: & apponitur

in concessione illa clausula, *Etsi nondum fuerit clericali caractere insignitus*, vt notat Gratian. *discept. forens. cap. 508. num. 17.* Rot. *decis. 549. num. 6. part. 2. recentior.* quæ est apud Burat. repetita *decis. 53.* vbi Additio in litt. C. quæ post Gonzal. ita iudicatum fuisse refert, sicque in praxi obseruari.

4. Decimus, quia licet beneficij prouisio necessariam habeat Bullarum expeditionem, & de iure possessio beneficij in vim simplicis signaturæ non possit capi; tamen quando agitur de extinctione pensionis, non sunt expediendæ litteræ, nec Bullæ; sicut fieri debet in resignatione beneficij; sed sufficit simplex signatura. Ratio est, quia agitur de exoneratione beneficij, quæ fauorabilis est. Rot. *decis. 327. num. 1. part. 2. recentior.* Tournet in sua *recollect. arrest. litt. B. num. 83.*

5. Diximus id procedere, quando agitur de cassatione & extinctione pensionis: nam si ageretur de illius creatione, & constitutione, necessaria omninò esset confectio litterarum, & expeditio Bullarum Apostolicarum; adeo vt ante illarum expeditionem, nullo modo pensio exigi queat. Mantica *decis. 286. per rot.* saltem in foro exteriori.

6. Dictarumque litterarum Apostolicarum tanta est vis in hac pensionum Ecclesiasticarum materia; vt quamuis pensionarius non esset in possessione exigendi pensionem; tamen debitor cogendus esset ad solutionem, nonobstante exceptione nullitatis per eum opposita, & litteræ Apostolicæ, nonobstante tali oppositione, essent executioni demandandæ, etiam si talis exceptio resultaret ex ventre ipsarum litterarum. Ratio est, quia creditor pensionis multas potest habere replicationes, & rationes aduersus huiusmodi exceptiones: idè interim propter honorem litterarum Apostolicarum debet decerni executio, nec per illas exceptiones retardari. Rot. *decis. 301. part. 1. diuers.*

7. Vndecimus, quia licet ex Concilio Tridentino ad obtinendam quodcumque beneficium, requiratur saltem ætas annorum quatuordecim; tamen ad obtinendam pensionem sufficit ætas septem annorum: & sic ætas requisita in beneficiis per sacrum Concilium, non debet extendi ad pensiones. Gigas de *pensionib. quæst. 13.* Ratio est quia clericatus sufficit ad pensionem obtinendam, qui in illa ætate septennij conferri potest; provt sic per sacrum Concilij Congregationem iudicatum fuisse testantur Gratian. *discept. forens. cap. 397. num. 18.* Gonzal. *ad regul. 8. §. 5. gloss. 5. num. 26.* Lezana in *summa quæst. regul. tom. 3. in verbo Ætas. num. 9. versic. quarta.* Barbof. in *decision. Apostol. in verb. Ætas. collectan. 15. num. 5.*

Et ideo cauendum est à Nicolao Garfia, qui contrarium tenet in *tract. de benefic. par. 1. cap. 5. num. 129.* dicens quod iure antiquo sufficiebat ætas septem annorum, ad obtinendam pensionem; sicut ætas illa sufficiens erat ad beneficium: sed hodie requiri ex Concilio ætatem quatuordecim annorum ad beneficia, & per consequens ad pensiones: sed labitur, quia quidquid ipse dixerit, contrarium fuit resolutum in sacra Congregatione: vt testatur præfati Doctores.

8. Duodecimus, quia licet ratione beneficij quis efficiatur subditus Episcopi illius diocesis, in qua habet beneficium Ecclesiasticum; & possit ab eodem Episcopo, siue de eius licentia, à quocumque alio Antistite ad sacros ordines promoueri: *cap. cum nullus. de tempor. ordin. in 6. & remaneat ibi subditus* quandiu beneficium tenet. Boër. *decis. 260. num. 20.* quem ad hoc allegat Marius Anthonin. *lib. 1. resolut. ultima. casu. 24.* Quod etiam ampliatur, quam-

uis ageretur de beneficio non requirente residentiam. Campanil. in *diuersor. iuris Canon. cap. 8. num. 12.*

Tamen ratione pensionis, quis non efficitur subditus Episcopi illius loci in quo situm est beneficium, cuius ratione debetur pensio: & idè non potest ab illo ad sacros ordines promoueri. Barbof. *de potest. Episcop. allegat. 4. num. 56.* post Campanil. quem allegat in *diuersor. iuris Canon. rubr. 9. cap. 8. num. 17. versic. Ex causa.*

Decimus tertius, quia licet illegitimus non possit sine dispensatione obtinere beneficia; tamen poterit obtinere pensionem super fructibus beneficij reseruatum, si aliàs sit clericus, in prima saltem tonsura constitutus, & super clericatu legitime dispensatus; ita vt non sit opus noua dispensatione ad obtinendam pensionem. Rot. *decis. 425. part. 1. diuers.* vbi fuit decisum, quod illegitimus non dicitur incapax pensionis ratione illegitimitatis; sed dumtaxat ratione defectus clericatus: vnde si fuetit dispensatus super clericatu, non indiget alia dispensatione super defectu Natalium. Quia pensio consideratur hoc casu tanquam ius quoddam temporale, separatum, formale, & per se distinctum ab ipso beneficio: vt *ibidem* Rota concludit in *sine decisionis.*

Eademque ratione, licet illegitimè nati, sint sacrorum ordinum incapaces; nisi Apostolica dispensatio interuenerit: *cap. litteris. de filiis Præbiter. cap. 1. eod. tit. in 6.* non tamen pensionum, vt mox dictum est. † Expositi quoque, qui quodammodo ad illegitimos accedere videntur; secundum aliquorum sententiam, ordinum, & beneficiorum sunt incapaces; non tamen videntur esse inhabiles ad pensiones obtinendas, si de illis eodem modo liceat ratiocinari, sicut de illegitimis.

Ceterum in hoc proposito diuersæ sunt DD. sententia. Quidam enim existimant expositos, non solum pensionum, sed etiam beneficiorum Ecclesiasticorum obtinendorum esse capaces, nec ad id aliqua dispensatione indigere. Gratian. *discept. forens. cap. 135. num. 33. & cap. 397. num. 68.* In quam sententiam inclinat Ioan. Bapt. Lup. in *tract. de illegit. in præfat. num. 23. versic. in contrarium.*

Verius esse contrarium alij censuere, nimirum expositos non solum beneficiorum, sed etiam pensionum incapaces esse; nisi prius dispensationem obtinuerint. Gig. de *pension. quæst. 16.* Et eiusdem sententiæ sectator est Garf. de *benefic. part. 1. cap. 5. num. 19.* Cuius præcipuum fundamentum, magisque concludens existimo ex eo petendum esse, quod talem esse stylum Curia Romanæ testatur. Qui duo licet loquantur de illegitimis; eorum sententia eadem ratione videtur ad expositos extendenda: quia cessat ratio fundamentalis dictæ decisionis Rotalis *dict. decis. 425. part. 1. diuers.* nempe quod pensio consideretur tanquam quid separatum à beneficio, & per se subsistens: quâ ratione destructâ, destruitur quoque fundamentum illud quoad expositos.

Ego cessante stylo Dataria sequor sententiam Rotæ Romanæ propter illius autoritatem, & rationes. Quam etiam sequitur Lotter. de *re benefic. lib. 1. cap. 40. num. 139.* vbi concludit illegitimos ad clericatum dispensatos, nulla alia indigere dispensatione ad obtinendam pensionem: quod pluribus Rotæ decisionibus confirmat, reiectâ contrariâ Garfia, & Gigantis sententiâ. Aliæ plures pro hac sententia Rotæ decisiones allegantur, & comprobantur apud Seraphin. *decis. 1264. num. 2.* qui Rotam ita perpetuò obseruare testatur *decis. 549. num. 2. part. 2. recent.* quæ est apud Burat. *decis. 53.* vbi Additio plures alias decisiones Rotæ allegat.

15. Vnde ab illegitimis inferendo ad expositos, in quibus multo maior est ratio: Dico hos non teneri dispensationem obtinere ad pensiones, si clericali characterē fuerint insigniti.
16. An autem dispensatione indigeant ad clericatum? Censeo indigere; cum ex stylo Datarie in omnibus pro illegitimis habeantur: ut testatur Pyr. Corrad. in *prax. dispensat. Apostolicar. lib. 3. cap. 2. num. 2.* argumento petito à solitis. Quia ut plurimum illi exponuntur, qui ex furtiuo congressu sunt procreati, quosque verisimile est extra matrimonium natos. Et sicut omnes incogniti ab ordinibus excluduntur, ita & isti quotum ignoratur origo; qui etiam rebaptizati esse possunt, & per consequens irregulares: ita ut negari non possit quin dispensatione indigeant: vnde in dubio, tutior pars est eligenda: & sic supradictus stylus docet, illis dispensationes eodem modo, & sub iisdem clausulis expediri, sub quibus illegitimis concedi solent. Plura Corrad. *loco citato*, ubi ponit formam rescripti dispensationis cum expositis.
17. Decimus quartus casus. Quando agitur de pensione iam obtenta per illegitimum, vel expositum, tunc non exigi dispensationem existimavit Garf. de *benefic. part. 7. cap. 2. num. 11.* & tolerari exactionem pensionis; idque propter autoritatem DD. contrarium sentientium: secus si agatur de concedenda, & acquirenda pensione; tunc enim dispensationem necessariam esse existimat. Sed Ego difficilem hanc opinionem in praxi existimo; saltem in foro exteriori, & contentioso. Quia regula vera & generalis est (cessante stylo in contrarium) quocumque casu illegitimos, & expositos semel dispensatos ad clericatum, nulla alia dispensatione indigere.
18. Notandum nihilominus est, ea quæ de expositis diximus, procedere in casu dubio, quando illorum pater ignoratur: nam si sciretur quis illorum pater esset, tunc non posset dubitari an essent legitimi, & ex legitimo coniugio nati; an vero illegitimi, & ex illegitimo congressu: & sic præsumptiones cederent veritati: ut Corradus *loco cit.* notat.
19. Decimus quintus casus, (ne à filiis illegitimis recedamus,) verum est quod filius illegitimus non potest obtinere beneficium quodcumque, etiam dissimile, in Ecclesia in qua eius pater habet, vel habuit beneficium Ecclesiasticum, nec in illa Ecclesia quocumque modo ministrare, nec obtinere pensiones super fructibus beneficiorum, quæ illius pater obtinet, vel obtinuit: ut statuit Concil. Tridentin. *sess. 25. cap. 15. de reformat.*
20. Tamen filius illegitimus potest obtinere pensionem super eadem præbenda, super qua eius pater olim, dum vixit, habuit aliam pensionem: quia Concilium loquitur de Pensionibus quæ assignantur super fructibus beneficiorum, quæ obtinuerunt parentes horum filiorum illegitimos: idè non debet extendi ad casum constitutionis, seu assignationis pensionis super fructibus beneficij, quod illorum parentes non obtinuerunt, sed super eo duntaxat pensionem habuerunt: ut copiosè comprobatur Gratian. *discept. forens. cap. 397. num. 2. & multis sequentibus.*
21. Quod tamen cum moderamine intelligendum est; nam si pensio fuerit assignata in titulum beneficij tunc continebitur in dispositione loquente de beneficiis, & sic prohibitio Concilij respectu filij illegitimi ne pensionem possit obtinere super beneficio super quo pater illegitimus pensionem habuit, locum sibi hoc casu vindicabit, ut *ibidem* Gratianus notat *num. 22.*
22. Tum autem dicitur pensio assignata in titulum beneficij quando super redditibus vnius Ecclesiæ consti-

tuitur certum beneficium assignando aliquam pensionem determinatam super temporalitate reddituum beneficij pinguis, pro dote huius beneficij nouiter creati: iuxta tradita per Abbat. in *cap. conquereute. in primo notabil. & num. 5. de cleric. non resident.* Couartuu. *prætic. quæst. cap. 36. num. 10. versic. Quarto.* ubi præterea supponit possidentem nouum hoc beneficium, seu pensionem in titulum beneficij erectam, obligari debere per talem erectionem ad onus alicuius ministerij Ecclesiastici, ad hoc ut pensio in titulum beneficij legitimè dicatur erecta: & Gonzal. *ad regul. 8. gloss. 5. §. 5. num. 42. Rot. decis. 39. de rescript. in antiqu. in versic. alias si esset.* Vbi dicitur quod si esset pensio perpetua constituta iure beneficij, quæ transfertur de persona ad personam; tunc impediret & annullaret gratiam pauperis clerici, qui de tali qualitate pensionis, in sua pensionis impetratione mentionem non fecit.

Decimus sextus casus est. Quia licet hodie ex facti Concilij Tridentini dispositione, omnes regressus ad beneficia fuerint sublati, præterquam in certis casibus; attamen in pensionibus Ecclesiasticis datur regressus ad beneficium resignatum, si resignatarius pensionem legitimè reseruatam non soluerit.

Pro terminorum intelligentia sciendum est, fieri debere differentiam inter accessum ad beneficium, & regressum ad illud. Accessus est ius obtinendi beneficium ab habente potestatem, absque causa aliqua præcedenti concessum. Regressus verò, est ius ad beneficium redeundi, in quo ius aliquod præexistens quis obtinebat. Exemplum: si fiat transactio inter duos super lite, aut prætentione ad aliquod beneficium, transigens reseruat sibi ingressum, siue accessum ad beneficium, si transactio non obseruetur; & hoc casu non potest illi opponi, quod ius super illo non haberet: quia venit iure ingressus, seu accessus; non autem iure regressus: ut colligitur ex notatis per Cassador. *decis. vnic. de pactis.*

Et propterea dum quis vult ingredi, & accedere ad beneficium per viam accessus, omninò debet esse capax, & habilis ad illud tempore quo accedit. Rot. *decis. 190. numer. 2. part. 2. recent.* quia tunc dicitur purificata conditio, sub qua accessus fuit reseruat: quod tempus per consequens attendendum est. Rot. *ibid. num. 8.*

Regressus autem est quædam continuatio, ac veluti reliquæ tituli anterioris Puteus. *decis. 389. lib. 1. & 191. num. 1. & 2. eodem lib. in correctis.*

Hodie verò omnes accessus, & regressus ad beneficia sublati sunt: tū vt hereditariæ successiones in beneficiis penitus tollerentur; tū ne libera Ordinariorū in illis conferendis facultas minueretur, beneficiis facilius aptiores præfici possent, votum captandæ mortis impediretur, & tandem omni ambitiosa cupiditas in obtinendis beneficiis remoueretur: Atque ita statutum est in Concilio Trident. *sess. 25. de reformat. cap. 7.* & per sanctæ memoriæ Pium. V. in sua constitutione, quæ incipit, *Romani Pontificis prouidentia.* & est in Bullario 134. inter eiusdem Pontificis constitutiones, quam inserit ad longum Paris. *de resignat. beneficior. lib. 6. quæst. 5. num. 96.*

Ab hac generali regula annullationis accessuum, & regressuum, excipiuntur regressus fundati in dispositione iuris communis: veluti ille qui datur ex *cap. si beneficia. de præbend. in 6.* ubi dicitur, quod si collator Ordinarius alicui reseruationem ignorantem beneficium reseruatam contulerit, & huius prouisi beneficium quod prius obtinebat alteri dederit; si postea reseruatio detegatur, ad sua priora beneficia talis de reseruato prouisus liberè reuertatur: quod intelligitur,

- colligitur, dummodo non expectato litis euentu, statim beneficium reseruatum dimiserit: vt *ibi* per Glouf. & Doctores. Paris. *dist. lib. 6. quæst. 5. num. 110.*
29. Idem de permutante dicendum est, vt eucto beneficio compermutato, ad prius beneficium regressum habeat: vt alio loco fusiùs declarauimus: & tradit Louet *litt. B. num. 13.* nisi euctio sequuta sit ob compromissum, aut transactionem. Maynard. *lib. 1. quæst. 57. Cod. Fabrian. lib. 1. tit. 2. definit. 53. & 80.*
30. Quamuis ergo hodie regressus fuerint sublati quoad beneficia, vt dictum est; non tamen sublati fuerunt quoad pensiones Ecclesiasticas: imò si debitor pensionem non soluat, pensionarius ad beneficium pensione grauatum, quod sub illius reseruatione resignauit, regredi & redire potest: vt fuse *cap. 69. lib. 1. declarauimus.* Vbi reiectâ sententiâ illorum qui asserabant omnes regressus, etiam ob non solutam pensionem in Gallia esse sublatos, vt *ibi numer. 11. contrarium* verius esse demonstrauimus *numer. 17.* † Imo ob non solutam pensionem, tacite in Gallia censi reseruatum regressum: & dissidentes illas sententias adhibitâ distinctione ad concordiam reduximus.
32. De isto autem regressu ob non solutam pensionem inter cæteros agit Rot. *decis. 286. num. 2. part. 2. recent.* vbi id maximè locum habere dicitur, quando resignatio facta fuit cum illâ clausula, *Et non aliàs, aliter, nec alio modo:* quia tunc quamuis pensio esset excessiua, non esset locus reductioni ipsius ad legitimũ modum; sed resignans, non obstante reductione petità, posset regressum intentare ad beneficium resignatum: cum enim resignatio fuerit conditionalis, deficiente conditione, deficit etiam consensus in resignatione adhibitus.
33. Eadem ratione, si quis beneficium sub illa conditione reseruationis pensionis resignasset, & pensio nulla declararetur; redire poterit ad beneficium, annullatâ pensione: quia si resignanti pensio non fuerit irreuocabiliter quæsitâ, deficit conditio sub qua consensus fuit resignationi adhibitus. Marcus Antonin. *lib. 1. var. resol. cap. 103.* & per consequens ob defectum consensus, resignans potest intentare actionem spolij aduersus resignarium. Rot. apud Garf. *de benefic. part. 1. cap. 5. numer. 438.* † Et in simili Rota apud Mohedan. *de iur. 2. de procurator. aliàs decis. 83.* vbi dicit eum qui consentit cassationi pensionis super certis beneficiis, quam obtinebat super illis, eâ tamen conditione, quòd illæ pensiones sub iisdem qualitatibus, & quantitatibus imponerentur super aliis beneficiis; & onus pensionis eodem modo ad illa transferretur: si reuocatio ista, & translatio grauaminis non fortiat effectum super aliis beneficiis onerandis, redit ad primæuum ius, & fruitur prima pensione; quia nunquam ab eo potuit ius abdicari, nisi adimpletâ conditione, cum eius consensus fuerit conditionaliter præstitus.
35. Sanè solus cursus temporis non esset sufficiens, ad regressum concedendum ad beneficium, ob non solutam pensionem super eo reseruata; nisi præcederet sententia declaratoria. Paris. *lib. 6. de resignat. quæst. 3. num. 11.*
36. Quod tamen non habet locum, quando summus Pontifex in Bulla concedit liberum regressum ob non solutionem pensionis, & licentiam apprehendendi possessionem propriâ autoritate: quæ verba excludunt declarationem, & liquidationem ad quam postea deuenitur, postquam est capta possessio propriâ autoritate, iuxta concessam in Bullis facultatem: quod fuse probat Gratian. *discept. forens. 921. num. 10. & multis sequentibus.*
- Hoc tamen omninò sciendum est: quòd si resignans vigore regressus ad suum beneficium reuertatur, tali casu resignatarius non tenetur illi soluere areragia seu reliqua pensionum decursarum: quia cum priuatio veniat in consequentiam non solutionis, si priuatus ea de causa cogeret soluere pensiones decursas, daretur contradictio: quia solueret, & ob non factam solutionem priuaretur. Gratian. *discept. forens. 152. num. 19.* & cum de hoc iterum dubicaretur, eandem sententiam fuisse confirmatam testatur Idem *discept. forens. 617. num. 34.*
- Et iste regressus euitari non potest, quamuis resignatarius opponeret se nondum beneficij resignati possessionem adeptum fuisse; quando in prouisionibus apposita fuit clausula, *habitâ, vel non habitâ possessione.*
- De qua clausula Gratian. *discept. forens. cap. 454. num. 4.* plura refert, & Barbof. *de clausul. cap. 53.* qui dicit clausulam illam fuisse inuentam ad obuian- dum fraudibus illorum, qui vt pensionem non soluerent, possessionem beneficij adipisci differebant. † Nihil tamen operari clausulam illam, vt ad aliquid resignatarius obligetur, quando prouisio beneficij est valida; & quando absque fraude, titularis non fuit possessionem adeptus: veluti si fuerit impeditus quominus possessionem acciperet: & alia multa de illa clausula apud eundem videri poterunt.
- Neque auditur titularis ad effectum retardandi executionem, si proponat nullitatis pensionis, aut excessus eiusdem exceptionem: si in rescripto, aut Bulla pensionis adsit illa clausula inserta, *Quòd dicta pensio annullari non possit.* Paris. *de resignat. lib. 6. quæst. 2. num. 144.* vbi dicit apponendam clausulam; *Quòd pensio annullari, reduci, aut minui non possit.* † Subiungit tamen, quòd si pensio excederet medietatem fructuum, reducenda esset ad legitimum modum; non tamen ideo esset annullanda. † Quod adeo verum est, vt etiam si pensio esset reseruata cum illa clausula, *Dummodo medietatem fructuum non excedat;* etiamposito quòd excederet valorem medietatis fructuum, non tamen in totum annullaretur; sed reductioni locus esset, iuxta modum in litteris præscriptum: quia pensio vitriatur non in totum, sed duntaxat in excessu. Mantie. *decis. 153. num. 2.* Gratian. *discept. 995. num. 11.*
- In Gallia pensiones non solent excedere tertiam partem fructuum. Louet *in sua recollect. arrest. litt. P. num. 30.* & *ibi* Addent. super quo adest edictum Regium factum mense Nouembris 1637. & postea publicatum die 7. Septembris 1638. quo ordinatur *artic. 18.* his verbis: † Et quia ad perpetuanda in familiis beneficia, introducta fuit fraus, pensiones reseruandi resignanti, æquales valori fructuum beneficij aut illum excedentes, & pro securitate resignantis dandi cautiones quæ sese obligant de soluendo pensionem durante vita naturali resignantis, siue beneficium per obitum, siue alio modo vacare contigerit; quod est in effectu beneficium cum pensione permutare, ad vitam super bonis prophanis illam assignando. Nos absque derogatione arrestorum Curiarum nostrarum, & vsuum in hoc Regno obseruatorum, pensiones ad tertiam partem beneficiorum reddituum reducendi, fauore illorum qui beneficiorum prouisiones obtinent, propter mortem ciuilem, aut naturalem illorum, qui ad pensiones sunt obligati: Declarauimus, & Declaramus nullas, omnes creationes, reseruaciones, & homologaciones dictarum pensionum in posterum faciendas, & obtinendas super fructibus beneficiorum, si fructuum medietatem excedant: non obstantibus quibuscumque concordatis, obligatio

obligationibus, & fideiussionibus, quas nullas & inualidas ex nunc Declaramus &c.

Et nihilominus vt non fiat præiudicium illis, qui pendent tempore quo abusus iste tolerabatur, propria beneficia sub pensionis securitate resignarunt. Volumus quòd præfens articulus locum non habeat nisi in futurum, non autem respectu illorum quorum resignationes iam admiffæ fuerunt, & pensiones creatæ tempore publicationis huius edicti, pro quibus relicta est iudicibus facultas iudicandi, provt eorum conscientia iustum & rationi consonum iudicabit. Hactenus Ordinatio Regia.

46. Cæterùm fuit aliàs sæpius iudicatum in supremis Gallia Tribunalibus, beneficij cessionarium aut resignarium, teneri omninò ad solutionem pensionis, cum suo authore conuentæ, & legitime homologatæ, nonobstante allegato eiusdem pensionis excellenti; & ipsi, saltem durante vita promittentis, & illius cui promittitur, opponi posse vulgatum illud, *solus, vel dimitte*: cum æquum non sit, vt resignarius ex suo dolo & perfidia utilitatem consequatur, aut resignantem per cessionem aut remissionem alteri factam decipiat, atque deludat. Et maximè quando resignatio conditionaliter facta fuit, *reservata tali pensione, & non aliàs. aliter, nec alio modo.*
47. Qua de causa fuit sæpè declaratum non modo resignarium, sed etiam resignarium resignarij ad pensionis solutionem adstringi posse, nonobstante reductione petita, & excessu allegato: vt decisum testatur Addit. ad Louët *litt. P. num. 30.* vbi tamen hoc limitatur.
48. Primò, nisi pensionarius, hoc est ille cui pensio debetur, fuisset negligens in exigendo pensiones decursas, & beneficium per plures & diuersas manus transiisset, nullà factâ pensionis mentione in illius prouisionibus, quam successores probabiliter ignorabant.
49. Secundò, nisi agatur de beneficio habente curam animatum annexam; quia possessor beneficij semper potest pensionis reductionem, ac moderationem, vel etiam totalem illius cassationem petere; si non habeat vnde viuere possit.
50. Sed in hac secunda limitatione in dicto *num. 30. litt. P.* per Addentes deducta, subsistendum videtur. Adfunt quippe diuersa supremorum Tribunalium præiudicia, quibus declaratum fuit eos, qui beneficij curam animatum annexam habentis resignationem cum onere pensionis acceptarunt, illudere non posse pactioni sub eo prætextu, quòd beneficium curato liberum esse conueniat, & ab illo pensionis onere exemptum. † Similique modo in præbenda Theologica iudicatum est, quamuis illius hæc sit indoles, vt nullius pensionis onere grauati possit, sicuti & præbendæ Præceptoriales quæ eiusdem exemptionis priuilegio potiuntur, teste Louët *litt. P. num. 46.*
52. † Et nihilominus is qui resignationi consensit, & huiusmodi beneficia sub onere pensionis sibi per resignantem remissa acceptauit, quantumuis reclamaret ad pensionis solutionem, condemnatus est ratione perfidiæ & doli: vt de dictis Senatus decretis fides est apud Mornac. *ad l. venditor. 14. litt. E. ff. commun. diuid.*
53. Tertia limitatio affertur per eosdem Addent. ad Louët *litt. P. num. 30.* nisi pensio esset abusiua, vt pote quòd omnes fructus beneficij propemodùm absorberet, ita quòd possessori nihil remaneret: sed hoc casu pensio non declararetur in totum nulla, sed solùm reducenda ad legitimum modum: vt mox diximus. Cassador. *decis. 4. num. 4. sub tit. de pensionib.*

Quod procedit etiam stante dicta clausula, *Dummodo pensio tertiam fructuum partem non excedat*: vt mox ex Gratian. & Mantic. diximus *num. 43.* Quidquid aliàs Rota in contrarium iudicauerit vt refert idem Gratian. *num. 12.* Quia verius, & æquius est pensionem non in totum cassari, sed dumtaxat reduci ad legitimum modum: vt testantur plurimi DD. quos citat & sequitur Gratian. *dict. cap. 995. num. 11.*

Ex mente autem summi Pontificis regulariter pensiones non solent excedere dimidiam partem fructuum beneficij onerati, Gig. *de pensionib. quest. 8. num. 1.* Mohed. *decis. 11. de loc. & conduct. Rot. in recentior. decis. 739. num. 2. part. 2.*

Quarta limitatio proponitur, vt locum non habeat in successore per obitum. Quia iste reductionem pensionis, illiusque moderationem petere potest: nam impetrans per obitum beneficium pensionis onere grauatum, nihil acquirit ex facto resignantis, sed suum ius totum obtinet ex benignitate, vel facto collatoris; sed nec talis impetrans per obitum, præstitit consensum impositioni pensionis: & sic in eo nec dolo, nec perfidia adesse potest. Gratian. *discept. forens. cap. 535. num. 3.*

Vnde licet regulariter successor, etiam per obitum, teneatur ad solutionem pensionis super beneficio impositæ, cum pensio sit onus reale ipsi beneficio inhærens. Paris. *de resignat. lib. 6. quest. 2. a num. 94. ad 97.* si tamen pensio sit nulla, potest successor iste ad illius nullitatis declarationem agere: vt dicit Rebuff. *de pacif. possess. num. mihi 140.*

At verò si agatur de eo qui pensioni consensit, oportet vt doceat de notoria pensionis nullitate, vt illius solutionem euitare possit; aut de notoria illius iniustitia. Gratian. *dicta discept. 535. num. 6.*

Generalis siquidem est regula, quòd litteræ non sunt iustificandæ quando agitur de eo, qui pensionis impositioni seu constitutioni consensum præstitit: eodemque modo de fideiussoribus à consentiente creationi pensionis datis, statuendum est; vt determinat Rot. *decis. 23. num. 1. part. 2. recentior. Gratian. dicta disceptat. 535. num. 20. & 21. & cap. 454. num. 24.*

Imò illo casu tam titularis, quam eius fideiussores tenebuntur continuare solutionem pensionis, etiam post factam beneficij resignationem, quando in prouisionibus adest clausula, *Quòd titularis non possit resignare, nisi similem obligationem fecerit, aut idoneos dederit fideiussores.* Rot. *decis. 23. num. 2. & 3. part. 2. Recentior.*

Si verò quis nec iuris, nec possessionis sit successor, ad pensionis solutionem teneri non potest. Exemplum dari potest in eo, qui pensioni quidè consensit, & fideiussores pro illius solutione faciendâ dedit, sub spe prouisionis in sui fauorem faciendæ de aliquo beneficio, & contemplatione illius; quod tamen beneficium absque culpa sua assequi non potuit: imò quidam alius de eo fuit prouisus, illudque possedit: tunc enim neque is qui consensit, neque illius fideiussores quos pro pensionis solutione dedit, teneri possunt ad pensionis solutionem, quantumuis cameralis accesserit obligatio, quæ facta intelligitur sub illa conditione, quatenus is qui se obligat, beneficio, cuius intuitu facta fuit obligatio, frui possit. Bursat. *conf. 36. num. 33. lib. 4. Achill. de Grass. decis. 12. de præbend. num. 2. Gig. de pensionib. quest. 47. num. 2.*

Quod ampliatur vt procedat, etiam si in litteris reservationis pensionis fuisset dictum, quòd ad illius solutionem titularis teneretur, *habitâ, vel non habitâ possessione.*

*possessione.* Nam illa clausula non obstante, non tenetur is qui consensit, aut promisit, ad pensionis solutionem; si alius beneficium, cuius occasione & contemplatione facta fuit obligatio, illud obtineat sine culpa, dolo & facto promittentis. Rot. decis. 255. num. 4. part. 2. recent.

63. Sed dubitari potest in casibus, in quibus successor ad pensionis solutionem tenetur; utrum teneatur solum pro pensionibus tempore suæ possessionis currentibus, sed etiam teneatur & cogi possit ad solutionem illarum solutionum seu terminorum decursorum tempore sui prædecessoris. Respondendum est esse in electione pensionarij, utrum malit agere contra successorem, beneficium pensione grauatum possidentem, pro pensionibus tempore antecessoris decursis; an verò malit agere contra hæredes dicti beneficiarij, qui antea beneficium obtinebat. Ratio est, quia cum istæ pensiones beneficiales assignentur super fructibus beneficij, sunt onus reale, & afficiunt ipsum beneficium, illiusque possessorem, saluo tamen huic moderno possessori regressu, contra hæredes sui prædecessoris. Gratian. discept. forens. cap. 94. num. 56. 57. & 58.

64. Intellige supradicta ut procedant quando pensionarius fidem facit de diligentibus per eum factis, pro consequenda solutione, aduersus primum beneficij possessorem: si enim de istis diligentibus non doceat, agere non poterit contra successorem in beneficio. Gratian. ibid. num. 59. Rot. decis. 352. num. 1. & 2. part. 2. recent.

65. Quinta limitatio addi potest, ut nemo teneatur in Gallia soluere pensionem alteri, quam illi in cuius fauorem pensio fuit creata: idè si pensionis facta fuerit translatio in alium, non tenetur titularis huic translatario pensionem soluere, non obstantibus quibuscumque prouisionibus, prout ita seruati in Gallia testatur Rebuff. in tract. de pacif. possess. num. mibi 157. versic. & hoc in Regno Francia.

66. Decimus septimus casus, in quo fieri potest differentia inter beneficium Ecclesiasticum, & pensionem; est de clerico qui propter homicidium voluntarium suo beneficio priuandus est: utrum similiter priuandus sit pensionibus quas obtinet. Quæstio fuit in utramque partem agitata apud Farinac. cons. 204. qui tandem recurrit ad obseruantiam, dicens hoc ita seruari, ut quemadmodum propter homicidium voluntarium pœna priuationis beneficiorum imponitur, ita etiam incurratur pœna priuationis pensionum. Quod in eo fundatur, quia pensiones istæ dantur ad instar beneficiorum; & licet quodammodo in mera temporalitate consistere videantur; tamen habent aliquid spiritualitatis annexum, & in effectu tenentur ad recitationem parui Officij Gloriosissimæ Virginis Mariæ, & propter alias rationes ibi per eum deductas.

67. Decimus octauus, certum est quòd in impetratione, & prouisione alicuius beneficij fieri debet mentio aliorum beneficiorum quæ quis obtinet, & secundum aliquorum sententiam (de qua nos infra in vigesimo casu num. 93.) debet in interpretatione etiam fieri mentio pensionum obtentorum, ut volunt multi quos refert Farinac. dicto consil. 204. num. 1.

68. Sed quidquid sit de narratiua pensionis faciendæ, vel non faciendæ in impetratione beneficij; tamen quando agitur de assentione alterius pensionis, omninò necesse est fieri mentionem, & exprimi alias pensiones anteriores iam super eodem beneficio impositas, ne Ecclesia nimio onere prægrauetur: ut diximus supra lib. 1. cap. 6. quibus adde Rot. decis. 169. num. 1. part. 7. recentior. Quod extenditur, ut locum habeat etiam si pensio motu proprio esset seruata. Mantica. decis. 93. num. 1.

Limitatur tamen ut procedat, quando prima pensio est valida; secus est, si nulla sit & inualida: quia tunc gratia non vitatur, etiam si illius mentio facta non fuerit, in obtentione secundæ pensionis super eodem beneficio, iam alijs pensionibus grauato assignatæ. Mantica. decis. 111. num. 3.

Præterea supradicta locum habent, quando agitur de nouæ pensionis creatione, secus autem erit si agatur de eiusdem pensionis iam creatæ, & formatæ translatione in alium: tunc enim cum nullum nouum onus Ecclesiæ imponatur, non est necesse ut fiat mentio expressa alterius, seu aliarum pensionum super eodem beneficio iam antea impositarum. Rot. decis. 119. num. 2. part. 4. recentior.

Decimus nonus casus est, quòd licet Episcopus regulariter suam auctoritatem interponere possit, & debeat in cuiuslibet beneficij Ecclesiastici fundatione, & erectione; ut sæpiùs diximus, & nominatim hoc libro cap. 1. §. 2. num. 1. dum de capellis egimus; tamen in creatione pensionis, non Episcopus, sed solus Papa suam auctoritatem interponere potest: quia solus Pontifex, aut Legatus, aliue ab eo facultatem habentes Ecclesiastica beneficia cum diminutione conferre possunt: cap. unic. ut benefic. Ecclesiast. sine diminut. confer. & ibi DD. Gigas. de pensionib. quest. 87. num. 5. Ideo semper in huiusmodi pensionum reservatione apponenda est clausula, sub beneplacito sedis Apostolicæ. Rot. decis. 437. num. 2. part. 1. recent. Vbi propterea concluditur, quòd is qui pensionis impositioni cum illa clausula consensit, potest ante obtentum beneplacitum Apostolicum pœnitere.

Et hoc etiam in Gallia obtinet, ut pensio nulla sit, si non fuerit à sede Apostolica confirmata. Addit. ad Louët litt. P. num. 33.

Excipitur tamen in Gallia casus perfidiæ, & ingrætitudinis resignarij erga resignantem: ille enim resignanti soluere cogitur in odium perfidiæ, etiam pensione in Curia Romana non homologata. Addit. ad Louët, litt. C. num. 40. Quod ut arbitror in eo fundatum est, quòd licet pensio solius Episcopi auctoritate imposita sit, nec sedis Apostolicæ auctoritas interuenierit; est tamen valida propter iustam causam interuenientem, ut scilicet resignans nimium dispendium non patitur, & habeat aliquod ex quo commodè viuere possit: quæ iustæ causæ interueniente, valet pensionis constitutio etiam à sede Apostolica non confirmata; sed solius Episcopi auctoritate roborata, ut mox diximus.

Et eodè modo debitor pensionis, cui non obseruatur transactio, vel concordia legitime, & seruatis seruandis facta; iustam habet causam denegandi solutionem pensionis quam promisit: quia cessante causa ob quam promissio facta fuit, cessat quoque ipsa promissio, & obligatio. Achill. de Grass. decis. 4. de re script. in fin.

Potest igitur Episcopus pensioni super beneficio creandæ auctoritatem interponere, quando id fit cum iusta causa; & tunc hæc sufficit, absque eo quòd necesse sit ad sedem Apostolicam recurri. Causæ autem iustæ sunt, veluti pro bono pacis, vel pro studio alicuius pauperis scholaris, vel ad utilitatem Ecclesiæ ad sedandas lites, vel pro alimentis illius qui beneficio renunciauit, dummodo id fiat in quantitate moderata, & nulla partium conuentione præcedente. Rebuff. de pacif. possess. num. 122. qui addit alias etiam causas, nempe senectutis, paupertatis, necessitatis ob æs alienum, & similes; de quibus etiam Gigas de Pensionibus. quest. 1. num. 4.

Inter cæteras iustas causas imponendæ & creandæ Episcopali auctoritate pensionis, hanc alias Rota Romana

Romana admittit: si Episcopus proprio nepoti pensionem assignauerit, quò facilius studio Theologiæ incumbere possit: vt in *decis. 166. numer. 4. part. 2. recentior.*

77. In dubio verò pensio, si nihil dictum sit, censetur in causam alimentorum referuata, Gabriel, *conf. 191. num. 2. lib. 2.* Et post eum Gratian, *discept. forens. 548. numer. 24.*
78. Sed inter pensionem autoritate Pontificia interpositam, & illam quæ Episcopi approbatione nititur, hæc est notabilis differentia; quòd illa quæ fit autoritate Episcopi successorem in beneficio non ligat, secus est de Pontificia pensione, quæ etiam successores in beneficio ligat, & afficit, Gigas. *quest. 6. num. 4. in tract. de pensionib.*
79. Limita nisi pensio imposita, & creata fuisset pro bono pacis, & ad sedandas lites: quia tunc afficit etiam beneficij successores, quantumuis solius Episcopi autoritas in illius creatione interuenerit. Gratian. *discept. forens. cap. 617. num. 16.*
80. In Gallia verò, tres causæ dumtaxat admittuntur, ob quas pensionis creationi locus esse potest. Prima, pro bono pacis & concordia, quando beneficium est litigiosum. Secunda, in resignatione facta ab vna parte tantum, ne resignans nimium dispendium patiatur. Tertia, in resignatione reciproca, seu permutatione, ratione inæqualitatis reddituum. Rebuff. *de pacific. possess. num. 126.*
81. Vnde infert non valere in Gallia impositionem pensionis super alio beneficio, quàm permutato, seu resignato: quia dictæ causæ illi applicari non possunt.
82. Quæ verò de Episcopi autoritate in pensionum creatione sufficienter, & validè in certis casibus interponenda, dicta sunt: intelligi debent dummodò Episcopus pensioni autoritatem interponat per modum quantitatis; non autem per modum quotæ, nempe tertia, quarta, quinta, vel alterius partis quotitatiæ fructuum; cum hoc soli summo Pontifici tributum sit. Rebuff. *de pacif. possess. num. 119.* Ratio est quia si pensio per modum quotæ imponeretur, induceretur quædam diuisio beneficij: quæ ratio non militat in summo Pontifice, qui omnia potest in materia beneficiali: nec in ea cui Episcopus autoritatem per modum quantitatis interponit. † Licet enim beneficium apud duos esse non possit, illius tamen fructus ad duos iusta de causa pertinere, nihil est, quod impediatur: *cap. proposuit. & ibi Abb. n. 2. de fil. Præbiter. Ludouif. decis. 479. num. 2.* † Semper enim beneficium remanet indiuiduum quoad titulum: *cap. tuæ. cap. maioribus. cap. dilecto. de Præbend.*
83. Præterea quod superius dictum est, pensionem impositam super beneficio autoritate sedis Apostolicæ, transire ad successores in beneficio, illòsque ad pensionis solutionem continuandam obligare; hanc recipit animaduersionem: vt quoad effectum manutentionis in quasi possessione exigendi pensionem, necesse sit vt pensionarius curet intimari successori in beneficio Bullas referuatiõis pensionis: alioquin non factâ huiusmodi intimatione, non conceditur illi manutentio in quasi possessione exigendi pensionem, quamuis ipsum sæpius soluisse constaret: quod est notandum. Achill. de Grass. *decis. 4. de rescript. Rot. apud Post. de manutent. decis. 510. num. 1.* Gratian. *discept. forens. 417. num. 27.*
84. Sed forsitan hoc difficile esset obtinere in Rota, si ageretur de summarissimo possessorio aduersus successorem, qui aliquando pensionem soluisset: vt bene explicat Postius, in *dicto tract. de manutent. obseru. nat. 42. num. 37.* † qui etiam hoc ampliat, vt locum

habeat quamuis successor nondum soluisset; sed solus antecessor, per cuius solutionem pensionarius fuit constitutus in quasi possessione exigendi pensionem.

Quod licet ego verum existimem, quia in isto possessorio summarissimo nudum factum attenditur; consultius tamen facturum pensionarium existimo; si confestim, mortuo possessore beneficij pensione onerati, curet fieri intimationem successori cum præcepto de soluendo quolibet termino solutionis adueniente, ad euitandas omnes difficultates quas successor beneficij posset excitare.

Illam tamen intimatio litterarum pensionis non est facienda illi, qui consensit pensioni, vel primo possessori qui terminos aliquos pensionis absque vlla protestatione persoluit, vel si literæ huius pensionis productæ fuerint iudicialiter. † Intellige ad effectum incurrendæ excommunicationis, ob non factam solutionem; non autem ad effectum totalis priuationis, aut canonizationis regressus: tunc enim requiritur scientiã certa, & magis cautè agendum est; cum tractetur de maiori, & pleno ipsius possessoris beneficij præiudicio: ita determinat Marius Antonin. *lib. 1. resolut. 112. casu. 65.*

Et quamuis idem Author, ex Urbis potius consuetudine, quàm ex iuris dispositione, dicat, quòd si procurator agat nomine pensionarij, pro consequenda pensionis solutione, teneatur probare pensionarium adhuc viuere: vt in *dicto casu 65. versic. ceterum asseretur.* † Hoc tamen non ita simpliciter admittendum videtur, nisi in contrarium adessent probabiles aliqua coniecturæ mortis; cum de iure vita hominis præsumatur duratè vsque ad centum annos: atque in simili casu de procuratore constituto per Patronum ad præsentandum in beneficio patronato, quòd non teneatur probare vitam sui principalis, dum eius nomine vult admitti ad præsentandum, quamuis patronus eius principalis esset absens, determinat Lotter. *de re benefic. lib. 2. quest. 14. num. 44.* post Rotam cuius decisionem allegat.

Vigessimus casus est quòd non sicut beneficij, ita & pensionis mentio facienda est, (quam qui impetrat iam obtinuit) in impetratione beneficij: quidquid in contrarium dixerit Monald. *conf. 104. num. 27. & sequent. Garf. de benefic. part. 1. cap. 5. num. 81.* † Quia pensionis iam obtentæ mentionem fieri non debere, verius videtur, ex Lotter. *de re benefic. lib. 1. quest. 45. num. 4. & multis seqq. Et num. 11. vbi dicit,* quòd si aliqui in impetrationibus beneficiorum, pensionum super beneficiis obtentatum mentionem fecerint; hoc fuit propter timiditatem: & cum talis expressio sit superflua, exprimentem ad illius verificationem non teneri. † Dixi *Beneficij*, quia aliud dicendum esset de illis, quæ super eodem beneficio super quo impetratur pensio, iam constitutæ sunt pensionibus; quarum expressionem in alterius pensionis impetratione faciendam esse, superius abundè demonstrauimus. *num. 67. & lib. 1. cap. 6. per tot. Videatur Cokier. ad reg. 61. num. 28. & 29.*

Vigessimus primus casus est, quando agitur de eo qui incapax, aut priuatus est non solum beneficiis iam obtentis, de quibus supra in 17. casu num. 66. sed etiam ab obtinendis: & tunc huiusmodi incapacitatem, aut priuationem non extendi quoque ad pensiones istas Ecclesiasticas censuit Gratian. *discept. forens. cap. 397. num. 14.* † Quia in pænalibus & odiosis, beneficij appellatione pensio non continetur: *cap. quamuis 1. & ibi Geminian. num. 2. de Præbend. in 6. & ibid. Ancharan. in tertio notabil. Gigas, de Pension. quest. 28.* † Idque etiam si verba essent generalia,



99. generalia, & geminata. Crescent. *decis. 14. de sentent. & re iudicat.* † Et reuera non potest pensio sub beneficij appellatione contineri, maximè in pœnalibus, & in materia odiosa; cum de ipsius beneficij fructibus debeat. Aliud autem sunt fructus, aliud
100. beneficium. Mantic. *decis. 224. numer. 2.* † Ita vt si nulli fructus ex beneficio percipiuntur, nulla debeat pensio, Idem Mantic. *decis. 339. num. 7.* & propter hanc rationē Ego libenter huic sententiæ adhærerem, nisi in hoc eodem casu concurrerent considerationes, & rationes quas deducit Farinac *dicto consil. 204.* Ideo si casus occurreret, melius esset cogitandum.
101. Sed quidquid sit de præcedenti conclusione; quam, vt dixi, cessante stilo in contrarium per Farinac. allegato, veram existimo; tamen si agatur de Hæretico pensionem obtinere volente, certum est illum sicut beneficiorum assequendorum, ita & pensionum incapacem esse: vt notat Ricciull. *in tract. de person. extra grem. Eccles. existent. lib. 5. cap. 19. num. 7.*
102. Vigésimus secundus casus est, dum agitur de promotio ad Episcopatum, cuius beneficia vacant per promotionem: quo casu sicut inducitur vacatio beneficiorum, ita & pensionum. Quod per promotionem vacent beneficia, habetur in *cap. cum in cunctis. 7. §. cum vero. de election. Gratian. cap. 266. num. 1.*
103. † Quòd autem eodem modo vacent pensiones per promotionem ad Episcopatum, tradit idem Gratian. *discept. forens. cap. 397. num. 66.*
104. Vigésimus tertius casus est, quòd si canonicus propter absentiam, aut aliam causam amittat fructus sui beneficij, illi acquiruntur Ecclesiæ; seu per ius accrescendi, seu per ius non decrescendi: sed quoad pensiones Ecclesiasticas, pensionarius semper illas percipit, siue possessor beneficij lucretur, siue non lucretur fructus sui beneficij. Pro cuius rei intelligentiâ, quia casus sæpius occurrit, sequens debet adhiberi consideratio: nempe quòd alia est ratio fructuum beneficij pensione onerati, alia verò distributionum quotidianarum, ratione eiusdem beneficij debitarum.
105. Distributiones quotidianæ sunt, quæ inter præsentés & Choro inseruientes, ratione præsentie personalis in Choro singulis diebus & horis interuenientis, diuiduntur, & distribuuntur, atque persoluuntur; neque dantur præcisè & immediatè ratione beneficij, sed etiam ratione seruitij.
106. Fructus autem dicuntur illi, qui etiam nulla interueniente actuali præsentia in Choro, sed propter solam diuini officij recitationem, etiam priuatim & extra Chorum factam, debentur immediatè ex causa beneficij: vt explicat Monet. *de distribut. quotidian. part. 1. quæst. 6. num. 9.* Hoc ita præsupposito.
107. Prima conclusio est: Quòd si agatur de distributionibus quotidianis, quas Capitulum lucratur propter absentiam, vel suspensionem Canonici à diuinis; ipsum Capitulum tenetur ad solutionem pensionis pro rata illarum distributionum quotidianarum, quas lucratur. Ratio est, quia quando portio Canonici absentis, vel suspensi acquiritur per ius accrescendi; tunc quod ad ipsum accedit, transit cum suo onere. Quandò verò per ius non decrescendi remanet apud Capitulum: tunc cum Capitulum nihil de nouo acquirat, sed talis portio apud ipsum ex iure proprio & primæuo remaneat, non debet nouo onere prægrauari pro re, quæ ad ipsum iure proprio iam pertinet; neque ex facto tertij aliquid de eius iure tolli potest: † Atqui Capitulum distributiones quotidianas propter absentiam, aut suspensionem Canonici percipit per ius accrescendi, non autem per ius non

decrescendi; quia intentio Papæ reseruantis pensionem super distributionibus quotidianis, est vt ab initio, etiam ante seruitium Canonici, distributiones essent grauata isto onere pensionis, ne alioquin euentualis esset pensionis præstatio, & à pensionarij voluntate dependeret; qui si ipsæ pensiones ab initio grauata non essent, elusoriam & inutilem reddere potuisset pensionis assignationem: hæc omnia colliguntur ex *decis. 133. numer. 1. 2. & 3. part. 2. recentior.* & eandem conclusionem comprobat Marefcot. *lib. 2. variar. resol. cap. 18. numer. 50.* & per eadem omninò verba Gonzal. *ad regul. 8. gloss. 5. §. 5. num. 44. & sequentibus.*

Non tamen negamus quin hoc casu sit in electione pensionarij, vtrum malit agere contra Capitulum, quod lucratur distributiones quotidianas; an verò contra titularem, qui illas propter culpam suam non percipit, veluti propter suspensionem à diuinis ex causa delicti, aut propter excommunicationem per eum incursum. Gigas, *de pensionib. quæst. 64. Rot. dict. decis. 133. num. 3. part. 2. recentior.*

Et per eandem rationem Respondi aliàs cuidam viro grauissimo, quòd si Camera prætenderet fructus beneficiorum, quæ ille obtinebat, ad se pertinere certis quibusdam de causis; veluti propter absentiam, aut præsentiam contumaciam beneficiati: ipsa quoque Camera tenetur ad solutionem pensionum, super illis beneficiis impositarum: quia fructus ad Camera spectare non possunt per ius non decrescendi, cum in illis beneficiis nullum antea ius haberet; sed per ius accrescendi: ideo Camera accrescunt, seu ad illam obueniunt ex iure nouo: & per consequens cum suo onere pensionis. Paris. *de resignat. benefic. lib. 2. quæst. 8. num. 23.* Et quia qui est successor commodi, debet etiam successor esse grauaminis; *l. secundum naturam. ff. de regul. iur.* Et per hanc rationem, ita concludit Gonzal. *ad regul. 8. gloss. 5. §. 5. num. 32.*

Secunda conclusio: si agatur de fructibus, & non de distributionibus quotidianis; quorum fructuum illa sit natura, vt ex Capituli redditibus Canonico persoluantur, nullo habito respectu ad diurnum, & horarium seruitium; ita vt ad solum Capitulum spectent, & apud ipsum remaneant fructus Canonici suspensi, aut aliàs percipere non valentis; absque eo quòd alij Canonici in istis fructibus participare queant: tunc Capitulum non tenetur, etiam pro rata fructuum qui remanent apud ipsum, contribuere ad solutionem pensionis. Istam conclusionem ponit Rot. *dict. decis. 133. num. 1. part. 2. recentior.* Cuius conclusionis ratio fundamentalis hæc est: † quia cum supponamus fructus non acquiri aliis Canonici presentibus, sed illos separatim deberi Canonico pensionis debitori; si ille fuerit excommunicatus, vel suspensus, nihil de istis fructibus acquiratur alicui; sed restant apud Capitulum per ius non decrescendi: vt voluit Couarruu. *lib. 3. variar. resol. cap. 13. numer. 7. versic. in ipsis verò fructibus.* Vbi doctrinam hanc communi scribentium consensu approbatam esse testatur.

Vnde si è couerso, fructus isti non remanent penes Ecclesiam, sed inter Canonicos præsentés diuidendi essent: tunc quia ageretur de iure accrescendi, portio Canonici absentis, aut suspensi, acquireretur aliis præsentibus cum suo onere pensionis pro rata lucri. Couarruu. *loc. cit.* & benè Ioan. Anton. Bellon. *in tract. de iur. accrescend. cap. 6. quæst. 46. numer. 4. versic. secundus casus. & quæst. 47. numer. 2. & sequentibus.* quia eadem tunc est fructuum, & distributionum quotidianarum ratio: scilicet quia cum omnes

Canonici vocentur collectiue ad eandem rem, ita vt debeant per concursum partes facere: sequitur quòd si quis eorum deficiat seu non concurrat, cæteri possunt iure suo totum obtinere per ius accrescendi. idem Bellon. in dict. tract. c. 3. quest. 2. n. 14.

114. Sed si aliis Canonicis nulla portio assignetur ex fructibus absentis, non potest quoad illos locus esse iuri accrescendi: quia ius illud locum non habet nisi in parte data, siue assignata, quæ deficiat. Surd. conf. 404. num. 6. Franc. decis. 63. numer. 12. Peregr. de fideicommiss. artic. 38. num. 13. Sed hîc, nullam portionem assignatam supponimus aliis Canonicis: & per consequens cessat quoad illos ius accrescendi; quod non habet locum in portionibus, quæ limitatè Canonicis assignatæ supponuntur absque vlla conjunctione cum portionibus, seu fructibus aliorum absentium. † Hoc etiam bene extendit Bellon. ibidem dicta quest. 47. numer. 9. versic. hæc autem. ad omnia emolumenta quæ certis Corporibus, & Collegiis, aliisque Vniuersitatibus obueniunt, propter absentiam aliquorum. Quod ipse bene explicat, nec concernit materiam beneficalem.

## §. 5.

## De Vicariis temporalibus, &amp; perpetuis.

1. Vicarij perpetui deputationi locus est dumtaxat in Ecclesijs parochialibus vnitis, non autem si beneficia simplicia vnita sint.
2. Vicarius perpetuus deputandus est in Ecclesijs Parochialibus vnitis, & annexis; sin minus temporalis, nempe in non annexis.
3. Quando Monasterium, simplex ius habet instituendi aliquem in beneficio curam animarum habente, ita quòd non possit se immiscere in administratione bonorum temporalium beneficij; Vicarium non instituit, sed Rectorem beneficij.
4. Si Pralati Regulares non conferant infra sex menses Prioratus, qui non sunt vnii eorum Mensæ; Diocesani conferre illos possunt propria authoritate; vel si sint exempti, authoritate Apostolicâ.
5. Ampliatur, vt procedat etiam si Monasterium haberet potestatem concedendi simplex exercitium spirituale cura animarum.
6. Ecclesia si sit Monasterio vnita quoad temporalia dumtaxat, ita vt facta fuerit de Mensa quoad redditus temporales, spectat ad Episcopum instituere Rectorem qui curam animarum exercent.
7. Quando Ecclesia vnita, non est pleno iure subiecta Monasterio, ita vt non possit coniungere spiritualitatem cum temporalitate; deputandus est Parochus non temporalis, vel ad nutum amouibilis; sed perpetuus: ita tamen vt iusta de causa amoueat cum Episcopi authoritate.
8. Quando Ecclesia pleno iure subiecta est Monasterio, tam quoad spiritualia, quàm quoad temporalia; instituendus est Vicarius, qui potest ad libitum Monasterij amoueri; etiam non requisito Episcopo.
9. Ecclesia pleno iure vnita Monasterio nunquam vacat.
10. Quod de vnione facta Monasterio dictum est, eodem modo procedit in vnione facta Episcopati, aut alteri dignitati.
11. Beneficium mensa vniti esse ex quibus argui possit.

12. Ecclesiam pleno iure subiectam esse Monasterio, intelligi potest vt illi subiecta sit, etiam quoad facultatem impetrandi licentiam administrandi Sacramenta. Et hoc casu, non est requirenda Episcopi approbatio etiam pro administratione Sacramentorum.

13. Episcopus ex Concilio Tridentino potest si velit apponere Vicarios perpetuos in Parochialibus vnitis, vbi sunt amouibiles; non obstante consuetudine contraria: & hoc in eius arbitrio positum est. Quod tamen arbitrium debet esse regulatum, a quo datur appellatio deuolutiua.

14. In dubio attendi debet vltimus status, quando dubitatur virum Vicarius perpetuus, vel amouibilis sit instituendus.

15. Vicaria temporales non sunt beneficia: secus tamen est in vicariis perpetuis qua beneficiorum nomine continentur.

16. Quibus in casibus non possit Episcopus vigore Concilij deputare Vicarium perpetuum in parochialibus vnitis.

**D**um queritur vtrum Vicariæ perpetuæ vel temporales inter beneficia Ecclesiastica recenseri possint, & sic vtrum comprehendantur in dispositione loquente de beneficiis, tam in priuilegiis, quàm rescriptis; & vtrum de illis debeat fieri expressa mentio in impetratione beneficij, & aliàs prout obseruatur dum de veris beneficiis agitur; in primis quædam de istis Vicariis supponenda sunt scitu maximè necessaria, ex quibus ad cognitionem, & decisionem quæstionis facili negotio deueniri poterit.

Prius autè supponenda, & repetenda sunt ea quæ nos lib. 1. cap. 36. diximus: vbi regulam generalem adduximus, quòd si agatur de parochialibus vnitis, & annexis Monasteriis; deputandus est Vicarius perpetuus, si ita Episcopo visum fuerit, ex potestate illi per Concilium Tridentinum data: si verò de non annexis; illa Concilij constitutio locum non habebit. Quæ cum maiori elucidatione indigeant sequentia obseruanda erunt.

In primis dum agitur hîc de deputatione Vicarij perpetui, vel temporalis, non tractandum esse de beneficiis simplicibus annexis, & vnitis: quia ista deputatio Vicarij perpetui solas respicit Ecclesias Parochiales: vt aduertit Gloss. & DD. in Clement. vnic. de offic. vicar. Geminian. conf. 83. In causa Traiecten.

Item quòd Concilium Trident. sess. 7. cap. 7. concedens Episcopis facultatem deputandi Vicarios perpetuos, non habet locum nisi in Parochialibus perpetuò vnitis; & cum limitationibus de quibus infra, num. 13. & sequent.

Secundò sciendum est, vnionem Ecclesiæ parochialis Monasterio, vel alicui Corpori Ecclesiastico duobus modis fieri posse. Primò quoad simplicem beneficij conferendi potestatem, absque vlla administratione temporalium: Et hæc potestas adhuc duplex est; altera dum solum conferri potest beneficium, altera verò dum vltra collationem beneficij, Monasterium potest concedere authoritatem exercendi curam animarum. Secundò quando Papa propter paupertatem Monasterij, illi vnuit redditus alicuius beneficij, absque vlla potestate circa administrationem spiritualium; minus dedit ei potestatem autorizandi circa curam animarum, & administrationem Sacramentorum.

Primo casu, quando Monasterium habet simplicem potestatem conferendi beneficium, solum potest Rectorem instituere, & non Vicarium cum de temporalibus

- temporalibus beneficij, quæ ad Rectorem pertinent, se immiscere non possit: *Clement. quia regulares.*
4. *de supplend. neglig. Prælat.* vbi dicitur † quod si Prælati regulares non conferant intra sex menses prioratus, administrationes, & Ecclesias vacantes quæ non sunt de mensa, sed solent speciales, quamuis obedientiaros habere Rectores, Diocesani auctoritate sua, vel si sint exempti, auctoritate Apostolica conferunt illis personis, quibus per Prælatos fuerant conferenda, nec permittitur illa applicari mensæ Prælatorum, aut pensionibus onerari.
5. Quod ampliatur vt procedat quamuis Prælati Monasteriorum, seu Monasteria haberent etiam potestatem auctorisandi circa administrationem Sacramentorum, & exercitium curæ animarum. Quia sicut Episcopus, ad quem propriè ius auctorisandi & instituendi pertinet, non potest ad temporalia manus extendere; sed solo iurium sibi vti Episcopo competentium exercitio contentus esse debet: *cap. præsent. de offic. Ordin. in 6. & cap. conquerente. 16. de offic. iudic. ordin. in Decretal.* vbi sigillatim exponitur in quo consistant iura Episcopalia: ita & multò minùs hoc facere poterit inferior Episcopo, habens hanc de iure speciali potestatem. *Abb. in cap. de monachis. num. 7. de præbend.*
6. Secundo casu, quando Papa propter paupertatem Monasterij, & pro faciliori Monachorum sustentatione vniuit, & incorporauit Monasterio redditus temporales cuiusdam Ecclesiæ parochialis; ita vt illud beneficium fuerit effectum de mensa Monasterij: tunc quia beneficium parochiale, non est pleno iure vnitum, sed tantum quoad temporalia; Episcopus in eo deputabit Rectorem cum assignatione congruæ portionis: quia Ecclesia debet in pristino statu conseruari, nec debet consuetis obsequiis defraudari: qui Rector per Episcopum institutus curam animarum exercebit. Quomodo enim posset deputari Vicarius, cum penes Monasterium, nullum ius spirituale remaneat, sed vnio & incorporatio facta fuerit de redditibus temporalibus, pro quibus Monasterium non indiget Vicario; nec si maximè indigeret, curam animarum exercere posset, quæ in mera spiritualitate consistit. Probat in *cap. in Lateranensi. 31. de præbend. cap. de monachis. 52. eod. tit.* Sed hoc casu Monasterium, aut Collegium, cui facta fuit talis vnio, habebit præsentationem Rectoris; Episcopus verò institutionem: vt dicitur in *dicto cap. de monachis. & ibi Abb. num. 8.*
7. Et hoc est quod dicitur in *dicto cap. in Lateranensi. de præbend.* In Ecclesiis quæ ad ipsos pleno iure non pertinent, Episcopis instituendos Præsbyteros representent, vt illis de plebis cura respondeant; institutos verò remouere non audeant, Episcopis inconsultis. Quibus addo quod nec illos Præsbyteros sic deputatos Episcopus remouere potest, sine rationabili causa: *cap. vnic. de capel. monach. in 6.*
8. Tertius restat casus, quando videlicet agitur de Ecclesia pleno iure subiecta Monasterio, nempe tam quoad spiritualitatem, quàm quoad temporalitatem, & reddituum perceptionem. Et hoc casu, nec Rector deputandus est: quia cura animarum, & spiritualitas annexa est Capitulo, seu Monasterio; non possunt autem duo esse Rectores. Nec Vicarius perpetuus regulariter instituendus est, sed temporalis ad nutum Capituli ponendus, aut deponendus instituitur: vt per DD. in *in dicto cap. de monachis. Abb. in eodem cap. num. 9.* † Quia cum Ecclesia pleno iure spectet ad Monasterium, non est opus recurrere ad Episcopum pro institutione, aut destitutione Præsbyteri ad curam animarum exercendam. Nec vnquam cura va-

care potest: quia semper remanet apud Monasterium, quod nunquam moritur. Ideo exercitium curæ fit per Vicarium temporalem, & ad nutum amouibilem. *Rot. decis. 2. de excess. prælat. in nonis.*

Idem dicendum est de vnione facta Episcopatu, <sup>10.</sup> vel alteri dignitati: quia si vnio facta fuerit, vt beneficium curatum vnitum esset de mensa pleno iure, tam quoad spiritualitatem, quàm quoad temporalitatem; semper hoc casu deputatur Vicarius temporalis: vt *ibi per Rotam.*

Vtrum autem beneficium sit vnitum mensæ Dignitatum, Collegiorum aut Monasteriorum, colligitur tum ex verbis vnionis, videlicet quando in vnione fit mentio de annexione tam spiritualium, quàm temporalium. *Gloss. in Clement. 1. in verb. Ad mensam. de excess. prælat.* Tum ex præscriptione, consuetudine, Papali concessione, & aliis de quibus per dictam *Gloss. in verb. Ad mensam. Rebut. in prax. tit. de vicar. perpet. num. 7.*

Aduertendo tamen, quod dum loquimur de vnione <sup>12.</sup> facta pleno iure, verba illa duplicem habent sensum; vt mox diximus post *num. 2. versic. secundò.* Videlicet primò quoad spiritualitatem & temporalitatem, non tamen quoad potestatem auctorisandi pro administratione curæ spiritualis animarum: & hoc casu procedit præcedens conclusio, quod deputetur Vicarius temporalis, & ad nutum amouibilis. Sed quicumque Vicarius instituitur, debet approbari ab Episcopo, vt videat vtrum sit capax exercendi curam animarum: atque ita declarauit sacra Congregatio apud Barbof. *in decision. Apostol. collect. 719. num. 9. & 720. num. 1. & 2.* Sed tamen Episcopus istum Vicarium temporalem & amouibilem remouere non potest, nisi ex causa propter quam beneficio priuandus esset, si esset perpetuus; sed eius reuocatio & destitutio ad nutum Monasterij, seu Abbatis, & Rectoris fieri potest: vt *dict. collect. 720. num. 2. sacra Congregatio apud Barbof. declarauit.*

Secundò verba illa, *pleno iure*, possunt intelligi quod plenum ius consistat in potestate temporalia administrandi, nec non spiritualia, etiam quoad potestatem permittendi administrationem curæ, non auctorisabilem ab Episcopo: & hoc casu ne quidem ad effectum, vt nominatus declaratur capax curam & Sacramenta administrandi, ad Episcopum recurrendum est; sed solum Monasterium, seu illius Abbas, Rector aut Superior nominabit, remouebit, & ad Sacramentorum administrationem aptum declarabit Vicarium illum temporalem in Ecclesia, omnibus modis, & pleno iure ita annexa, & supposita Mensæ suæ, seu sui Monasterij. Ita *Ricc. in prax. aurea. variar. resolut. cap. 293. in sexta conclus. versic. aduerte etiam. in fine.*

Sed diligenter notandum est, quod ista omnia <sup>13.</sup> videntur esse correctæ per Concil. Tridentin. *sess. 7. cap. 7. de reformat.* adeo vt vigore Concilij sit permillum Episcopis apponere Vicarios perpetuos in beneficiis, vnitis Monasteriis, dignitatibus, aut Capitulis: vt etiam ostendit Barbof. *in cap. extirpandæ. 30. §. qui verò, in verb. qui idoneum. de præbendis.* Idque non obstantibus quibuscumque consuetudinibus, & exemptionibus, nisi tamen tales exemptiones fuissent concessæ post Concil. Tridentinum, etiam absque illius derogatione: ex *Garf. de benef. part. 11. cap. 2. numer. 5.* Tamen istud arbitrium debet esse regulatum, & cum iusta & rationabili causa. Nicolaus Garfias, *ibidem, numer. 8.* & partibus citatis, & auditis: *ibid. num. 11.*

14. Imò in dubio, circa hanc perpetui, vel temporalis deputationem ab Episcopo faciendam, vel non faciendam, attendi debet vltimus status. Garf. *ibid.* num. 16. post Gonzal. *ad regul.* 8. *gloss.* 5. §. 3. num. 18. vbi dicitur ita fuisse iudicatum.
15. Et ex his colligitur resolutio quaestionis, vtrum Vicaria sit beneficium: quia si sit perpetua, rectè inter beneficia numerari potest. Burat. *decis.* 114. num. 3. Si verò sit temporalis, nullo modo beneficium potest nuncupari, nec in dispositione loquente de beneficio comprehendi; cum natura beneficij sit esse perpetuum, & ad vitam durare aptum: *Clement. vnic.* iuncta *Gloss. in verb. perpetuis, de offic. vicar.* & ibi DD. item *Gloss. in extranag. execrabilis. in verb. temporales Vicarios. de prabend.* Vnde nullo modo regulabuntur ad instar beneficiorum, *Gloss. in cap. si pauper. 30. in verb. cessat causa. de prabend. in 6.*
16. Notandum autem plures limitationes dari ad dictum cap. 7. Concilij, de quibus Sanch. *lib. 7. decalogi, cap. 29. num. 191.*

## §. 6.

## De beneficiis manualibus, seu amouibilibus.

1. Beneficia manualia sunt verè beneficia, & sunt aptitudine perpetua.
2. Qualitas beneficij manualis in eius impetratione exprimenda est.
3. Quando agitur de beneficio regulari, non est exprimendum quòd sit beneficium manuale, & amouibile.
4. Beneficia qua non conferuntur per Superiorem Monasterij, sed per electionem canonicam non sunt amouibilia, & manualia quantumuis regularia sint.
5. Beneficia regularia Episcopo pleno iure subiecta, saltem quoad institutionem, & destitutionem non sunt manualia.
6. Quid sit beneficia esse pleno iure subiecta Monasterio, vel Episcopo: explicatur.
7. Quando remoueri possit Parochus in Ecclesijs vnitatis pleno iure subiectis, vel non subiectis.
8. Religiosus qui ex dispensatione obtinet beneficium seculare, non potest ab eo per Superiorem sui ordinis amoueri ad nutum.
9. Nec potest amoueri religiosus, si prouisionem obtinuerit beneficij perpetui.
10. Beneficia Ordinis Sancti Ioannis Hierosolimitani sunt amouibilia ad nutum magni Magistrj, & aliorum Superiorum.
21. Papa solet admittere resignationes beneficiorum dicti Ordinis S. Ioannis Hierosolimitani.
12. Prouisus à Papa de beneficio amouibili non potest per inferiorem amoueri.
13. In Italia & partibus ultramontanis seruatur opinio, quòd Superior, qui religioso beneficium ad vitam cum iuramento de non reuocando contulit, possit nihilominus ipsum amouere.
14. In quocumque casu velit Superior per malitiam amouere prouisum, datur recursus ad Superiores.
15. In Gallia seruatur opinio, quòd Superior Regularem ad vitam de beneficio prouisum illum sine causa amouere non possit.
16. Si summus Pontifex beneficium manuale ad vitam ex certa scientia contulerit, irrenocabilis est prouisio durante vita prouisi.
17. Prouisus per Papam de beneficio amouibili ad vitam, remanet tamen in reliquis sub obedientia regulari:
18. Obedientia reformatorum semper renocabilem reddit prouisionem.
19. Officia claustralia in Gallia sunt perpetua, & subiiciuntur Graduorum nominationibus.
20. Officia claustralia in Gallia resignantur etiam in fauorem certa persona, & cum reservatione personis.
21. Simplex administrator bonorum Monasterij potest ad libitum amoueri, neque statum habet manutentibilem.
22. Qui non sibi, sed alteri possidet cum obligatione restituendi, non potest petere se manutenteri aduersus constituentem.
23. Qualitas beneficij amouibilis repugnat naturae beneficij curati.
24. De consensu patroni beneficium manuale potest conuerti in perpetuum; & è contra, perpetuum conuerti in manuale.
25. Testator fundans pium legatum cum onere celebrationis Missarum, & prohibitionem ne quis Superior Ecclesiasticus super eo se intromittat, censetur ex eo prohibuisse erectionem beneficij perpetui.
26. Quando testator simplicem fundationem fecit cuiusdam legati pji, & amouibilis pro celebratione Missarum, neque ad ulteriorem prohibitionem processit; potest de consensu heredis Legatum illud conuerti in formam beneficij perpetui.
27. Non potest Episcopus fundationem amouibilem erigere in beneficium perpetuum, quando testator expressè prohibuit, ne aliquis Superior Ecclesiasticus se immisceret circa suam piam fundationem.

**B**eneficia manualia verè esse beneficia satis per nos ostensum fuit *lib. 1. cap. 106.* quia resignari, & cum aliis beneficiis permutari possunt; sufficit enim quòd non concedantur cum aliqua temporis praefinitione, quia licet Superior illa reuocare possit, tamen fieri potest quòd ille non reuocet: multaque contingere possunt, ob quæ non fiat illorum ademptio: ideo possunt beneficiorum nomine nuncupari. *Parif. de resign. lib. 2. quest. 11. per tot. Cokier. de permut. benef. part. 2. cap. 9. num. 2. & alij per nos d. cap. 106. allegati, Rot. decis. 646. num. 3. part. 1. recent.*

In impetratione tamen huiusmodi beneficiorum, illa qualitas manualitatis exprimenda est summo Pontifici, aliàs gratia corruit. *Caualer. decis. 350. num. 1. & 389. num. 5. †* Nisi beneficium exprimaturn esse regulare: quia hæc expressio infert manualitatem per consequentiam quasi necessariam: vt dicto cap. 106. num. 7.

Dixi quasi necessariam, quia non semper ex eo quòd beneficium sit regulare, sequitur esse manuale & amouibile.

In primis enim consequentia illa manualitatis in beneficiis regularibus locum habet, quoad illa beneficia quæ non sunt capita Conuentus, seu Monasterij, & quæ per illius Abbatem, aut Superiorem conferuntur; non autem quoad illa quæ conferuntur per electionem canonicam: iuxta caput 2. §. prioratus quoque, & ibi *Gloss. in verb. Non mutantur. & cap. cum ad Monasterium. versic. Tales autem. & ibi Gloss. in verb. perpetuo. Sanches. in precept. decalog. lib. 7. cap. 29. numer. 118. Bellamer. decis. 203. Cassador. decis. 12. num. 9. de probat. Selua de benef. part. 3. quest. 21. num. 2.*

Secundò non sunt manualia beneficia regularia, quando sunt subiecta Ordinario, seu Episcopo, pleno iure;

iure; saltem quoad institutionem, & destitutionem: tunc enim quia necessaria est Episcopi institutio ad illud beneficium, per consequens destitutio ad Abbatem seu Superiorem Monasterij non pertinebit. Hyeron. Roder. *quæst. regul. cap. 15. num. 43. versic. secundò fallit.* Sanches. *dict. lib. 7. cap. 29. numer. 119.*

6. Pro cuius fallentiæ intelligentia, repetenda sunt ea quæ diximus in §. *precedenti*, post *num. 2. versic. secundò sciendum est. & sequentibus numeris*: vbi explicatur quando, & ex quibus, & quot modis Ecclesia dicatur vnita mensæ Capituli, vel Monasterij pleno iure; nempe quoad spiritualia, vel quoad temporalia, vel quoad vtrumque. Et si quoad spiritualia, vtrum quoad solam institutionem, an verò etiam quoad approbationem ad curam animarum exercendam: quod contingit quando Monasteria habent iurisdictionem quasi Episcopalem; qua de re nos fusè egimus *lib. 1. cap. 60.* Quam iurisdictionem hodie exercent Reuerendi Patres Prædicatores Ordinis S. Dominici in loco Sancti Maximini in Prouincia; aut saltem sunt in eius possessione (quamuis contrarium prætendant Archiepiscopi Aquenses) & hoc casu Conuentus habet Ecclesias sibi subiectas, etiam quoad potestatem authorisandi ad exercitium curæ animarum.
7. Et ex traditis *ibidem* colligetur *inuncto §. precedenti*, quando, & quomodo amoueri possit deputatus in parochialibus vnitis, ad curam animarum exercendam in Ecclesia pleno iure subiecta, vel non subiecta Monasterio.
8. Tertio; Religiosus, cui facta fuit prouisio, non potest ad nutum Superioris reuocari, quando ex legitima dispensatione obtinuit sibi prouideri de beneficio sæculari, seu simplici, seu curato. Hyeron. Roderic. *dicta resolut. 15. num. 43. in 4. limitat.* post Sanch. *in decalog. dicto lib. 7. cap. 29. num. 121.*
9. Quarto, remoueri nequit religiosus ad nutum Superioris, si beneficium sit ex sua natura perpetuum: quia semper collatio beneficij censetur facta secundum illius qualitatem. *Clement. vnic. de supplend. neglig. Pralat.* Sanch. *dicto cap. 29. num. 122.* Rebuff. *de pacif. possess. n. 280.* Selu. *de benef. part. 3. quæst. 69. num. ultimo.*
10. Quintò, licet beneficia regularia sint ad nutum Superiorum amouibilia, vt dictum est; etiam si essent beneficia ordinis Sancti Ioannis Hierosolimitani, quæ sunt amouibilia, ad nutum magni Magistri, & aliorum Superiorum: ex Mohed. *decis. 10. de caus. possess. & propriet. Garf. de benef. part. 1. cap. 4. num. 2.* Ludouif. *decis. 109. num. 3.* Et ita expressè cauetur in Bulla Pij IV. quæ incipit, *Circumspecta*, & est 9. in ordine inter eiusdem Pontificis constitutiones.
11. Tamen quia, vt dictum est, Papa solet sæpius huiusmodi beneficiorum & aliorum regularium, & amouibilium resignationes admittere; vt testatur experientia, & ostendit Addit. ad Paris. *de resignat. lib. 2. quæst. 14. in fin. & quæst. 11. num. 1. eodem lib. 2.*
12. ipse Parisius refert. † Tali casu prouisus à summo Pontifice remoueri non potest per inferiorem, quia indecorum est facto Principis per inferiores derogari. Paris. *dicta quæst. 11. num. 8. & sequent.*
13. Sed cessabit omnis difficultas, si summus Pontifex beneficium regulare Monacho ad vitam contulerit. Nam quamuis non exigua sit controuersia, vtrum Superior, seu Abbas aut Prælatus Monasterij, qui religioso beneficium contulit ad vitam, & collationem adhibito iuramento roborauit, possit deinde pœnitere, & prouisionem huiusmodi reuocare, in qua affirmatiuam sententiam tenuit Sanches *in Decal. lib. 7. cap. 25. n. 125.* ea ratione, quia iuramentum istud &

collatio sunt contra ius; & per consequens non obligant Abbatem ad obseruationem. Quæ sententia in partibus Italiæ, & Ultramontanis est recepta: vt testatur Dec. *in cap. ad nostram. num. 7. de confirmat. vtil. vel inutil.* † Præsertim cessante malitia, aut dolo Superioris regularis: quia si de ea constaret, daretur recursus ad alios Superiores ipsius Abbatis. Gonzal. *ad regul. 8. gloss. 5. §. 6. numer. 40. & sequentibus.* Ioann. de Selua *in tractat. de benefico. libr. 3. quæst. 68.*

Sed negatiua sententia, nempe religiosum de beneficio regulari prouisum, quantumuis ex sui natura amouibili, non tamen illo per Abbatem priuari posse, nisi iustâ causâ interueniente; in Gallia recepta est, & plurimis supremarum Curiarum præiudiciis confirmata: adeo vt si Superior regularis, Monachum sine causa spoliare prætendat beneficio, a limitatur in Gallia illius appellatio, quam vocant tanquã ab abusu. Bley. *de benefico. tit. de manualib. num. 10. & in gloss. litt. F. fol. 313. post Rebuff. in tract. de pacif. possess. limitat. 6. num. 33.* Petr. Gregor. *lib. 1. iur. Canon. tit. 27. cap. 6. numer. 6. litt. N.* Vide Gratian. *discept. 167. num. 27.*

Tamen quando summi Pontificis collatio, & confirmatio cum potestate beneficium obtinendi ad vitam interuenit ex certa scientia, sine dubio valet prouisio irreuocabiliter, neque talis sic prouisus remoueri potest: quia fit Obedientiarius Papæ. Paris. *de resignat. lib. 2. quæst. 11. num. 10.* Gigas *de pensionib. quæst. 15. num. 3. & 4.* † Licet in reliquis remaneat sub obedientia sui Abbatis. Ioan. de Selua *de benefico. part. 3. quæst. 69.* vbi loquitur de prioratibus, & beneficiis in ordine Monachorum nigrorum Ordinis Sancti Benedicti, simpliciter per Papam collatis; dicens sic prouisus per Papam non posse ab inferiori reuocari: † Atque ita seruari in praxi, exceptis obedientiaris reformatorum, certum est apud Gallos. Add. ad Paris. *dicto lib. 2. quæst. 11.* & hac de re agit Barbof. *in cap. porrecta. de confirmat. vtil. vel inutil.* Gonzal. *ad dictam regul. 8. gloss. 5. §. 6. num. 25.* Bley. *loco citat. num. 21 & in gloss. litter. L.*

Circa tamen præmissa, diligenter aduertendum est illa procedere in beneficiis, nec non in officiis claustralibus veluti Camerarij, Eleemosinarij, Thesaurarij, Sacristæ, & similibus quæ in Gallia pro veris beneficiis reputantur, & subiiciuntur impetrationibus Graduatorum, vel Nominatorum; vt in Bulla Leonis X. super Concordatis, *in titul. de Collation. §. præfatique Ordinarij.* † Et in effectu consuetudo talis est in Gallia, vt huiusmodi officia resignentur etiam in fauorem certæ personæ, & cum onere pensionis: pro vt sæpius factum vidimus.

Non tamen procedere in simplici administratione, quæ non est erecta in titulum beneficij, neque est collatiua; & ideo in ea non attenditur vltimus status; sed Superior poterit sic deputatum contra iuris dispositionem remouere: cum nullum habeat statum collatiuum: vt in simili docet Burat. *decis. 224. numer. 7.* vbi loquitur de eo qui nominatus est pro Missarum celebratione in beneficium perpetuum non erecta, nec habet statum manutenibilem: † cum non sibi, sed alteri possideat; nempe Abbati, vel Monasterio: ex notatis per Postium *in tract. de manuent. obseruat. 52. num. 24.* Caualer. *decis. 171. num. 1.* vbi loquitur de quolibet recipiente pro alio, cum onere restituendi.

Vltimo loco aduertendum est, quòd si agatur de beneficio curato, cessat omnis amouibilitatis causa: quia ex illa amotione Parochi, magnū Ecclesiæ detrimentum oriri possit: sed & in beneficiis simplicibus,

24. † qualitas illa amotionis, & manualitatis potest tolli de consensu patroni; & simplex beneficium amouibile, illo consentiente, conuerti in perpetuum beneficium: vt notat Gonzal. *d. Etia regul. 8. gloss. 5. §. 5. num. 60. & 62.* sicut è conuerso beneficium, quod ex sua natura perpetuum est, conuerti potest in manuale; veluti ex consuetudine, vel statuto per sedem Apostolicam confirmato: vt per Monet. *de commut. vltim. volunt. cap. 10. numer. 38.* Quod fusius idem author confirmat in eodem tractatu *cap. 11. in 4. conclus. num. 100. & sequent.* vbi probat ex manuali beneficio, perpetuum; & ex perpetuo, manuale effici posse, consentiente Patrono.
25. Sed maior est difficultas, vtrum si testator mandauerit celebrari certum numerum Missarum in perpetuum, per Præbyterum à suo hærede, illiusque successoribus instituendum, & destituendum; absque eo quòd aliquis Superior Ecclesiasticus possit se se immiscere in dicta nominatione, imò quòd ius instituendi in perpetuum ad suos hæredes pertineat; possit hoc casu Episcopus de consensu hæredis, hanc piam foundationem erigere in beneficium perpetuum. Sanè non est dubitandum, quin testator per hæc verba prohibuerit, quominus Superior aliquis Ecclesiasticus piam hanc foundationem in formam perpetui beneficii erigere possit. Spino, *in specul. testam. gloss. 4. num. 42. versic. quo fit vt ratione. circa med. & Garf. de benefic. part. 1. cap. 2. num. 105. & 106.* † Vnde sequitur contra expressam testatoris dispositionem, hanc erectionem beneficii perpetui fieri non posse. Duo quippe distinguendi sunt casus in hac materia, per quòs dissidentes DD. conclusiones ad concordiam reduci posse videntur. Primus est, quando testator reliquit foundationem, aut legatum pium simpliciter; pro celebratione Missarum per Præbyterum amouibilem celebrandarum. Secundus casus, quando vltèrius progressus fuit, prohibendo ne quis Superior Ecclesiasticus circa piam istam deputationem se immisceret.
27. In primo casu, potest de consensu hæredis fieri ex tali foundatione verum, & perpetuum beneficium. † In secundo verò casu, cum agatur de expressa testatoris prohibitione, non potest Episcopus etiam de consensu hæredis erigere beneficium perpetuum contra intentionem testatoris: vt copiosius explicat Monet. *de commut. vltim. volunt. cap. 10. numer. 479. & sequentib. & cap. 5. num. 314. versic. Quod autem decisum fuit in Rota.* Et ita debet intelligi quod in simili, nempe in capellania Amouibili decidit Garf. *de benefic. part. 1. cap. 4. num. 105. Cæual. in commun. opinio. 282. numer. 29.* cum aliis per eos allegatis.

## §. 7.

## De Hospitalibus &amp; Leprosariis.

1. Hospitalia sunt loca religiosa.
2. Intellige, quando sunt erecta auctoritate Episcopi.
3. Hospitalia semper sunt loca pia.
4. Hospitalia annexum aequè principaliter Ecclesia, vel beneficio, non venit appellatione beneficii.
5. Si quis in Hospitali capellaniam fundauerit, illa verè dicetur beneficium, & fundator potest sibi reseruare ius patronatus.
6. Hospitalis nomen sonat in nudam commissionem; ideo non venit appellatione beneficii, nisi in beneficium erectum sit.

7. Hospitalia quamuis conferantur in titulum, non continentur regulariter appellatione beneficii, in dispositionibus loquentibus de beneficiis.
8. Leprosaria eodem iure censentur cum Hospitalibus, & maximè quando reguntur per personas laicas.
9. Referuntur sex requisita, sine quibus Hospitalia, vel Leprosaria non potest dici beneficium Ecclesiasticum: nempe quòd sint erecta auctoritate Episcopi; quòd habeant aliquid spiritualitatis annexum; quòd clericis, & à persona Ecclesiastica conferantur; & à vitam non ad tempus; & quòd conferens sibi illa retinere non possit.
10. Referuntur DD. de Hospitalium materia tractantes.
11. Hospitalia etiam religiosis personis conferri possunt.

Quamuis Hospitalia loca religiosa sint: *Clement. 1. Quia contingit. §. vt autem. de religios. domib. & Clementin. per litteras. de prebend. † Quod intelligitur vt procedat, si cum Episcopi auctoritate erectum sit; alioqui non dicitur locus Ecclesiasticus. Ludouic. decis. 4. num. 11. † Semper tamen est locus pius, & de foro Ecclesiæ: vt tenuit Rot. decis. 482. num. 25. part. 4. recentior. tom. 2. † Quod si Hospitalia esset annexum aequè principaliter Ecclesiæ, vel beneficio; non veniret appellatione Ecclesiæ, vel beneficii: Imol. in Clement. per litteras. num. 16. versic. si verò non apparet. de prebend. Rot. decis. 114. numer. 8. part. 2. diuers. & decis. 500. num. 10. part. 4. recentior. tom. 2.*

Et è contra, si quis in ipso Hospitali capellaniam fundauerit, licet ipsum Hospitalia non contineatur appellatione beneficii; tamen ipsa capellania verè est beneficium conferibile, & super ea fundator potest sibi reseruare ius patronatus. *Seraphin. decis. 120. num. 3.*

Nihilominus tamen beneficii appellatione ipsum Hospitalia non continetur, nisi erectum fuerit in titulum beneficii: quia titulus Hospitalis sonat in commissionem, potius quàm collationem: & Rectores Hospitalium nullam ex illis percipiunt, aut percipere debent vtilitatem: vt dicit Lotter. *de re beneficiar. lib. 3. quest. 6. per tot. † Imò in casibus in quibus Hospitalia conferuntur in titulum, improprie beneficia dici possunt: & ideo non continentur in litteris Pontificiis, in quibus fit mentio beneficiorum; nisi id exprimat in specie: per text. in Clement. 2. de prebend. Garf. de benefic. part. 1. cap. 3. num. 5.*

Quæ dicta sunt de Hospitalibus, eodem modo dicenda sunt de Leprosariis: cum eadem vigeat ratio: maximè quando reguntur per personas laicas. *Rot. decis. 268. part. 3. recentior vbi num. 2. & 3. redditur ratio: quia Hospitalia caret requisitis, ad hoc vt dicatur beneficium Ecclesiasticum. † Quæ requisita sex enumerantur per Gonzal. ad regul. 8. gloss. 5. à num. 7. nempe Primò, vt sit fundatum auctoritate Episcopi. Secundò, vt habeat quid spiritualitatis annexum; quia propter diuinum Officium datur beneficium. Tertiò, quòd clerico, & non laico conferatur. Quartò, quòd non possit conferri nisi à persona Ecclesiastica. Quintò, quòd sit perpetuum, hoc est quòd non conferatur ad tempus. Sextò, quòd ille qui confert non possit sibi ipsi conferre, seu illud pro se retinere. Quæ requisita substantialia deficiunt in istis Hospitalibus, & Leprosariis: ideo non possunt beneficia nuncupari. † Reliqua prosequitur Marefcot. *lib. 10.**

lib. 2. cap. 3. num. 12. & sequentib. Hyeron. Roderic.  
 11. in suis quæstionib. regularib. resolut. 74. per tot. † vbi  
 de Hospitalibus quæ religiosis personis conferri solent,  
 & Lezana in sua summa regular. lib. 2. cap. 6.  
 num. 7. & sequent. Ricc. collect. 1655.

§. 8.

De Præstimonii, & locis Collegialibus.

1. Quid sit Præstimonium seu portio præstimonialis.
2. Præstimonia ex sui natura non sunt beneficia Ecclesiastica, sed in mera temporalitate consistunt, neque producunt aliquam incompatibilitatem.
3. Præstimonia propriè sumpta, non habent aliquam residentiam, neque denominationem.
4. Præstimonia non continentur in regula Cancellaria de Mensib. & Alternativa.
5. Præstimonia non solent dari in titulum, nec habent onus spirituale annexum.
6. Potest tamen præstimonium beneficii naturam sortiri, si erigatur in titulum beneficii perpetui.
7. Præstimonia erecta in titulum cadunt sub regula 8. de Mensib. & Alternativa.
8. Qui possidet Præstimonium erectum in titulum, gaudet fori privilegio.
9. Potest quis ad sacros Ordines promoveri, quando habet præstimonium sufficiens erectum in titulum beneficii perpetui.
10. Loca Collegialia perpetua, vel non perpetua, regulantur ad instar præstimonij perpetui, vel non perpetui.
11. Loca Collegialia temporalia non admittunt promotionem ad vitam in Gallia, contra voluntatem fundatoris.

1. Præstimonium, seu portio præstimonialis est annuus quidam proventus, ex beneficiorum redditibus detractus, & ad sustentandos iuvenes qui litteris incumbunt destinatus. Aliquando etiam præstimonia fuerunt instituta pro subsidio contra infideles: † ideo pluralitas eorum non est prohibita in diuersis Ecclesiis; quia in mera temporalitate consistunt: & non sunt propriè beneficia, sed potius quædam stipendia, de quibus etiam non est facienda mentio in rescripto beneficii, neque inducunt incompatibilitatem: vt bene explicat Staphil. de litter. grat. in 5. forma expectatin. per totum illud capitulum. † Et ideo præstimonia non habent aliquam residentiam, nec denominationem. Petr. Gregor. in institut. rei benefic. cap. 11. n. 17. † neque huiusmodi præstimonia comprehenduntur sub regula 8. seu 9. Cancell. de Mensib. & Alternativa. † quia non dantur in titulum, neque annexum habent aliquod onus spirituale: vt ostendit Barbof. de Episc. part. 3. allegat. 57. num. 149. post Gonzal. ad dictam regul. gloss. 5. §. 2. Nicol. Garf. part. 1. cap. 2. à num. 118. Flamin. Paris. de resignat. lib. 2. quæst. 1. num. 125.

6. Qui tamen omnes intelligunt præmissa procedere, quando præstimonium retinet naturam suam antiquam, & non datur in titulum beneficii, nec habet aliquod onus spirituale annexum: si enim daretur clerico in titulum beneficii perpetui, tunc omnia, quæ de beneficio dicuntur, locum etiam haberent in istis præstimoniis: vt dicunt Barbof. & Garf. in locis supra citatis: & est communis resolutio, quam etiam affert idem Barbof. de iur. Eccles. vniuers. lib. 3. cap. 8. num. 5. Rebuff. de pacif. possess.

num. 106. Et in hoc sensu accipiendum est quod dicitur apud Ludouif. decis. 54. ante num. 1. † Et ideo hæc præstimonia, in titulum perpetui beneficii erecta, cadunt sub regula mensium: ex Barbof. de Episcop. dicta allegat. 57. num. 149. † Et habens huiusmodi præstimonium in titulum perpetui beneficii erectum, gaudet priuilegio fori. Idem Barbof. de Episcop. allegat. 12. num. 11. † Et qui habet huiusmodi generis præstimonium, potest admitti ad sacros ordines ab Episcopo illius loci, in quo est præstimonium; vel ab alio cum litteris dimissoriis illius Episcopi. Campanil. in diuersor. iur. Canon. Rubr. 9. cap. 8. num. 19. versic. & qui alicubi possideret. & dictam distinctionem sequitur Gonzal. de reg. 8. gloss. 5. §. 2. per totum.

Quod autem de præstimoniis dictum est, eodem modo, imò fortius adaptari potest ad loca Collegialia: tum quia non dantur ad vitam: (exceptis quibusdam Collegiatis qui perpetui nuncupantur;) si enim ad vitam, & in titulum beneficii perpetui concederentur, verè essent beneficia Ecclesiastica. Petr. Gregor. in institut. rei benefic. cap. 11. num. 8. † Et ideo huiusmodi loca Collegialia sita non subiacent nominationi, aut Graduatorum impetrationi ex capite gradus: quia illis non prouideretur ad vitam, contra mentem concessionis ad fauorem ipsorum factæ: vt per Rebuff. in tract. de Nominat. quæst. 15. num. 22.

§. 9.

De Præbendis, & Distributionibus quotidianis, & fructibus beneficiorum.

1. Præbenda distinguitur à beneficio, tanquam species à genere.
2. Præbenda est ius percipiendi redditus, restrictum ad id quod percipitur ratione Canoniciatus.
3. Quando in Ecclesia nulli sunt redditus præter præbendas, tunc præbenda veniunt appellatione beneficii.
4. Explicantur varij modi, quibus nomen Præbendæ accipitur.
5. Præbenda est ius spirituale, connotans perceptionem commodi temporalis.
6. Nemo potest recipi in Canonicum sine præbendâ actuali, vel saltem habituali.
7. Canonicus supernumerarius sine præbendâ, habet nomen ventosum & inutile.
8. Canonicus intra numerum receptus, habet stallum in Choro, & vocem in Capitulo, & percipit distributiones, & alia lucra; licet non habeat aliquam præbendâ actualem: & potest sub illo titulo promoveri ad sacros ordines.
9. Præbenda largo modo sumpta, consistere potest sine canonicatu.
10. Beneficiati, & portionarij, improprie dici possunt præbendati.
11. Præbenda largissime sumpta, potest conuenire perceptioni salarij, vel lucri temporalis, debite laico.
12. Impetrans Canonicatum, vtrum teneatur facere mentionem de præbendâ.
13. Si præbenda sit canonicatui annexa, non est illius expressio facienda in impetratione canonicatus.
14. Præbenda per annexionem, fit vnum idemque corpus cum beneficio.
15. Concesso canonicatu, censetur concessa præbenda illi annexa.

16. *Annexio præbenda probatur, ex eo quòd certus est numerus canonicorum, & certus numerus præbendarum.*
17. *Solam distinctionem præbendarum non esse sufficientem probationem annexionis ipsarum ad Canonatum, ex mente Rotæ Romanæ.*
18. *Annexio præbenda ad canonicatum non probatur, nisi constet quòd unum sine alio non consuevit conferri.*
19. *Potest fieri ut præbenda sit Sacerdotalis, canonicatus verò non sit talis.*
20. *Sufficit mentionem facere de pertinentiis in impetratione canonicatus, ut veniat præbenda, quando canonicus sperat optare suo tempore præbendam.*
21. *Clausula, cum pertinentiis, continet spem optandi præbendam.*
22. *Si quis vult succedere in præbenda non annexa, debet de ea in suis provisionibus facere mentionem.*
23. *Distributiones quotidiana non veniunt appellatione beneficiorum.*
24. *Beneficia diuidi nequeunt, fructus tamen illorum diuisionem patiuntur.*
25. *Distributiones non sunt propriè fructus beneficij.*
26. *Distributiones quotidiana in valore fructuum, regulariter non computantur.*
27. *Dispensatus, ut lucretur fructus in absentia, non lucratur distributiones.*
28. *Fructus, qui certo anni tempore distribuuntur, non habita ratione diurni seruitij; non sunt propriè distributiones quotidiana.*
29. *Quando beneficium non consistit nisi in distributionibus, illa fructuum appellatione continentur.*
30. *Impropriè nuncupantur beneficia quotidiana distributiones, qua ab aliquibus manualia beneficia, ob manualiter factam traditionem, nuncupantur.*
31. *Condemnatus ad restitutionem fructuum beneficij, deducit quæstia ex suo labore.*
32. *Qui est in mala fide, tenetur ad restitutionem fructuum beneficij, ex labore personali prodeuntium.*
33. *Quando omnia lucra beneficij pendent ex labore personali, condemnatus ad fructus, tenetur quæstia ex illo labore restituere.*
34. *Intrusus dicitur qui possidet sine titulo, & numer. 35.*
36. *Duo eiusdem beneficij in solidum possessores esse non possunt.*
37. *Parochus non incurrit pœnam priuationis ob absentiam, nisi præuia citatione, & aliis requisitis de quibus ibi.*
38. *Occupans beneficium alterius qui illud possidebat, nec priuatus erat, & se in eo ingerens, dicitur intrusus.*
39. *Intrusus condemnandus etiam est, ad fructus ex suo labore perceptos.*
40. *Intrusus mala fidei possessor condemnandus est tam ad fructus beneficij perceptos, quàm ad eos qui percipi potuissent.*
41. *Qui sine titulo percipit distributiones quotidianas ex beneficio alieno; tenetur, & condemnandus est ad illarum omnimodam restitutionem.*
42. *Condemnandus nemo est ad restitutionem fructuum beneficij, nisi à die qua fuit in mora constitutus.*

43. *Quando agitur de liquidandis fructibus, qui ex beneficio percipi potuerunt, non est attendenda persona condemnati; sed persona actoris: & fructus liquidandi iuxta id quod ipse actor percipere potuisset.*

**P**ræbenda distinguitur à beneficio tanquam species à genere, quia beneficij nomen comprehendit omne ius redditus Ecclesiasticos percipiendi. † Præbenda verò est ius redditus percipiendi restrictum ad redditus qui percipiuntur ratione canonicatus: vt dicit Barbof. in tract. de *Canonic. & Dignitat. cap. 12. num. 24.* vbi dicit ita intelligendos esse textus in *cap. cum in Ecclesia. de præbend. & in cap. Quia. de verbor. significat.* † Vnde infert in materia stricta, præbendam beneficij appellatione non contineri; nisi tamen ageretur de Ecclesia, in qua non sunt alia beneficia nisi præbendæ; vt idem author tradit loco citato num. 25. & 27.

Sed pro maiori huius rei explicatione; sciendum est, nomen præbendæ variis modis sumi. Primò pro iure percipiendi certos proventus in Ecclesia, ratione diuini officij, cui clericus insistit tanquam Canonicus, & tanquam vnus de Capitulo; & hoc modo nomen præbendæ sumitur in suâ propriâ significatione; & hac ratione præbenda dicitur pendere à canonicatu, & dicitur filia canonicatus: quia non potest esse canonicatus sine præbenda: *cap. relatum. de præbend. cap. cum super. de concess. præbend.* † & sic præbenda habet originem à iure spiritali, & executionem seu effectum in perceptione commoditatis, & emolumentorum temporalium; semper tamen est ius spirituale connotans perceptionem temporalium; vt notat Lotter. *de re beneficiar. lib. 1. quæst. 19. num. 10.* † Licet possit quis recipi in canonicum sine præbenda actuali, modò habeat habitualement; & sic receptus dicitur Canonicus in herba, cum tunc habeat ius in spe quoad præbendam. Quod duobus modis contingere potest: † Primò, cum quis recipitur in Canonicam supernumerarium, donec adueniat casus vacationis canonicatus vnus ex numeratis: & hoc modo, habet nomen Canonici inutile, & ventosum. † Secundo modo, recipitur in Canonicum intra numerum; sed nullam habet præbendam actualement: quia soli Canonici antiquiores obtinent præbendam, seu per viam optionis, seu aliter; & hoc casu nomen canonicatus non est ventosum: quia ille, qui fuit sic receptus in Canonicum, habet stallum in Choro, & vocem in Capitulo, si alioquin fuerit idoneus; & percipit distributiones quotidianas: ratione cuius iuris, potest recipi ad sacros ordines sub titulo illius canonicatus, si illæ distributiones sint sufficientes ad victum, & sustentationem ordinandi. Hæc eliciuntur ex notatis per Lotter. *de re beneficiar. lib. 1. quæst. 19. num. 4. & 7.*

Secundo modo nomen præbendæ sumitur largo modo, pro omni iure percipiendi proventus in Ecclesia ratione diuini officij; non tamen ratione canonicatus, sed ratione alterius seruitij: *cap. cum in Ecclesia. 25. de præbend. in 6.* † Et hoc modo nomen præbendæ posset adaptari beneficiatis, & portioariis, ac etiam aliis qui Canonici non sunt, in Ecclesia Diuinis inseruientibus; & hæc vocatur portio, seu quasi præbenda: vnde beneficiati etiam portioarij dici possunt: vt ostendimus *lib. 1. cap. 105. num. 5.*

Tertio modo capitur largè, pro qualibet perceptione rei temporalis intuitu Ecclesiæ; sed non intuitu seruitij diuini: vt si Aduocato Capituli, laico vel alteri, qui Ecclesiæ rebus operam dat, assignetur; vel



- vel etiam largissimè pro ipso prædio quod loco præbendæ assignatur Canonico, vel pro temporalitate fructuum canonicatus, qui cum sint merè temporales, vendi, locari, & aliàs possunt alienari: vt notat Rip. in cap. cum M. Ferrariensis. de constitut. n. 170. quem sequitur Massobr. in prax. concurs. prælud. 19. in princip. & alij.
12. His ita suppositis, dubitari potest vtrum impetratâ præbendâ censeatur impetratus canonicatus; & è conuerso, vtrum in impetratione canonicatus, necesse sit exprimere præbendam? Quam quæstionem aliàs habui in facto, & ex certis causis Consului, vt impetrans iterum recurreret ad Papam, vt sanaret istum defectû expressionis præbendæ, prout factum fuit; sed in illo casu aderat maior defectus: quia non fuerat expressus canonicatus quem obtinebat Præpositus, cuius beneficium fuerat resignatum cum simul esset Præpositus, & Canonicus: sed de his aliàs agemus: strictè ergo deueniendo ad resolutionem quæstionis propositæ, de qua Barbof. de Canonic. & Dignitat. dicto cap. 12. num. 28. † Ego paucis respondendo existimo, quòd si præbenda sit annexa canonicatui, non est necessaria de eo facienda mentio in impetratione canonicatus, sicut quando vnum beneficium est alteri vnitum accessorie, non est necesse de beneficio vnito facere mentionem in impetratione: ex pluribus quos citat Barbof. de iur. Eccles. vniuers. lib. 13. cap. 16. num. 10. † quia per talem annexionem præbenda fuit effecta vnum corpus, & vna eademque res cum canonicatu. Lotter. dict. lib. 1. cap. 19. numer. 23. Quandoquidem tunc præbendæ sunt in Ecclesia distinctæ, & quilibet Canonicus obtinendo suum canonicatum, suam etiam obtinet præbendam illi canonicatui annexam, & cum ipso effectam vnum indiuiduum: † vnde concessio canonicatu, concessa etiam censetur præbenda huiusmodi annexa, & inseparabilis à canonicatu, siue per viam accessorij, siue (vt voluit Surd. decis. 192. num. 19.) per viam connexitatis. † Nam probato quòd in Ecclesia sit certus numerus Canonicorum, & certus numerus præbendarum, sequitur probatum quòd præbendæ sint annexæ canonicatibus: ex doctrina Abbat. in cap. maioribus. de præbend. Put. decis. 196. num. 1. lib. 2. in correctis. † Quanquam ad probandam annexionem præbendæ, non sufficere quòd constet in Ecclesia præbendas esse distinctas, existimet Rot. decis. 421. num. 6. part. 1. recentior.
18. † nec sufficit, ad probandam annexionem, verificare quòd præbenda & canonicatus simul conferri consueuerunt; sed probandum est, quòd vnum sine altero non consuevit conferri, vt Rota ibidem censuit num. 8. † vnde concludit præbendam esse posse sacerdotalem; canonicatum verò non sacerdotalem, tanquam duo inuicem diuersa.
20. Si verò præbenda non sit annexa canonicatui; veluti dum in Ecclesia minor est numerus præbendarum, quàm canonicatum; & canonicatus quidem conferuntur cum expectatione præbendæ, quæ defertur adueniente vacatione iuxta ordinem antiquitatis: cap. statuimus 15. de maioritat. & obedient. & per modum optionis; tunc sufficit de canonicatu mentionem facere, cum illius iuribus & pertinentiis: † quæ clausula etiam comprehendit ius optandi ad præbendam: ex rationibus deductis per Francisc. Marc. decis. Delphinat. 134. † nisi tamen ageretur de prouisione Apostolica, & impetrans veller succedere in præbenda per resignantem aut defunctum, ex cuius persona beneficium vacabat, obtenta; nam hoc casu necessariò fieri deberet mentio huius præbendæ; cum ius optandi sit annexum canonicatui, & de illius pertinentiis; sed non ista præbenda, quæ non magis huic canonicatui, quàm aliis annexa est: imò & potius aliis tanquam antiquioribus addicta: ad quod faciunt tradita per Lotter. dicta quæst. 19. num. 30. & quæ nos aliàs de iure optandi diximus lib. 1. cap. 110. maximè num. 18.
- Quod autem attinet ad distributiones quotidianas, certum est ex proprietate sermionis, illas non esse beneficia, nec beneficiorum appellatione contineri; cum nec ipsi quidem fructus veniant sub nomine beneficij, qui tamen maiorem cum beneficio connexionem habent; cum immediatè ex ipso beneficio procedant: distributiones verò ex illo quidem causam & originem desumant, sed connotando laborem diurnum, & seruitium personale in Ecclesia factum: † vnde licet beneficia diuidi non possint, neque ad duos pertinere; fructus tamen beneficij tanquam merè temporales, & ab ipso beneficij corpore distinctos, & separatos, ad duos ex causa pertinere non est inconueniens: cap. proposuit. & ibi Abb. num. 2. de filiis Præbyteror. Ludouif. decis. 479. num. 2. † Distributiones siquidem quotidianæ, licet dentur propter beneficium, fructus tamen non sunt: cap. vnic. de cleric. non resident. lib. 6. † vnde nec in valore fructuum beneficij solent regulariter computari. Rebuff. in tractat. Nominat. quæst. 9. num. 42. & sequent. Staphil. in tract. de grat. & expectat. in 9. forma. num. 65. Selu. de benefic. part. 3. quæst. 12. num. 33. & 34. Lancellor. de Attentat. part. 3. cap. ult. num. 31. Ricc. collect. 1451. versic. hinc inferitur. † vnde aliàs Consului cuidam, qui gratiam habebat vt fructus canonicatus in absentia occasione studij per aliquot annos perciperet; hanc non sufficere vt posset lucrari distributiones quotidianas, sed maiori expressione indigere. Gloss. in dict. cap. vnic. de cleric. non resident. lib. 6. in verb. adfuerunt. Gonzal. ad regul. 8. §. 7. proœmiorum num. 175. † Quod non obtineret, si præbendæ possiderentur in communi; deinde singulariter certo anni tempore distribuerentur: quia tunc fructuum beneficij appellatione præbendæ continerentur: essent enim ij fructus grossi, succedentes in locum præbendæ. Rot. decis. 449. num. 1. part. 2. recentior.
- Similiter si beneficium non consisteret in aliis fructibus, præterquam in distributionibus quotidianis; tunc fructuum nomine continerentur. Gonzal. ad dictam regul. 8. dicto §. 7. num. 157.
- Improprie tamen, distributiones quotidianæ dici possunt beneficia; hoc est, vt utilitates ex canonicatu prodeutes; quæ, manualia beneficia hoc sensu nuncupantur, non ratione amouibilitatis, de qua superius egimus; sed ratione manualiter factæ traditionis, & receptionis: vt explicat Monet. de distribut. quotid. part. 1. cap. 2. quæst. 2. num. 12. & sequentib.
- Porro circa id quod mox diximus, illum qui condemnatus fuit ad restitutionem fructuum beneficij, non teneri restituere distributiones quotidianas, nec illa quæ ratione seruitij personalis lucratus fuit, subsistendum est; cum non ita simpliciter intelligi debet: nam Ego nuper Consului, nempe anno 1645. (& iuxta meum consilium fuit iudicatum) quòd licet illa regula generalis sit vera, nempe condemnatum ad fructus beneficij restituendos, illa deducere posse quæ lucratus fuit ob laborem, & seruitium personale; ex supradictis, & traditis per Boër. decis. 340. num. 4.
- Tamen ex facti circumstantiis contrarium obtinui: quia in facto verum erat quòd vetus Parochus semper in actis, & extra acta protestatus fuerat, quòd per eum non stabat quominus Ecclesiæ suæ inserui-

ret: & quæ protestatio significata fuerat iniusto detentori; & ideo per eam fuerat constitutus in mala fide; cuius ratione tenetur, & condemnandus est ad fructus, seu emolumenta prouenientia ex seruitio personali. Lancellor. *de arrenat. part. 3. capit. 31. numer. 31.*

33. Et id maximè procedere Dixi in casu illo, in quo omnes Ecclesiæ prouentus consistunt in lucris, quæ percipiuntur ex seruitio personali; ita ut si tale seruitium deducendum esset, condemnatio esset inutilis. Monet. *de distribut. quotidian. part. 1. quæst. 6. numer. 16.* Gonzal. *ad regul. 8. §. 7. præm. numer. 157.* Lotter. *de re beneficiar. lib. 1. quæst. 39.*
34. Secundò, quia detentor ille erat omnino intrusus in illo beneficio, cum nullum haberet legitimum & canonicum titulum; fuerat enim dumtaxat deputatus ab Archiepiscopo, donec verus & legitimus Parochus rediret ad seruitium suæ parochiæ, à qua absens erat; & sic statim ipso redeunte, & declarante se promptum & paratum esse suæ Parochiæ, iuxta munus sibi iniunctum, deseruire; & illam declarationem huic Præbitero deputato intimari faciente; iste cœpit sine iure & sine titulo possidere: quia eius titulus non erat titulus, cum esset amouibilis, & deputatus ad tempus: & quatenus habuisset aliquem titulum improptium, ille fuisset extinctus per redditum,
35. & declarationem dicti veri Parochi: † unde possidens seu occupans sine titulo, verus erat intrusus. Menoch. *remed. 15. recuperand. possess. numer. 459.* cum generaliter intrusus dicatur, qui possidet sine canonico titulo. Paris. *de resignat. lib. 7. quæst. 1. num. 115.*
36. Item quia, cum duo in solidum eiusdem beneficii possessores esse non possint, & beneficium sit indiuiduum; Ludouif. *decis. 479. n. 2.* dictusque verus Parochus nunquam suum beneficium amisisset, etiam
37. stante absentia; cuius occasione † ut priuationis pœnam incurreret, requirebatur sententia declaratoria vacationis; & priuationis; debebatque ille in primis personaliter citari, & si reperiri non potuisset vocandus erat per Edictum; & post vltimū Edictum adhuc debebat expectari per sex menses; aliàs priuatio, his non obseruatis, nulla est. Mant. *decis. 12.* Barbof. *de offic. & potest. Paroch. cap. 8. num. 75.* † sed in effectu Archiepiscopus nullam pœnam priuationis huic vero Parocho indixerat, aut declarauerat: & per consequens eius beneficium non vacabat: ideo occupans dictum beneficium erat illegitimus detentor, & verus intrusus. Illustrissimus Dominus Argelus *in suo eruditissimo tractat. de legit. contradiet. quæst. 5. num. 77. & 78.*
39. Intrusus autem condemnandus est, tam ad fructus perceptos immediatè ex beneficio, quam ad perceptos ex suo labore & seruitio personali, veluti ad distributiones quotidianas, & alia similia. Gonzal. *dict. §. 7. Proœmial. num. 61. maximè in 4. limitat.* † quia debet condemnari ad fructus tam perceptos, quam ad eos quos legitimus Parochus potuisset percipere; & percepisset, si non fuisset impeditus: ut ibi Gonzal. *numer. 161. in princip.* Monet. *de distribut. quotidian. part. 1. quæst. 6. num. 17. in 4. limitat.* Marchesan. *de commission. part. 1. in tit. de commiss. appellat. ab exequit. Breuis, cap. 1. n. 152. pag. 330.*
41. Quod DD. locum habere volunt, etiam si iste verus Parochus nullam fecisset protestationem: ergo multo fortius factâ & sæpiùs repetitâ, & intimatâ illâ protestatione. Duran. *decis. 55. numer. 13.* vbi bene comprobatur, eum qui sine titulo distributiones quotidianas percepit, teneri ad illas restituendas.

Prædicta tamen sic intelligenda Dixi, ut ille deputatus ad exercendam curam animarum in absentia legitimi Parochi, non esset condemnandus ad restitutionem fructuum, & emolumentorum huiusmodi, nisi à die moræ; nempe interpellationis, & denuntiationis factæ per Parochum, qualiter paratus erat Ecclesiæ & Parochiæ suæ deseruire: tum quia absque mora, & culpa, non est locus condemnationi fructuum: tum etiam quia verus Parochus fructus illos percipere non potuisset tempore suæ absentiæ. † Quando autem tractatur de liquidatione fructuum, qui percipi poterant, non debet considerari persona detentoris; sed persona veri domini: Surd. *decis. 282. numer. 29.* & sic persona dicti veri Parochi; ut iste intrusus non condemnetur ad illos fructus, quos verus Parochus propter suam absentiam percipere non potuisset: & *decis. 270. numer. 6.* Boer. *decis. 268.*

Et ex supradictis satis explicatum videtur; An & quando Præbendæ, Distributiones, & Fructus, inter beneficia debeant recenseri.

## §. 10.

## De beneficiis nondum erectis.

1. Beneficium quantumvis destinatum fuerit per Episcopum, & Capitulum; non tamen continetur appellatione beneficii, donec actualiter fuerit erectum.
2. Quando reseruatio iuris presentandi fuit facta super beneficiis Collegiatis Ecclesiæ erigendæ, intelligi debet de beneficiis existentibus eo tempore, quo fit erectio Ecclesiæ in Collegiatam; non autem de postea fundatis longè post illam erectionem.
3. Dispositio collata ad certum tempus non potest comprehendere ea, quæ illo tempore nondum erant in esse; sed ad illa restringenda est, quæ tempore destinato extabunt.
4. Littera Pontificia de beneficiis generaliter loquentes, non sunt extendenda ad beneficia postea vacatura; sed sola tunc, nempe tempore dispositionis vacantia, dumtaxat comprehendunt.
5. Canonicis nondum existentibus, priuilegium regulariter suffragari nequit; sed de iis solis debet intelligi, qui extant tempore concessionis, seu alterius dispositionis.
6. Dispositio loquens de aliqua qualitate respectu certi subiecti, non potest verificari quoad qualitatem, nisi ratione subiecti præexistentis.
7. Ad inducendam causam formalem, necessario requiritur ut adsit materia preparata, & disposita.
8. Dispositio non potest referri ad id quod non est.
9. Reseruatio facultatis nominandi ad beneficia alicuius Ecclesiæ, non debet extendi ad illa, quæ non erant tempore in reseruatione contento; sed postea superuenerunt.
10. Patronus non potest impedire quominus aliquis construi faciat capellam in Ecclesia, quæ est de ipsius iurepatronatus: quia per talem constructionem augetur cultus diuinus.
11. Proponitur resolutio, quod si quis sibi reseruauerit nominationem beneficiorum in Ecclesia, quæ in Collegiatam erigi sperabatur; hoc debet intelligi de beneficiis dumtaxat iam fundatis tempore erectionis.

**B**eneficij appellatione non venire beneficium nondum erectum, quantumvis destinatum per Episcopum, & Capitulum; testatur Cardinal. in *Clement. final. quest. 9. de rescript.* Felin. in *cap. cum ab eo. column. 3. versic. Pro quo vide. de rescript.* Anton. Ricciul. de *jur. person. ext. Eccles. grem. existent. lib. 3. cap. 7. num. 15.* ex qua propositione non ita pridem deueni ad sequentem consultationem, cuius fundamentum præcipuum dependet ex huius propositionis veritate. Casus talis fuit.

Moniales quædam, quæ ab antiquissimo tempore, in quadam Ecclesia curam animarum per duos Parochos exerceri facere solebant; omnia iura sua duobus tunc existentibus Parochis cesserunt, cum facultate numerum Præsbyterorum augendi eisdem cessionariis per Moniales concessâ; ita tamen quod contingente vacatione tam ipsorum Præsbyterorum, quibus fiebat cessio; quàm eligendorum, seu per cessum, seu per decessum, vacatio contingeret; ius præsentationis semper ad easdem Moniales pertineat, & spectet.

Et si contingeret dictam Ecclesiam erigi in Collegium Canonorum, & aliorum Præsbyterorum, & seruitorum; in eum casum ius præsentandi Canonicos, & alias Dignitates ac Officia pertineat ad Moniales; electio verò Præsbyterorum, beneficiariorum, seruitorum pertineat ad Capitulum accedente institutione Episcopi.

Erectâ post viginti, aut triginta annos, à tempore dictæ cessionis computandos, dictâ Ecclesiâ in Collegiatam, intacto semper eisdem Monialibus remanente iure præsentandi, prout supra reseruatam fuit: Quærebatur utrùm licitum esset piis quibusdam viris, diuini cultus augmentum in illa Ecclesia procurare desiderantibus, duos in eadem Ecclesia canonicatus ex proprio patrimonio fundare, reseruato sibi ipsis iure patronatus, & præsentandi duos illos Canonicos nouæ foundationis; ita vt nullum ius præsentandi super dictis duobus nouis canonicatibus competere possit prædictis Monialibus.

Ego, re in maturam deliberationem deductâ, Censui dictas Moniales non esse fundatas in præsentatione quam habebant iuris præsentandi ad duo hæc beneficia nouiter, & longè post illarum foundationem erigenda. Quia reseruatio iuris patronatus, ac præsentandi, in ipsarum foundatione contenta, duos casus continet inuicem omninò distinctos. Primus casus est, quatenus Ecclesia remaneret in statu in quo tunc temporis reperiebatur, hoc est quod non erigeretur in Ecclesiam Collegiatam; & illo casu Moniales sibi reseruarunt ius præsentandi Præsbyteros, non quoscumque, nec qualescumque, sed eos tantum qui per dictos cessionarios eligerentur: vnde casus ille non poterat comprehendere illos, qui per tertiam & omninò separatam personam fundarentur in futurum, reseruato nouis fundatoribus iure præsentandi; cum facultas Monialium sit restricta ad eos, qui per cessionarios eligerentur. Sed hic non erat casus, de quo agendum proponebatur; quia supponimus Ecclesiam fuisse erectam in Collegiatam.

**2.** Secundus itaque noster erat casus, cum Ecclesia iam in Collegiatam fuisset erecta: in quo casu ius præsentandi reseruatam quidem fuit Monialibus, quoad Canonicos qui erant tempore erectionis in Collegiatam; non quoad futuros, & nondum fundatos: ex regula generali in initio huiusce capituli proposita. Et quia verbum *præsentandi* erat coniunctum cum verbo *erigi*, Et ita præsentatio censetur reseruata, factâ relatione ad tempus erectionis in Collegiatam: quia qualitas adiuncta verbo, debet regu-

lari & explicari secundum tempus verbi, *l. in delictis. §. si extraneus. ff. de noxalib. action. l. 1. §. tutoris. ff. quod iussu. l. Titius. & ibi Bartol. ff. de testam. milit. Roman. consil. 442 num. 2. Rot. decis. 496. num. 2. part. 1. recentior.* & omnis promissio intelligitur rebus sic stantibus, *l. continuus. §. cum quis ff. de verbor. obligat.* Vnde mutato rerum statu, & factâ nouâ Canonorum foundatione, cessabit profectò reseruatio iuris præsentandi quoad canonicatus nouæ istius foundationis.

Idque potissimum probari videtur ex eo, quod reseruatio illa iuris præsentandi, videtur facta cum verbis restrictiuis relationem habentibus ad solam erectionem Ecclesiæ in Collegiatam; vt patet ex illis verbis: *In eum casum*, qui casus cum iam à multis annis fuerit verificatus, & nullum habeat tractum temporis in futurum; sequitur † reseruationem illam iuris præsentandi, non posse suum effectum producere ratione foundationis beneficiariorum, seu canonicatum post centum annos, & vltra, à tempore erectionis in Collegiatam fundandorum. Roland. *cons. 56. num. 20. & sequent. vol. 3. Mart. de clausul. part. 3. claus. 88.*

Vnde succedit regula generalis ab initio proposita, quod quæcumque dispositio loquens de beneficiis etiam vacaturis, intelligenda est de beneficiis tunc existentibus, & iam creatis; nec extendenda ad erigenda & creanda post tempus dispositionis: text. est in *Clement. final. de rescript.* cuius hæc sunt verba: *Litteras nostras supra conferendo tibi beneficio vacaturo directas; ad beneficium post datam ipsarum creatum, statuimus non extendi.* † Ratio est, quia dispositio non potest referri ad ea, quæ tempore ipsius nullum habebant fundamentum in re; nec tunc adhuc erant in esse: *cap. ad audientiam. 5. de Eccles. adificand. ibi, cum nulli adhuc Canonici ibi existant quibus privilegium concedatur. & can. quod vero. 32. quest. 2. ibi quia nondum viua dici potest anima in eo corpore quod sensu caret.* Sicut emptio, & pactum, non trahitur ad ea quæ non sunt; & ignorantur tempore venditionis, aut pacti: *l. Rutilia. ff. de contrahend. empt. l. fratres. ff. de pæn. sic de beneficio non extante non potuit intelligi dispositio, vel reseruatio Monialium; cum non ens regulariter non possit subiici intentioni loquentis, sicut patet in teste deponente: cap. bone. 22. de elect. in 6.*

Præterea in ista reseruatione iuris præsentandi, duo sunt consideranda quæ subiiciuntur huic reseruationi; videlicet subiectum, & qualitas: subiectum, est beneficij existentia: qualitas verò est erectio. Atqui reseruatio respicit qualitatem, & non subiectum: vnde Moniales, loquendo in reseruatione de beneficio erigendo, supponunt substantiam in esse, & qualitatem in fieri: quia erigi non potest, quod non est: & sic reseruatio comprehendit solum beneficia existentia, & fundata; & foundationes iam factas, ac existentes, non autem futuras; quæ sub titulo erectionis cadere non poterant: argum. eorum quæ notantur in *l. à filio. §. 1. ff. de aliment. legat. & in l. si quis legauerit. ff. de aur. & argent. leg.*

Quod ratione euidenti probatur; quia ad inducendam formalem dispositionem, requiritur quod causa agens reperiat materiam dispositam; in quam intendit influere formam, secundum tempus operationis; aliàs frustra influeret formam in rem, quæ nondum est: *cap. bone. 36. de Election.*

Vnde reseruatio restricta ad casum erectionis, non potest imprimere suam formam nisi ad foundationes tunc existentes; nempe de tempore dictæ erectionis in Collegiatam, ad quod tempus se refert dispositio:

- sutio : & ita concludunt omnes DD. in dicta Clement. final. de rescript. Ioan. Bapt. Ferret. consil. 2. num. 5. 9. volum. 1. Seraphin. decis. 1444. num. 6. † ubi dicitur quòd referuatio facultatis nominandi , non debet comprehendere beneficia postea creata.
10. Neque audiendæ sunt Moniales , si velint se opponere aduersùs nouam hanc foundationem ; cùm per eam nullum ipsis inferatur præiudicium quoad canonicatus ab eorum nominatione dependentes ; & cultus diuinus augeatur. † Sicut in simili , Patronus non potest impedire , quin de nouo construatur capella ad augmentum cultus diuini in Ecclesia patronata. Lambertin. de iur. patronat. lib. 1. part. 1. quest. 3. artic. 17. Lezana, in summa regular. part. 3. in verb. sepultura. num. 15. alias, 16.
11. Et ex his firmata manet dicta Conclusio , quòd beneficium nõndum erectum , non comprehenditur in dispositionibus loquentibus de beneficio,

§. 11.

## De Titulo Beneficij.

1. Tituli beneficiorum nomen , vnde originem sumpsit.
2. Decretum quòd nemo sine titulo ordinetur , vnde processerit.
3. Explicatur Concil. Trident. sess. 23. cap. 6. dum vult neminem ordinandum , qui alicui Ecclesia non sit adscriptus.
4. Episcopus neminem ad sacros Ordines promouere potest , qui non habeat vnde viuere possit.
5. Episcopus promouens ad sacros ordines eum , qui non habet sufficientem Titulum beneficij , vel patrimonij ; tenetur illi de proprio providere pro alimentis & victu.
6. Vnde procedat constitutio Concilij prohibens , ne quis absque titulo promoueri possit ad sacros ordines.
7. Titulus patrimonij vel beneficij non est necessarius in eo , qui ad minores ordines vult promoueri.
8. Bona clerico in titulum patrimonij assignata non possunt vendi , aut alienari.
9. In gallia , circa alienationem patrimonij , sit distinctio quoad bona generaliter assignata , vt alienari possint ; non autem assignata in specie.
10. Siue in genere , siue in specie assignata bona in titulum Patrimonij alienari possunt ; vel non possunt , arbitrio Episcopi.
11. Bona assignata in titulum patrimonij pro alimentis clerici , non possunt alienari pro expensis causæ criminalis ipsius , non obstante eius contumacia.
12. Prohibetur etiam confiscatio bonorum in titulum patrimonij clerico assignatorum.
13. Non solum bonorum in titulum patrimonij assignatorum proprietates confiscari non potest ; sed nec etiam ipsi fructus illorum.
14. Alienare qui non potest contrahendo , multominus delinquendo alienare poterit.
15. Alimenta clerico contumaci , & fugitiuo , semper referuanda sunt.
16. Confiscatis bonis clerici ; semper debet illi referuari congrua quantitas alimentorum , ne cogatur in dedecus ordinis clericalis mendicare.
17. Donatio filio facta ad suscipiendos sacros ordines , non exigit insinuationem ex Comitatus Regulamentis requisitam.
18. Statutum seu regulamentum quamuis fuerit auctoritate Apostolica confirmatum generaliter loquens , pias causas minimè comprehendit.
19. Donationes facta causâ alimentorum , non subiacent insinuationi.
20. Donatio alicui facta , & ad tempus vite limitata , non indiget insinuatione : quia nescitur vtrum diuini sit victurus.
21. Donazione ad vitam donatarij restricta , videtur quodammodo illi solus usus fructus datus.
22. Donazione ad vitam alicui facta , eo mortuo bona remanent apud donatorem iure consolidationis.
23. De titulo patrimonij apud quos Doctores tractetur.
24. Beneficij titulus quidam verus , alius coloratus ; & qua requirantur vt titulus dicatur coloratus.
25. Titulus non sufficit quòd colorem recipiat ex post facto , sed oportet eum esse coloratum a principio.
26. Collatio facta à Vicario , licet de eius facultate non constet , prabet titulum coloratum.
27. Titulus notoriè nullus non potest dici coloratus.
28. Minor tituli color requiritur ad effectum spoliij , quàm ad effectum regula de triennali.
29. Ex titulo nullo non inducitur incompatibilitas , nec illius poena locus est.
30. Capellanas duas incompatibiles sub eodem recto possidens , non inuatur ignorantia iuris , si credidit illud sibi licitum esse , propter ordinationem fundatoris sic disponentis.
31. Titulus in beneficialibus semper producendus est in scriptis.
32. Intellige , quando agitur pro obtinenda beneficij possessione.
33. Si agatur ad consecutionem iurium , & bonorum beneficij ; non exigitur ita precisa tituli probatio , nisi ageretur de possessione recenti , vel suspecta.
34. Titulus antecessoris producendus est , quando colligans probauit alium titulum cum possessione anteriori.
35. Titulum antecessoris triennalis possessor producere non tenetur.
36. In beneficialibus , tituli multiplicatio admittitur.
37. Intellige vt hoc procedat in eo qui possidet , vel possessionem petit ; secus est in petitorio.
38. Quando duplex titulus producitur in beneficialibus , vnus produci debet subordinatè , & in subsidium.
39. Intellige secundo vt duplicis tituli productio admittatur , si gratia sint inter se diuersa , non si contrarie.
40. Titulus , & commenda sunt inter se incompatibilia.
41. Resignatio beneficij , ad cuius titulum quis ad sacros ordines admissus fuit , nulla est & inualida.
42. Quid debeat exprimi secundum dispositionem Concilij Tridentini in resignationibus beneficiorum , ad quorum titulum quis ad sacros ordines promotus est.
43. In beneficiis Gallie , ad quorum titulum quis receptus fuit ad sacros ordines ; non requiritur tanta expressio , quanta per Concilium Tridentinum est necessaria.
44. Resignatio beneficij , ad cuius titulum quis promotus est ad sacros ordines , valida declaratur in Gallia ; licet non fuerit expressum in rescripto illum fuisse sub illo titulo promotum.

45. Sufficit in Gallia, quòd promotus habeat aliunde ex quo viuere possit.
46. Resignatio beneficij, ad cuius titulum quis ad sacros ordines fuit promotus, si facta fuerit coram Ordinario, abdicat ius à resignante; quamuis hoc non fuerit expressum.
47. Resignatio hoc modo facta coram Papa, nulla est, & non abdicat ius à resignante: si verò coram Ordinario; vacat beneficium, & collatio deuoluitur ad sedem Apostolicam.
48. In permutatione beneficij, ad cuius titulum quis suscepit sacros ordines, sufficit quòd ex beneficio permutato quis viuere possit.
49. Et hoc non solum procedit in foro conscientia; sed etiam in foro exteriori obseruandum est.

- Q**uia dubitari potest de beneficiis in commendam datis, vtrum beneficia verè sint; an verò dumtaxat ea quæ dantur in titulum: conueniens visum est, vt de Titulo primùm hoc separato capere, postea verò de Commenda ageremus. † Tituli nomen teste Petr. Gregor. in *instit. rei benefic.* ab antiquo Ecclesiæ more processit, quo nemo admittebatur in clerum, nisi qui certæ Ecclesiæ esset adscriptus: vt ipse ostendit *cap. 8. dict. institut. numer. 1.* Vnde illius Ecclesiæ, & Tituli esse dicebantur, in cuius albo erant descripti: † Et inde processit quòd legitimus in Sacris Canonibus, neminem sine titulo esse ordinandum: *can. sanctorum. canon. neminem. in 1. 70. distinction.* † Vnde sequuta est constitutio sacri Concil. Trident. *sess. 23. cap. 6.* vt nemo ad sacros ordines recipiatur, qui illi Ecclesiæ, aut pio loco, pro cuius vtilitate aut necessitate assumitur, non adscribatur. † Hinc ordinatum fuit, vt non liceat Episcopis aliquem ad sacros Ordines promouere, nisi habeat vnde viuere possit: *cap. non liceat. 2. de prebend. saltem de proprio patrimonio: cap. tuis questionibus. 23. eod. tit.* Vnde processit distinctio tituli patrimonij, & tituli beneficij. † Adeo vt si Episcopus aliquem promoueat non habentem titulum sufficientem, vno ex duobus illis modis; teneatur de proprio, clerico sic promotò alimenta ministrare: *cap. Episcopus. 4. eodem tit. de prebend. & dignitat.*
6. † Hinc etiam processit constitutio dicti Concilij *sess. 21. cap. 2.* vt nemo absque sufficienti titulo beneficij, vel patrimonij ad sacros Ordines admittatur.
  7. † Quod tamen in minoribus ordinibus non procedit, ad quorum susceptionem non est necessarius titulus beneficij, vel patrimonij. *Garf. de benefic. part. 2. cap. 5. num. 4.* atque ita seruat consuetudo. Et licet multa de his duobus titulis vtilissima afferantur per Barbos. in *notis ad dictum Concil. Trident. sess. 21. cap. 2.* adeo vt hinc illa repetere superfluum esset; tamen nonnulla de vtroque non inutilia, nos quoque proferemus; quæ in praxi sæpius occurrere possunt.
  8. Et primò quidem quoad Titulum patrimonij, sciendum est quòd bona in patrimonium clerici assignata, vendi aut alienari prohibentur per constitutionem dicti Concilij *d. sess. 21. cap. 2. versic. Atque illa deinceps sine licentia Episcopi.* † Sed in Gallia hæc adhibetur distinctio, vt si res certæ in patrimonium assignatæ fuerint, alienari non possint: sed si generaliter quis ad totius patrimonij titulum absque certorum bonorum expressione sacros suscepit ordines, tunc bona particularia possunt vendi, permutari, & aliter alienari: vt testatur Petr. Gregor. in *institur. rei benefic. dict. cap. 8. num. 2. in fine.* dicens in Comitibus Aureliæ habitis *artic. 12.* sic fuisse definitum.

Ego autem existimo aduertendum esse, quòd dispositio Concilij non simpliciter prohibet bona in patrimonium constituta sacerdoti alienari; sed ita demum si id fiat sine licentia Episcopi. Vnde etiam si generaliter quis ad ordines receptus fuerit sub titulo totius patrimonij, dum procedere volet ad alicuius certæ rei alienationem, debet adhibere Episcopi licentiam; ad hoc vt videat vtrum alienanti certa bona remaneant in patrimonio alia sufficientia ad alimenta, ne in dedecus ordinis clericalis mendicare cogatur; cum cognitio patrimonij an sufficiens sit nec ne, arbitrio Episcopi remittatur. Barbos. *ad dictam sess. 21. cap. 2. num. 63.*

Et ex his Ego aliàs in facti contingentia scripsi pro quodam miseratione digno patre, qui filio patrimonium constituerat; & eum exemi à vexationibus Fiscalium, qui pro multa, & expensis litis criminalis agebant contra ipsum, eo quòd promississet filium sacerdotio initiandum alere & nutrire, quatenus non esset sufficienter de beneficio attitutus. Quæ alimenta promissa pignorabant pro suis expensis, & multa: Vnde dicti Fiscales ex autoritate & iussu Reuerendissimi Domini Vicarij illius Diocesis, visis meis rationibus, illis acquieuerunt, & à suis instantiis recesserunt.

Attento quòd patrimonium debet deseruire pro alimentis sacerdotis, ideo prohibetur eius alienatio; prohibita autem alienatione, prohibetur quoque confiscatio. *Fular. de substitution. quest. 529. num. 6. & 8.* † Vbi dicit ex communi opinione quòd ne quidem quoad fructus confiscari possunt. *Sfort. Odd. de fideic. ex prohib. alienat. resultant. quest. 32. num. 80.* † quia qui non potest alienare contrahendo, multo minus delinquendo, *l. fin. & in Authen. res que. Cod. commun. de leg. iuncta l. Imperator. ff. de fideicommiss. libertat.* Quod ipse melius comprobatur cum communi opinione *quest. 6. artic. 4. num. 61. & sequent.*

Præterea quia aut prætendebant Domini Fiscales agere ad distractionem fundorum, aut fructuum; fundi non poterant alienari, quia pater non donauerat fundos filio suo sacros ordines suscepturo; sed solum declarauerat filium suum tenere, & possidere bona in instrumento designata ad effectum alimentorum ex illis percipiendorum; donec de beneficio illi prouisum esset: fructus verò simpliciter alienari non poterant, sed ipsi filio sacerdoti pro alimentis reseruandi erant; quantumuis prætenderetur filium deliquisse, aut metu accusationis aufugisse, & ob contumaciam bonorum ipsius publicationi locum esse. *Surd. de aliment. tit. 7. quest. 36. num. 5. & 6.* † Cum aliàs generaliter publicatis bonis alicuius, non sit locus confiscationi alimentorum. *Guazzin. de confiscat. bonor. conclus. 13. limitat. 20. num. 6.* vbi alij citantur. Et in specie de clerico tradit *Diaz. in pract. crimin. canonic. cap. 132. in fin.* his verbis: *crederem iudicandum esse non solum pium, sed debitum vsu in quo dicta bona (publicata) expendi possent vel deberent, in alimentis videlicet clerici damnati, dum viueret, ne aliàs fame mori cogeretur, aut esset aliunde mendicandum pro eius sustentatione.* Et ita fuit obseruatum, nec processum ad vteriores executiones; sed fructus illos pro alimentis sacerdotis fugitiui, nonobstante bonorum omnium illius publicatione, reseruari iussit dictus Dominus Vicarius.

Ex eodem fonte procedit quòd etiam in alio casu Respondi, nempe donationem per patrem filio factam ob titulum patrimonij, pro sacris ordinibus suscipiendis, non esse suppositam regulamentis Patriæ Comitatus de insinuatione loquentibus: quia † sta-

- tutum illud, quamuis autoritate Apostolica confirmatum, pias causas minimè comprehendit. Gratian. *discept. forens. c. 782. n. 24. 25. & 26.* Iul. Clar. *in §. donatio. q. 17.* Barbof. *ad l. illud. Cod. de sacros. Eccles.*
19. Quod maximè procedit in istis donationibus, quæ ex speciali priuilegio alimentorū, pro quibus fieri solent, non subiaccunt dispositionibus requirentibus insinuationem. *Surd. de aliment. tit. 8. priuileg. 72. n. 7. & 8.*
20. Præterea donatio illa erat limitata ad tempus vitæ donatarij Præbiteri; quo casu cū incertum sit, an ipse diutius sit victurus, an breui moriturus; ratione dubij euentus vitæ, vel mortis, donatio valida est; quamuis non fuerit insinuata: *l. sancimus. §. si quis autem talem. Cod. de Donationib. Rot. decis. 292. numer. 27. part. 6. recentior.* † Verū quia donatio patrimonij erat restricta ad tempus vitæ donatarij; ideo siue vsusfructus solū illi datus fuerit, vt voluit *Rot. decis. 257. numer. 5. apud Burat. & decis. 195. numer. 3. part. 7. recentior.* siue etiam proprietatis, † quomodo-cumque res se habeat, semper bona post mortem donatarij iure consolidationis spectant ad donatorem, vel etiam ad illius hæredes, si ipse decefferit ante donatium: vt fusè, & benè *Cephal. consil. 185. per tot. maximè numer. 57. versic. Nec obstat. Io: Anton. Bellon. de iur. accresc. cap. 7. quæst. 19. numer. 138. Mart. Medic. decis. 4. numer. 14. 18. & seqq.*
21. Reliqua quæ de Titulo patrimonij in medium affert possent, optimè explicantur apud Barbof. *ad dictum Concil. Tridentin. sess. 21. cap. 2. & in tract. de potest. Episc. allegat. 19. a numer. 52.* Ideo deueniemus ad titulum beneficij.
22. Beneficij ergo Titulus duplex est, vnus verus & canonicus, alter verò coloratus. Coloratus ille dicitur, qui obtentus fuit ab eo qui conferendi potestatem habebat, sed tamen propter aliquod impedimentum aut defectum conferre impediabatur. Aut etiam si defectus procederet ex parte personæ collationem recipientis, seu etiam & Tertio si is qui conferendi potestatem habebat contulerit titulo inutili:
23. † Et titulus iste ad hoc vt dicatur coloratus debet interuenire à principio nec sufficeret color postea superueniens: ita Ranchin. *ad Guid. Pap. decis. 85. Rebuff. de pacif. possessorib. n. 42. & 43. vbi id fusius explicat.*
24. Item dicitur titulus coloratus, si collatio facta fuerit à Vicario, licet de illius facultate, & potestate non constet. *Rot. decis. 119. numer. 6. part. 1. recentior. Rebuff. loco citato.*
25. Si tamen notoriè constaret de nullitate tituli, non amplius dici posset coloratus, etiamsi procederet ab eo qui habet potestatem conferendi. *Ricc. collectan. 2804. versic. benè verum.*
26. Et notandum est quòd ad effectum spolij minor color requiritur quàm ad effectum regulæ de trienniali: nam ad hoc vt quis ex titulo colorato spoliū possit intentare, sufficit prouisio obtenta ab habente potestatem; quamuis nulla sit, aut subreptitia, aut quæ aliàs non sufficeret ad effectum regulæ de trienniali. *Ricc. collectan. 3173. versic. notabis tamen. Et Dixi lib. 1. cap. 85. numer. 73.*
27. Quòd si titulus sit nullus, aut subreptitius; adeò pro nihilo reputandus est, vt per eum non inducatur pœna introducta contra obtinentes plura beneficia incompatibilia: quia perinde est ac si nullum beneficium fuisset impetratum. Nisi tamen possessor vitium sciuerit, aut illud ignorare non debuerit. † Veluti si possessor duarum capellaniarum sub eodem recto, crediderit illas non esse incompatibiles, existimans sibi licitum esse vtramque simul capellaniam obtinere, sub eo prætextu quòd fundatrix disposuerat in suo testamento duas illas capellanias simul ob-
- tineri posse. Quia cū testatrix illud disponere contra ius non potuisset, & hæc esset crassa iuris ignorantia; iudicatum fuit illum possessorem non esse excusandū à pœna priuationis, propter illum titulum inualidum; cuius scientiam habebat, vel saltem habere debebat. *Mantic. decis. 118. numer. 16. & 17.*
- Præterea notandum est, quòd in beneficialibus titulus semper produci debet in scriptis; nec sufficit quòd probatio fiat per testes, aut alio modo quàm per scripturam. *Cod. Fabrian. lib. 1. tit. 2. definit. 83.*
- Produci autem potest titulus beneficij ad duplicem effectum: Primò, pro adeptione, vel confirmatione adeptionis beneficij; & hoc casu omninò producendus est in scriptis: iuxta illam decisionem. *Cod. Fabrian. loco citato.*
- Secundò, probatio tituli exigi potest in beneficialibus, non quidem vt agatur pro ipso beneficio; sed pro aliquibus iuribus, & pertinentiis beneficij, aut Ecclesiæ, pro quibus beneficij possessor agit; veluti pro consequenda solutione fructuum, vel pecuniarum Ecclesiæ seu beneficio debitarum; & tunc non est necessaria productio tituli in scriptis; sed sufficit solā illius præsumptiua probatio, iuncta cum possessione, imò & sola possessio, nisi ipsa esset recens, aut contra illam aliqua vrgeret præsumptio. *Ricc. collect. 889.*
- Vtrum autem producendus sit titulus antecessoris, quando collitigans produxit, & probauit titulum anteriorem, & possessionē alterius. Affirmatiuè decusum refert *Cod. Fabrian. lib. 1. tit. 3. definit. 15.*
- Sed hoc limitandum est vt locum non habeat, si antecessor istius possessoris, qui impetitur, possederit pacificè per triennium: tunc enim necesse non est illius titulum producere. *Ricc. in prax. aurea. resol. 327. & de hoc videnda sunt quæ Diximus lib. 1. cap. 85. n. 9.*
- Illud etiam in beneficialibus speciali iure constitutum est, vt quis ius suum ex duplici titulo tueri possit: quæ tamen titulorum multiplicatio non admittitur in profanis; nisi in certis casibus, quos recenset *Addit. ad Burat. decis. 926.*
- Hanc conclusionem intelligit *Felin. in c. in nostra 37. 32. n. 2. de Prabend.* vt procedat in eo qui possidet, vel possessionem petit; secus autē in eo qui agit: quia agere non potest ex diuersis titulis simul, per text. *in c. vt qui duas. de Elect. in 6. † Dummodo secundus titulus non sit primo contrarius; sed obtineatur subordinatè, & ad cautelam; nec concedatur ab inferiori illius qui primam concessionem fecit: quia hoc esset in contemptum Superioris concedentis: vt ibidem copiosius Felinus exposuit post *Calderin. consil. 7. de Election. & Geminian. in addit. ad illud consil. Calderin.* Idem etiam benè & fusè *Ricc. collectan. 2857.**
- Intelligendo tamen vt hoc verum sit quoad diuersas gratias, non autem quoad contrarias; & ideo necesse est vt vterque titulus tendat ad collationem beneficij in fauorem eiusdem personæ, & ad eundem effectum; non contrarium. Exemplum dari potest in casu, in quo Ego aliàs Consului: † nempe quis obtinuerat beneficium in titulum, deinde illud idem volebat obtinere in commendam. Dixi hæc duo esse contraria, & per adeptionem beneficij in commendam, censi renunciatum collationi in titulum: quia duo illi tituli sunt contrarij, & se inuicem compati non possunt: ex *Roman. consil. 350. n. 13. versic. quoad secundum. Felin. dict. cap. in nostra. versic. secundo intellige. Selu. de benefic. part. 3. quæst. 20. n. 5. & 6. & post illos Barbof. de iur. Eccles. vniuers. lib. 3. cap. 13. n. 212.*
- Pro coronide aduertendum est resignationem beneficij, ad cuius titulū sacerdos fuit ad sacros ordines promotus, nullam esse & inualidam; si non fuerit narratum quòd resignans sub illo titulo ad ordines ad-

- missus est Rot. *decif.* 269. n. 1. part. 2. recent. Ricc. col-  
 42. *lectan.* 1492. † Et quando talia beneficia, ad quorum  
 titulum quis sacros suscepit Ordines, possint resignari;  
 explicat Gratian. *discept.* 991. in princip. Vbi ostendit  
 in huiusmodi beneficiorum resignationibus, non solum  
 debere narrari quod resignans fuerit promotus ad illum  
 titulum; sed etiam quod habet aliunde ex quo vivere  
 possit, & quod de hoc constare debet antequam resignatio  
 admittatur: quia hoc requiritur pro forma ex d. Ipo-  
 sitione Concilij Tridentini. *loco citat.* Anton. de Marin. *lib.* 1. *resolut. cap.* 37.
43. Sed in Gallia ista Concilij constitutio nondum est  
 recepta: quia Edictum de quo mentionem facit Guenois  
 in *collatione ordinat. Reg. lib.* 1. *tit.* 4. *artic.* 2. non loquitur  
 de titulo beneficij; sed dumtaxat de titulo patrimonij,  
 ad quem quis ordinatus fuit. † Unde sapius in supremis  
 Gallie tribunalibus fuit iudicatum resignationem beneficij  
 subsistere, etiamsi in precibus narratum non fuerit,  
 resignantem fuisse ad Ordines sub titulo beneficij  
 resignati receptum. Robert. *lib.* 2. *rerum iudicat. cap.* 2. in fin. Maynard. *lib.* 7. *cap.* 83.  
*numer.* 5. & ex Ludouico Charonda Addit. ad Paris. *lib.* 3.  
 45. *de resignat. benefic. quest.* 14. in fin. † sed tamen  
 exprimi debet, aut saltem probari quod resignans habeat  
 aliunde ex quo vivere possit: vt ibidem notatur in dicta  
 Additione.
46. Sed quomocumque res se habeat, hoc certum est;  
 quod quando resignatio fit coram Ordinario, quamvis non  
 fuerit narratum resignantem sub illius beneficij titulo  
 fuisse promotum; abdicatur ius à resignante: quia tunc  
 Episcopus qui resignationem admisit, tenetur de proprio  
 prouidere resignanti de alimentis; si aliunde non habeat.  
 Paris. *dicta quest.* 14. n. 42. referens ita per sacram  
 Congregationem Concilij fuisse declaratum.
47. Sed hoc intelligendum est vt præiudicet virique,  
 tam ipsi resignanti, quam resignatario: & collatio huius  
 beneficij tanquam vacantis deuoluatur ad sedem Apostolicam.  
 Si verò resignatio facta fuerit coram Papa, ius non  
 abdicatur à resignante; quia resignatio nulla est: ita  
 docet Garf. *de benefic. part.* 2. *cap.* 5. n. 224. & sequentib. & n. 228. vbi  
 ponuntur declarationes sacræ Congregationis Concilij.
48. An autem obseruari debeat præcisè forma Concilij  
 in permutatione beneficij, ad cuius titulum permutans  
 fuit promotus: dubitari potest. Sacra Congregatio  
 Concilij declarauit omnino etiam in permutatione  
 exprimi debere, virum quis sub titulo beneficij  
 permutati ad sacros ordines fuerit promotus. Sed  
 deinde iterum declarauit præmissa non procedere,  
 quando permutans dimisso beneficio, ad cuius titulum  
 fuerat ordinatus; assecutus est pacificam possessionem  
 alterius beneficij, ad sui congruam sustentationem  
 sufficientis: vt refert Rot. apud Ludouif. *decif.* 441. n. 2.  
 & 3. Quamuis declarationem illam ad forum conscientie  
 restringere videatur Gratian. *discept. forens. cap.* 159. n. 3.  
 † At illam in utroque foro admittendam esse, post  
 alios tradit Barbof. *ad dictum cap.* 2. *seff.* 21. *Concil. Trident. num.* 32.

§. 12.

De concessione Beneficij in Commendam.

1. *Commenda nomen propriè sonat in deposito.*
2. *Hodie tamen in beneficalibus latius patet nomen Commendæ, nec simplicis depositi infar est.*
3. *Commenda aliquando datur ad utilitatem Ecclesie, & hæc non protenditur ultra sex menses.*
4. *Commenda ad utilitatem Ecclesia, lapsis sex*

- mensibus, potest prorogari ex causa ad alios sex menses.*
5. *Quandoque etiam datur Commenda ad utilitatem beneficiati, vt secularis beneficium obtineat regulare; & è contra.*
  6. *Episcopus hodie ex Concilio Tridentino non potest amplius commendare beneficia etiam ad tempus; sed solum Vicarios deputare temporales.*
  7. *Qua sit vis & potestas Commendæ perpetuæ.*
  8. *Commenda perpetua habet vim tituli canonici.*
  9. *In Commendis perpetuis locum habent regula Cancellaria, veluti regula de infirmis resignantibus, & similes.*
  10. *Hoc procedit etiam in Gallia quoad regulas Cancellaria, que ibidem sunt receptæ.*
  11. *In Commendis perpetuis locum habet regula de verisimili notitia.*
  12. *Commenda perpetua vacant per promotionem ad Episcopatum.*
  13. *In impetratione alterius beneficij debet fieri mentio de Commenda perpetua, quam impetrans obtinet.*
  14. *Commenda perpetua inducit incompatibilitatem, si alia beneficia sint incompatibilia ratione tituli sui.*
  15. *Commendatarius Prioratus curam animarum habentis tenetur promoueri intra annum, sicut verus titularis.*
  16. *Iste tamen annus si minori fuerit Commendatij beneficij, numerandus est à die legitima ætatis.*
  17. *In Commendis siue perpetuis, siue temporalibus, non habet locum regul. 8. vel 9. Cancellaria de Mensib. & Alternatiua & infra, num. 29.*
  18. *Si commendatarius Prioratus regularis emittat professionem in illa regula cui beneficium subiacet, utrum Commenda vertatur in titulum.*
  19. *Proponuntur rationes pro sententia affirmatiua.*
  20. *Commenda in Gallia vim obtinet veri, & legitimi tituli.*
  21. *Beneficio in titulum possessio nemo renunciare potest, nisi interueniente autoritate Superiorum, nec statum beneficij mutare.*
  22. *Possidens beneficium regulare in Commendam, non potest illud propria autoritate conuertere in titulum.*
  23. *Concluditur pro sententia negatiua, nempe per professionem Commendarij beneficium regulare commendatum non posse obtineri in titulum; sed vacare.*
  24. *Commendatarius antequam professionem emittat, debet nouam capere prouisionem, aliàs vacat Commenda.*
  25. *Commenda in Gallia permutari potest cum beneficio quod alius possidet in titulum.*
  26. *Idem etiam obtinet extra Galliam, contra opinionem quorundam, qua non est recipienda.*
  27. *Commendâ cessante per obitum Commendarij, vacat beneficium vt prius; id est eo modo quo vacabat antequam commendaretur.*
  28. *In Gallia tamen Commenda vacat eodem modo quo vacaret, si possideretur in titulum.*
  29. *In beneficiis commendatis, non est attendendus mensis quo moritur commendatarius; & ideo non habet in illis locum regula mensium & sup. num. 17.*
  30. *Qualitas beneficij regularis probatur, ex eo quod concessus fuerit in Commendam persona seculari.*
  31. *Per concessionem beneficij in Commendam, beneficium remanet affectum, propter appositionem*

nem manus Papa: ita ut inferior illud conferre non possit.

32. Hoc tamen locum non habet in Gallia, ubi omnes cessant reservationes in vim Concordatorum, seu Bulla Leonis X. super illis edita.
33. Commendatarius perpetuus Monasterij habet iurisdictionem in Monachos, ipse tamen coram suo iudice conueniendus est.
34. Commendatarius perpetuus tenetur ad omnia onera, sicut titularis.
35. Item habet administrationem omnium bonorum Monasterij.
36. Item liberam habet fructuum beneficij dispositionem.
37. Per generalem derogationem privilegiorum concessorum quibuslibet Superioribus Monasteriorum, censetur etiam derogatum privilegiis competentibus Abbatibus Commendatariis.

Utm beneficia quandoque in titulum, & quandoque in Commendam concedantur, ut supra dictum est; & de Titulo in præcedenti §. actum fuerit, superest ut de Commenda, nonnulla utiliora in medium afferamus.

1. Commendæ nomen licet ex sui natura videatur sonare in depositum, & commendatarius simplicis depositarij ex rigore nominis vices obtineat; cum commendare nihil aliud sit quàm deponere, *l. commendare ff. de verb. significat.* † Ex communi tamen vsu hodie Commendæ nomen latius patet in beneficialibus, quàm depositi: minoris tamen est potestatis Commenda si ad tempus, quàm si in perpetuum seu (quod idem est) ad vitam prouisi concessa fuerit.
2. † Duplici quippe modo beneficia alicui commendari possunt. Primò ad utilitatem Ecclesiæ, & hæc Commenda non potest concedi ab Episcopo nisi ad sex menses: *cap. nemo iuncta Gloss. in verb. commendare.*
3. *de Election. in 6.* † Quamuis si post finitos sex menses, vigeat eadem causa necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ; possit Commenda ad alios sex menses prorogari. Glossa, *in dicto cap. nemo. in verb. Durare.* Rebuff. *in prax. part. 1. tit. de Commend. num. 65.*
4. Secundò commendari possunt beneficia ad utilitatem prouisi, nempe ad hoc ut quis duo beneficia obtinere possit, quorum vnum sit sæculare, & aliud regulare; vnum videlicet in titulum, & aliud in Commendam; & ad alios effectus de quibus mox agemus *num. 7.* Qui omnes potius tendunt ad utilitatem beneficium obtinentis, quàm Ecclesiæ: & hæc Commenda conceditur perpetuò, idest ad vitam prouisi duratura: ut dicit Rebuff. *loco cit. in dicto titul. de Commend.*
5. Temporalem Commendam etiam hodie ad sex menses Episcopus concedere non potest, nonobstante dispositione prædicti *cap. nemo. de Election. in 6.* quia illius constitutio correctæ fuit per Sacrum Concilium Tridentinum, cuius vigore solum potest Episcopus Vicarium temporalem deputare, dum Ecclesiæ necessitas hoc requirit; seruatâ formâ eiusdem Concilij *sess. 24. cap. 18.* ut decreuit sacra Concilij Congregatio, referente Barbof. *in recollect. Apostol. decis. collectan. 187. num. 1.*
6. Commendæ secundi generis effectus, hic est; quòd non solum duo beneficia incompatibilia, nempe regulare cum sæculari simul obtineri possint; vnum in titulum, & aliud in Commendam, ut mox dictum est; sed etiam minori incapaci ad possidendum aliquod beneficium in titulum, propter defectum ætatis, possit tamen prouisi dari de tali beneficio sub nomine Commendæ, cum facultate disponendi de fructibus, & redditibus illius beneficij, & ad suos vsus con-

uertendi: ut notat Rebuff. *loco mox citat. tit. de cõmend.*

Et ista Commenda perpetua est titulus canonicus; *8. cap. Dudum. 2. de election. can. si plures. 21. quest. 1.* † Et istæ Commendæ perpetuæ veniunt sub nomine beneficij, & in dispositionibus in quibus fit mentio beneficij continentur: veluti in regulis Cancellariæ, quibus etiam commendata beneficia subiacent: vnde & in illis locum habet regula *de infirmis resignantibus*, ut notat Ludouic. Gomef. *ad dictam regulam de infirmis. quest. 13. Cod. Fabrian. lib. 1. tit. 3. definit. 4.*

Quod etiam obseruatur in Gallia, ut regula *de infirmis resignantibus*, seu *de viginti diebus* in istis Commendis locum habeat. † Item in Commendis istis perpetuis locum habet regula *de verisimili notitia* teste Gonzal. *ad regul. 8. de Mensib. gloss. 5. §. 8. num. 23.* † Et quemadmodum beneficia concessa in titulum illius qui ad Episcopatum promouetur, vacant per adeptionem Episcopatus; ita & vacant illa quæ obtinentur in Commendam. *Rot. decis. 791. num. 8. part. 1. diuers.* † Et quemadmodum impetratio beneficij nulla est, si in ea non fiat mentio beneficiorum, quæ impetrans possidet in titulum; ad notata copiosè per Felin. *in cap. in nostra. 32. de Rescript.* ita & exprimi debent illa, quæ possidentur in Commendam perpetuam, aliàs gratia nulla est. *Ricc. collect. 999. versic. Item in impetratione.* † Item ex adeptione beneficij in Commendam oritur incompatibilitas cum aliis beneficiis; quæ ex sui natura, erant iam cum hoc adepto incompatibilia. *Ricc. dicto collectan. 999. versic. Item talis.* † Et sicut is, qui beneficium habens curam animarum assequitur; tenetur si non sit Sacerdos, saltem intra annum ad sacerdotium promoueri; ita & is qui tale beneficium obtinet in Cõmendam. Rebuff. *de pacific. possess. n. 54.*

Ita tamen ut annus minori concessus ad suscipiendum sacrum Præbiteratus ordinem, in beneficio ipsi in Commendam concessio, non numeretur à die prouisionum; sed à die quo legitimæ ætatis futurus est: ut *ibidem* notat Rebuff. Atque ita iudicatum fuisse testatur Additio ad Louët, *lit. B. num. 4. in versic. Ce qui n'a lieu contre les Commendataires* † Non tamen in istis Commendis etiam perpetuis locum habet regula 8. vel 9. *de Mensibus, & Alternatiua*, ut paulò post ostendemus *num. 29.* & docet Gonzal. *ad dictam regulam gloss. 5. §. 8. num. 49.*

Sed notabile dubium quod in praxi sæpiùs occurrere potest, consistit in eo; vtrum casu quo sæcularis possidens beneficium regulare in Commendam fiat religiosus illius ordinis, sub quo est dictum beneficium regulare commendatum; tali casu Commenda vertatur in titulum: quia non potest ampliùs possideri tanquàm Commendatum, cessante videlicet Commendam per professionem regularem in illo ordine, cui subest beneficium, emissam. † Et sanè videretur primo intuitu beneficium per professionem fuisse conuersum in titulum: quia res facillè redit ad pristinam naturam, & cessante per professionem Commendam, remanet in pristino statu beneficium, nec per professionem possessor fit deterioris conditionis in beneficio ex sui natura regulari, & solis professis debito: atque ita ex superuenientia noui tituli poterat continuare pristinam possessionem eiusdem beneficij; & cessante causa depositi, seu Commendæ, incipiebat possidere iure proprij, & veri tituli beneficij regularis; cessante videlicet impedimento ex defectu personæ proueniente.

In contrariù tamen dicebatur Commendas in Gallia, vbi beneficium (de quo in hoc facto aliàs consultus fui) situm erat, non esse censendum tanquam depositum; sed vim obtinere veri, perfecti & canonici tituli, ac irreuocabilis: teste Ferrer. *ad Guid. Pap. decis.*



152. Rebuff. *in prax. dicto tit. de commend.* Louët *in sua re collect. arrest. litt. P. n. 43. & litt. R. n. 42. in Ad- rion. Cod. Fabrian. lib. 1. tit. 3. & Episc. & Cleric. defi- nit. 34. & 35. Ricc. dict. collect. 999. †* Atqui benefi- cio in titulum concessio nemo renunciare, & statum beneficij mutare potest sine autoritate Superioris:
21. Rebuff. *in dict. tit. de Commend. n. 50. †* vbi dicit reli- giosum duo beneficia possidentem; vnum in titulum & aliud in commendam regularem; non posse redu- cere in titulum illud quod possidebat in commendam
22. sine autoritate Superiorum: † Et per consequens concludendum est, illud beneficium situm in Gallia, sæculari commendatum, non conuerti in titulum; sed vacare per professionem regulare in illo ordine emi- ssam: vt notauit Louët *litt. B. n. 12. †* & ideo talis sic professus, quamuis in eodem ordine cui subiaceret be- neficium commendatum, professionem emisit; te- netur nouam capere prouisionem: aliàs beneficium vacat, & Commenda cessat per dictam professionem, quamuis alteri tanquam vacans assignari non possit; nisi post factam professionem: vt obseruat Addit. ad Louët *litt. B. dicto n. 12. in Gloss. C.*
23. Præterea dubitari potest, vtrū beneficium alicui in commendam concessum, permutari possit cum be- neficio quod ab alio possidetur in titulum? In qua difficultate licet aliqui Canonistæ negatiuam senten- tiam amplectantur; tamen affirmatiua verior est, non solum in Gallia, in qua sic vsu forensi receptum fuisse testatur Adrian. Iacqueslot, *in compend. benefic. exposit. n. 32. post Petr. Greg. quem allegat in syntagm. iur. lib. 17. cap. 17. Rebuff. in prax. tit. de commend. n. 53. †* sed etiam extra Galliam huiusmodi permutationem tituli cum commendam admittendā esse: vt tenet Federic. de Sen. *in tract. de permutat. q. 15. Petr. de Perus. in eo- dem tract. n. 9. & alij quos citat & sequitur Gonzal. ad dictam regul. 8. gloss. 5. §. 8. num. 24.*
24. Item quaeritur quomodo vacent beneficia, Com- mendā per obitum commendatarij vacante? Vera re- solutio est ex iuris dispositione per obitum commen- datarij perpetui Commendam non vacare per obi- tum; sed vacare vt prius, id est eodem modo, eodem- que vacationis genere, quo vacabat antequam com- mendaretur: ita vt redeat pristina vacatio. Cassador. *decis. 5. Incipit. Commendauerat Papa. n. 4. de privileg. Verall. decis. 144. Incip. Cōmendatū beneficium part. 1.*
25. Quod tamen locum non habet in Gallia; vbi, sicut dictum est, Commenda est loco veri tituli, eandem- que sortitur naturam, quam verus titulus: & sic in Gallia, cessante commendā, beneficium non vacat vt prius, nec resurgit antiqua vacatio; sed vacat eodem modo quo vacaret si possideretur in titulum: & mo- riente commendatario, vacat & impetrari potest tan- quā vacans per obitum huius vltimi illius beneficij commendati possessoris. Cod. Fabrian. *lib. 1. tit. 2. defi- nit. 10. Videatur Rot. decis. 141. par. 1. recēt. †* Et ex præ- dictis infertur, quod cum de iure communi beneficia commendata non vacent per obitum vltimi illorum possessoris; sed cessante commendā, vacent vt prius; non procedit in beneficiis commēdati dispositio regu- laræ Mensium & Alternatiuæ, quamuis in illis locū habeat aliæ regulæ Cancellariæ Apostolicæ, vt supra dictum fuit ex Gonzal. *gloss. 5. §. 8. n. 48.* Sicut si fami- liaris alicuius Cardinalis possideat beneficium sibi perpetuò cōmendatum, ipso moriente & per eius obi- tum cessante Commendā, non est amplius locus regu- laræ
31. *de impetrand. benef. vacan. per obit. Card.* quia non attenditur obitus istius commendatarij; sed anti- qua vacatio resurgit. Cassador. *decis. 5. de Privileg. quod aliis exemplis illustrat Gonzal. dict. §. 8. n. 50. & seqq.* Idem cum beneficiū cōmendatum vacet vt prius, non

est attendendus mensis, quo vltimus Cōmendatarius vita functus est. Cokier *ad reg. 8. Cancell. gloss. 1. n. 20.*

Hoc etiam in materia Commendæ notandum est, quod regulariter ex eo, quod beneficium fuerit com- mendatum sæculari, oritur probatio status regularis eiusdem beneficij. Rot. *decis. 201. num. 4. part. 1. recen- tior. & decis. 163. num. 1. & 8. eadem part. 1.*

Dubitari etiam potest, vtrū beneficium com- mendatum sit affectum, & reseruatum Summo Pon- tifici; ita vt nullus inferior potestatem habeat illud conferendi? Concludendū est tale beneficium per ap- positionem manus Summi Pontificis esse reseruatum, nec ab inferioribus collatoribus posse conferri: vt post multos concludit Tamburin. *de iur. Abb. par. 1. disp. 4. q. 6. n. 1. †* Quod tamen in Gallia non obseruatur; quia omnes reseruaciones sunt sublatae: vt notat Rebuff. *in prax. dict. tit. de Commend. num. 51. & 59. & habetur in Concordatis sub tit. de reseruacion.*

Vltimo loco notandum est, quod commendatarius perpetuus Monasterij habet iurisdictionem in Mona- chos; Cod. Fabrian. *lib. 1. tit. 3. definit. 34.* ipse tamen debet conueniri coram suo iudice. Idem *definit. 35.*

Et sicut talis commendatarius tenetur ad omnia onera; perinde ac si esset verus titularis, ex Tamburin. *de iur. Abb. par. 3. disp. 11. quest. 14. n. 2. & sequent.* † Ita quoque habet liberam administrationem, & iura omnia Monasterij, sicut si esset titularis; nisi qua- tenus expressè id ademptum ipsi fuerit. Rebuff. *dicto tit. de Commend. n. 6. †* & disponere potest de fructibus beneficij commendati. Garl. *de benefic. par. 4. c. 4. num. 7. †* Et per generalem derogationem factam priuilegiis concessis quibusvis Superioribus Mona- steriorum, & Ordinum; censetur etiam derogarum priuilegiis concessis commendatariis Monasteriorum: prout decusum testatur Tamburin. *de iur. Abb. par. 1. disp. 4. quest. 5. num. 6. & 7.*

### §. 13.

#### De Coadiutoribus, & Coadiutoriis.

1. Coadiutoria temporalis que sit, & quomodo finiatur.
2. Coadiutoria cum futura successione dicitur gratia præuentiua, & non fit ad solam vtilitatem Ecclesie, sicut temporalis, sed etiam ad vtilitatem prouisi.
3. Coadiutoria proprie loquendo non continetur appellatione beneficij Ecclesiastici.
4. Per coadiutoriā non acquiritur ius in re, sed ad rem.
5. Quando datur alicui coadiutor necessarius propter eius infirmitatē, aut alia de causa, non tamen ideo sui beneficij possessione priuandus est.
6. Canonicus coadiutor non dicitur verus Canonicus, sed factus.
7. Coadiutor non tenetur capere possessionem beneficij quandiu viuit coadiutor.
8. Coadiutor habet quasi possessionem officij coadiutoris, non tamen beneficij in quo coadiutor est deputatus.
9. Ex quasi possessione officij coadiutoris nihil potest inferri ad possessionem corporis beneficij.
10. Antianitas inter Canonicos non computatur à die Coadiutoria; sed à die mortis coadiutori.
11. Quamuis vna sit supplicatio, tamen due gratia in illa contineri possunt; vna videlicet coadiutoria, alia verò futura successione.
12. Si pretendatur adesse consuetudinem in Ecclesia, vt Antianitas computetur à die adeptæ possessionis officij coadiutoria, debet probari talē consuetudinem esse legitime præscriptam.

13. Mortuo coadiuto possessio coadiutoris non dicitur possessionis antiquæ continuatio, sed est possessio noua.
14. Attentare dicitur qui non continuat possessionem eodem modo; sed nouo, & penitus diuerso modo possidet.
15. Immissio coadiutori concedenda est uiuente coadiuto, non quidem ad beneficium, sed ad officium coadiutoris.
16. Coadiutus non est legitimus contradictor aduersus coadiutorem uolentem adipisci quasi possessionem officij coadiutoria.
17. Coadiutus qui semel petiit coadiutorem sub pretextu infirmitatis, non potest deinde allegare se non esse infirmum.
18. Resignatio, & coadiutoria multū inter se differunt.
19. Mortuo coadiuto beneficium non uacat per resignationem, sed per obitum.
20. Regula de publicand. resignation. non habet locum in coadiutoriis, in quibus publicatio non est faciendā: & num. 22.
21. Coadiutoria in multis similis est resignationi.
22. In controuersis inter coadiutorem, & coadiutum, semper tenor litterarum attendendus est.
23. Coadiutus tenetur suo coadiutori expensas necessarias, ex quibus uiuere possit, ministrare ex beneficij redditibus nisi aliter litteris caueatur.
24. Distributiones acquisitæ per coadiutorem debentur coadiuto. Quid iuris si coadiutor sit infirmus, uel adsit aliquod aliud impedimentum in persona coadiutoris, uel coadiuti. Ibidem.
25. Coadiutor si residere, & inseruire nolit quibus remedijs coadiutus uti possit.
26. Coadiutorias solus summus Pontifex concedere potest, non autem Legatus, uel Nuncius; nisi ad hoc specialem habuerint facultatem.
27. Quæ interuenire soleant ad facilius obtinendam gratiam coadiutoria.
28. Dum Episcopo dementi coadiutor deputandus est, debet interuenire deliberatio Capituli, in quo interueniant duæ partes Capitulantium, ex tribus.
29. In concessione coadiutoria, necesse est interuenire consensum coadiuti.
30. Inuito coadiutor dari potest in casibus in quibus beneficio priuari posset.
31. Vtrum per adeptionem beneficij incompatibilis quis censeatur renunciare tacitè coadiutoria; ita ut mortuo coadiuto, beneficium impetrari possit uti uacans per obitum.
32. Coadiutoria non inducit incompatibilitatem quoad beneficium, sed quoad retentionem duorum incompatibilium.
33. Ut incompatibilitas inducatur, necessaria est realis beneficij possessionis apprehensio, quæ non fit in coadiutoria, uiuente coadiuto. Intellige ut num. sequenti.
34. Coadiutoria expirat per mortem, aut incapacitatem coadiutoris.
35. Intellige si sit incapacitas, & inhabilitas perpetua.
36. Si coadiutor efficiatur cæcus, ita ut deseruire beneficio non possit, cessat & extinguitur coadiutoria.
37. Intellige si impedimentum superueniat ante consummatam gratiam futuræ successionis, & sic ante mortem coadiuti.
38. Gratia coadiutoria uidetur consumpta per solam illius acceptationem.
39. Gratia coadiutoria consumitur per acceptationem quoad ipsam coadiutoriam; sed gratia futuræ
40. *successionis consumitur per obitum coadiuti.*
41. Gratia Coadiutoria, & futura successionis, inter se valdè differunt.
42. Quamuis gratia coadiutoria non esset valida, tamen gratia futura successionis in suo robore subsistit, uti separata ab alia.
43. In quo consistat differentia gratiæ Coadiutoria, à gratia futura successionis.
44. Clausula hodie in litteris coadiutoriarum apponi solent ex quibus gratia futura successionis conceditur uti separata, & independens à gratia coadiutoria.
45. Effectiuatio coadiutoria non infert effectuationem futura successionis.
46. Sublatis per summum Pontificem officiorum omnium coadiutoriis nondum effectuatæ, hoc fuit explicatum de illis quæ erant in totum effectuatæ, nempe quoad gratiam futura successionis per obitum coadiuti.
47. Episcopi coadiutores quid exercere possint quoad Pontificalia, absente Coadiuto; & quæ illi obsequia per Canonicos, & alios præstanda sint.
48. Canonicus coadiutor absente coadiuto ea omnia exercere potest in Ecclesia, quæ principalis, si ibidem præsens esset. Et coadiutor unius ex dignitatibus Ecclesiæ, obtinet eundem locum quem eius principalis: quod non ita est in coadiutoribus simplicium Canonicorum. Et Canonici tenentur inseruire coadiutori in omnibus functionibus, in quibus tenebantur inseruire coadiuto quando præsens erat.

Coadiutoria duplex est; una temporalis, quæ propter impedimentum superueniens Prælato, datur ipsi seu Rectori, aut alteri beneficiato; ita ut cessante impedimento, uel adueniente morte illius cui datus fuit coadiutor, cesset & penitus extinguatur coadiutoria: de qua agitur in tit. de cleric. agror. uel debilit. Et hæc coadiutoris deputatio dicitur facta ad solam utilitatem Ecclesiæ.

Alterata est coadiutoria cum futura successione, quæ datur non solum pro utilitate Ecclesiæ, sed etiam pro utilitate prouisi: quia utilitas Ecclesiæ cessat per obitum Prælati, seu Rectoris, aut beneficiati: cum enim de alio debeat post obitum possessoris prouideri, cessat utilitas, aut necessitas Ecclesiæ; sed etiam datur pro utilitate, & ad fauorem coadiutoris, qui mortuo suo principali obtinet successionem in beneficio: quia Papa sic prouidens dicitur præuenire vacationem; & propterea hæc gratia uocatur gratia præuentiua. Cassador. decis. unic. de pact. Put. decis. 108. in princip. lib. 2.

Tamen nec temporalis coadiutoria, nec perpetua proprie appellatione beneficij continentur. Petr. Gregor. in institut. rei benefic. cap. 11. numer. 2. † quia per coadiutoriam non acquiritur ius in re, sed ad rem. Barbos. add. Concil. Trident. sess. 25. cap. 7. num. 7. Nam coadiutoria primi generis quæ propius accedit ad naturam Vicariæ temporalis, beneficium Ecclesiasticum dici non potest, cuius natura hoc requirit, ut sit perpetuum; hoc est aptum durare toto tempore uitæ possessoris: & sic si non actu, saltem habitu perpetuum. Hæc autem coadiutoria primi generis non potest dici perpetua, quæ non coadiutoris, sed coadiuti morte terminatur.

Sed nec secundi generis coadiutoria propria beneficij Ecclesiastici nomen meretur: quia cum duo simul eiusdem beneficij coadiutores esse nequeant; † Coadiutus

5. † Coadiutus autē propter infirmitatē aliūdue impedimentum, cuius occasione deputatur coadiutor, beneficio non priuatur; ne afflicto afflictio superaddatur: Gonzal. *dict. gloss. 5. §. 9. num. 32.* consequens est, vt verum beneficij nomen, & ius apud possorem coadiutum titulūque remaneat. † Qua ratione Canonicus coadiutor non verus, sed fictus Canonicus dicitur. Monet. *de optione canonic. quæst. 8. num. 143.* † Quamobrem coadiutor non debet capere possessionem beneficij, quandiu viuūt principalis; sed tantū mortuo coadiuto: nec iura consuetū solui in receptione Canonicorum, soluenda sunt per coadiutorem; nisi deficiente suo principali: (quanquam in hac ciuitate semper videtū iura ingressus solui per coadiutores, qui viuente coadiuto capiunt possessionem; quam tamen non nisi illo mortuo capere tenentur.) † Si quidem coadiutor potest quidem se dicere quasi possessorē iuris, seu officij, aut muneris coadiutoria, sed nullam potest prætere possessionem beneficij, in quo datus fuit coadiutor; & actus possessorios, quos facit, illos non facit proprio suo nomine sed nomine principalis sui, seu coadiuti. Quia alioquin sequeretur duos eiusdē beneficij eodem tēpore esse possessores, & veluti dominos, quod admitti nō debet: per *l. 3. §. ex cōrrario. ff. de acquir. possess.* vt bene ista explicat Rot. Rom. *decis. 456. per tot. part. 1. recent.* vbi dicitur † quod ex quasi possessione officij coadiutoris, nihil potest inferri ad possessionem ipsius corporis beneficij: quia viuente principali, coadiutoria nihil prodest quoad possessionem beneficij; ipso autem mortuo, cessat omninō coadiutoria quoad omnes illius effectus: ideo noua possessio tunc capi debet ipsius beneficij. † Vnde Antianitas, quæ numeratur non à die prouisionis, sed à die captæ possessionis beneficij; non debet computari nisi à tempore mortis coadiuti: † quia coadiutus capit beneficium ex gratia penitus separata à gratia coadiutoria, quamuis vtraque gratia in eadē supplicatione contineatur. † Et ideo si coadiutores prætendant per consuetudinem in Ecclesia fuisse inductum, vt ipsorum antianitas numeretur à tempore adeptæ coadiutoria; oportet vt probent talem consuetudinem fuisse legitime præscriptam, cum sit contra ius: vt dicitur in *præfata decis. 456. numer. 15.*
13. Vnde inferri potest, quod cum coadiutor, mortuo coadiuto, non continuēt antiquam possessionem; sed nouam acquirat: si illam capiat, dicitur attentare; & cessabit regula illa, *qui continuat, non attentat*: † quæ non habet locum, quando non eiusdem generis, sed diuersa est nouaque possessio quæ acquiritur. Rot. *decis. 637. num. 4. part. 1. recent.*
15. Immissio quidem coadiutori deneganda non est, viuente coadiuto; non quidem ad beneficium (sed vt mox dictum est) ad ipsum coadiutoris officium: quod licet viuente coadiuto non producat ius formatum quoad ipsum beneficium, cuius vigore capi possit possessio beneficij, parit tamen quandam statum, ad cuius status adipiscendam possessionem coadiutor capax efficitur: † ita vt neque coadiutus ipse possit sese opponere, nec dicatur legitimus contradictor ad impediendam ademptionem quasi possessionis illius status. Rot. *decis. 133. num. 1. & per tot. tam. part. 6. recentior.* † Quia cum semel sub prætextu infirmitatum, coadiutus petierit à summo Pontifice sibi de coadiutore prouideri; non potest deinde infringere dictam prouisionem coadiutoris, allegando senon esse amplius suppositum infirmitatibus: per text. in *Clement. 1. de renunciat. Rot. dict. decis. 133. num. 7.*

Mortuo autem coadiuto, beneficium non dicitur vacare per resignationem: quia aliud est resignatio, aliud est deputatio coadiutoris, etiam cum spe futurae successionis: nam per resignationem effectum sortitam, titulus abdicatur à resignante; sed per coadiutoriam non solum titulus, verum etiam possessio beneficij non abdicatur, sed vtrumque remanet apud coadiutum, durante vita ipsius: † Vnde moriente coadiuto beneficium vacat quoad ipsum per obitum. Caualer. *decis. 116. num. 5.* † Et proinde arguendi sunt timiditatis illi, qui publicari faciunt coadiutorias adinstar resignationum: quia regula *de publicandis* non habet locum nisi in beneficiis vacantibus per resignationem: vt patet ex Bulla Gregorij XIII. de super edita: hinc autem non adest alia vacatio quam per obitum. † Quod autem coadiutoria à resignatione multum differat, quamuis in aliquibus sit illi similis; ostendit Caualer. *dicta decis. 116. num. 4.* † Vnde in coadiutoriis non esse adhibendam publicationem de necessitate tradit Barbof. *ad Concil. Trident. sess. 25. capit. 7. numer. 9.* post alios quos allegat Garfias. *part. 11. capit. 3. numer. 275.* Gonzal. *gloss. 5. §. 9. num. 72.*

Quod attinet ad controuersias quæ nonnunquam oriuntur inter coadiutum, & coadiutorem; certum est in primis verba & clausulas in litteris coadiutoria adhibitas, attendendas esse. † Sed si aliud in litteris non obstat, tenetur coadiutus suo coadiutori ex redditibus beneficij ministrare expensas necessarias, ex quibus viuere possit: *cap. de Rectoribus. & ibi Barbof. num. 4. cap. tua nos. de cleric. agrot. cap. unico. eodem tit. lib. 6.* Ancharan. *consil. 279. numer. 2.* Gonzal. *gloss. 5. §. 9. num. 33.* Tusch. *tom. 1. litt. C. conclus. 402. num. 10.* Barbof. *de offic. & potest. Episc. part. 3. allegat. 63. num. 14.*

Acquisita quidem distributiones propter seruitium coadiutoris debentur coadiuto, imò & illæ quas coadiutor infirmus, aut alio iusto & legitimo impedimento detentus lucraretur, si præsens esset; nisi tamen coadiutus esset excommunicatus, aut talis qui ex proprio capite non esset dignus perceptione quotidianarum distributionum: tunc enim nec illas percipit, quamuis inseruiat per coadiutorem capacem: vt decidit Monet. in *tract. de distribut. quotidian. part. 2. quæst. 1. num. 32. 34. & 35.* vbi bene admonet semper inspiciendum esse tenorem litterarum Gonzal. *dicta gloss. 5. §. 9. num. 119.* & *sequentibus.* De hac materia videndus est copiosè tractans Garf. *de benefic. part. 4. cap. 5. num. 80. & sequent.* cum decisione per eum adducta *num. 139.*

Quod si coadiutor non resideat, & non inseruiat beneficio: tunc coadiuto dantur duo remedia: alterum est, vt coadiutus agat ad cassationem & annulationem coadiutoria; qua in re procedendum est seruatis seruandis, ad hoc vt cassatâ coadiutoria licitum sit illi alium coadiutorem habere, qui eius nomine debita diuino cultui præstet obsequia: alterum est, vt si malit agat contra coadiutorem ad id quod sua interest seruitium non fuisse præstitum. Rot. *decis. 276. num. 4. part. 1. recent.*

Coadiutorias cum futura successione solus summus Pontifex concedit, non autem inferior, nec Legatus, si id non habeat expressè in suis facultatibus; sicut nec Nuntius propter claram iuris resistentiam, & expressam Sacri Concilij Tridentini dispositionem, huiusmodi prouisiones prohibentem: vt notauit Monet. *de distribut. quotidian. part. 2. quæstion. 1. num. 33.*

Hæc sæpenumerò in huiusmodi coadiutoriarum concessione solent obseruari; nempe quod interueniant

niant litteræ commendatitiæ Episcopi, etiam quandoque per viam simplicis Epistolæ missiuæ, attestantes huiusmodi coadiutoria concessionem Ecclesiæ vtilem fore. Et si petatur coadiutoria in aliqua Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata; solent mitti litteræ, seu attestations Capituli, seu maioris partis ipsius, quamvis Episcopus non scribat: etsi nunquam etiam sine his expediatur coadiutoria, iuxta styli Cancellariæ varietatem.

29. Si tamen agatur, de deputando coadiutorem Episcopo dementi, requiritur quod interueniat consensus duarum partium ex tribus Capituli; cum in aliis sufficiat quod interueniat maior pars ipsius: *cap. unic. de cleric. agrot. in 6. sed Geminian. in dicto cap. unico*, existimat sufficere quod in conclusione, seu deliberatione capitulari, duæ partes ex tribus eiusdem Capituli interueniant: & tunc quod maior pars istorum capitulantium facit, debet sortiri effectum, tanquam factum à maiori parte Capituli: Atque ita maiorem Capituli partem sufficere, fuit decisum in *Rot. decis. 20. num. 9. part. 6. recentior.*
30. Necessè etiam est vt interueniat consensus coadiuti, ad hoc vt coadiutor illi dari possit, qui nunquam datur inuito cum futura successione. *Rot. decis. 313. num. 27. part. 7. recentior.* Et in effectu cum tempore fel. rec. Urbani VII. quidam voluissent attentare coadiutoriam cum futura successione pinguis beneficii in comitatu Venayssino, nunquam voluit summus Pontifex talem coadiutoriam, futuramque successionem inuito beneficii possessore concedere. † Si tamen adessent causæ propter quas coadiutus beneficio priuandus esset, veluti propter magnam ignorantiam, vel ob timorem dilapidationis, & imperitiam gubernandi; tunc posset summus Pontifex coadiutorem inuito dare, quæ causæ concludenter probandæ essent: quia summus Pontifex nunquam intendit iuri tertij derogare, & illis non probatis gratia esset nulla. *Rot. decis. 234. num. 7. part. 1. recentior. vsque ad finem.*
32. Pulchrum autem dubium aliàs occurrit in facto, ex eo quod coadiutor cum futura successione deputatus, adeptus fuerat beneficium incompatible cum eo, in quo coadiutor deputatus erat: ideo dubitatum fuit vtrum per adeptionem istius beneficii incompatible, tacitè censeretur renunciare iuri huius coadiutoria. † In hac quæstione verior videtur affirmatiua sententia: iuxta notata per *Garf. part. 4. cap. 5. num. 123.* Quia licet coadiutoria non inducat incompatibilitatem, vt per eam vacet beneficium prius obtentum; cum coadiutoria non possit dici beneficium ad istum effectum; tamen dicitur incompatible ad effectum illam retinendi insimul cum alio beneficio residentiam requirente; cum impossibile sit coadiutorem deseruire vtrique beneficio: & sic necesse habeat aut coadiutoriam dimittere, aut alteri beneficio incompatible renunciare: ideo nisi aliud caueatur in prouisionibus, expirat gratia coadiutoria etiam ratione futuræ successionis, & amittitur ius ad rem: vt docet idem *Garf. part. 11. cap. 5. num. 69.* Quod etiam approbat *Lotter. de re benefic. lib. 2. quest. 25. num. 11. versic. secundum tamen.* Atque ita ego aliàs in facto occurrente Consului.
34. Attamen contra prædictam conclusionem obiicitur; quod ad hoc vt beneficium vacet per adeptionem alterius incompatible, necessaria est affectio realis cum perceptione fructuum; neque sufficit verbalis: vt dicit *Mantic. decis. 75. num. 7.* Vnde cum coadiutor non fuerit affectus possessionem primi beneficii ante casum euenientem futuræ successionis,

non videtur per adeptionem secundi beneficii incompatible renunciaffe futuræ successioni; donec vigore huius gratiæ adeptus fuerit realem possessionem primi beneficii, mortuo videlicet coadiuto.

Sed ad hoc dubium respondetur coadiutoriam 35. æquè cessare per inhabilitatem coadiutoris, sicut cessat per obitum coadiuti, vel per illius translationem cum vtriusque casus eadem sit ratio: nam sicut si coadiutor efficiatur impotens, nullus est qui adiuuet; eodem modo si coadiutus moriatur, vel transferatur, nullus est qui adiuuetur: † Vnde si coadiutor efficiatur omninò inhabilis & impotens, inhabilitate, vel impotentia perpetua; cessat coadiutoria: vt decisum fuit in pulchro casu in *Rot. decis. 602. num. 3. & sequent. part. 5. recentior. tom. 2.* † Vbi fuit dictum 37. quod si coadiutor efficiatur cæcus, aut irregularis, seu aliàs incapax ad possidendum beneficia Ecclesiastica; corrumpitur futura successio; nisi coadiutoria esset effectuatata, quoad caput futuræ successionis: vt pote quia mortuus esset coadiutus: tunc enim cæcitas post mortem coadiuti superueniens non priuaret coadiutorem (qui iam principalis factus est) beneficio, in quo coadiutor deputatus fuerat. † At si impedimentum superueniret, gratiâ futuræ successionis nondum consummatâ, seu effectum sortitâ, talis gratia haberetur pro non facta, tanquam redacta ad illum casum à quo incipere non poterat: vt dicitur in *Valentina Coadiutoria 12. Ianuarij 1637. coram. R. D. Coccino*, quæ est dicta *decis. 602.*

Rursus replicatur satis videri gratiam coadiutoria 39. suum effectum fuisse sortitam, quando coadiutor adeptus est possessionem, seu quasi, officij seu muneris coadiutoris: si quidem coadiutoriam fuisse sortitam effectum, fuit aliàs declaratum, statim vbi coadiutor possidet: iuxta *consil. Oldrad. 229. num. 1.* vbi concludit gratiam esse consummatam per solam acceptationem, *Rota, decis. 246. num. 4. part. 7. recentior.*

Respondetur duas in concessione huiusmodi coadiutoriarum perpetuarum cum futura successione diuersas, & planè distinctas gratias contineri. Prima est gratia coadiutoria; secunda est gratia futuræ successionis. Prior censetur quidem effectuatata per acceptationem, & adeptionem possessionis officij coadiutoris factam per ipsum coadiutorem: sed posterior non censetur effectuatata nisi post obitum coadiuti. † 41. Duæ si quidem illæ gratiæ quantumuis in eadem sup- plicatione contentæ, adeo diuersæ sunt; vt licet prima defecerit, & coadiutoria effectum sortita non sit propter aliquod impedimentum; tamen remaneat in suo statu & efficacia posterior gratia, nempe successionis futuræ: vt dicit *Put. decis. 98. lib. 2.* † Vbi deciditur, quod licet gratia coadiutoria non fuisset valida, tum ex eo quod coadiutus non indigebat coadiutore, tum etiam quia coadiutus vita functus erat, antequam ad eum peruenisset notitia quod summus Pontifex coadiutoria gratiam concessisset; ipsa tamen futuræ successionis gratia, suum debebat sortiri effectum, & coadiutor obtinere beneficium mortuo coadiuto, vigore huius gratiæ futuræ successionis tanquam diuersæ à gratia coadiutoria; & ab ea nullo modo dependentis: imò per se subsistentis. Quod confirmatur ex notatis per *Gonzal. ad regul. 8. gloss. 5. §. 9. num. 53.* † Et ratio diuersitatis vtriusque 43. gratiæ est euidens; quia in prima prouidetur necessitati Ecclesiæ, vel coadiuti; sed in secunda, nempe futuræ successionis prouidetur utilitati coadiutoris.

Sed tamen hodie cessat ista difficultas, propter 44. clausulas quæ in huiusmodi coadiutoriarum gratiis apponi

apponi solent; nempe ut sit locus futuræ successio-  
ni in fauorem coadiutoris, etiamsi beneficium vacaf-  
set de tempore datæ, aut si ipse de tempore vacatio-  
nis coadiutoris officium exercere non cœpisset cum  
clausula *ex nunc, prout ex tunc; & à contra*: quæ  
clausulæ multo magis hoc operantur, ut gratiæ fu-  
turæ successionis per se subsistat, & operetur indepen-  
denter à gratia coadiutoriæ: ut notauit Rot. *decif.*  
*313. num. 28. & 29. part. 7. recentior.*


45. Ex quibus sequitur concludendum, quod licet  
gratia coadiutoriæ sit effectuatæ per ademptionem pos-  
sessionis Officij coadiutoris; non tamen ideo sequi-  
tur illam fuisse effectuatam quoad gratiam futuræ  
successionis, donec morte principalis hæc posterior  
gratia fuerit executioni demandata.

46. Et per has rationes dum summus Pontifex fel.  
mem. Urbanus VIII. reuocasset, & nullas declarasset  
omnes & quascumque coadiutorias officiorum, etiam  
in hoc statu Auenionensi concessas, quæ effectum  
fortitæ non fuerant; & dubitaretur vtrum illæ dicerentur  
effectuatæ, in quarum possessionem coad-  
iutores immissi fuerant; Ego cum viris doctis Con-  
sultui non dici effectuatæ coadiutorias quoad caput  
futuræ successionis illas, in quibus coadiutores non-  
dum fuerant effecti veri domini Officiorum per obi-  
tum suorum principalium: Atque ita in Vrbe iudica-  
tum & obseruatum fuit ex mente eiusdem Sanctissimi  
Domini Urbani, omnesque coadiutorias reuoca-  
tæ, exceptis illis quæ per obitum principalium iam  
plenum quoad successionem effectum fuerant forti-  
tæ. Ad quod etiam conferunt tradita per Tuschum,  
*lib. 1. comm. conclus. in verb. coadiutor, conclus. 403.*  
*num. 9.*

47. Quid verò coadiutores possint exercere, & qui-  
bus priuilegijs uti; non erit inutile scire. Et sanè si  
dati fuerint Episcopis coadiutores cum futura succes-  
sione, Ecclesiam Pontificaliter ingredi non possunt,  
nec Crucem deferri facere coram se: absente princi-  
pali, cappa uti possunt: eo verò præsentate debent de-  
ferre Mantelletum, & Rochetum; nunquam ta-  
men Mozza & Rocheto etiam absente principali  
uti possunt. Dum verò celebrant, tenentur Canoni-  
ci illis assistentiam facere: cum celebrante confessio-  
nem faciunt, & in fine Missæ solemniter benedi-  
cunt. Dum per ciuitatem incedunt, benedicere  
possunt de licentia tamen coadiuti: Obuiam ire te-  
nentur Canonici, eosque redeuntibus vsque ad ianuam  
saltem Ecclesiæ comitari, dum Pontificaliter acce-  
dunt. Indulgentias tamen non elargiuntur, nisi sub  
nomine coadiuti. Quæ omnia declarauit sacra Ri-  
tuum Congregatio 31. Ianuarij 1591. referente Cam-  
panil. *in diuersor. iur. canon. rubr. 7. cap. 6. num. 107.*  
& post eum Barbof. *in decis. Apostolic. collectan.*  
*173. qui notat num. 6. per concessionem coadiutoris*  
*Episcopum à residentia non liberari: atque ita fuisse*  
*iudicatum testatur.*

48. Quoad coadiutores autem Canonicorum, aut Di-  
gnitatum; idem Barbof. *loc. cit. collectan. 175.* multa  
notatu digna per sacræ Congregationem decisa refert,  
ex quibus hæc paucis collegimus. Primò Canonicum  
coadiutorem, quoad præminentias extra Ecclesiam,  
in absentia coadiuti censendum esse tanquam verum  
Canonicum. Secundò, absente coadiuto, illum exer-  
cere omnes functiones, quas coadiutus exerceret si  
præsentis esset. Tertio, coadiutorem dignitatis; viuen-  
te coadiuto, debere obtinere idem stallum in Cho-  
ro, locum & præminentiam sicut principalis: quod  
non habet locum in coadiutoribus Canonicorum.  
Quartò, quod Canonici tenentur inferuire coadiu-  
tori, in omnibus functionibus Canonicalibus; provt

tenentur inferuire ipsi coadiuto. Hæc præcipua  
selegimus: reliqua apud ipsum Authorem videri  
poterunt.



CAPVT II.

De Ecclesiæ, & beneficij differentia; & de  
uarijs Ecclesiarum speciebus.

§. I.

De Ecclesia Cathedrali, & Metropolitana.

1. *Ecclesia non continetur appellatione beneficij, sed constituit corpus separatum & diuersum ab ipso beneficio.*
2. *Si in aliqua dispositione fiat mentio de Prioratu alicuius Ecclesiæ, ipsa Ecclesia in eo continetur.*
3. *Facta unione Prioratus alicuius Ecclesiæ, Episcopus non priuatur suo iure conferendi alia beneficia eiusdem Ecclesiæ.*
4. *Ecclesia Cathedralis ex quibus ita nuncupetur.*
5. *Cathedraticum quod soluitur Episcopo, seu Synodaticum, quare ita dicatur.*
6. *In facienda, vel non facienda solutione Cathedralitici, inspicienda est consuetudo cuiuslibet Ecclesiæ.*
7. *Metropolitana Ecclesia est sedes Archiepiscopi; & nomina Archiepiscopi, & Metropolitanani, idem significant.*
8. *Appellatione Ecclesiæ Cathedralis non continetur Ecclesia Metropolitana, quando agitur de materia odiosa, vel stricta.*
9. *Illegitimus dispensatus ad obtinenda beneficia in Ecclesia Cathedrali, non propterea censeatur dispensatus ad illa obtinenda in Ecclesia Metropolitana.*

Ecclesia beneficij appellatione non continetur, 1.  
quia hæc constituit corpus distinctum & separatum à beneficio, quod in illa Ecclesia constitutum & erectum est: & ideo dispositio aut constitutio loquens de Ecclesia, non comprehendit beneficium in ipsa situm: † Vnde si in aliqua dispositione fiat mentio de prioratu talis Ecclesiæ, non comprehenditur in tali dispositione beneficium in illa Ecclesia situm: *cap. fin. & ibi Abb. notabil. 1. de præbend. & cap. fin. de concess. præbend. Cassador. aecif. 11. de præbend. Calderin. cons. 18. in princip. eod. tit. † Quam-* 2.  
obrem cum Papa vniuersis Ecclesiæ Castrensi, quæ erat in Diœcesi Vrbeuetana Prioratum Sancti Sepulchri; fuit declaratum per Rotam, non ex eo priuatum fuisse Diœcesanum Vrbeuetanum sua iurisdictione conferendi beneficia sita in illa Ecclesia: vt apud Duran. *decif. 14. num. 8.*

Cum autem variæ sint Ecclesiarum species, seu diuisiones; Primo loco occurrit Ecclesia Cathedralis, sic nuncupata, quia in illa est sedes, & Cathedra Episcopi; & quia illius occasione Episcopus recipit Cathedraticum. Flamin. Paris. *de confident. quæst. 15. num. 3. 4. & 5. Rebuff. in Concordat. tit. de collation. §. 1. in verb. statuimus.*

Cathedraticum verò, est portio quædam Episcopo debita in honorem Cathedræ Episcopalis, quæ aliàs Synodaticum appellatur; quia in Synodi cõgregatione præstari solebat. † in cuius quidem iuris solutione

lutione facienda, vel non facienda, attendi debet consuetudo cuiuslibet Dioceseos. Barbof. *de iur. Eccles. vniuers. lib. 3. cap. 29. à num. 1.*

7. Metropolitana verò Ecclesia sedes est Archiepiscopi: nam Archiepiscopus & Metropolitanus idem sonant. Barbof. *in dict. tract. de iur. Ecclesiast. vniuers. lib. 1. cap. 7. num. 4.*
8. Appellatione Ecclesiæ Cathedralis non continetur Metropolitana in materia odiosa, vel stricta: † Vnde illegitimus dispensatus, ad obtinenda beneficia in Ecclesia Cathedrali, non censetur dispensatus ad illa obtinenda in Ecclesia Metropolitana. Rebuff. *in Concordat. tit. de collation. §. 1. in verb. Cathedrali. & in verb. Metropolitana, in fin.*

### §. 2.

#### De Ecclesia Collegiata, & non Collegiata; & de Collegiata insigni, vel non insigni.

1. Collegiata Ecclesia que dicatur.
2. Ecclesia Collegialitas ex quibus probationibus & coniecturis resulet.
3. Trium Canonorum numerus sufficit, ad hoc ut Ecclesia erigi possit in Collegiatam.
4. Non omnes coniectura requiruntur, sed sufficiunt præcipua ad arguendam Ecclesiæ Collegialitatem.
5. Solus actus congregandi se ad sonum Campanæ, non probat Collegialitatem.
6. Item nec sola fama sufficit ad arguendum Ecclesiam esse Collegiatam.
7. Qualibet Ecclesia Cathedralis & Regularis habet pro se præsumptionem quòd sit Collegiata.
8. Collegiata Ecclesia Insignis qua dicatur.
9. Episcopus vtrum possit erigere Ecclesiam parochialem in Collegiatam? Plures referuntur pro affirmatiua sententia.
10. Hæc tamen sententia non procedit, quando Ecclesia non est competenter dotata.
11. Verius est Episcopum non posse erigere Ecclesiam parochialem in Collegiatam: sed adeundam esse sedem Apostolicam.
12. Legatus Auenionensis potest hanc erectionem in Collegiatam autorizare.
13. Collegiata Insignis ab eius erectione præcedere debet non insignis.
14. Ecclesiam parochialem antiquiorem non præferri iuniori que fuit erecta in Collegiatam; quamuis parochialis antiquior postea facta fuerit collegiata, decisum fuit per Rotam Auenionis.
15. Inter Collegiatas in pari causa præfertur antiquius Collegiata.
16. Decisio. 12. Rotæ Auenionen. Domini à Laurentiis, non fuit executioni demandata; & qua de causa.

1. Collegiata dicitur Ecclesia in qua adest multitudo personarum vnum corpus constituentium.
2. † Talis autem probatur, vel per exhibitionem fundationis, aut priuilegij, per quod in Collegiatam erigitur; vel ex signis & coniecturis Collegialitatis: veluti si Canonici pro negotiis Ecclesiæ inuicem congregari consueuerunt, & vnus sit in illa Ecclesia tanquam caput, alij verò tanquam membra. Item si habeant sigillum, & Arcam communem, quæ sunt præcipua argumenta & signa Collegialitatis Ludouic. *deci. 482. numer. 4. Mantie. decis. 175. numer. 1. & decis. 215. numer. 1. † Ad quam Collegialitatem*

sufficit numerus trium Canonorum Rot. coram Coccin. *decis. 296. numer. 4. † Nec est necessarium quòd omnes istæ coniecturæ concurrant, sed sufficit aliquas adesse ex quibus verisimiliter arguatur Collegialitas. Mantie. dicta decis. 215. numer. 5. versic. neque etiam. † Solus tamen actus congregandi se ad sonum campanæ, non probat concludenter Ecclesiam esse Collegiatam. Addent. ad Ludouic. dicta decis. 482. † sicuti nec sola fama; cum veritas probari possit per certas probationes: vt dicit Addit. ad Ludouic. dicta decis. 482. ex qua desumpta sunt illa quæ tradit Addit. ad Burat. *decis. 455. numer. 5. ad quas dum casus eueuiet recurrendum est.**

Cæterum omnis Ecclesia Cathedralis & Regularis præsumptionem habet Collegialitatis. Caualer. *decis. 649. n. 5. Coccin. decis. 259. numer. 4.*

Inter Collegiatas Ecclesias aliquæ dicuntur Insignes Collegiatae, aliæ verò non insignes. Insignes sunt quæ pro talibus habentur secundum communem hominum existimationem, & ex iudicis arbitrio dependet iudicare, vtrum Ecclesia Collegiata sit Insignis, an non; Mantie. *decis. 175. numer. 2. post Alberic. in dictionar. in verb. Insignis. DD. in cap. statutum. de Rescript. in 6.*

An autem Episcopus Ecclesiam parochialem erigere possit in Collegiatam, fuit aliàs dubitatum. Affirmatiuam sententiam tenuerunt Abb. Ant. Buttrius, Panormitan. Io. Andræas, & Inola quos sequitur Gambar. *de potest. Legat. lib. 5. tit. de potest. Legat. in erigend. nou. benefic. numer. 20. fol. mihi 137. † Quod locum habere vult, dummodo Ecclesia dotem habeat competentem. Monet. de commutat. vltim. volunt. cap. 11. numer. 328. Reprehendens Azor. contrarium sententem, & fuscè hanc sententiã comprobans post Rebuff. in praxi, tit. de Erection. in Collegiatam. quamquam in fine in versic. Quidquid autem dicat extate mortui proprium Clementis VIII. in quo decretum fuit, ne liceat de cætero Episcopis erigere Ecclesiam Parochialem in Collegiatam.*

Sed tamen Episcopum non posse Parochialem Ecclesiam erigere in Collegiatam; imò adhibendam esse auctoritatem summi Pontificis, seu sedis Apostolicæ, tenuerunt alij plures; nempe Barbof. *de iur. Ecclesiast. vniuers. lib. 2. cap. 6. numer. 1. post Rebuff. Fusch. Mallobr. & alios. Et aliàs ego Consului pro hac sententia, circa erectionem Parochialis cuiusdam Ecclesiæ præsentis Ciuitatis factam auctoritate Archiepiscopi in Collegiatam: attentã maximè declaratione factã pro hac sententia per sacram Congregationem super Concilium 27. Iunij 1626. relatã per Lotter. de re beneficiar. lib. 1. cap. 14. numer. 49. Quidquid in contrarium dixerit Garf. de benefic. part. 12. cap. 5. numer. vlt. † Et ideo dum casus occurreret semper recurrendum est ad summum Pontificem, vel ad Legationem; cum Legatus ex suis facultatibus, & de iure, hoc facere possit: ex notat. per Gambar. dicto lib. 5. numer. 29. sub. tit. de potest. Legat. in erigend. nou. benefic. fol. 137.*

Cæterum dicta quæstio de Collegiata Insigni, vel non insigni, inutilis non est: maximè quia Ecclesia Collegiata Insignis ab eius erectione præcedit alias antiquiores non insignes: vt censuit sacra Rituum Congregatio in vna Firmana die 24. Martij. 1612. † Et quod Ecclesia Parochialis antiquior non præferatur iuniori Collegiatae, quamuis Parochialis postea efficeretur Collegiata, fuit decisum in Rota Auenionen. Quia Collegiatae sunt digniores Parochialibus: *cap. licet canon; & cap. statutum. de Election. in 6. † Et sic prius Collegiata tanquam antiquior præferenda est posteriori Collegiatae: vt patet*

16. in decis. 12. Domini à Laurentiis. † Sed est notandum quòd quidquid dictum fuerit in illa decisione, contrarium tamen fuit obseruatum, & obtentum: quia Ecclesia Sancti Genesij hodie præcedit, & præcedere consuevit Ecclesiã sanctæ Mariæ Magdalena, quæ quindecim annis ante Ecclesiam Sancti Genesij erecta fuerat in Collegiatam: quod forsan fieri potuit ex eo, quòd erectio facta fuerat cum clausula *sine preiudicio alterius*; vt in dicta decis. num. 6.

§. 3.

De Ecclesia Parochiali, vel non Parochiali.

1. Ecclesia non præsumitur Parochialis nisi probetur.
2. Beneficium non præsumitur curatum, quando non habet populum, vel clericum.
3. Beneficia simplicia quadam sunt seruitoria, alia non seruitoria.
4. Cura animarum duplex est; vna iurisdictionalis, alia pœnitentialis: & in quo consistat cura iurisdictionalis.
5. Cura pœnitentialis non competit omnibus qui ligare possunt, & absolueri in foro interiori; sed dumtaxat illis qui habent populum sibi commissum.
6. Cura animarum si sit temporalis, & non perpetua; Ecclesia non potest dici Parochialis.
7. Natura beneficij curati non mutatur, quamuis Rector voluntariè Sacramenta ministraverit.
8. Cura duplex est, quedam actualis, alia habitualis.
9. Habitualis cura ea dicitur, quæ competit Parocho quando populus recessit.
10. Cura habitualis mentio in impetratione fieri non debet, præterquam in Gallia.
11. Qualitas beneficij curati actu, omninò exprimenda est in impetratione, aliàs gratia est nulla.
12. Si fuerit narratum beneficium esse curatum, cum tamen non esset tale, vtrum gratia sit nulla propter falsam expressionem.
13. Narrativa maioris qualitatis non irritat gratiam, nec nocet impetranti.
14. Si non constet falsam expressionem cura dolo fuisse factam, verius est ea non obstante gratiam esse validam.
15. Expenditur decisio 73. Rota Romana sub titulo de rescript. in antiquis. contra sententiam Menoch. de arbitrar. cal. 201. num. 62.
16. Quando in vno rescripto due diuersa gratie continentur, de vtraque gratia diuersimodè iudicium ferendum est.
17. Qualitas beneficij curati, sufficit quòd exprimitur in impetratione per equipollens.
18. Expenditur text. in Clement. 1. versic. Quamquam. de rescript.
19. Quando in impetratione apposita fuit clausula, cum cura, vel sine cura; expressio sufficienter facta est.
20. Prouisio per errorem facta de beneficio tanquam curato, corroborari potest, agnito errore, per secundam prouisionem factam tanquam de simplici.
21. Ecclesia Parochialis tota materia per quos Doctores explicetur.

quæ tamen talis non præsumitur, nisi probetur. Rot. decis. 233. num. 4. part. 1. recentior. † Et generale est; vt nullum beneficium præsumatur curatum, nisi sub se habeat populum, vel clericum. Pacian. de probat. lib. 2. cap. 32. num. 17. post Bellamer. decis. 676. Staphil. de liter. grat. rubric. de qualitat. & stat. benefic. in princip. Rebuff. in prax. tit. quotuplex sit benefic. num. 11. versic. Nota quod de iure. Et sic patet quòd quodlibet beneficium præsumitur simplex, & non curatum. † Quanquam inter beneficia simplicia, alia debeat adhiberi distinctio; vt aliqua sint merè simplicia, alia verò simplicia seruitoria: veluti quando habent aliquod onus annexum, vt celebrandi Missam, vel iuuandi Præsbyterum curatum in canendo, & aliis similibus: argum. cap. significatum. extr. de præbend. Staphil. in tit. de qualitat. & stat. benefic. num. 3. fol. mibi. 81.

Cura autem duplex est; vna iurisdictionalis, alia pœnitentialis. Iurisdictionalis competit illis, qui habent ius correctionis, punitionis, interdicti, & visitationis in iis, quæ ad morum correctionem pertinent; quales sunt Præpositi, Decani, Archidiaconi, & similes secundum denominationem & consuetudinem cuiuslibet Ecclesiæ: & hæc est improprie cura. † Alia verò cura proprie sumpta, Pœnitentialis est, quæ consistit in potestate ligandi & soluendi in foro interiori: non quòd omnes habentes istam potestatem, sint curati; cum multi Sacerdotes habeant potestatem ligandi & soluendi, & confessiones audiendi, qui tamen non sunt curati; sed ita vt intelligatur de cura & potestate illa, quæ exercetur in populo ad id sibi commissio: vt bene explicat Pacian. in dicto cap. 32. num. 6. † Quod etiam intelligendum est de cura animarum perpetua, non autem de temporali: quia si cura animarum non sit perpetua, beneficium non potest dici curatum, neque Ecclesia nuncupari potest Parochialis. Pacian. dict. cap. 32. num. 12. versic. quæ quidem.

Non tamen alteratur, aut mutatur qualitas & natura beneficij curati, quamuis Rector illius Ecclesiæ voluntariè, & ex pietate aliquandò Sacramenta administraverit; nisi probetur quòd illud fecerit tanquam ex obligatione, vel quòd recipientes Sacramenta, illuc accedere cogerentur. Clement. Dudum. in verb. impendant. vbi Gloss. de sepultur. & ibid. Imol. post num. 32. versic. ad hoc facit ratio. & Ancharan. num. 20. Abb. in cap. de multa. sub num. 24. versic. Adde vnã gloss. De præbend.

Rursus duplex est cura; vna actualis, alia habitualis. Actualis cura dicitur illa, quæ actu populum habet, in quem exercetur cura animarum. † Habitualis verò dicitur illa, quæ populum non habet actu; sed habere potest: attamen si illum habeat, tenetur curam animarum suscipere, & populo Sacramenta administrare. Veluti si villa in qua plures erant parochiani fuerit destructa; tunc enim Parochus illius loci non habebit curam actualem: quia deficit subiectum, in quo cura exerceatur; sed habebit habituales: quia si populus rediret, & locus fieret populosus, onus administrationis Sacramentorum actualiter spectaret ad Parochum: & sic ex cura habituali fieret actualis.

Et de ista cura habituali fuit aliàs dubitatum, vt vtrum in impetratione beneficiorum, aut vnione ipsorum, necessariò faciendã esset mentio huius qualitatis curæ habitualis; adeo vt, non factã mentione illius, gratia esset nulla? Quæ quæstio fuit per nos decisã lib. 1. cap. 27. num. 40. & 41. vbi ostendimus secundum vsus Gallia qualitatem istam curæ habitualis omninò exprimendam esse in impetratione; aliàs

Nunc oportune agendum est de Ecclesia Parochiali, seu curam animarum annexam habente;

aliàs gratiam esse nullam : quanquam extra Galliam, contraria sententia prævaleret: propter auctoritatem Doctorum ibi allegatorum.

11. In genere tamen indubitatum est, qualitatem beneficij curati actu, omninò in impetratione exprimendam esse : ex traditis per Felin. *in cap. in nostra. 32. in decimo corollar. de rescript. Ioan. de Selu. in tract. de benefic. lib. 3. quest. 11. num. 2.*
12. Si verò fuerit narratum beneficium habere annexum onus curæ animarum, cum tamen in rei veritate esset beneficium simplex, & sine cura; impetrationem nullam esse, & gratiam obreptitiam existimavit Menoch. *de Arbitrar. cas. 201. numer. 62. in fin. rationem reddens* : quia Papa dicitur motus ad concedendam hanc gratiam, vt melius saluti animarum consuleretur : & per consequens cessante illa causa concessionis, ipsa quoque gratia cessare debet.
13. Sed hæc Menochij sententia non transit sine difficultate; imò videtur concludendum impetrationem beneficij validam esse, quamuis per errorem narratum fuerit illud habere curam animarum annexam; cum tamen non haberet : quia qualitas expressa beneficij curati talis est, quæ difficiliorem reddit summum Pontificem, qui sine dubio facilius fuisset in prouidendo; si narratum fuisset, beneficium esse simplex, & sine cura; cum maior capacitas requiratur in beneficio curato, quàm in simplici : vnde narratiua illius maioris qualitatis non videtur nocere impetranti, nec gratiam vitare : ex notatis per Felin. *in cap. super litteris, numer. 8. de Rescript. Seraphin. decis. 653. numer. 5. & decis. 1199. numer. 3. Put. decis. 17. lib. 3.*
14. Ego sanè hanc posteriorem sententiam aduersus Menochium veriore esse existimo; cum hac tamen distinctione : aut enim constat de certo corpore beneficij, ita vt appareat narratiuam illam beneficij curati absque dolo fuisse factam : & tunc falsa demonstratio, seu narratiua illius qualitatis non nocet; quantumuis falsum narratum fuerit : aut verò non constat de certo corpore beneficij, & falsa illa narratio facta fuit per dolum : & tunc nocet impetranti : & hæc est distinctio quam affert Rot. Romana *decis. 4. de Rescript. in antiquis.*
15. Neque *decisio 73.* eiusdem Rotæ *sub eodem tit. in Antiq.* qua niritur Menoch. *dict. cas. 201. num. 62.* aliquid concludit in contrarium : imò potius Rota *ibid.* videtur residere in hac sententia pro validitate gratiæ, non obstante falsa expressione qualitatis curæ animarum; cum hanc sententiam vltimo loco ponat, dicens, quòd ex quo Papa concessit de qualitate maiori, multo fortius videtur voluisse concedere de minori.
16. Vnde in casu occurrenti; cum ageretur de prouisionibus factis per Papam de quodam Prioratu Ordinis Sancti Benedicti in Commendam perpetuam ex causa resignationis; quamuis negari non posset qualitatem beneficij curati omninò esse exprimendam, aliàs prouisiones esse nullas; vt vltra prædicta probatur per text. *in cap. cum in illa. de Præbend. in 6. & Clement. 1. eod. tit.* Tamen sufficienter narrata erat illa qualitas, ex eo quòd in rescripto Pontificio dabatur prouiso facultas retinendi beneficium incompatible cum cura; quòd beneficium prouisus prius obtinebat, & hoc quatenus Prioratus impetratus sine cura existeret, & personalem residentiam non requireret: si verò residentiam requireret, aut curam animarum annexam haberet, fuit adhibitum decretum quòd dictus orator habita possessione huiusmodi prioratus, seu si per eum steterit quo minus illam assequa-

tur intra duos menses ex tunc proximos, dictam Ecclesiam dimittere omninò teneatur; alioquin tam dicta Ecclesia quàm prædictus Prioratus, eo ipso vacent. In quo Decreto & verbis dispositiuis dictæ prouisionis, constat distinguendas esse duas diuersas gratias: prout distinxit Ancharan. *in Clement. 1. de Præbend. numer. 1.*

Prima est gratia quæ concernit prouisionem beneficij: secunda verò concernit facultatem retinendi eodem tempore duo beneficia iucompatibilia; aut saltem quæ talia præsupponebantur. Secundam gratiam summus Pontifex denegauit absolutè, casu quo Prioratus impetratus haberet annexam curam animarum, & requireret residentiam. Sed primam gratiam concessit vtroque casu, cum constet Sanctitatem suam voluisse quòd prouiso suum fortiretur effectum, tam in vno quàm in alio casu, & siue beneficium curam annexam haberet animarum, siue esset sine cura. Dispensationem verò super pluralitate beneficiorum noluisse concedere, nisi in vnum casum tantum; videlicet quatenus beneficium esset sine cura; & sic factis sufficienter dicitur expressa qualitas illa beneficij curati: † cum aliàs sufficiat de illa qualitate expressionem fieri per æquipollens: vt dicit Addit. ad Ludouic. *decis. 450. n. 9. & Cassador. decis. 12. de Præbend. num. 6. Theodof. Rub. in not. ad dict. decis. Cassadori, fol. 291. Lotter. de re beneficiar. lib. 3. quest. 3. num. 33.* Multò igitur fortius hoc debet habere locum in casu isto, in quo mentio curæ facta fuit verbis expressis.

Neque obstat text. *in dict. Clement. 1. versic. Quamquam. de Rescript.* vbi dicitur quòd si de animarum cura non fuerit facta mentio in impetratione, gratia tanquam subreptitia nullius penitus est momenti; quamuis confectis super ea litteris sit insertum, quòd animarum cura, si quæ beneficiis obtentis aut impetratis imminet, nullatenus negligatur: ex quo textu videtur colligi quòd expressio qualitatis beneficij curati debet fieri per verba dispositiua, nec sufficit illam fieri per verba conditionalia.

Siquidem Responderetur casum dictæ Clementinæ multis differre à casu proposito. Primò, quia in casu dictæ Clementinæ duo aderant impedimenta: primum, quia agebatur de duabus dignitatibus: secundum quia agebatur de beneficio curato, & incompatible; & ideo mirum non est si in casu illo maior requirebatur expressio.

Secundò, quia in casu dictæ Clementinæ agebatur de validitate dispensationis; & ideo strictior fiebat interpretatio: sed in casu proposito tractatur de validitate prouisionis, quæ fauorabilior est dispensatione.

Tertiò, quia magna est differentia inter clausulam, de qua in dicto textu; & illam quæ adhibita fuit in casu proposito: nam sicut dicit *ibi Gloss. in verb. animarum cura.* Clausula illa quòd *cura animarum, si dignitatibus ipsis, vel alteri earum imminet, nullatenus negligatur*: sonat in monitionem; sed illa de qua agitur facta fuit per viam decreti: & per consequens cum cognitione causæ; vt patet ex illis verbis: *Et cum decreto quòd dictus Orator, &c.* † Et sic perinde est ac si apposita fuisset alia similis clausula, *cum cura, vel sine cura*: de qua per Staphil. *in 9. forma expectatiuar. num. 30.* vbi dicitur clausulam illam habere vim sufficientis expressionis curæ animarum in impetratione beneficij requisitæ.

Et ex his Consului dictas prouisiones esse validas, & qualitatem beneficij curati fuisse sufficienter expressam.

Sed maius dubium esse videtur, verum si quis prouisus fuerit per errorem de aliquo beneficio tanquam curato, postea verò, agnito errore, de eodem prouisus



uisus fuerit tanquam de simplici : vtrum secunda prouisio sit valida in præiudicium tertij, qui intermedio tempore impetrauit beneficium tanquam vacans ob falsam expressionem? Sed huius dubij resolutio pendet ex iis quæ superius dicta sunt; nempe prouisionem esse validam; quamuis beneficium esset simplex, & fuerit expressum illud esse curatum, si talis expressio facta fuerit per errorem & sine dolo; & aliunde constet de corpore beneficij: vnde intermedio tempore non potest dici ius quæsitum impetranti, cui (vt supra dictum est) expressio grauioris qualitatis nocere non debet: atque ita respondit Monald. *consil. 5. num. 12.*

21. Cætera quæ ad materiã beneficij curati pertinent, videri poterunt apud Gonzal. *super regul. 8. glos. 6. per tot. & Barbos. de offic. & potest. Parochi. cap. 1. per tot.*

§. 4.

De Ecclesia patrimoniali.

1. Ecclesia patrimonialis qua dicatur, & qui sint filij patrimoniales.
2. Si quis impetret beneficium patrimoniale à summo Pontifice, neque exprimat qualitatem illam quod sit patrimoniale, gratia est nulla.

1. Considerari etiam potest qualitas Ecclesiæ patrimonialis; nempe quando ex fundatione vel priuilegio, aut legitima concessione beneficia conferri non possunt aliis quam originariis certi loci, vel oppidi seu Parochiæ; qui nuncupantur filij naturales, & patrimoniales: de quibus Cassador. *decis. 18. num. 1. de præbend. Couarruu. præst. quæst. cap. 36. num. 3. & de iis agit in Concil. Trident. sess. 24. cap. 18. Gonzal. ad regul. 8. gloss. 9. §. 1. num. 10. & 11.*

2. Et si quis impetret à Papa beneficium patrimoniale, nullã factã mentione huius qualitatis; impetratio est nulla, & subreptitia. *Gloss. in Clement. 2. de præbend. Geminian. & alij in cap. 2. eod. tit. Felin. in cap. in nostra. 32. de rescript. num. 39.*

§. 5.

De Ecclesia receptiua, seu non numerata.

1. Ecclesia receptiua, & non numerata qua dicitur.
2. In Ecclesiis receptiuis & patrimonialibus, si Parochiales sint, prouisio debet fieri per concursum iuxta Concilium Trident.
3. In Ecclesiis receptiuis numerus Præbyterorum incertus est; & aliquando crescit, aliquando verò decrescit.
4. Ecclesia non numerata beneficia non possunt impetrari, aut saltem expressa mentio huius qualitatis summo Pontifici facienda est.

1. Vnt etiam aliquæ Ecclesiæ quæ Receptiue dicuntur, seu non numeratæ; † in quibus, si Parochiales sint, & curam animarum annexam habeant; examen debet fieri per concursum ex dispositione Concilij Tridentini, *sess. 24. de reformat. cap. 18.* in illis verbis: *etiam in Ecclesiis patrimonialibus, seu Receptiuis nuncupatis, in quibus consuevit Episcopus vni vel pluribus curam animarum dare, quos omnes ad infra scriptum examen teneri mandat.*

Dicuntur autem Ecclesiæ Receptiue, seu non numeratæ illæ in quibus nullus adest certus & definitus numerus Præbyterorum, seu beneficiatorum; quales sunt multis in locis, & aliquæ similes intra Co-

mitatam Venaissinum, in quibus filij patrimoniales seu originarij ad libitum admittuntur; neque ad aliquam personalem residentiam adstringuntur: sed possunt liberè recedere & accedere, † illorumque 3. numerus aliquando crescit, aliquando decrescit: de quibus Mantica. *decis. 229.* & ideo dum tales moriuntur, non dicitur vacare beneficium; sed desinere: & per consequens beneficia Ecclesiæ receptiue impetrari non possunt: vt dicit Bald. *conf. 472. in causa Prioris. volum. 2.* † qui voluit, quod si quis impetret 4. præbendam vacantem per mortem alicuius in Ecclesia non numerata, seu non habente certam quantitatem, vel numerum præbiterorum, non est audiendus; aut saltem quod tenetur facere mentionem de huiusmodi qualitate: & necesse est quod interueniat derogatio illius qualitatis expressis verbis, quia non est verisimile quod summus Pontifex, vel Legatus voluerit sine causa mutare, & interuertere statum Ecclesiæ.

§. 6.

De Ecclesia Monoculari.

1. Beneficium dicitur Monoculare, seu Ecclesia Monocularis, cuius collatio ad eum spectat qui vnus tantum beneficij conferendi ius habet.
2. Impetrans tenetur exprim. re qualitatem Ecclesiæ Monocularis.
3. Quod maximè procedit, si agatur de vnione dignitatis Monocularis.
4. Monocularis dignitatis ratio non habetur, quando in Ecclesia adsunt alia beneficia vltra illam dignitatem.
5. Beneficia Monocularia Regiis nominationibus non subiacent.
6. In Gallia dum computantur beneficia ad dignoscendã qualitatem Monocularem, habetur etiam ratio beneficiorum extra Galliam sitorum.

1. Monocula seu Monocularis dicitur Ecclesia seu beneficium, cuius collatio ad eum pertinet, qui illius dumtaxat & non alterius beneficij conferendi potestatem habet: de cuius beneficij concessione loquitur Felin. *in cap. in nostra. 32. in corollar. 23. de rescript.* † vbi dicit impetrantem beneficia huius generis omnino teneri mentionem facere de ista qualitate beneficij Monocularis: quia per generalẽ dispositionem Papa non censetur derogare huic iuri; ne collatorem, qui vnicã dumtaxat collationem habet, quasi vnicum oculum; lumine suo priuare videatur.

Sicut quando est dignitas Monocularis, si agatur de vnione illius, necesse est fieri mentionem huius qualitatis: cum Papa non soleat vnicam dignitatem in Ecclesiis tollere: iuxta tradita per Imol. *in Clement. 1. de rescript. num. 20.* † Sed tamen quando 4. vltra dignitatem Monocularem adsunt in Ecclesia alia beneficia; tunc qualitas Monocularitatis non habetur in consideratione: vt fuit decisum per Rot. apud Garf. *de benef. part. 5. cap. 1. num. 258.* vt refert Addit. ad Ludouif. *decis. 450. num. 7. & 12.*

Vnde etiam huiusmodi beneficia Monocularia Regiis nominationibus non subiiciuntur: vt probat Rebuff. *in tractat. Nominat. quæst. 15. n. 50. & seqq.* † vbi tamen dicit quod si quis vnum tantum beneficium habeat in Regno & plura extra regnum; ita vt beneficium quod est in Regno, videatur Monoculum; nihilominus tamen Regia nominatio locum habebit: quia beneficium regni non censetur Monoculum; & cumulanda


cumulanda sunt in numero omnia beneficia etiam extra regnum sita: si enim esset Monoculum, Regia nominatio locum non haberet: vt mox dictum est.

## §. 7.

## De beneficiis, seu Ecclesiis Consistorialibus.

1. Beneficia consistorialia dicuntur illa, quorum prouisio fit in Consistorio summi Pontificis.
  2. Proponitur praxis & forma procedendi in prouisionibus beneficiorum consistorialium.
  3. In beneficiis consistorialibus Gallia, non sufficit simplex signatura; sed praeterea exigitur confectio Bullarum.
  4. In beneficiis, quorum prouisiones consistorialiter fieri solent, non habet locum regula de publicandis resignationibus.
  5. Ius deuoluti non habet locum in beneficiis consistorialibus; nec in aliis solius summi Pontificis dispositioni reseruatis.
1. Consistorialis Ecclesia seu beneficiū dicitur, cuius expeditiones fiunt in Curia Romana in Consistorio: quales sunt Episcopatus, quorum publicatio & praconizatio consistorialiter fieri debet: vt dixi lib. 1. cap. 33. num. 2.
  2. Haec autem est forma procedendi in huiusmodi beneficiis iuxta constitutionem Pauli IV. vt scilicet sollicitator vel procurator, qui recepit expeditiones ex Gallia, videlicet Mandatum ad resignandum ex Breue nominationis Regiae factae in consequentiam talis mandati, illas deferat ad Regium Ambasciatorem qui praesentatā Sanctitati suae nominatione, si nominatus summo Pontifici gratus fuerit, conceditur ab ipso facultas prouisiones & expeditiones prosequendi: & tunc Ambasciator propria manu scribit, Expediatur super litteris Regiae nominationis: ad cuius expeditionis obtentionē remittitur in manus Cardinalis Protectoris, aut alterius deputati informatio de vita & moribus, & instrumentum professionis fidei, vnā cum aliis actis necessariis, quae videntur per tres Cardinales qui sint caput Ordinum: & si nominatus reperitur capax, tunc praconizatur per Cardinalem Protectorem Ecclesiarum in Consistorio in praesentia summi Pontificis, & Cardinalium: factaque praconizatione, procurator seu sollicitator praestat obligationē in manus Cardinalis proponentis pro sumptibus necessariis, & in proximo Consistorio fit per eundem Cardinalem propositio; super qua, prouisionibus concessis, idem Cardinalis qui propositionē fecit, conficit schedulam nuncupatam Consistorialem, continentem prouisionem factam per summum Pontificem, quam mittit ad Vicecancellariū; & super ipsa conficitur alia per eundem Vicecancellariū, super qua in Dataria fit expeditio Bullarū. Sed quando ipse summus Pontifex proponere vult in Consistorio, non est opus huiusdi formalitatibus; sed ipse summus Pontifex proponendo, prouidet & dispensat: vt optimē explicat Addit. ad Louēt, litt. B. num. 13.
  3. Vnde patet quodd in istis beneficiis consistorialibus, non sufficit sola signatura; sed debent interuenire Bullae: cum tamen in aliis minoribus beneficiis Galliae, sola signatura sufficiat: vt alio loco ostensum fuit.
  4. Vnde etiā infertur quodd licet regula de publicandis resignat. recepta sit in Gallia; tamen in maioribus istis & Consistorialibus beneficiis, publicatio necessaria non est: cum interuentus sacri Consistorij, in quo admittitur resignatio, & collatio fit; satis suppleat istarum solemnitarum defectum: vt dicit Rebuff. in praxi part. 3. ad regul. de publicand. resignat. in fin gloss. 1.

Similiter licet beneficiorum collatio iure deuoluti deferatur ad summū Pontificem; tamen hoc non habet locum in istis beneficiis consistorialibus: quia deuolutio semper fit ad maiorē; quem non recognoscit summus Pontifex: imō, nec locus est deuolutioni, dum agitur de beneficiis collationi summi Pontificis reseruatis: vt dicit Rebuff. in forma simplicis signatura. in prima part. versic. etiamsi deuolutum. num. 5.



## CAPVT III.

## De Personis Ecclesiasticis beneficia conferentibus, vel possidentibus.

## §. 1.

## De Summo Pontifice &amp; Beneficiis affectis per manus ipsius appositionem.

1. Papa habet omnimodam potestatem in beneficiis.
2. Affectio, & reseruatio beneficiorum, qua ratione inter se differant.
3. Affectio non est minoris potentia quam reseruatio beneficiorum.
4. Per appositionem manus Papa beneficia sunt affecta & reseruata; quamuis gratia Pontificia nulla esset aut subreptitia.
5. Quando prouisio Pontificia facta est ex falsa causa, non inducitur per eam affectio, quando falsa causa circa collationis pertinentiam versatur, vel circa vacationem ipsam; veluti si beneficium collatum fuit vti reseruatum, & vacans; cum tamen nec vacaret, nec esset reseruatum.
6. Beneficia etiam manualia sunt affecta per appositionem manus Papae.
7. Per deputationē coadiutoris cum futura successione, beneficium est affectum, & reseruatum.
8. Item & per collationem beneficii in Commendam perpetuam.
9. Affectio beneficii cessat quando gratia Pontificis fuit sortita effectum.
10. Collatio dicitur sortita effectum ad exclusionem reseruationis, quando supplicatio fuit signata, & parti tradita.
11. Si prouisus à sede Apostolica decedat in mense ordinario post registratam supplicationē, Ordinarius conferre potest; si nulla alia obstat reseruatio.
12. Affectio non inducitur quando agitur de gratia condicionali, qua non potest sortiri effectum propter non adimplementum conditionis.
13. Non inducitur affectio beneficii si illud vacare contingat diuerso genere vacationis. Quod exemplo explicatur.
14. In beneficiis Gallia non inducitur affectio. Sed vide infr. num. 18.
15. Si ex appositione manus Papae resultaret affectio in prauidicium Indulti Cardinalis, non tamen beneficium affectū manet; nisi Papa expressè derogauerit Indulto.
16. In beneficiis iurispatronatus non inducitur affectio per appositionem manus Papae.
17. Limita nisi constet de mente Papae quod voluerit derogare iurispatronatus.
18. Post constitutum procuratorem ad resignandum coram Papa, vtrum Ordinarius in Gallia possit idem illud beneficium conferre.

19. Concluditur Ordinarium non posse conferre beneficium, pro cuius resignatione factum fuit mandatum ad resignandum coram Papa; ex sententia Ioan. Selua, quæ seruetur in Gallia: nisi post factam renunciationem mandati, & illius reuocationem.

1. Inter personas Ecclesiasticas primum locum obtinet Papa, de cuius potestate non est disputandum; cum omnimodam in beneficiis habeat auctoritatem, & potestatis plenitudinem: ut fusè comprobatur Gonzal. ad regul. de mensib. §. 1. proæmiali Gars. de benefic. part. 5. cap. 1. num. 1. & sequentibus.

Verùm quia sumus Pontifex non vult ut plurimum uti sua potestate absoluta circa collationem beneficiorum; idè paucis agendum erit de potestate summi Pontificis ordinaria circa beneficia affecta: deinde verò agemus de eiusdè potestate circa beneficia reseruata.

2. Affectio & Reseruatio differunt inter se: quia affectio respicit actum realem, reseruatio verò actum verbalem, id est reseruatio fit per expressam dispositionem summi Pontificis reseruatis: affectio verò inducitur ipso facto, veluti quando Papa apponit manum super prouisione alicuius beneficii: tunc enim beneficium illud dicitur affectum, absque alia declaratione verbali; sed quando Papa expressis verbis, veluti per constitutionem aut ordinationem declarat se velle beneficium reseruare; tunc non dicitur affectio, sed reseruatio: ut declarat Mohedan. decis. 9. de Præbend. num. 2. In summa inter affectionem & reseruationem illa intercedit differentia, quæ inter causam & causatum, & inter expressum & tacitum. Gonzal.

3. ad regul. 8. Cancellar. gloss. 52. n. 5. † sed licet inter se differant affectio & reseruatio; tamen affectio est eiusdem saltem efficaciam, cuius est reseruatio: ut notat Lotter. de re beneficiar. lib. 2. quæst. 26. n. 29. Quia affectio ex appositione manus Papæ sepe implicat specialem reseruationem, per text. in Extrauag. ad Romani Pontificis. §. Romani quoque. de Præbend. inter cõmunes.

4. Dictaque affectio beneficii per appositionem manus Papæ locum habet, & producit effectum Reseruationis; quamuis prouisio seu gratia esset subreptitia, vel nulla; & etiam quando prouisio est ad fauorem certæ personæ: cum non tam personæ, quàm beneficio summus Pontifex prouidere censeatur: & indignum sit rem super qua summus Pontifex manum apposuit, ad inferiorem reuerti: ut fusè explicat Rota decis. 570. n. 4. par. 1. recent. præsertim stante dispositione dicti §. Romani quoque. quo cauetur beneficia esse affecta per appositionem manus Papæ, & prouisiones, seu madata de prouidendo; etiã si ex aliqua causa non sortiantur effectum: ex quo textu dubitationem omnem cessare dixit Æneas de Falconib. in tract. de reseruat. beneficior. quæst. 4. principal. effect. 16. circa med. versic. Ista tamen dubitatio est hodie decisa.

5. Cessaret tamen reseruatio, & affectio, si prouisio Papæ facta fuisset ex falsa causa, quado falsitas causæ versaretur circa pertinenciam collationis; ut pote quod Papa conferret beneficium tanquam reseruatum; cum tamen verè non esset reseruatum: ut tenuit Roman. consil. 335. n. 1. vel si falsitas causæ versaretur circa vacationem ipsam principaliter narratam; cum tamen beneficium verè non vacaret. Geminian. in cap. si tibi. n. 18. & ibi Franc. n. 14. versic. alias si post. de Præbend. in 6.

6. Quod Ampliatur ut procedat in beneficiis manualibus, super quibus cadit affectio peculiaris; dummodo summus Pontifex illa contulerit ex certa scientia: quia pro illa vice Ordinarius prouidere non potest; postea tamen quando vacant, redeunt ad pristinam naturam manualem: quia Papa non præsumitur illo-

rum statum alterare voluisse; sed potius censetur naturam illorum reseruasse. Felin. in cap. constitutus. versic. & ad hoc. de Rescript. & in cap. per tuas. column. 3. & sequent. de confirmat. vil. vel inuul. Achill. de Grassi. decis. 9. de Præbend. n. 5. & sequent.

7. Similiter per deputationem coadiutoris cum futura successione, affectio beneficii inducitur, quamuis coadiutus decederet antequam coadiutor litteras intimasset, vel coadiutoris officium exercere cõpisset: tunc enim ex tali manus appositione beneficium ita censetur affectum, ut illud nullus inferior conferre possit. Rota dicta decis. 570. num. 2. post plures ibid. allegatos part. 1. recentior.

8. Item affectio beneficii inducitur, si Papa illud contulerit in commendam perpetuam, donec beneficium prouideatur in titulum. Pur. decis. 554. per tot. lib. 1. in correct. Verall. decis. 145. p. 1. Canaler. decis. 559. n. 5. 9.

Cessat autem affectio, neque beneficium amplius reseruatum est per appositionem manus Papæ, quando gratia est perfecta, & collatio Papæ fuit sortita effectum per prouisionem subsequutam: quia affectio locum non habet quoad futuras vacationes. Gonzal. ad regul. 8. gloss. 52. n. 9. & gloss. 15. §. 2. n. 31. † ubi dicitur gratiam dici perfectam ad fines excludendi reseruationem tacitam, quamuis possessio beneficii capta non fuerit; neque litteræ expeditæ; imò per solam supplicationem signatam, dummodo fuerit registrata, & parti tradita; quamuis possessio nondum capta fuerit; neque litteræ expeditæ, cessare affectionem beneficii: & per consequens reseruationem. † Et ideo si prouisus à sede Apostolica de beneficio reseruato post signatam & registratam supplicationem decedat extracuriam in mense ordinario, poterit Ordinarius de tali beneficio disponere, quia affectio & reseruatio beneficii est finita. Gonzal. dicta gloss. 15. §. 2. n. 34.

12. Non oritur etiam affectio beneficii ex gratia, quæ non potest suum sortiri effectum propter non adimplementum conditionis; quia tunc constat de contraria mente ipsius Papæ, qui noluit prouidere nisi sub illa conditione. Lotter. de re beneficiar. lib. 2. quæst. 26. n. 36.

13. Præterea nõ inducitur affectio per appositionem manus Papæ, quoad diuersum vacationis genus, veluti si sumus Pontifex contulerit beneficium ex causa permutationis principaliter narrata, & deinde diuersa vacatio cõtingat, veluti per obitum, aut alio diuerso modo ab illo, super quo Papa manum apposuit: nã tunc manus appositio Papæ non obstat quoad illam diuersam vacationem. Gemin. consil. 136. Lancell. de attentat. 2. p. cap. 10. n. 9.

14. Item dicta manus appositio nõ inducit reseruationem in beneficiis Gallie, in quibus ordinarius potest cõferre perinde ac si nõ essent affecta, aut reseruata Rebuf. in prax. in tit. forma signatura, in verb. affectum versic. quam reseruationem. Intellige tamè prout sup. lib. 1. c. 26. n. 24.

15. Non etiam habet locum affectio, quando ex tali manus appositione resultaret derogatio indulti concessi alicui Cardinali, nisi expressè Papa illi Indulto derogasset: ut notat Ricc. collectan. 1452. versic. limita tertio. † qui idem dicendum esse testatur ibid. in §. limitatione. si agatur de beneficio iurispatronatus laicalis, vel mixti; quia sicut in eo nõ cadit expressa reseruatio in præiudicium patroni, ita nec tacita ex appositione manus summi Pontificis: dicens ita fuisse iudicatum in Rota. † Quod tamè intelligit Gonzal. d. gloss. 52. n. 54. nisi constaret de mente Papæ, veluti quod expressè & sufficienter derogasset iurispatronatus pro illa vice.

18. Hic quæri posset utrum post constitutum procuratorem ad resignandum coram Papa, possit Ordinarius illud idem beneficium, ratione cuius factum est mandatum, conferre ante intimatam procuratoris reuocationem: verum hæc quæstio sufficienter resoluta est

19. *lib. 1. cap. 26. num. 24. † vbi, relatis duabus contrariis sententiis, ostendimus ie Gallia opinionem Ioannis de Selua prævalere; vt scilicet Ordinarius conferre non possit ante intimatam reuocationem mandati: quia locus aduendus est; sed hoc fit propter dolum aut culpam illius, qui legitimè reuocationem mandati non intimauit; & nè illudatur summo Pontifici.*

## §. 2.

De beneficiis summi Pontificis, seu sedis Apostolicæ collationi reseruatis in genere.

1. *Reseruatio nihil aliud est, quàm auocatio collationis.*
2. *Reseruatio fieri potest de certo beneficio in fauorem incerte personæ; sed vide infra num. 9.*
3. *Potest etiam fieri de certo beneficio in fauorem certæ personæ.*
4. *Item de incerto beneficio in fauorem certi.*
5. *Reseruaciones aliqua sunt quas sibi Papa retinet; alia, quas aliis personis concedit.*
6. *Cardinales resignando possunt sibi loco pensionis reseruare ius conferendi beneficia Episcopatus resignati.*
7. *Item ex speciali Cardinaliū priuilegio, conceditur illis resignatio, cum reseruatione omnium fructuum.*
8. *Reseruaciones quedam sunt reales, alia mentales.*
9. *Mentales reseruaciones sunt sublata, & quenam illæ sint exponitur.*
10. *Reseruacionum quadam sunt generales, alia speciales.*
11. *Speciales reseruaciones hodie ex Concilio Tridentino sunt sublata.*
12. *Reseruatio specialis aliquando fit de beneficiis per contractum matrimonij vacaturis.*
13. *Qua ratione, & cum quibus clausulis fieri debeat reseruatio beneficiorum per contractum matrimonij vacaturorum.*
14. *Reseruatio clausa in corpore iuris qua dicatur.*
15. *Beneficiorum vacatio in Curia, vel apud Sedem, eundem producit effectum quoad reseruacionem.*
16. *Non dicuntur beneficia Vrbs vacare apud Sedem nisi vacent per obitum curialium qui Romæ degunt, non ratione domicilij vel originis, sed animo sequendi Curiam dumtaxat.*
17. *Qualitas domicilij à qualitate Curialitatis separabilis est.*
18. *Beneficia vacantia apud Sedem dicuntur vacare in Curia; sed non sequitur vacantia in Curia vacare apud Sedem.*
19. *Probatà semel curialitate, vtrum præsumatur vsque ad mortem continuata.*
20. *Beneficia Prothonotariorum Sedis Apostolicæ sunt reseruata.*
21. *Amplia, etiam si no essent de numero participantium; sed tantum essent Prothonotarij ad honores.*
22. *Sed ad hoc vt detur ex hoc capite reseruatio, debet constare de acceptatione Prothonotariatus.*
23. *Prouisio Prothonotariatus quando per testes, vel per scripturas probanda sit.*
24. *Quomodo probetur litteræ Prothonotariatus, quando solent in Legatione registrari.*
25. *Legatus, aut Vicelegatus Auenionis dispensare possunt vt non registrentur litteræ Prothonotariatus.*
26. *Reseruatio beneficiorum Prothonotariorum Legationis non est clausa in corpore iuris.*
27. *Sola beneficia Prothonotariorum participantium sunt reseruata, reseruatione clausa in corpore iuris.*
28. *In Gallia beneficia vacantia in Curia Papa, sunt reseruata.*
29. *Intellige dummodo Papa provideat intra mensem, quo elapso, conferendi ius redit ad Ordinarios. Vide infra num. 35. & 36.*
30. *Intellige secundo, vt hic mensis non assignetur in collationibus que fiunt iure deuoluto, cum Papa nullum habeat superiorem, ad quem deuolutio fieri possit.*
31. *In Regalia, non est locus reseruacioni clausa in corpore iuris.*
32. *In Regalia, Rex provideat ex facultate sibi amplissimè concessa per summos Pontifices, & admittit resignationes in fauorem, & pensiones.*
33. *Vacatio dicitur contingere in loco vbi habitat possessor beneficij, quando vacat ob factum negatiuum.*
34. *Quando agitur de facto positivo, vacatio dicitur euenisse in loco vbi talis actus factus est.*
35. *Mensis summi Pontificis collationi præfixus ad conferenda beneficia vacantia in Curia, ad beneficia Gallie restringendus est.*
36. *In beneficiis extra Galliam sitis non habet locum illa mensis assignatio, de qua in cap. statutum. 3. de Præbend. in 6.*
37. *Beneficia dicuntur vacare in Curia quando resignatio facta est in Curia, vel priuatio.*
38. *Limitatur in Gallia, dum agitur de beneficiis Regie nominationis.*
39. *Si Papa beneficium contulerit inhabili, non est ideo in Gallia reseruatum.*
40. *Vacatio in Curia Legati non inducit reseruacionem.*
41. *Vacantia per resignationem coram Papa, dicuntur vacare in Curia, dum agitur de beneficiis que non sunt Regie nominationis.*
42. *Reseruaciones omnes cessant in beneficiis iurispatronatus laicalis.*
43. *Nonobstante reseruatione in corpore iuris clausa, Ordinarius, sede Pontificia vacante, potest conferre Ecclesias Parochiales.*
44. *Beneficia iurispatronatus laicalis subiacent reseruacioni, si nõ agatur de iure patronatus quæsto ex fundatione, dotatione, aut constructione.*
45. *Reseruatio cessat quando est consumpta. Et quid ad hoc requiratur.*
46. *Reseruatio per vacationem in Curia non habet locum in beneficiis regularibus.*
47. *Beneficia de Vrbe non vacant in Curia.*
48. *Si Papa beneficium contulerit tanquam reseruatum, quod tamen non erat reseruatum, collatio nulla est.*

**R**eseruatio in hac materia beneficiis nihil aliud est, quàm Ecclesiasticæ beneficiis collationis, electionisue ab Ordinario per potestatem habentem ante vacationem facta euocatio. † Exemplum euocationis, seu reseruacionis huiusmodi habetur in cap. si eo tempore. 45. de Election. in 6. vbi Papa reseruatum certum beneficium non nominando personam ad cuius fauorem fit euocatio, seu reseruatio: & in cap. ex parte 12. de offic. deleg. † quando Papa reseruando certum beneficium, mandat vt illud cum primùm vacare contigerit, per executores certæ personæ conferatur: † vel quando confertur alicui canonicatum in certa Ecclesia, & mandat illi prouideri de prima præbenda vacatura: cap. dudum. 13. de Præbend. in 6.

Reseruacionum prima diuisio hæc est, vt aliqua sint quas summus Pontifex sibi ipsi retinet; alia verò, quas aliis concedit. † Secundi generis sunt reseruaciones, quas summus Pontifex Eminentissimis S. Roman. Eccles. Cardinalibus tribuit ex priuilegio speciali, qui nonobstante resignatione Episcopatum possunt

- possunt sibi referuare ius conferendi beneficia illius diocesis, loco pensionis: vt dicit Louët, & ibi Addit.
7. *lit. P. num. 33.* † cum etiam ex speciali priuilegio possint resignare cum referuatione omnium fructuum. Idem Louët *lit. F. num. 16.* sed de hac referuatione, & Indultis Cardinalium, suo loco agemus.
  8. Secunda diuisio est in referuationem realem, & mentalem. Mentalis est, quando Papa mentaliter sibi referuat aliquod beneficium: iuxta notata per Casador, *decis. ult. num. 8. de concess. prabend.* † sed hæc mentalis referuatio sublata est per Concil. Tridentin. *sess. 24. de Reform. cap. 19.* Erat autem mentalis referuatio, quando Papa referuabat beneficium in genere, vel in specie per Bullam, vel per Breue, vt personæ gratæ prouideret, quam non exprimebat; sed in mente retinebat: & sic referuatio non erat facta in fauorem alicuius certæ personæ expressæ: vnde mentalis dicebatur referuatio, quia persona cuius fauore fiebat, erat in mente Papæ retenta: deinde verò quando beneficium vacabat, mandabat fieri prouisionem sub data referuationis, vel ante, vel post; prout sibi placebat, in fauorem personæ nominatæ.
  10. Tertia diuisio referuationum, vt aliqua sint generales factæ, videlicet simpliciter absque expressione personæ; vt si Papa referuet sibi beneficia talis Diocesis: aliæ verò speciales, veluti si Papa referuet sibi canonicatum talem vacaturum in tali Ecclesia, cum primùm illum vacare contigerit, in fauorem talis personæ. † Et hæc specialis referuationis species hodie etiam sublata fuit per Concil. Trident. *dicta sess. 24. cap. 19.* in illis verbis: *Nec alia quacumque gratia ad vacatura.* vnde referuaciones speciales recessisse ab Aula, testatur Paris. *de resignat. lib. 2. quest. 16. n. 17.*
  12. † Sed tamen aliquando specialiter referuantur beneficia, quæ sunt, seu sperantur vacatura per contractum matrimonij, seu per affectuionem alterius beneficij incompatibilis iuxta regulam Cancellariæ 57.
  13. † quæ vult quòd si referuetur beneficium per contractum matrimonij vacaturum, non dentur alij modi vacationum de futuro, nec beneficium censeatur referuatum, nisi sequatur matrimonium: sed in beneficiis per promotionem, vel affectuionem vacaturis ponatur clausula, *Cum beneficia huiusmodi præmissa vel alio quouis modo &c. præterquam per obitum obtinentis vacare contigerit, etiam si vacent, &c.*
- Aliqui tamen generales referuaciones vocant illas quæ à iure communi introductæ sunt: speciales verò quæ per regulas Cancellariæ. Sed prima explicatio verior videtur, & naturæ referuationis magis conueniens.
14. Quarta diuisio vt aliqua sint referuaciones clausæ in corpore iuris; aliæ non clausæ: Referuatio in corpore iuris clausa, vnica est; quæ continetur in *cap. 2. de concess. prabend. lib. 6.* nempe dum agitur de beneficiis vacantibus in Curia, vel apud sedem; seu intra duas diætas iuxta locum vbi est Curia.
  15. Pro terminorum intelligentia supponendum est, quòd licet quoad effectum non debeat fieri differentia inter beneficia vacantia in Curia, & vacantia apud Sedem; cum vtroque casu eadem referuatio locum habeat: ex Lotter. *de re beneficiar. lib. 2. quest. 27. n. 14.*
  16. † Tamen inter vtrūque vacationis genus hoc interest, quòd beneficia Vrbe non dicuntur vacare apud Sedem, nisi vacatio contingat per obitum Curialis, Curiam sequentis, vel occasione illius in eadem commorantis; non autem ratione originis, domicilij, aut beneficij: *cap. presenti. §. sanè. de Prabend. in. 6.* † Quia domicilium in Vrbe contractum non sufficit ad hoc; sed præterea requiritur curialitas, idest quòd obtinens domicilium in Vrbe, habeat animum curialitatis; nam

qualitas hæc, à qualitate domicilij separabilis est: vt fuse per Rot. *decis. 573. per tot. par. 4. recent. om. 3.* † Quamuis enim beneficia apud Sedem vacantia dicantur etiã vacare in Curia non tamen ex eo sequitur quòd vacantia in Curia, siue ratione obitus in ipsa, siue ratione alterius referuationis, dicantur vacare apud Sedem, si deficiat qualitas illa curialitatis: vt in *dicta decis. 573. part. 4. recent. tom. 3.* & in precedenti facta super eodem negotio, quæ inferitur *decis. 429. part. 5. tom. 2. recentior.*

Et licet istæ decisiones fuerint reuocatæ; vt patet *decis. 9. part. 5. recentior.* Tamen non sunt reuocatæ quoad hanc conclusionem principalem: sed duntaxat super illa quæstione; vtrum, curialitate semel probatâ, censeretur continuata vsque ad mortem per eum, qui domicilium semper habuit Romæ, & fuit dictum, non obstantibus antea decisis, eum qui domicilium residentiale habuerat in Vrbe, animum curialitatis deposuisse ex facti circumstantiis, & testium depositionibus: de quibus in *dicta decis. 9. facta coram Pirouano de 30. Martij anni 1626.*

Et ex his colligitur quòd licet beneficia Prothonotariorum sedis Apostolicæ sint referuata, ex Verall. *decis. 404. part. 2. Seraphin. decis. 1251. num. 18. Rot. decis. 407. num. 1. part. 1. recent.* † Etiam si non sint de numero participantium; imò quamuis solum essent Prothonotarij ad honores creati ab ipso Legato: vt apud Coccin. *decis. 349. num. 1. & in recent. part. 4. tom. 2. decis. 172. num. 16.* vbi quòd Rota ita semper tenuit: Addit. ad Burat. *decis. 706. num. 9.* † Dummodo tamen constet de acceptatione Prothonotariatus, saltè tacitâ; vt in *dict. decis. 706. n. 11. & 12.* † Et de Prothonotariatus collatione constet, vel per litteras patentes, si agatur de prouisione Prothonotariatus facta per Papam; vel saltè per testes, si agatur de prouisione facta per inferiorem à Papa, veluti Legatū sedis Apostolicæ. Ludouif. *decis. 471. n. 1.* † Quod ego verum credo, quando Legatus non solet habere registratores: nam quando omnes gratiæ solent registrari, non video quomodo Prothonotariatus possit probari per testes contra probationem quæ fit per abnegationem, probando gratiã non fuisse registratam: ex notat. per Paris. *de resign. lib. 8. quest. 2. n. 21.* & Beltam. ad *dictã decis. 471. n. 12.* † nisi probaretur quòd Legatus dispensauit super registratione: prout ego factum vidi per Illustrissimum bon. mem. Iosephum Ferrerium Archiepiscopum Vrbinatensem tunc Vicelegatum, in fauorem Illustrissim. quondam & Reuerend. Domini Egidij Georgij de Tonduti piæ memoriæ fratris mei; nam constituto de dispensatione registri, & probata amissione litterarum originalium, hoc casu posset admitti probatio per testes, & procedit doctrina Ludouif. *dicta decis. 471. num. 1.*

Licet, inquam, beneficia Prothonotariorum etiam à Legato, vel (quod idem est) à Vicelegato creatorum sint referuata sedi Apostolicæ; hæc tamen non est referuatio iuris communis respiciens beneficia in Curia, vel apud Sedem vacantia. Quia Curiales solum ad hunc effectum dicuntur illi, qui in Curia commorantur occasione Curiæ, nempe vt inserviant Papæ, aut Cardinalibus, seu Officialibus Romanæ Curiæ. Gloss. in *capit. 1. in verb. Curialibus. 51. distinct.* Rot. *decis. 616. numer. 2. part. 4. diuers.* † Itaque soli Prothonotarij qui sunt de numero Participantium dicuntur Officiales ad effectum istius referuationis ex vacatione in Curia, quos Sixtus V. in sua constitutione 12. Incipiente. Romanus Pontif. & in alia incipiente Laudabilis sedis. fol. 502. & 503. Bullarij, suos familiares Prælatosque domesticos declarauit, aliisque priuilegijs decorauit.

28. Et præmissa adeo vera sunt; vt in Gallia, vbi etiam omnes aliæ reservationes sunt sublata, tamen beneficia vacantia in Curia, omnimodæ summi Pontificis collationi supponantur. Louet, *litt. R. num. 47.*
29. † dummodò prouiso fiat intra mensem, aliàs prouisionis facultas redit ad Ordinarios collatores, si Papa intra illud tempus non prouiderit: *cap. Statutu 3. de Præbend. in 6. Maynard. lib. 8. cap. 6.* † Quod tempus vnus Mensis quamuis locum habeat in istis prouisionibus beneficiorum vacantium in Curia, tamen si agatur de aliis prouisionibus quas summus Pontifex facit iure deuoluto, nullum ad hoc tempus summo Pontifici constitutum est: quia ius istud semel ad Papam deuolutum, nunquam retrogreditur ad inferiores collatores. Maynard, *dicto lib. 8. cap. 6.*
31. Si tamen beneficium vacaret in Regalia (de qua vacatione postea agemus) hoc casu non esse locum reservationi illius beneficii, quamuis vacaret in Curia, censuit Addit. ad Louet *litt. R. n. 47.* † Quia, inquit, beneficiis vacantibus in Regalia, Rex solet prouidere cum plena potestate sibi concessa per Concordata, & Bullam Leonis X. & alias, etiam cum reservatione pensionis, & admittere resignationes in fauorem: prout latius in dicta Addit. *ad dictum num. 47.*
32. Vacate autem censentur beneficia in loco, vbi est persona vltimi possessoris beneficii, quando agitur de vacatione quæ originem ducit à facto negatiuo; veluti quòd quis non fuerit promotus intra annum: nam si persona non fuerit promotæ tempore inductæ vacationis in Curia; tunc beneficium censetur vacare in Curia: si verò extra Curiam fuerit; non inducetur ista vacatio cum priuilegio reservationis, propter vacationem in Curia contingentem. Rebuff. *in praxi tit. de non promot. intr. ann. n. 20.* Nicol. Garf. *de benefic. part. 5. cap. 1. num. 78.* † Si verò agatur de vacatione ducente originem ex aliquo facto positiuo; veluti ex delicto consistente in committendo: tunc beneficium dicitur vacare in loco, vbi talis actus gestus fuit. Garf. *de benefic. d. part. 5. cap. 1. num. 78. & 79.*
33. Notandum verò est, quòd licet antea dixerimus *n. 29.* si summus Pontifex intra mensem huiusmodi beneficia vacantia in Curia non contulerit, facultatem conferendi redire ad collatores ordinarios, locum obtinerè quidem in beneficiis in Gallia sitis: quia *Extrauag. ad regimen. de Præbend. in communibus* non obseruatur in Gallia: teste Rebuff. *in prax. tit. de reservation. num. 12. & 38.* † tamen extra Galliam hoc non ita se habet: quia licet tempus vnus mensis Papæ fuerit assignatum in *dicto cap. statutum 3. de Præbend. in 6.* ad fines prouidendi de beneficiis vacantibus in Curia, quo tempore elapso potestas collationis redit ad collatores Ordinarios: tamen dispositio *dicti cap. statutum.* fuit correctæ per *Extrauagant. Pia sollicitudinis.* quæ est prima in *tit. de Præbend. inter communes:* vt bene tuetur Gonzal. *gloss. 5. proœmiali, à num. 148.* qui ita in Romana Curia seruari testatur *num. 156. versic. & maxime.* Nicol. Garf. *de benefic. part. 5. cap. 1. num. 98. 99. & 100.* vbi dicit quòd *Extrauag. Ad Regimen.* tollit omne dubium, cum innouetur per omnes summos Pontifices, & per eam clarè derogetur dispositioni *dicti cap. statutum.*
34. Alia etiam notabilis differentia est inter beneficia vacantia per resignationem coram Papa factam sita in Gallia, & ea quæ sic vacant extra Galliam. Siquidem omnia beneficia per resignationem in Curia factam vacantia, dicuntur de iure vacare in Curia; ibi siquidem dicitur vacare beneficium, vbi fit resignatio: idèmq; de vacatione per priuationem, aut aliis modis inducta, dicendum est. Franc. *in cap. præ-*

*senti. §. sanè. num. 4. de Præbend. in 6. Gonzal. gloss. 13. num. 42. & sequent. Garf. de benefic. part. 5. cap. 1. num. 73. & sequent. Rot. decis. 100. num. 5. part. 6. recent.* vbi de resignatione facta coram Papa.

Sed in Gallia dum de Regia nominatione agitur 38. (quia, nonobstantibus Concordatis, Papa sibi reseruauit beneficia in Curia vacantia: ) non admittitur prouisio Pontificia, si agatur de beneficiis Regiæ nominationis in Curia resignatis, siue coram Papa, siue coram proprio Episcopo in Curia existente: quia per Concordata in *tit. de Reg. ad Pralat. nomination. §. 1.* in illis verbis: *Per nos in Ecclesiis per obitum apud Sedem prædictam vacantibus, semper etiam nulla Regis præcedente nominatione liberè prouideri possit.* Igitur si Episcopatus seu dignitas vacaret per resignationem in Curia factam, non posset prouideri iure Regiæ nominatione: quia Papa solum sibi reseruauit vacationes per obitum: vt dicit Rebuff. *in Concordat. dict. §. 1. in verb. per obitum. & consil. 38. num. 18.*

Similiter hæc reseruatio in Gallia non admittitur; 39. vt si Papa inhabili contulerit, semper beneficium in Curia vacare censeatur. Rebuff. *consil. 48. numer. 1.* dicens hanc non esse reservationem in corpore iuris clausam.

Cæterum quæcumque de beneficiis vacantibus in 40. Curia dicta sunt; intelligi debent de vacantibus in Curia summi Pontificis, non autem de vacantibus in Curia Legati, vel Nuncij. Rebuff. *in Concordat. in tit. form. mandat. Apostolic. in verb. extra Romanam Curiam. versic. ideo beneficia vacantia in loco vbi est Legatus.* Gonzal. *gloss. 13. §. 1. num. 14.*

Item dum diximus de vacantibus in Curia, per re- 41. signationem ex Rebuffo, & ex Concordatis, propter illa verba, *Per obitum*, apposita in illis; non debet trahi ad beneficia quæ non subsunt Regiæ nominationi, quæ etiam in Gallia sunt reseruata propter resignationem, vel depositionem in Curia factam: de quibus existimo intelligendū Anton. Pastor. *in tract. de benef. lib. 1. tit. 15. num. 13.* Nam alioquin obstarent verba Concordatorum, & doctrina Rebuffi *dict. consil. 38. num. 18.* & ad Concordata *in dicto verb. Per Obitum.*

Cessant autem reservationes omnes in beneficiis 42. iurispatronatus laicalis; vt dixi *lib. 1. cap. 87. num. 4.* post Rot. *decis. 541. in recentior. part. 2. num. 3.* Gonzal. *gloss. 18. num. 2.*

Secundò, cessant reservationes etiam in corpore 43. iuris clausæ, si agatur de Ecclesiis parochialibus vacantibus in Curia, sede Pontificia vacante, nec non quoad illa quæ vacauerunt ante obitum Papæ, si de illis per Papam ante obitum non fuerit ordinatum. Et tali casu Episcopus potest illa liberè conferre, & prouidere Ecclesiis parochiales absque aliquo reservationis impedimento: text. est expressus *in cap. si Apostolica. 35. de Præbend. in 6.* quem exornat Gonzal. *ad reg. mensum. §. 5. proœmiali, n. 125. & multis seqq.* Garf. *de benefic. part. 5. cap. 1. num. 101. & 102.*

Tertiò, locum habent reservationes in patronatibus 44. aliter quàm ex fundatione, donatione, aut constructione competentibus. Vnde si patronus ius prætendat ex priuilegio, vel præscriptione, subditus erit non solū reservationibus clausis in corpore iuris; sed etiã aliis: vt bene probat Gonzal. *gloss. 18. num. 20. & 21.*

Quartò, reseruatio cessat si sit consumpta, nempe 45. quòd habuerit effectum per prouisionem summi Pontificis, licet prouisus nondum apprehendisset possessionem beneficii reseruati: vt ostendit Gratian. *discept. forens. cap. 278. num. 28.*

Quintò, reseruatio etiam per vacationem in Cu- 46. ria

ria locum non habet in beneficiis regularibus. Barbof. de Episcop. part. 3. allegat. 57. num. 29.

47. Sexto, non habet locum reservatio clausa in corpore iuris, in beneficiis de Vrbe. Barbof. *ibid.* num. 32.

48. Ultimo advertendum est, quod si Papa aut alius ad id potestatem habens, contulerit beneficium tanquam reservatum, cum tamen reservatum non esset; talis collatio tanquam facta ex falsa causa non valet: quamvis conferens habuisset potestatem illud ex alia causa vera, & ut non reservatum conferendi. Roman. *consil.* 335. num. 11. & 14. Rot. *decis.* 534. num. 1. part. 1. recent.

§. 3.

De præcipuis Reservationum speciebus.

1. Beneficia vacantia, sede Episcopali vacante, sunt reservata.
2. In Gallia, & Germania hac reservatio locum non habet; propter Concordata.
3. Ecclesia que subsunt Regū & Principum presentationi non cadunt sub hac reservatione.
4. Beneficia simultanea collationis sub reservatione ob sedem Episcopalem vacantem non continentur.
5. Reservatio Monasteriorum intelligitur de Consistorialibus in reg. Cancellaria.
6. Reservatio, sede Episcopali vacante, cessat etiam si collatio sit diuisa per turnum inter Episcopum, & Capitulum.
7. Maiores dignitates post Pontificalem, & principales in Collegiatis reservantur.
8. Prioratus, & Dignitates conuenticuales sunt reservata.
9. Intellige ut hoc procedat in beneficiis perpetuis, non in amovibilibus.
10. Familiarium Papa & Cardinalium beneficia reservantur.
11. Familiaritas quomodò probetur.
12. Reservantur beneficia familiarium Cardinalium, etiam ante familiaritatem obtenta.
13. Collectorum & subcollectorum beneficia sunt reservata.
14. Vacantia per obitum Cardinalium, & Officialium Legatorum, Nunciorum, & similium; sunt sedi Apostolica reservata.
15. Conclauista reputantur quoad reservationem beneficiorum perinde ac si essent veri Officiales, & domestici Papa.
16. Vacantia beneficia per priuationem autoritate Apostolica facta, seu depositionem aut translationem, sunt reservationi supposita.
17. Electi aut postulati beneficia sunt reservata, si electio aut postulatio nulla fuerit declarata.
18. Per assumptionem ad Episcopatum, aut Monasteria, & similia; vacant beneficia, & sunt reservata.
19. Promotus ad Episcopatum, aut similes dignitates, non potest sua beneficia resignare.
20. Fallit in Episcopis qui habent Episcopatus in partibus infidelium.
21. Beneficia vacantia per adeptionem aliorum in vim provisionis Apostolica sunt reservata.
22. Vacantia per assentionem duorum incompatibilium subiacent reservationi.
23. Qui sequuntur Curiam extra Romanam urbem, si possideant beneficia, subiacent reservationi.
24. Ostenditur varietas constitutionum iuxta diuersitatem temporum circa reservationem beneficiorum Curialium.

25. Dum Curia transfertur de loco ad locum, beneficia Curialium ubicunque decedentium sunt reservata.

26. Beneficia vacantia ob crimen Hæreseos reservantur.

27. Item reservantur beneficia obtenta in confidentiam.

28. Offendentium litigantes beneficia sunt quoque reservata.

29. Vacantia ob defectum non publicata resignationis sunt reservata.

30. Beneficia vacantia ob violationem sequestri reservantur.

31. Quis dicatur violare sequestrum.

32. Sequestri violatio inducitur per eum cui consignatio fructuum facta est, si illos alicui tertio remisit.

33. Exercens actus beneficio competentes, veluti prædicationem, in præiudicium sequestri, dicitur illud violare.

34. Sequestrum dicitur violari etiam si factum fuerit in vim sententiæ de nullitate impugnata.

35. Putei decisio 46. lib. 2. reiicitur.

36. Reservata sunt litigiosa beneficia.

37. Qua requirantur ad hoc ut beneficium dicatur litigiosum ad effectum reservationis, & utrum sufficiat lis in possessorio.

38. Causa si fuerit commissa cum incidentibus &c. & cum clausula quam, & quas &c. dicitur etiam lis pendere super petitorio.

39. Collatio facta ab Ordinario de beneficio litigioso nulla est.

40. Si Ordinarius attentauerit providendo de beneficio litigioso, locus erit sequestro ratione attentati.

41. Quando lis dicatur pendere. Remissivè.

42. Prothonotariorum beneficia sunt reservata. Remissivè.

43. Beneficia collata contra formam Concilij Tridentini vel sine concursu in casibus in quibus adhiberi debet, nullus inferior præter sedem Apostolicam conferre potest.

44. Alij casus, in quibus locus est reservationi, à quibus Doctoribus enumerentur.

45. Plures sunt casus in quibus beneficia non cadunt sub reservatione, de quibus Ricc. *ibi* citatus.

46. Episcopus, sede Papali vacante, potest liberè conferre beneficia reservata; etiamsi ignorauerit mortem summi Pontificis, neque hoc casu locus est regula de verisimili notitia.

SI singulas reservationum species exponere ad longum vellemus, peculiari tractatus conficiendus esset: paucis tamen præcipua reservationum capita in medium afferemus.

In primis igitur plures in regulis Cancellariæ continentur reservationes: & inter ceteras, reservatio Cathedralium Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac quæcumque beneficia cuiuscumque qualitatis sint, quæ vacant de tempore vacationis Ecclesiarum, post obitum, amissionem seu dimissionem Episcopatum, vel aliarum dignitatum vsque ad promotionem successorum ad easdem Ecclesias. † Qua tamen reservatione non ligantur Galli, & Germani, propter Concordata; servatis tamen modificationibus in illis comprehensis: ut dicit Cokier *ad dictam regul.* 2. num. 9.

Neque sub illa regula comprehenduntur Ecclesiæ, quæ sunt ad præsentationem Regum, & aliorum Principum: ut idem Author tradit num. 17.

4. Ista regula comprehendit beneficia spectantia simul ad collationem Episcopi, & Capituli secundum opinionem aliquorum; quæ tamen refellitur per Gabriel. *consil.* 197. *lib.* 1. Sed hæc controuersia hodie sublata est ex verbis dictæ regulæ, in qua expressè excipiuntur à reservatione beneficia simultaneæ collationis: vt notat Garf. *part.* 5. *cap.* 1. *num.* 229. † Dum autem referuantur Monasteria, intelligendum est de excedentibus valorem 200. florenorum, si sint consistorialia. Gonsal. *gloss.* 51. *num.* 51.
6. Sed quid iuris quando collatio est quidem simultanea inter Episcopum & Capitulum, tamen per turnos diuisa; idest, quòd vna vice collatio pertineat ad Episcopum, alià verò ad Capitulum? Super hac quæstione Garf. *loc. cit.* *num.* 235. concludit sede Episcopali vacante collationem spectare ad Capitulum; siue contingat vacatio in turno Capituli, siue in turno Episcopi, & vtroque casu cessare reservationem.
7. Secundò referuantur Dignitates omnes maiores post Pontificalem in Cathedralibus, Metropolitanis & Patriarchalibus Ecclesiis, nec non principales in Collegiatis excedentes valorem decem florenorum: vt in *reg.* 3. *Cancellaria.* Ricc. *collectan.* 1670. & 2616.
8. Tertio, per eandem regulam referuantur Prioratus, Præposituræ, & aliæ dignitates conuentuales, & Præceptorales generales Ordinū quorumcumque,
9. non tamen militiarum: † intelligendo tamen de beneficiis perpetuis, non autem temporalibus, & amouibilibus: quia Papa nunquam intendit mutare naturam beneficiorum: vt dicit Cokier. *ad dictam. regul.* 3. *num.* 25. & sequent.
10. Quarto, referuantur beneficia familiarium tam summi Pontificis tempore sui Cardinalatus, quam aliorum S. R. E. Cardinalium; dummodò sint continui commensales: quamuis Cardinalis, in cuius familiaritate erant, decesserit, aut ipsi ab ea recesserint.
11. † Pro cuius familiaritatis probatione, sufficit probare quòd quis semel steterit sub illius Cardinalis imperio, illique seruitia præstiterit, prout alij familiares; dummodò interueniat Mens & Dens, nempe quòd quis habuerit intentionem & animum inseruendi, & quòd Cardinalis victum illi præstiterit: vt fuit decisum super Archidiaconatu Auenionensi vacante per obitum familiaris Eminentissimi Cardinalis de Ioyeuse, qui dum viueret obtinebat dictum Archidiaconatum, de quo Archiepiscopus Auenionensis prouiderat; quæ prouisio fuit declarata nulla: quia agebatur de beneficio familiaris Cardinalis, & per consequens reservato; quem propterea Archiepiscopus conferre non poterat: vt apud Burat. *decis.* 228. *per tot.* nec non *decis.* 117. & 255. *per tot.* apud eundem, vbi tota familiaritatis materia explicatur.
12. Ista reservatio comprehendit beneficia familiarium Cardinalium, non solum obtenta durante familiaritate; sed etiam alia prius acquisita. Marefcot. *lib.* 2. *var. resolut.* *cap.* 94. *num.* 13. Ludouil. *decis.* 266. *num.* 4.
13. Quintò, reservata sunt beneficia Collectorum, & Subcollectorum sedis Apostolicæ, de quibus non est copiosius agendum; cum ratò inter nos, & nunquam in Gallia ista reservatio locum habere possit.
14. Sextò, reservata sunt beneficia vacantia per obitum Cardinalium, & Officialium sedis Apostolicæ, Legatorum, Nuntiorum, Rectorum, aut Thesaurariorum; si moriantur antequam ad Romanam Curiam redierint: per text. in *extranagant.* *Ad regimen. de prabend.* quæ renouatur per omnes summos Pontifices, & est regula 1. Cancellariæ.
15. Inter Officiales autem numerantur etiam Concla-

uistæ ex speciali summi Pontificis priuilegio, quamuis in effectu non sint veri commensales. Seraphin. *decis.* 1251. *num.* 1.

Septimò, reservata sunt beneficia vacantia per depositionem, priuationem vel translationem auctoritate Apostolicâ factam: vt in dicta *Extranag. ad Regimen. post. princip. versic. nec post depositionem.* Paris. *lib.* 2. *quest.* 16. *num.* 27.

Octauò, reservata sunt beneficia illius qui fuit electus, vel postulatus, si postea electio vel postulatio fuerit cassata, repulsa, vel renunciata. dicta *extranagant.* *Ad regimen. §. nec non si forsan.* & in *extranagant. ex debito. §. huiusmodi. de election. inter communes. cap. Quamquam.* 18. *de elect. in 6.* Quæ autem sit differentia inter postulationem & electionem diximus *lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 6. & inferiùs *cap.* 4. §. 6. *num.* 4. & sequent.

Nonò, reservata sunt beneficia vacantia per promotionem ad Episcopatum, Patriarchatum, Archiepiscopatum, aut Monasteriorum regimen; siquidem beneficia illa statim vacant ipso iure post ademptionem possessionis & consecrationem sequutam; vel postquam tempus ad petendam consecrationem lapsum fuit. Barbol. *de Episcop. part.* 3. *allegat.* 57. *num.* 66. & 67.

Nihilominus tamen seruetur ex stilo Curia, quòd prouisus per Romanum Pontificem de huiusmodi beneficiis, statim vbi Episcopus seu Prælatus promotus est, priuatur beneficiis; illaque vacant, adeo vt non possit renuntiare, etiam ante consecrationem nisi obtenta fuerit à summo Pontifice prorogatio, vel retentio. Barbol. *dicta allegat.* 57. *num.* 68. & 69. † Quod tamen limitat *num.* 74. vt non vacent beneficia promoti ad Episcopatum titularem, seu in partibus infidelium; quia non stat per promotum quomibus possessionem capiat: ex Garf. *de benefic. part.* 11. *cap.* 6. *num.* 24.

Decimò, referuantur beneficia vacantia per ascensionem pacificam quorumcumque aliorum beneficiorum auctoritate Apostolica prouisorum: dicta *extranag. Ad regimen. propè fin. versic. Necnon etiam per ascensionem. de prabend. & in extranag. ex debito. §. huiusmodi. de electione. inter communes.*

Vndecimò, reservata sunt beneficia vacantia per execrabilitatem, videlicet quando quis retinet eodem tempore duo beneficia incompatibilia: quia vtrunque vacat, & vtriusque prouisio sedi Apostolicæ est reservata: per text. in *extranag. execrabilis. §. qui verò deinceps. & §. Quæ omnia. de prabend. inter constitut. Ioannis XXII.* quæ renouatur per singulos Pontifices in prima regula Cancellariæ.

Duodecimò, reservata sunt beneficia curialium in quouis loco decedentium, qui sequuntur Curiam Romanam, quando transfertur de loco ad locum; etiam si decederent in loco à Curia Romana remoto: idque in vim regulæ 5. Cancellariæ.

Pro cuius intelligentia notandum est, quòd in *cap.* 2. *de prabend. in 6.* fuit facta reservatio de omnibus beneficiis vacantibus in Curia, seu apud Sedem. Deinde superuenit dispositio text. in *cap. present. 34. cod. tit. de prabend. in 6.* quæ extendit dictam reservationem *cap.* 2. ad loca vicina, videlicet per duas dietas legales distantia à curia Romana. Vltimo loco superuenit dicta *extranagant. Ad regimen.* quæ extendit dictam reservationem ad Curiales peregrinationis, infirmitatis, aut recreationis causa recedentes, qui antequam ad Curiam redierint, in locis ab eadem Curia non tamen ultra duas dietas remotis, decesserint; dummodò illa loca non sint proprium illorum domicilium.



25. Sed prædictis omnibus adiectus fuit iste duodecimicus vacationis modus, per quem suprædicta omnia ampliantur ad Curiales qui Curiam recedentem sequuntur, & in quocumque loco obierint: iuxta dictam regulam, §. Cancellariæ.
26. Decimus tertius reservationis casus versatur circa beneficia vacantia propter crimen hæreseos; de quo Barbof. *dicta allegat.* 57. num. 36.
27. Decimoquarto, referuantur beneficia quæcumque recepta in confidentiam, quæ vacant ipso iure, & sunt Apostolicæ sedi reservata. Paris. *de resignat. lib. 2. quæst.* 16. num. 28. & *de confident. quæst.* 7. num. 79. qui ampliat num. 81. ut illa reservatio & vacatio ipso iure comprehendat beneficia non solum in confidentiam recepta; sed etiam omnia alia obtenta; iuxta Bullam Pij V. quæ incipit, *intolerabilis* & est 78. inter eius constitutiones. *versic. nec quisquam.*
28. Decimoquinto, reservata sunt beneficia offendentium litigantes in Romana Curia, quæ propter tale delictum vacant ipso iure; siue offenderint partes litigantes, siue Iudices, Testes, vel Notarios: iuxta Bullam Alexandrinam, de qua Rot. *decis.* 166. *part. 2. diuers.* & 639. *part. 1. & in criminalib.* Farinac. *decis.* 2. & 21.
29. Decimosexto, reservata sunt beneficia vacantia ob non publicatam resignationem: iuxta *constitut.* 85. *Gregorij XIII.* quæ inseritur apud Paris. *de resignat. benefic. lib. 11. in præfat. num. 5.* Ita Barbof. *de Episcop. dicta allegat.* 57. num. 46.
30. Decimosextimo, reservata sunt summo Pontifici beneficia vacantia propter violationem sequestri, appositi lite pendente in Curia Romana. *Clementin. vnic. §. si quis autem. de sequestrat. possess.* Gonzal. *ad regul. 8. §. 7. Proæmial. num. 8.* Barbof. *dicta allegat.* 57. num. 47.
31. Sequestrum autem violare dicitur qui fructus beneficij sequestrati percipit post sequestrationem, quamvis sequester non acceptauerit illam. Rot. *decis.* 274. *part. 2. diuers.* Vbi propterea concluditur eum qui fructus sic percipit, incidere in pœnas dictæ Clementinæ, sufficit enim quod sequestrum parti fuerit intimatum, ad hoc ut pœnam illam incurrat percipiendo fructus. *Crescent. decis.* 2. *de sequest. poss. & fruct.* † sicuti & violator sequestri dicitur ille, qui fructus quos in manibus sub sequestro habebat alicui tertio consignauerit. *Verall. decis.* 155. *part. 3.*
33. Nec solum per perceptionem fructuum pendente sequestro incurritur pœna sequestri violati; sed etiam per exercitium actuum beneficio conuenientium: veluti per prædicationem verbi Dei; qui actus non potest fieri in illa Ecclesia in qua est beneficium, nisi nomine ipsius beneficij, quod non minus sequestratum intelligitur quàm fructus. *Bellamer. decis.* 429.
34. Prædicta ampliantur ut locum habeant quamvis sententia, cuius vigore decernitur sequestrum, esset nulla, ut ex multis probat *Marescot. lib. 2. variar. resolut. cap. 77. num. 4. & sequent.*
35. Adeo ut non videatur subsistere *decis.* Putei 46. *lib. 2.* ubi fuit declaratum non esse locum pœnæ dictæ Clementinæ, ob sequestri violationem: quia sequestratio erat nulla, ex quo fuerat decreta vigore sententiæ latæ super attentatis, & sic non super petitorio, & possessorio; pro ut requiritur ex tenore *dictæ Clementinæ.* Quia aduersus illam decisionem adfuit plures aliæ de quibus *ibidem* *Marescot.* qui *dicto c. 77.* totam sequestri beneficialis materiam tractat.
36. Decimo octavo, referuantur Sedi Apostolicæ beneficia litigiosa: *cap. 1. & 2. ut lite pendente.* Seraphin. *decis.* 290. num. 5. *Duran. decis.* 68. num. 6. *Rot. dec.* 312. num. 1. *part. 2. recentior.*

Sed ad hoc ut beneficium dicatur litigiosum, oportet ut lis sit super petitorio: quia ad hunc effectum requiritur quod lis adsit super titulo, non autem super sola possessione: per text. *in dicto cap. 2. Ut lite pendente. lib. 6. Cassador. decis.* 4. *Ut lite pendente, Ludouif. decis.* 35. num. 6. & 19. Vbi ampliat ut locum habeat quod mox diximus (nempe quod non inducitur reservatio ex lite super solo possessorio) quamvis tale possessorium haberet causam proprietatis admixtam.

Si tamen causa fuerit commissa, *cum incidentibus*, & toto negotio principali, & cum clausula *Quam & Quas*; tunc beneficium efficitur litigiosum: quia istæ clausulæ respiciunt ipsum titulum, totamque causam comprehendunt, tam quoad petitorium, quam quoad possessorium. *Caualer. decis.* 608. num. 5. & *decis.* 200. num. 5. *Rot. decis.* 342. num. 2. *part. 1. recentior.*

Ergo collatio beneficij litigiosi facta ab Ordinario nulla est. Paris. *de resignat. lib. 2. quæst.* 3. num. 1. & 2. ubi quod etiam hoc procedit in resignatione. *Seraphin. dicta decis.* 290. *Duran. dicta decis.* 68.

Et si Ordinarius attentauerit prouidendo de beneficio litigioso, locus erit sequestro ratione attentati. *Gonzal. ad regul. 8. §. 7. proæmial. num. 119.* cum litispendentia in se contineat inhibitionem Ordinario factam de prouidendo lite pendente, *Duran. dicta decis.* 68. num. 6. *Seraphin. dicta decis.* 290. n. 5. † Plura quando lis pendere dicatur tradit *Ricc. collectan.* 2950. *Rot. decis.* 306. num. 1. *part. 1. recentior.*

Decimonono, reservata sunt beneficia Prothonotariorum sedis Apostolicæ etiam si creati fuerint à Legato. *D. Lud. Bellus. consil.* 29. num. 8. & diximus supr. *in §. 2. huius cap. num. 20. & sequent.*

Vigesimo, reservata sunt beneficia collata contra formam Concilij Tridentini, & nominatim in casibus in quibus requiritur concursus ex eodem Concilio *sess.* 24. *cap. 18.* Barbof. *dicta allegat.* 57. num. 43. Paris. *de resignat. lib. 2. quæst.* 16. num. 32. & super hoc adest regula prima Cancellariæ in fine his verbis: *& ea etiam beneficia omnia, de quibus Ordinarij & alij collatores contra Concilij Tridentini decreta disposuerunt, & disponent in futurum.*

Sunt & alij quidam casus in quibus beneficia sunt reservata, qui non sunt ita practicabiles, de quibus ad longum Barbof. *de Episcop. dicta allegat.* 57. Paris. *dicto lib. 2. quæst.* 16. *Gonzal. ad regul. 8. gloss.* 51. *Garf. de benefic. part. 5. cap. 1.*

Similiter sunt quædam beneficia quæ non cadunt sub reservatione, de quibus breuiter agit *Ricc. in prax. Aur. cap.* 236. ubi ponit viginti quinque casus in quibus cessat beneficiorum reservatio.

Aliquos casus in quibus cessat reservatio adduximus *in §. precedenti, à num. 42. †* Et adde quod si Episcopus, sede Apostolica vacante, beneficia reservata contulerit; adeo valida est collatio, ut non sit locus regulæ *de verisimili notitia*: & sic sufficit quod verè tempore collationis per Episcopum, aut alium collatorem Ordinarium factæ, sedes Apostolica vacet; quamvis collator mortem summi Pontificis ignoraret. *Gratian. discept. forens.* 18. num. 51. & 52.

#### §. 4.

De summo Pontifice conferente iure deuoluto: & de Deuolutionibus.

1. *Deuolutio quid sit.*
2. *Beneficia reservata sedi Apostolicæ non conferuntur tanquam deuoluta.*
3. *Deuolutio duplex est: & que dicatur deuolutio iuxta*

## ra Lateranensis statuta Concilij.

4. Si Collator Ordinarius non contulerit infra sex menses, fit deuolutio gradatim ad Superiorem: & qua fit praxis huius deuolutionis.
5. Quomodo fiat deuolutio propter negligentiam Episcopi exempti.
6. Papa in quibus casibus censeatur providere iure deuoluto iuxta Lateranensis statuta Concilij.
7. Papa potest concurrere in collatione beneficiorum cum quolibet Ordinario, & qua fit differentia inter hanc Collationem, & illam qua fit iure deuoluto.
8. In collatione qua fit iuxta Lateranense Concilium, prouisus tenetur probare deuolutionem per gradus distinctos singulorum collatorum inferiorum.
9. Collator ordinarius non dicitur negligens, vi ius deuoluatur ad Superiorem; nisi elapsis sex mensibus a die scientie computandis; & hoc casu impetrans iure deuoluto tenetur probare lapsum sex mensium, & scientiam vacationis in collatore.
10. Scientiam verisimilem in collatore ordinario ad effectum deuolutionis quidam sufficere existimant, sed tamen concluditur requiri scientia probationem certam & concludentem.
11. Papa potest praeuenire quemlibet Ordinarium in collatione beneficiorum, & non solum, Papa sed etiam Legatus.
12. Papa conferens iure deuoluto non censeatur voluisse vi iure praeuentionis.
13. Quando Papa prouidet iure deuoluto, non datur de alio vacationis modo, non obstante clausula, Et alio quouis modo.
14. Qua sint probanda, quando Papa prouidet iure concursus.
15. In quibus casibus prouisio fieri possit iure deuoluto in prauidicium Patronorum.
16. Quando prouisio fit iure concursus per summum Pontificem, deuolutio non est probanda per gradus; sed sufficit probare negligentiam.
17. In quibus casibus fiat deuolutio ad Superiorem, ad conferenda beneficia. Remissiuè.
18. Quid sit impetrare iure deuoluto, & qui dicantur in Gallia deuolutarij, aut certomodarij.
19. Deuolutarij non admittuntur in Gallia nisi datâ cautione, & post sententiam, alias priuantur omni possessionis commodo.

1. **D**euolutio est transitus iuris conferendi ab vna persona ad aliam, sic eam vocat Cassador. *decis. 8. de Prabend. num. 3.* † vbi propterea infert quòd in beneficiis reseruatis per regulas Cancellariae, vt in prima dignitate post Pontificalem, vel in dignitate principali in Ecclesia Collegiata, signatura non dat de deuoluto: quia cum sint reseruata summo Pontifici, non potest interuenire negligentia alicuius inferioris, nec per consequens transitus de vna persona ad aliam; & sic deficit substantia deuolutionis.

Vnde cauendum est à Paris, qui *lib. 2. quest. 16.* beneficia deuoluta enumerat inter reseruata: quia in contrarium est veritas per rationem iam dictam; vt optimè explicat Gonzal. *ad regul. 8. gloss. 11. num. 60. & 61.*

3. Beneficium deuolutum duobus modis potest impetrari: Primò tanquam deuolutum ad sedem Apostolicam iuxta statuta Concilij Lateranensis, de quibus est text. *in cap. 2. de concess. prabend.* † si enim

collator ordinarius fuerit negligens in conferendo infra sex menses à die scientiae vacationis computandos, ius conferendi deuoluitur gradatim ad Superiorem: nam si Capitulo competat ius conferendi, illo negligente, ius deuoluitur post sex menses ad Episcopum: & si Episcopus post alios sex menses negligens fuerit, deuoluitur ad Metropolitanum, qui habet alios sex menses; & eo non conferente, deuoluitur ad Patriarcham cui subest Archiepiscopus: si autem non habet Superiorem deuoluitur ad Papam. † Quòd si agatur de Episcopo exempto, deuolutio propter illius negligentiam fit immediatè ad ipsum summum Pontificem: vt per DD. *in dicto cap. 2. de concess. prabend.* † Et si Papa conferat hoc modo, nempe obseruatâ graduum distinctione, per quos fit deuolutio; tunc dicitur providere secundum Lateranensis statuta Concilij.

Licet deuolutionem à Metropolitano ad Papam immediatè fieri, non autem ad Patriarcham seu ad Primate ex generali Galliae consuetudine dixerit Rebuff. *in prax. part. 1. tit. de deuolutionib. num. 23.* nisi alia sit consuetudo; vt in Primatu Lugdunensi, in quo fit semper deuolutio ad Primate, seu Patriarcham de consuetudine: vt testatur Rebuff. *in dict. tit. de deuolut. num. 24.*

Secundo modo potest Papa conferre beneficia deuoluta non seruato illo ordine graduum inter collatores requisito per Concilium Lateranense; sed tanquam concurrens ex proprio iure & potestate cum quibuslibet collatoribus ordinariis: & tunc non sunt seruanda ista graduum interualla, neque dicitur collatio fieri iure deuoluto; sed iure proprio, & confestim Papa conferre potest iure concursus; cum ipse concurrat cum quolibet Ordinario, tanquam Ordinarius Ordinariorum: & in conferendo nemini facit iniuriam. Ludouif. *decis. 221. num. 8.* Cokier *ad regul. 8. Cancellar. in proem. numer. 14.* & hoc casu Papa non dicitur providere iuxta Lateranensis statuta Concilij.

Inter vtrumque autem conferendi modum hæc est differentia, quia si Papa primo modo conferat, prouisus tenetur probare duo. Primò debet probare deuolutionem factam fuisse gradatim de inferiore ad proximum Superiorem; cum (vt dictum est) quilibet ex inferioribus collatoribus habeat sex menses ad conferendum: *dicto cap. 2. de concess. prabend. cap. licet. 3. de supplend. neglig. Pralat.*

Secundò tenetur probare lapsum fuisse tempus sex mensium, non à die vacationis; sed à die scientiae computandum: & sic tenetur probare scientiam vacationis in collatore ordinario: quia illi nulla potest imputari negligentia, antequam sciuerit beneficium esse vacans: *dicto cap. 3. de supplend. neglig. Pralat.* in illis verbis; *tempore semestri, non à vacatione, sed à notitia computando;* & ibi Gloss. docet *in verb. à notitia.* Mantica. *decis. 260. num. 2. & 3.* Addent. ad Burat. *decis. 18. num. 12. in fin.*

Vtrum autem sufficiat scientia verisimilis, an verò 10. concludenter, & per certas, ac euidentes probationes verificari debeat, dubitatum fuit; & quòd sufficiat scientia verisimilis tenuit Rot. *decis. 532. num. 1. part. 4. diuers. Lotter. de re beneficiar. lib. 2. quest. 24. num. 16.* Pastor. *in tract. de benefic. lib. 1. tit. 22. n. 4.* vbi dicit sufficere scientiam veram, vel præsumptam quæ ex rumore, & fama publica elicitur.

Contrarium autem nempe quòd scientia probari debet certa, & per probationes concludentes, tenet Addit. ad Ludouif. *decis. 177. numer. 9.* & ad Burat. *decis. 18. numer. 10.* Rot. *part. 2. recentior. decis. 173. num. 1. & 186. sub num. 2.*

Et hæc posterior sententia mihi magis placet, cum agatur de auferendo iure collatoribus ordinariis competenti; ita tamen ut nolim omnino excludere probationes præsumptiuas quæ tales esse possent ut vim concludentis probationis haberent, & pro talibus iudex apud quem probationes sunt arbitrarie illas habendas esse pro sua religione iudicaret; veluti si ageretur de beneficio vacante per obitum alicuius personæ notabilis, cuius ignorantia in collatore ordinario probabilis non esset, aut in aliis casibus similibus.

11. Sed quæret aliquis nonne potest summus Pontifex uti iure præuentionis aduersus quoscumque collatores ordinarios, sicut & Legatus sedis Apostolicæ; ut nos copiose ostendimus *lib. 1. cap. 7. num. 1. & per tot.* Quid igitur utilitatis afferet ista quæstio de iure deuoluto.
12. Respondetur quod licet summus Pontifex possit præuenire collatores ordinarios; tamen quando confert iure deuoluto, censetur noluisse uti iure præuentionis: ut notauit Rot. *decis. 186. num. 1. part. 2. recentior.* ideo hoc casu probanda sunt omnia incumbenda ad obtinendum iure deuoluto, de quibus mox *num. 8. & 9.* actum fuit: ut dicitur in *dicta decis. 186.*
13. Vnde in similibus prouisionibus solet apponi clausula, & detur deuolutio dispositiue in litteris. Apponitur etiam alia clausula, *Dummodo collatio deuoluta sit.* Quæ duæ clausulæ faciunt, ut non intret alius vacationis modus, non obstante clausula & alio quouis modo, quæ hoc casu inutiles est, & nihil operatur: ut per Addit. ad Burat. *decis. 938. num. 10.*
14. Secundo verò modo, si summus Pontifex conferrat iure concursus: tunc non est opus probare scientiam, & deuolutionem gradatim factam; sed satis erit probare negligentiam primi collatoris, vel etiam Patroni, † qui intra tempus requisitum à iure non præsentauit: nam in defectum præsentationis, huiusmodi collatio deuoluitur ad Superiorem, videlicet si Patronus laicus intra quatuor menses, Ecclesiasticus verò intra sex menses non præsentauerit: iuxta text. in *cap. unic. de iure patronat. in 6. & cap. cum propter. de iure patronat. in decretalib. & cap. sicut de supplend. neglig. Pralat.* Sicut enim collator habet semestre, *cap. nulla. de concess. præbendæ.* ita & patronus Ecclesiasticus qui reputatur tanquam collator; si verò iure patronatus sit commune, hoc est partim laicale, & partim clericale: tunc omnes Patroni habent sex menses ad præsentandum; quia clericale tanquam magis dignum trahit ad se laicale quod minus dignum est. *Gloss. in dict. cap. unic. de iure patronat. in 6.* Et hoc procedit quamuis laicus haberet maiorem partem in iure patronatus: nam eo non obstante competeret in hoc iure patronatus mixto tempus ad præsentandum intra sex menses. *Lambertin. de iure patronat. lib. 2. part. 2. quest. 1. artic. 1.* quod tempus currit patroni à die scientiæ vacationis. *Seraphin. decis. 380. num. 1.* maximè stante verisimili ignorantia. *Rot. decis. 421. part. 1. diuers.* † Et hoc casu non est probanda deuolutio per gradus; sed sufficit probare negligentiam Patroni: quia tali casu Papa seu sedes Apostolica non prouidet de beneficio tanquam deuoluto ad sedem Apostolicam iuxta Lateranensis statuta Concilij; sed prouidet de beneficio tanquam deuoluto ad inferiores propter negligentiam Patroni, cum quibus collatoribus inferioribus Papa concurrere potest; & sic cum Papa prouideat non tanquam de deuoluto ad sedem Apostolicam, sed tanquam de deuoluto ad collatores inferiores; sufficit probare negligentiam Patroni in præsentando, sicut dictum est de proban-

da negligentia aliorum collatorum, absque eo quod probetur per distinctos gradus. *Garf. de benefic. part. 10. cap. 3. num. 30. & sequent.*

Quibus autem in casibus fiat deuolutio ad Superiorem pro collatione beneficiorum, fuse exponit *Rebuff. in praxi tit. de deuolut. ideo non est hic amplius insistendum.*

Hoc solum pro terminorum intelligentia notandum est; quod duplex est deuolutionis, seu deuolutariorum genus: Primum est de quo egimus hoc capite, nempe quando beneficium obtinetur iure deuoluto, propter negligentiam Patroni, vel collatoris ordinarij; & hic modus non est odiosus. Secundum verò deuolutionis genus est, quando fit impetratio beneficij propter incapacitatem, aut inhabilitatem possessoris; & tales impetrantes, maximè in Gallia, Deuolutarij, vel Certomodarij nuncupantur: † Et hi non solent audiri nisi datâ cautione idoneâ, neque possunt obtinere sequestrationem fructuum; sed debent omnino expectare sententiam: & si antea se ingerant, priuantur omni commodo possessionis. *Rebuff. in praxi tit. de deuolut. num. 106. & 107.* & de istis copiosius egimus supra *lib. 1. cap. 57.*

§. 5.

De Eminentissimis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus: & illorum Indultis.

1. Beneficia Cardinalium quocumque in loco moriantur, & quocumque in loco vacent, semper censentur vacare in Curia.
2. Inferior à Papa Cardinalium beneficia conferre nullo modo potest.
3. Cardinalibus indultum conceditur, ut beneficia ad eorum collationem spectantia quocumque tempore conferre possint.
4. Indulta quedam sunt ordinaria, quedam extraordinaria.
5. Indultum faciens mentionem de collatoribus ordinariis, extenditur ad collatores ex privilegio, titulis beneficiorum quæsito.
6. Indultum Cardinalium non solum Episcopis collatoribus, sed etiam Abbatibus competit.
7. Indultum non suffragatur Cardinalibus collatoribus extraordinariis, veluti Legatis.
8. Indultum Cardinalium nihil aliud est, quam remotio impedimenti reservationis, propter quod alias conferre non possent.
9. Cardinalis Episcopus conferens vigore indulti, remanet collator ordinarius & prouisus ab eo non dicitur prouisus Apostolicus.
10. Indultum Cardinalis remouet omnia obstacula, exceptâ dumtaxat reservatione in corpore iuris clausâ.
11. Quando Cardinalis prouidet vigore indulti, in casu in quo non posset iure ordinario conferre, prouisus ab eo dicitur Apostolicus.
12. Litteræ Cardinalis Abbatis habent executionem paratam, quando habent privilegium Apostolicarum, & mandantur executioni non obstante appellatione.
13. Indultum Cardinalis non potest de iure nouo suffragari Capitulo habenti simultaneam collationem cum Episcopo Cardinali habente indultum huiusmodi.
14. Indultum Cardinalis non suffragatur quoad beneficia in libris Camere descripta, & taxata.
15. Indultum Cardinalis non suffragatur quoad beneficia familiarium summi Pontificis.

16. Item nec locum habet in beneficiis vacantibus apud sedem.
17. Item necesse est ut beneficia talia sint quae in ipsorum indultis sint comprehensa.
18. Item necesse est quod collatio spectet ad Cardinales sub qualitate Praesulum, & non alio modo.
19. Indultorum tenor semper inspiciendus est.
20. Cardinales indultum habentes tenentur providere intra sex menses, alias collatio denouitur ad Superiorem immediatum; quamuis vacatio contigisset in mense Apostolico, & reseruato.
21. Quamuis Cardinalis diceret se providere vigore indulti; tamen dum providet in mensibus ordinariis, censetur provisionem beneficii fecisse iure ordinario.
22. Prouisi per Cardinalem vigore indulti, tenentur intra sex menses nouas provisiones a sede Apostolica obtinere.
23. Si prouisi a Cardinalibus non obtinuerint nouas provisiones intra sex menses a sede Apostolica, eorum beneficia vacant; non tamen alibi quam coram sede Apostolica impetrari possunt.
24. Cardinales sine licentia à Romana Curia recedentes amittunt priuilegium indulti Pontificij.
25. Cardinales à Curia absentes priuantur priuilegiis concessis generaliter omnibus Cardinalibus.
26. Papa concedendo alicui Cardinali facultatem commorandi in aliquo loco, censetur illi quoque licentiam recedendi à Romana Curia concessisse, & hoc casu omnes pœnas Cardinalis effugit.
27. Indultum Cardinalis non comprehendit beneficia vacantia, ante ademptionem possessionis dignitatis.
28. Si Episcopus non Cardinalis succedat Cardinali, potest conferre beneficia vacantia tempore sui antecessoris; etiam si vacauerint in mensibus Apostolicis.
29. Intellige, nisi iam Papa de talibus beneficiis prouiderit.  
Quod tamen reuocatur in dubium. num. 30. propter aliam reseruationem ex secunda regula Cancellariae.
30. Si vacatio contigerit pendente vita Cardinalis Episcopi, non videtur intrare reseruatio secunda regulae.
31. Contrarium verius videtur, quando Cardinalis viuens non prouidit: quia regula secunda respicit vacationes praesentes, & futuras tempore sedis Episcopalis vacantis.
32. Cardinalis ex indulto sedis Apostolicae conferre potest beneficia Episcopatus, quem ultimo loco dimisit.
33. Indultum non suffragatur Cardinali, quando beneficia sunt duplici reseruatione affecta.
34. Duplex reseruatio ut impediatur collationem Cardinalis, oportet ut ambae reseruationes sint coequales, & personales: quod exemplo declaratur.
35. Papa nonobstante indulto potest praenire collationem Cardinalis Episcopi, seu collatoris ordinarij.
36. Papa non potest praenire Cardinali indultarium nisi facta expressa mentione indulti, & derogatione illius.
37. Sufficiens dicitur per Papam derogatum indulto Episcopi, seu collatoris Cardinalis, si in rescripto adsit illa clausula, nonobstanti-

bus priuilegiis talis Ecclesiae, & illius Praesulis etiam Cardinalis.

38. Si Papa concesserit coadiutoriam alicuius beneficii sub indulto Cardinalis comprehensi, talis concessio & coadiutoria nihil valent; nisi in rescripto adsit expressa mentio, & derogatio indulti.
39. De indultis Cardinalium integrum tractatum edidit Germonius.
40. Controuersa, quae circa indulta Cardinalium oriri possunt, magna ex parte deciduntur ex verbis ipsius indulti, quae semper attendenda & diligenter consideranda sunt.

Post summum Pontificem primo loco occurrunt Cardinales, quorum beneficia summo Pontifici semper sunt reseruata: quia quocumque in loco quantumuis à Romana Curia remoto, Cardinales moriantur, illorum beneficia semper censentur vacare in Curia; nec proinde ab alio quam à summo Pontifice conferri possunt, adeo ut ex superueniente Cardinalatus dignitate, qualitas ipsa beneficii immutetur: omnis enim reseruatio, maximè quae in corpore iuris clausa est, qualis est ista de qua agimus; ita manus Ordinarij ligat, ut collatio per eum alimue inferiorem facta, ipso iure nulla sit: ut in Cod. Fabrian. lib. 1. tit. 2. definit. 21. † Vnde nec inferior aliquis collator Cardinalium beneficia conferre potest. Cod. Fabrian. dicto tit. 2. definit. 16.

Hoc etiam Cardinalibus ex speciali summi Pontificis priuilegio, & dignitatis ipsorum prerogatiua concessum est; ut indultum habeant circa beneficiorum collationem, de quo Anastas. Germon. particularem edidit tractatum: Nos hinc praecipuas & magis practicabiles circa indulta Cardinalium animaduersiones, paucis in medium afferemus.

Et ne in ambiguo nostra versetur tractatio, supponendum in primis est duo esse indultorum genera: quaedam enim sunt indulta ordinaria, quaedam verò extraordinaria. Indultum ordinarium est, quod concedi solet Cardinalibus qui iure ordinario beneficia conferre possunt, quando videlicet Cardinales obtinent aliquem Episcopatum, aut etiam Abbatiam; quamuis illam obtineant in Commendam, aut alias iure ordinario beneficia conferre possunt; vel ex priuilegio, aut consuetudine titulis beneficiorum suorum legitime acquisita: iuxta decis. Seraphin. 982. num. 8. † Vbi dicitur quod Breue faciens mentionem de ordinariis collatoribus, non solum debet intelligi de Ordinario natiuo, veluti Episcopo; sed etiam de quolibet collatore ordinario. Ludouif. & ibi Addit. ad decis. 99. num. 4. † Vbi quod indultum non solum debet suffragari Cardinalibus Episcopis; sed etiam Abbatibus, & aliis collatoribus inferioribus. Ergo idem dicendum est in omnibus casibus in quibus Cardinales sunt collatores ordinarij; non autem si extraordinarij: † veluti si ad eos collatio spectaret, non tanquam ad Episcopos, vel Abbates; sed tanquam ad Legatos: nam hoc secundo casu, indultum illis non suffragatur, ut bene explicat Gonzal. gloss. 24. num. 38. & sequentibus.

Nam quia multis in casibus, dicti Domini Cardinales considerati tanquam collatores ordinarij impedirentur conferre beneficia propter regulas Cancellariae; ideo datur illis indultum, quod nihil aliud est quam remotio impedimenti prouenientis ex praedictis regulis Cancellariae: vnde vocatur indultum ordinarium quia non tribuit Cardinalibus nouam facultatem ad conferenda beneficia; sed solum remouet impedimenta: † ita ut Cardinalis collator ordi-

- narius conferens beneficia in mense alioquin non ordinario, seu referuato, dicatur conferre tanquam Ordinarius; neque prouisus ab ipso dicatur prouisus Apostolicus: sed beneficium collatum obtineat tanquam prouisus ab Ordinario: quia, vt dictum est, indultum nihil illi de nouo tribuit; sed tantum remouet obstacula: vt fuit decisum in Rot. *coram Orano, in Toletana, Beneficij. 5. Aprilis 1593.* apud Marchesan. tom. 1. fol. 381. *decis. 52. numer. 2.* & apud
10. Burat. *decis. 622. numer. 11.* † Vbi quod huiusmodi indulta tollunt obstacula omnium referuationum, excepta dumtaxat referuatione clausa in corpore iuris: vt notatur per Rot. *decis. 531. numer. 17. & 23. part. 4. tom. 3.*
11. Si tamen indultum aliquid contineret quod Cardinalis non posset facere tanquam Episcopus, seu aliàs collator ordinarius; tunc prouisus ab eo diceretur prouisus Apostolicus: quia tunc Cardinalis non conferret iure ordinario; sed in vim prouisionis Pontificiæ: Quod Ego nuper dicebam in quadam causa, quæ nunc Romæ ventilatur, super prouisione prioratus regularis quem Eminentissimus quidam Cardinalis vigore sui indulti, & facultatis in ipso sibi concessæ dederat in commendam; dicebam enim istum prouisum ab Eminentissimo Abbate esse prouisum Apostolicum, & frui debere omnibus priuilegiis & prærogatiuis quæ de iure competunt prouiso Apostolico: iuxta tradita per Rot. *decis. 530. num. 26. part. 4. recentior. tom. 3.* & per Illustrissimum Dominum Argelum in *tract. de acquirend. possess. quæst. 19. numer. 70.* quod etiam ostendebant verba in indulto, de quo agebatur, apposita; in quo aderat illa clausula *tam ordinaria auctoritate, quam præsentis Indulto uti valeas*: Vnde huic prouiso tanquam Apostolico Dixi dandam esse immisionem in possessionem prioratus, quem tanquam regularem Eminentissimus Dominus Cardinalis Abbas in commendam concesserat, aduersus prouisum ab Episcopo Ordinario loci, in quo beneficium situm erat, prætendente illud non regulare, sed sæculare esse:
12. † Idque nonobstante appellatione per prouisum ab Ordinario interposita, quæ non retardat executionem prouisionis Apostolicæ: ex Seraphin. *decis. 1484. numer. 2.* Caualer. *decis. 11. numer. 7.* Duran. *decis. 60. numer. 48.* repetita *decis. 30. numer. 42. part. 5. recentior.* Dominus Argel. *de legit. contradict. quæst. 15. numer. 194.* Gonzal. *ad regul. 8. gloss. 9. numer. 220. & sequentibus.* & in effectu fuit cognitum Romæ prouisionem illam tanquam Apostolicam & decretum de immittendo in fauorem commendatarij executioni demandandam esse; nonobstante appellatione prouisi ab Episcopo.
13. Circa quæ indulta Cardinalium fuit aliàs dubitatum, vtrum suffragari etiam possent Capitulo, quando habebat simultaneam collationem, vel electionem cum Cardinali Episcopo; & fuit iudicatum pro affirmatiua. Sed hodie omnis difficultas cessat propter constitutionem fel. rec. Urbani VIII. editam die 29. Decembris Anni 1625. per quam declaratum fuit quod licet Cardinales sint exempti à regula mensium; tamen cum hoc priuilegium sit ipsis intuitu Cardinalatus concessum, & per consequens non debeat aliis inferioribus collatoribus suffragari; nullum Capitulum, aut alij collatores cum eisdem Cardinalibus simultaneam collationem habentes, possint sub prætextu talis facultatis participationem dicti priuilegij prætere. Imò quod dicti S. R. E. Cardinales Præsules, de omnibus & singulis beneficiis Ecclesiasticis quomodolibet nuncupatis, &

qualificatis, ad ipsorum etiam cum alio collationem, præsentationem, electionem aut aliam similem, vel dissimilem dispositionem spectantibus; non tamen in libris Camera Apostolicæ descriptis, nec ex personis familiarium suæ Sanctitatis, vel Conclauistarum, aut occasione vacationis apud Sedem referuatis, vel affectis; soli per seipso, aut alios ab ipsis deputandos absque dictis Canonicis, Capitulo, aliisque, quamlibet dispositionem coniunctim vel diuisim cum eisdem Cardinalibus habentibus liberè prouideant; dummodò aliàs sub illorum indultis comprehendantur. Quam constitutionem inserit Rubeus, in *not. ad Rot. decis. 530. part. 4. recent. tom. 3.* Lotter. *de re beneficiar. lib. 2. quæst. 21. num. 126.*

Ex quibus patet concessam esse Eminentissimis Cardinalibus facultatem vtendi suo indulto exceptis casibus sequentibus.

Primò, vt Cardinalibus suo indulto fruatur necesse est, quod non agatur de beneficiis in libris Camera descriptis, quorum fructus in Camera Apostolica taxati reperiuntur. 14.

Secundò, quod non agatur de beneficiis affectis seu referuatis, ex personis familiarium suæ Sanctitatis, vel Conclauistarum. 15.

Tertiò, quod non agatur de beneficiis vacantibus apud Sedem; quorum appellatione quæ beneficia contineantur, superius per nos fuit expositum. 16.

Quartò, requiritur quod beneficia talia sint, quæ in illorum indultis comprehendantur. 17.

Quintò, quod agatur de beneficiis ad Cardinalium collationem spectantibus, sub qualitate Præsulum, nempe Episcoporum, Archiepiscoporum, aut simili; quod patet ex illis verbis: *Cardinales Præsules*, in illa constitutione appositis: nam si ad eos alia ratione spectat collatio, non erit locus indulto. 18.

Est tamen verum quod aliquando indulta huiusmodi sunt ampliora, quandoque verò strictiora; & ideo semper illorum tenor diligenter inspiciendus est: vt bene aduertit Gonzal. *dicta gloss. 24. num. 73. & 74.* 19.

Omninò tamen notandum est Primò, quod dicti Eminentissimi Cardinales debent prouidere de beneficiis vacantibus intra spatium sex mensium, quod à iure præficitur collatoribus ordinariis: quibus elapsis, ius conferendi ad proximum & immediatum Superiorem deuoluitur, quamuis vacatio contigisset in mense Apostolico: quod fundatur in illa regula generali superius propoſita; quod indultum Cardinalis solum remouet obstacula & impedimenta regularum Cancellariæ, & prouisi in consequentiam indultorum non dicuntur prouisi Apostolici quoad ea; quæ ipsi Cardinales tanquam Episcopi conferre possunt: imò semper censentur prouidere auctoritate ordinaria, non vigore indulti. Rot. *decis. 444. numer. 64. part. 5. recent. tom. 2.* † Imo etiam si Cardinalis diceret se prouidere vigore indulti; tamen quoad ea quæ à potestate ordinaria dependent: & ideo locus est dispositioni *cap. 2. de concess. præbend. & deuolutioni*, si Cardinalis Præsul infra sex menses non conferat eo modo quo superius exposuimus, dum de collatione iure deuoluto facienda ageremus. Ratio est quia per deuolutionem beneficium non vacat nouo vacationis modo; sed solum eo modo quo prius vacabat. Ergo quamuis vacasset prius in mense Apostolico, non ideo 21.

- minus deuolutio lapsis sex mensibus fit ad immediatum Superiorem Cardinalis tanquam Episcopi; quia nunquam fuit referuatum: imò à regula mensium referuatoria expressè excipiuntur beneficia spectantia ad collationem Cardinalium, & per consequens deuolutio non fit ad Papam, sed ad Superiorem Episcopi Cardinalis gradatim, & iuxta ordinem de quo superius actum est; & de quo in dicto. cap. 2. de concess. præbend. Garf. de benefic. part. 5. cap. 1. num. 631.
22. Secundo loco notandum est, quòd prouisi à Cardinali in consequentiam sui indulti, tenentur intra sex menses à die factæ sibi prouisionis computandos, nouas prouisiones à sede Apostolica impetrare; & iura Cameræ Apostolicæ, & aliis propterea debita persolvere: & lapso dicto tempore, si præmissa adimpleta non fuerint prouisio irrita est; & beneficia sic collata vacant ipso iure; † & possunt per alios à sede Apostolica dumtaxat, cui referuata sunt, liberè impetrari; dummodò sic prouisi non docuerint de legitimo impedimento: vt notat Barbof. in tract. de Episcop. allegat. 57. num. 52.
23. Tertio notandum est, quòd huius indulti priuilegium non competit Cardinalibus absentibus à Romana Curia sine licentia Papæ, quæ omninò requiritur, vt ipsi à Romana Curia recedere possint: vt notat Lotter. de re beneficiar. lib. 1. quest. 8. num. 49. & lib. 2. quest. 27. num. 84. & quòd Cardinales sine licentia recedentes non fruuntur indulto, decretum fuit consistorialiter, per fel. rec. Paulum III. die 18. Februarij 1547. de quo testatur Verall. decis. 86. part. 2.
24. † vbi statuitur Cardinales in Romana Curia non residentes, nisi expressâ licentiâ summi Pontificis habitâ, priuari omnibus indultis & priuilegijs, quibus alij Cardinales gaudent & gaudere possunt; & quòd talis residentia sit apud Ecclesiam Metropolitanam, vel Cathedrali in qua præsent.
25. Verùm hoc non ita strictè intelligendum est, vt præcisè necessarium sit Cardinalem residere in propria Diœcesi, ad hoc vt fruatur indulto: quinimò sufficit quòd sit in aliquo alio loco de licentia Papæ; quia Papa concedendo Cardinali facultatem commorandi in aliquo alio loco, videtur tacitè derogasse dictæ Constitutioni Pauli III. & tunc vel per se, vel per Vicarium legitimè constitutum beneficia conferre potest; atque ita iudicatum testatur Verall. dicta decis. 86. part. 2.
26. Quartò notandum est, quòd indultum Cardinalis non comprehendit beneficia vacantia ante adaptionem possessionis Episcopatus, aut similis dignitatis factam per Cardinalem: quia cum illa beneficia essent iam referuata antequam Cardinalis possessionem apprehenderet, possessio de nouo capta non potest tollere referuationem iam formatam; nisi tamen indultum Cardinalis comprehenderet beneficia vacantia de præterito. Gonzal. dicta gloss. 24. num. 108.
27. Quintò, è contra; si Episcopus non Cardinalis succedat Episcopo Cardinali; siue per obitum, siue alio modo; talis Episcopus non Cardinalis conferet beneficia quæ tempore sui antecessoris vacauerant, etiam in mensibus Apostolicis: quia collatio huiusmodi beneficiorum ad eum deuenit in eo statu, in quo talia beneficia non erant alicui referuationi obnoxia. † Quod tamen intelligendum est, nisi Papa iam prouidisset per viam præuentionis; vt fieri potest: ita decidit Gonzal. dicta gloss. 24. num. 109. & multis sequentibus.
28. Sed huic sententiæ contradicit Garf. de benefic. part. 5. cap. 1. num. 635. quia beneficia vacantia post obitum aut dimissionem, amissionem, aut translationem Episcopatum, aut dignitatum; sunt sedi Apostolicæ referuata: iuxta regulam 2. Cancellariæ: & propterea videtur concludendum, quòd iste Episcopus non Cardinalis non possit prouidere de istis beneficijs, quæ sunt sedi Apostolicæ referuata nouo referuationis genere, quod non habuit originem aduersùs Cardinalem; sed potius post illius dimissionem, aut translationem.
29. Hæc ratio procedit, & est verissima, si vacatio contigerit post sedem Episcopalem vacantem per obitum Cardinalis; sed non videtur concludere in duobus casibus. Primo, si vacatio contigerit tempore quo adhuc Cardinalis viuebat, seu Episcopatum possidebat: ratio est quia regula 2. Cancellariæ loquitur dumtaxat de beneficijs vacantibus tempore quo sedes Episcopalis non erat plena: vt patet ex verbis dictæ regulæ, *Quæ post illorum obitum, dimissionem &c. usque ad promotionem successoris, & adeptam ab eodem successore pacificam possessionem vacant, & vacabunt*; Ergo cum supponamus beneficia ista vacasse ante obitum, aut dimissionem Cardinalis; sequitur dictam referuationem secundæ regulæ non impedire Episcopum successorem quominus conferre possit: atque ita tenet Massobr. in prax. concursus. qui Gonzalis sententiam amplectitur prælud. 26. dub. 4.
30. Sed tamen adhuc subsistendum est: nam pro Garfæ sententia facere videntur verba dictæ regulæ secundæ, per quam non solum referuantur beneficia vacatura quandiu sedes Episcopalis remanet sine pastore; sed etiam beneficia tunc vacantia: vt patet: ex illis verbis regulæ, *Quomodocumque vacant, & vacabunt in futurum*: atque ita firma remanet ratio quòd ista beneficia sunt affecta nouo genere referuationis, non contra Cardinalem introducto; sed contra sedem vacantem: & per consequens contra Episcopum successorem non Cardinalem. Vnde si casus occurreret, maturius esset cogitandum. Ego tamen pro nunc inclinarem in sententiam Garfæ, tum propter authoritatem sedis Apostolicæ, tum propter rationes supra deductas.
31. Secundò, dicta ratio & conclusio superius deducta locum habere dumtaxat posset in successore Cardinalis per obitum: nam si Cardinalis qui dimisit Episcopatum, aut ad alium translatus est, adhuc viueret; ex speciali priuilegio ipsemet posset conferre beneficia suæ Ecclesiæ quam vltimo loco dimiserat, seu cui cesserat: quia per constitutionem 60. fel. rec. Urbani VIII. Incipit *Licet nullus*, decernitur quòd Cardinales Ecclesiarum Præsules indulto conferendi beneficia Ecclesiastica vti possunt, ratione dumtaxat Ecclesiarum quibus præsent, *vel quarum regimini vltimo loco cesserunt*, quæ constitutio non est extendenda ad alias Ecclesias præter illam cui ipsi præfuerunt, vel præsent tanquam Præsules: vt norauit Barbof. in decis. Apostolic. collect. 31. numer. 20. iuncto num. 13.
32. Sextò notandum est, Cardinales non posse frui suo indulto ratione beneficiorum quæ duplici referuationi obnoxia sunt; veluti si ageretur de beneficio quod esset possessum ab eo, qui simul esset familiaris Papæ, & Prothonotarius: quia indulta Cardinalium non extenduntur ad beneficia referuata duplici hac referuatione: † cum hac tamen distinctione vt hoc procedat si agatur de beneficijs referuatis duabus referuationibus personalibus, seu coequalibus: nam si ageretur de referuationibus disparibus,
- 33.
- 34.
- 35.

- disparibus, quarum vna esset realis, & alia personalis; vna tamen, sit aliâ inferior, veluti si quis esset familiaris Papæ simul & Cardinalis; tunc ista duplex reseruatio inæqualis non impediret quominus Cardinalis vigore sui indulti conferre posset: vt notauit Ricc. collectan. 2956. versic. nec etiam comprehendit. dicens ita fuisse declaratum per DD. Verospium & Vbald. in quadam Cesenaten. in eorum voto, anno 1615.
36. Septimò notandum est, quòd nonobstante indulto summus Pontifex potest præuenire conferendo beneficia, sub indulti reseruatione comprehensa: quia per indultum non censetur sibi ligasse manus, quin ipse conferre possit præueniendo tanquam de reseruato. Addit. ad Ludouif. decis. 291. num. 12.
37. Quod tamen intelligendum est, dummodò Papa expressè derogauerit indulto Cardinalis, faciendo de illo expressam mentionem: vt notauit Put. decis. 488. aliàs decis. 500. lib. 2. & decis. 190. lib. 3. idque propter priuilegium Leonis, quo cauetur non censi derogatum indultis Cardinalium per quascumque gratias à Papa concessas, nisi specialis mentio tituli, & denominationis Cardinalis facta fuisset; quamuis dicat maiorem partem Dominorum inclinasse in eam sententiam, vt priuilegium illud non extenderetur ad successores dicti Pontificis: quanquam in dicta decis. 190. ante num. 1. versic. verum est dicatur in hac materia attendenda esse verba indulti; sed quidquid sit, non est dubitandum quin requiratur expressa derogatio indultorum Cardinalium: † quæ sufficienter facta dicitur, si in rescripto summi Pontificis adfit clausula, *Nonobstantibus priuilegiis talis Ecclesie, vel illius Præsulis, etiam Cardinalis*: quia dictio etiam est ampliatiua; & ideo dicitur sufficienter indulto Cardinalis hoc casu derogatum. Achill. de Grass. decis. 7. de priuileg. Francisc. Marc. decis. 511. part. 1. Ricc. collectan. 2380. versic. item dicitur derogatum.
39. Et non solum in prouisionibus beneficiorum per summum Pontificem factis necessaria est derogatio indulti Cardinalis collatoris; sed etiam in concessione coadiutoria per summum Pontificem facta, quæ sine ista derogatione concessa non suffragatur; est tamen valida Coadiutoria, si indulto fuerit derogatum.
40. Rot. decis. 10. part. 3. lib. 3. diuers. † Multæ alia quæstiones circa indulta Cardinalium in medium afferri possent; sed de his Anastas. Germonius in tractatu speciali quem de indultis Cardinalium edidit, adendum est; ex quo Massobr. in praxi concurs. nonnulla
41. notabilia collegit pralud. 26. per tot. † & multæ controuersia, quæ circa huiusmodi indultorum vim & effectum oriri possent, deciduntur ex verbis & clausulis in eisdem indultis appositis: vt superius ostendimus, & aduertunt Gonzal. dicta gloss. 24. numer. 74. & Garf. dicta part. 5. cap. 1. numer. 630. qui etiam in dictis locis multa de istis indultis in medium afferunt.

§. 6.

De Legatis, & illorum potestate quoad beneficiorum collationem.

1. Prouisiones Legatorum habent priuilegium prouisionum Apostolicarum,
2. Clausula Expulsis quibusvis detentoribus, non tamen à Nobis prouisus, non excludit prouisus à Legato.
3. Regula de vero beneficij valore exprimendo,

locum etiam habet in prouisionibus Legationis.

4. Verus valor non solum exprimendus, sed etiam probandus
5. Regula de annali locum habet in prouisionibus Legationis.
6. Legati prouisiones non sunt aequè fauorabiles, ac prouisiones Ordinariorum; & usus Legatorum est veluti extraordinarium.
7. Collatio Legati ligat manus Ordinarij, sicut reseruatio Apostolica.
8. Regula de verisimili notitia locum habet in collatione Legati, nec non in collatione Ordinarij.
9. In Romana Curia non attenditur regula de verisimili notitia, quando agitur de resignatione pura, propter clausulam siue per obitum, siue alio quouis modo.
10. Si tamen prouisio fiat principaliter per obitum, & non accessorie ad resignationem, locus est regula de verisimili notitia obitus, etiam in prouisionibus Curia Romana.
11. Quod de Romana Curia dictum est circa prouisionem per obitum accessoriam, conuenit etiam Legationi.
12. In beneficiis Gallia non consistorialibus, verus valor non est exprimendus.
13. Quoad expressionem veri valoris beneficiorum status Auenionensis, diuersimode in Rota Romana fuit consideratum. Semper autem prouincia consuetudo in hoc obseruanda est.
14. Probatio veri valoris beneficij fieri debet, etiam parte non opponente.
15. Falsa valoris etiam in maiori quantitate expressio reddit gratiam nullam.
16. Verus valor in Legatione exprimendus est iuxta formam, & stilum consuetum: Exceptis beneficiis Gallia.
17. In beneficiis consistorialibus, quorum collatio spectat ad Papam, Rege nominante, verus valor exprimitur iuxta taxam; etiamsi minor sit vero valore.
18. Legatus aut Vicelegatus non possunt admittere resignationes in fauorem, maxime quoad beneficia Gallia.
19. Collatio facta in Legatione de Beneficiis vacantibus in Curia, non tribuit titulum ne quidem coloratum.
20. Legatus aut Vicelegatus Auenionensis possunt conferre beneficia reseruata, exceptis vacantibus in Curia.
21. Legatus non venit appellatione summi Pontificis; venit tamen appellatione sedis Apostolica: Et quando hoc verum sit.
22. Legatus potest creare Præbendarios extra prouinciam sua Legationis existentes. Et beneficia etiam extra Legationem existentia (quæ sua collationis sunt) conferre.
23. Legatus non potest dispensare cum illegitimis ad beneficia curata.
24. Fallit in Legato Auenionensi cuius facultates magna sunt.
25. Legatus sine speciali facultate potest dispensare super defectu Natalium ad Ecclesias Collegiatas.

26. *Vicelegatus potest ex facultatibus dispensare super etate: sed an possit post Concilium Tridentinum? reuocatur in dubium.*
  27. *Legatus potest etiam sine expressa derogatione conferre beneficia iuris patronatus clericaliū.*
  28. *Legatus Auenionensis conferre potest beneficia quomodocumque reseruata; sed alij Legati non conferunt Ecclesias Cathedrales, aut regulares, & alias qua hinc recensentur.*
  29. *Legatus Auenionensis beneficia quantumuis litigiosa confert.*
  30. *Legatus Auenionensis beneficia reseruata vel litigiosa potest conferre per viam resignationis, vel permutationis; simpliciter, vel cum reseruatiōe pensionis.*
  31. *Legatus Auenionensis potest admittere resignationes cum conditione reseruatiōis pensionis.*
  32. *De facultatibus Nunciōrum sedis Apostolicae quoad collationem beneficiorum. Remissiuē.*
  33. *Vicelegati Auenionenses ob iustam causam absentiae possunt constituere Locumtenentem pro collatione beneficiorum.*
  34. *De potestate Legati Auenionensis in Gallia, & Delphinatu. Remissiuē.*
  35. *Auditores Vicelegati, vel Legati Auenionensis nullam habent potestatem quoad collationem beneficiorum, nec cognitionem causarum beneficiorum in prima instantia.*
  36. *Auditores Vicelegati assumunt quandoque cognitionem causarum in prima instantia, quando partes non petunt illas remitti ad Ordinarios.*
  37. *Littera citatoria extra Monarchiam, decernenda sunt sub nomine Auditoris.*
1. **Q**uamuis prouisiones Legati dicantur prouisiones Apostolicæ, & eodem priuilegio executiuo fruuntur quo aliæ prouisiones à sede Apostolica emanatæ: vt testatur Illustrissimus Dominus Argelus in suo tract. de acquir. possess. quest. 20. num. 4. post Garf. de benefic. part. 5. cap. 3. num. 14. Quia prouisio Legatorum dicitur prouisio sedis Apostolicæ Garf. dicto cap. 3. num. 12. Rot. decis. 206. part. 1. diuers. num. 5. Et huiusmodi literæ, seu prouisiones à Legatis concessæ habent priuilegium executiuum per viam immiſsionis: Dominus Argel. *ibid.* num. 5. † Ideo dum datur Breuē de capiēda possessione nomine Camerae cum clausula *expulsis quibusuis detentoribus, non tamen à sede Apostolica prouisis*, non excluduntur prouisi à Legato. Idem D. Argel. *de legit. contradict.* quest. 15. num. 59. & 60. Et de eius potestate in proueniēdo ordinarios collatores diximus supra lib. 1. quest. benefic. cap. 70. sicut & de potestate eiusdem in detogando iuri optionis inter Canonicos. *ibid.* cap. 110. num. 13.
  3. Secundò inde inferitur, quòd sicut in prouisionibus Pontificiis, ita & in prouisionibus Legatorum locum habet regula *de vero valore beneficij impetrati exprimendo*. Gomes. *ad regul. de valore.* quest. 2. Burat. *decis.* 162. num. 8. Ratio est, quia in prouisionibus Legatorum posset fieri fraus, si verus valor non exprimeretur in præiudiciū annatæ, quæ soluitur etiam de prouisionibus factis in Legatione. Crescent. *decis.* 10. *de rescript.* † Et non solum verus valor in huiusmodi prouisionibus Legationis exprimendus est; sed etiam probandus. Burat. *dicta decis.* 162. num. 8. & *decis.* 390. num. 9.
  5. Sicut etiam regula *de annali* locū habet in prouisione Legati, Rebuff. *in prax. ad d. regul. gloss.* 8. *in fin.*
  6. Non enim gratiæ Legati sunt æquæ fauorabiles,

ac concessiones Ordinariōrum: cap. *Quamuis. de præbend. in 6.* Quia licet Legatus dicatur Ordinarius cap. 1. & 2. *de offic. Legat.* eius tamen iurisdic-tio non est inducta modo ordinario; sed quodam modo extraordinario quasi superinducta, & cum præiudicet ordinariæ iurisdic-tioni. Gloss. *fin. in Clement. 2. de offic. Ordinar.* Legatus enim non habet titulum in Ecclesia, sed extrā; cum eius potestas sit ad nutum concedentis reuocabilis: & per has-tationes, ita tenet Rot. *decis.* 206. num. 3. & *seqq. part. 1. diuers.*

Tertiò collatio Legati de beneficio ita afficit collationem posteriorem Ordinarij, sicut reseruatio Apostolica cum decreto irritanti. Francisc. Marc. *quest.* 86. num. 8. part. 2. per text. *in cap. si à sede. & cap. si beneficia. de præbend. in 6.* & ibi Gloss. quam sequuntur communiter Doctores.

Quod intelligendum est vt procedat, dummodò 8. collatio Legati non fuerit fraudulenta; nempe quòd interuenerit tantum tempus intra quòd Legatus vacationis notitiam habere potuerit. Marc. *dicta quest.* 86. num. 8. Quia cum regula *de verisimili notitia* locum etiam habeat in collatore ordinario, ex eodem Marc. *quest.* 381. part. 1. & 495. num. 29. Ricc. *in prax. aur. resolut. cap.* 246. Petr. Gregor. *in institut. rei. benefic. cap.* 32. num. 4. Adeo vt cauendum sit ab eodem Riccio, qui contrarium tenet *collectan.* 1593. *versic. Tertio.* multò magis locum habere debet in prouisionibus Legationis, quæ non sunt adeò fauorabiles, ac prouisiones Ordinariōrum: vt supra dictum est: vnde & in Legato idē tenet Ricc. *d. cap.* 246.

In Curia tamen Romana non consideratur ista regula *de verisimili notitia*, quando resignatio est pura & simplex; & prouisiones continent clausulam *sive per obitum, sine alio quouis modo*: vt dicunt Addent. *ad Louet. list. V. num.* 2. quia tunc prouisio conceditur à summo Pontifice in consequentiam mandati ad resignandum: ideo sufficit quòd inter resignationem seu expeditionem cursoris ad Urbem, & tempus datæ prouisionis, intercesserit tempus sufficiens intra quòd expediri potuerit gratia beneficij: Nam clausula & *alias quouis modo vacet*, dicitur accessoria; ideò gratia principalis semper remanet valida, quamuis non interuenerit verisimilis notitia obitus. † Aliud dicendum esset in simplici prouisione per obitum, quæ non fieret accessoriè in consequentiam resignationis: tunc enim sine dubio locus esset regulæ *de verisimili notitia*: & in hoc Papa, Legatus, & Ordinarius æquiparantur. Rebuff. *in praxi in notis ad dictam regul. de verisim. notit. gloss.* 5. *in princip.* † Quod autem de Curia Romana dictum est, eodem modo & in Legatione locum habere debet; cum nulla maior ratio in vno quàm in alio casu assignari queat, ex iis quæ generaliter pro prædicta conclusione ponit Gomes. *ad dictam regul. de verisim. notit.* quæ locum etiam habet in prouisionibus Legationis: quia videlicet procurator qui venit ad Legationem, seu (quod hoc casu idem est,) ad Curiam, non venit ad impetrandum per obitum; sed ad resignandum: & sic venit per alium modum vacationis. Vnde si postea concedatur prouisio cum clausula; quæ faciat valere collationem alio vacationis modo; illa prodesse debet cum non fuerit in dolo; quia origo prouisionis inspicienda est: vt *ibi* per eum, qui licet aliqua deducat in contrariū; sufficit quòd ista sententia in Gallia recepta est, & quoad beneficia in Gallia sita obseruanda.

Quartò, quæ de exprimendo vero valore beneficij in prouisionibus Legationis dicta sunt, non habet locum in beneficiis Galliæ non Consistorialibus, in quibus sufficit etiam in Legatione expressio valoris per non excessum 24. ducatorum auri de Camera



- ra secundum communem æstimationem. Rebuff. in forma signatur. simplic. prouis. in verb. cuius fructus, &c. & in Concordat. titul. de mandat. Apostol. §. statumus. Io : de Selu. de benefic. part. 3. cap. 12. num. 2.
13. † Imò & in Archidiaconatu Auenionensi ita fuit obseruatum apud Burat. *decis. 255. num. 14.* Quamquam in alia causa Canonatus Caualicen. Rota considerauerit quòd fuerat expressus verus valor per non excessum 160. ducatorum : vt in *decis. 508. part. 4. recentior.* Sed hoc, quia expressio valoris Archidiaconatus erat vera in 24. ducatis, cum tota præbenda consistat in distributionibus quotidianis; quod non sic erat in Canonatu Caualicensi. Et in Germania, & Hispania, ita fieri solere testatur Cokier ad reg. Cancell. 61. num. 21. Et hac in re prouinciæ consuetudinem obseruandam esse testatur Rot. *decis. 202. num. 8. part. 4. recentior.*
14. Quintò, si verus valor in prouisionibus Legationis non fuerit expressus, aut non probatus; gratia non suffragatur; quæ valoris probatio, etiam parte nihil opponente, facienda est. Mar. Antonin. lib. 1. *resolut. 39. num. 12.* † Imò si valor fuerit falsò expressus, quamuis maior exprimat; impetratio erit nulla. Idem Antonin. lib. 1. *resolut. 78. num. 2.* adeo vt ius non abdicetur à resignante, si falsa expressio facta fuerit. *Ibid. num. 4.* † Et idè non est dubitandum, quin iuxta regul. Cancellat. 61. verus valor sit exprimendus, etiam in prouisionibus Legationis, iuxta formam & stilum consuetum; sed non in prouisionibus quæ fiunt de beneficiis Gallia in Legatione.
17. Sextò in hoc differunt prouisiones Papæ, & Legati, quoad beneficia Gallia; quia indistinctè in Legatione non debet quoad huiusmodi beneficia exprimi verus valor; sed in Curia Romana hoc non procedit indistinctè; sed tantum in beneficiis non consistorialibus: sed consistorialia quorum prouisio spectat ad Papam, ad nominationem Regis, & quæ certam habent taxam in libris Cameræ Apostolicæ; fieri debet expressio valoris, non quidem veri, sed taxati; quamuis beneficium maioris esset redditus, Rebuff. in Concordat. tit. de mandat. Apost. §. statuimus. in verb. Ecclesias Cathedralis. in fin. Quia taxa non exprimit verum valorem beneficij. Rot. *decis. 189. num. 6. part. 1. diuers. Monald. consil. 31. num. 73.* Idem quod supra tradit Gomes. ad regul. de valore. quæstione 10.
18. Septimò quæritur, vtrum Legatus admittere possit resignationes in fauorem, & super illis concedere prouisiones. Quidam tenent affirmatiuam sententiam eâ ratione, quia Legatus potest admittere resignationem reiectâ conditione, Franc. Marc. part. 2. *decis. 133.* Alij distinguunt vt huiusmodi resignationes admittere possit Legatus, sed non collator ordinarius. Charond. lib. 1. *respons. 15.* Addent. ad Paris. lib. 9. *quæst. 9. num. 6.*
- Contrarium verius est ex Barbol. de iur. Eccles. vniuers. lib. 3. cap. 15. num. 46. 48. & 54. & sequent. Rot. *recentior. decis. 508. num. 2. part. 4.* vbi limitat nisi Legatus, aut Vicelegatus ad hoc haberet specialem facultatem: verum quidquid sit de facultatibus Legationis, in qua non vidi practicam hanc formam resignationis in fauorem, certum est quòd in Gallia non admitterentur prouisiones Legationis in vim talium mandatorum conditionalium factæ; & ita semper obseruatur: præterquam quoad reservationes pensionum, vt postea dicemus, hoc eodem §. num. 31.
19. Octauò, non potest etiam Legatus, vel Vicelegatus conferre beneficia vacantia in Curia, vt soli sum-
- mo Pontifici expressè reseruata; adeo vt collatio facta in Legatione non tribuat aliquem titulum, ne quidem coloratum. Garf. part. 5. cap. 3. numer. 53. 54. & 55.
- Et quamuis Legato Auenionensi in suis facultatibus concessum sit, vt conferre possit quæcumque beneficia etiam reseruata; in fine tamen illius articuli facultatum Legationis adiiciuntur verba illa: *Extra tamen Romanam Curiam, etiam in quibuscumque mensibus vacantia:* Et tamen opus erat speciali derogatione quoad vacantia in Curia, vt Legato daretur facultas illa conferendi. Rot. *decis. 156. num. 2. part. 3. recent.*
- Etenim cum reseruatio facta fuerit beneficiorum in Curia summo Pontifici, non potest extendi ad Legatum, qui non venit appellatione Romani Pontificis. Barbol. in cap. quoad translationem. 4. num. 5. de offic. Legat. Gutier. de iuram. confirmat. part. 1. cap. 52. numer. 6. Gondifaluis. in tract. de Legat. quæst. 9. numer. 9. venit tamen Legatus appellatione sedis Apostolicæ, nisi verba proferantur taxatiuè, vel in materia soli summo Pontifici reseruata: cap. si Abbatem. & ibi Gloss. in verb. transeundi. Franc. num. 4. & Geminian. num. 5. de Elect. in 6.
- Nondò, Legatus potest creare Prothonotarios sedis Apostolicæ (quorum beneficia sunt reseruata, vt superius ostendimus) non solum intra terminos suæ Legationis existentes; sed etiam extra illos, & in non subditum. Coccin. *decis. 349. & part. 4. re entior. decis. 69.* quia hic est actus voluntariæ iurisdictionis personam respiciens: ideo potest exerceri vbiicumque, neque territorio terminatur. Vnde etiam potest Legatus conferre beneficia suæ prouinciæ vnicuique etiam existenti extra prouinciam, ex quo collatio est voluntariæ iurisdictionis. Calderin. consil. 3. qui filij sint legitimi, n. 3. Rot. dicta *decis. 69. n. 3. in fin. part. 4. recentior.* Ludouif. *decis. 353. n. 5. & 6. & decis. 287. num. 11. in addit.*
- Non tamen potest Legatus destinatus ad vnâ prouinciam, dispensare personam exteram alterius prouinciæ, ad obtinenda beneficia in alia prouincia sibi non decreta: quidquid in contrarium consuluerit Dec. consil. 207. quem ibi reprobant Addent. Et contra illud consilium fuit iudicatum: vt per Rotam coram Ludouif. dicta *decis. 287. numer. 9.*
- Decimò, Legatus non potest dispensare cum illegitimis ad obtinenda beneficia curata, Rebuff. in praxi tit. de dispensat. super defectu natal. numer. 45. Nec similiter illos dispensare potest ad obtinendos canonicatus in Ecclesia Cathedrali, qui quoad hoc pari passu ambulant cum curatis. Rot. *decis. 2. de sil. presbit. in nou. & apud Ludouif. dicta decis. 287. num. 5. 6. & 7.*
- Sed tamen Legatus Auenionensis magnas facultates habet, Primò quidem concessas Iuliano de Ruuere Legato Auenionensi, qui postea fuit creatus summus Pontifex anno 1503. & tenuit Legationem Auenionensem ab anno 1476. ad illud tempus: eiusque facultates communicatæ alijs Legatis successoribus: vt notatur in *decis. Rot. Roman. 508. part. 4. recentior.* vbi fit mentio huius concessionis factæ in fauorem Eminentissimi Cardinalis Scipionis Burghesij tunc Legati Auenionensis, & deputationis per ipsum factæ, ac per summum Pontificem confirmatæ in personam Eminentissimi Cardinalis de Bagnitunc Archiepiscopi Patracensis, & Vicelegati.
- In quibus quidem facultatibus summus Pontifex Sixtus IV. per suas parentes Literas sub Anno 1484. Kalendis Maij anno sui Pontificatus nono, concedit eidem Domino Legato potestatem dispensandi cum

quibuscumque personis sæcularibus, vel regularibus quorumcumque ordinum super defectu natalium, ex quocumque cõitu, seu alio vitio: sed apertius in facultate concessa anno 1475. & 10. Kalend. Martij per eundem Sixtum IV. datur potestas eidem Domino Legato dispensandi super defectu natalium, etiãsi de soluto & soluta, coniugato & soluta, soluto & coniugata, aut clerico etiam in quocumque sacro aut præbiteratus ordine, aut dignitate etiam Episcopali constituto, ex soluta vel coniugata, vt ad quascumque dignitates etiam Archiepiscopales vel Abbatiales promoueri possint: nec non etiam pro ordinibus, & beneficiis & quibuscumque religiosis domibus, vt in eis recipi possint. Et de simili facultate Legatis, aut Nuntiis concessa agit Pyrr. Corrad. in *praxi. dispensat. Apostolic. lib. 3. cap. 1. numer. 16.* vbi formam huius facultatis ponit: sicut & Gambar. in *tract. de potest. Legati lib. 7. numer. 5.* Sed hæc quæ Legatis Auenionensibus conceditur, amplior est, latiusque patet; cum etiam extendatur ad dignitates Archiepiscopales, &c.

25. Super defectu verò natalium ad obtinenda beneficia, & Canonicatus ac præbendas Ecclesiæ Collegiatæ, potest sine dubio Legatus derogare absque speciali facultate; cum etiam Episcopus id facere possit Gonzal. ad *regul. 8. gloss. 5. numer. 98.* & post eum Corrad. in *dicto tract. de dispens. Apostol. lib. 4. cap. 1. numer. 12.*

26. Vndecimò, quamuis ex facultatibus Legationis possit Legatus Auenionensis dispensare super ætate, vt eius defectu nonobstãte quis possit promoueri ad ordines, & obtinere quæcumque beneficia etiam curata; non tamen existimo posse hodie illum dicta facultate vti, propter factam postea Concilij Tridentini constitutionem super beneficiis simplicibus ante 14. ætatis annum non obtinendis, *sess. 23. de reformat. cap. 6.* & de habentibus curam animarum ante 25. ætatis annum *sess. 24. cap. 12.* cui quidem Conciliari constitutioni Legatus derogare non potest. Gloss. in *cap. cum dilecti. in verb. in ætate. de elect. Abb. in cap. dilecto. num. 5. de Præbend.* Corrad. in *praxi dispensat. lib. 5. cap. 5. numer. 9.* Sed tamen summè notandum est, quòd Rota Romana admisit in prouisionibus factis per Vicelegatum Auenionensem derogationem etiam tacitam Concilij Tridentini: vt apud Burat. *decis. 463. num. 4.* & ibi per Adent. Ideo super hoc maturius cogitandum.

27. Duodecimò, Legatus conferre potest beneficia iurispatronatus clericalis, seu Ecclesiastici: *cap. dilectus. de offic. Legat. cap. cum dilectus. de iure patronat.* Rebuff. in *praxi. in 3. part. signat. in verb. nec non iurispatronatus.* Gig. de *pension. quæst. 24. numer. 1.* Quod ampliatur, vt procedat etiam nullã factã mentione, aut derogatione dicti iurispatronatus: *dict. cap. cum dilectus.* Couarr. *pract. quæst. capit. 36. numer. 2.*

28. Decimotertiò, Quamuis Legati non possint conferre Ecclesias Cathedrales, aut Regulares, aut Collegiatas; seu ipsarum Collegiatarum dignitates maiores post Pontificalem electiuas: *cap. deliberatione. de offic. Legat. in 6.* Garf. de *benefic. part. 5. cap. 3. n. 52.* sicuti nec conferre potest beneficia summo Pontifici reseruata: Idem *numer. 53.*

Tamen Legati Auenionenses habent facultatem cõferendi, prout cõferunt omnia beneficia reseruata; cum illis Papa concesserit facultatẽ conferendi quæcumque beneficia sæcularia, vel regularia, dignitates etiã in Metropolitanis Ecclesiis, & post Pontificalem maiores, cum cura, & sine cura quantumuis affecta vel reseruata in titulum, vel commendam; & de or-

dine in ordinem transferendi, & de Monasterio in Monasterium, de Ecclesia ad Ecclesiam, de loco ad locum, & sic translatos in Monasteriis, seu regularibus locis ad quæ translati fuerint recipi faciendi. Excipiuntur tamen beneficia vacantia in Curia, vt supra diximus *num. 20.* nec non vacantia per promotionem ad Episcopatus, & Monasteria consistorialia.

Decimoquartò, quamuis disputetur vtrum Legatus beneficia litigiosa conferre possit: vt apud Garf. *dicta part. 5. cap. 3. num. 56. & sequentib.* Tamen omnis dubitatio cessat in Legato Auenionis, cui data fuit facultas omnes & quascumque beneficiorum resignationes admittendi, etiam reseruatorũ vel litigiosorum; & illa conferendi † etiã simpliciter, vel ex causa permutationis, etiam cum reseruatione pensionis: vt ex Bulla Sixti sub Datum IV. Kalend. Maij 1484. Anno eius Pontificatus nono.

Hinc etiam colligitur limitatio eorum quæ diximus supra *numer. 9.* nempe resignationem conditionalem coram Legato fieri non posse: quia hoc non habet locum in Legato Auenionensi, quoad resignationes factas cum reseruatione pensionis, nam illas sic recipere, &mittere ac conferre potest vigore concessæ sibi à summo Pontifice potestatis: quod etiam approbavit Rot. in *dicta decis. Cauasicensi. 508. part. 4. recentior. confirmata decis. 109. part. 4. tom. 2.*

Plurima alia concessa sunt Legatis Auenionensibus iura, & facultates quas si ad longum referre vellemus, breuis compendij modum præter institutum nostrum excederemus.

Agendum nunc esset de facultatibus Nuntij quoad collationem beneficiorum: sed quia hoc non practicatur apud nos, ideo sufficiet adire Garf. de hoc tractantem *part. 5. cap. 3. §. 1. à numer. 80.* Ricc. *collectan. 1667.*

Item videndum est quid dicendum de Substituto, seu Locumtenente Vicelegati, vtrum videlicet beneficia in absentia illius conferre possit: qua de re Bertrand. *consil. 117. per tot. part. 1. poster.* vbi concludit Vicelegatos Auenionenses posse deputare Locumtenentes pro collatione beneficiorum ex causa absentia, vel iusti impedimenti: prout vidimus obseruatum tempore Illustrissimi bon. mem. Domini Guillelmi Du Noiser, nec non aliorum Vicelegatorum. † Videri etiam potest circa hanc quæstionem quod fusè circa facultates Legationis, aut Vicelegationis in Gallia recipiendas tractat Dom. Lud. Bell. *consil. 63. per tot. & de eiusdem Legati potestate in Delphinatu quoad collationem beneficiorum.* Crauet. *cons. 177. num. 1. & consil. 103. num. 2.*

Auditores autem Vicelegati nullam habent potestatem circa beneficia, non solum quoad collationem, sed nec quoad causarum præsertim beneficiorum decissionem: ex notatis per Franc. Marc. *quæst. 348. part. 1.* quia non possunt causas decidere sine speciali commissione.

Sed tamen ipse hoc limitat nisi vsus sit in contrarium, prout reuera talis est quoad causas in prima instantia introductas, quarum cognitionem sibi adscribunt Auditores, quando non petitur remitti ad Ordinarios: iuxta *cap. omnes causa 20. sess. 24. de reformat. in Concilio Tridentino.*

Sed in causa Appellationis non solent Auditores Legationis procedere sine speciali cõmissione † Vnde nec solent Auditores decernere literas citatorias extra Monarchiam; sed eæ fiunt sub nomine Legati, vel Vicelegati: ex notatis per eundem Franc. Marc. *dict. quæst. 358. n. 5. versic. verumtamen part. 1.* Et nos ita semper vidimus obseruari.

§. 7.

De Episcopis.

1. Episcopus habet intentionem fundatam in collatione omnium beneficiorum secularium sua diocesis.
2. In collatore non ordinario, seu prouiso ab ipso leuioribus requiruntur probationes, si contendat cum prouiso Apostolico: plena uero si eum ipso Episcopo, uel prouiso ab eo. Et que sit diuersitatis ratio.
3. Prohibitio facta Episcopis de conferendo beneficia coram ipso resignata suis consanguineis, uel familiaribus; de quibus familiaribus intelligatur.
4. Episcopus conferre potest suis nepotibus, aut familiaribus beneficia uacantia per dimissionem clericatus.
5. Beneficia uacantia per resignationem propter adeptionem incompatibilis, Episcopum proprio nepoti conferre posse censuit Ricc. Sed eius opinio reicitur.
6. Episcopus ante adeptam sue dignitatis possessionem non potest beneficia conferre; & talis prouisio nulla est ipso iure.
7. Episcopus extra diocesim existens beneficia sua collationis conferre non prohibetur.
8. Episcopus post adeptam possessionem beneficia propria non potest resignare. Idem si per eum steterit quominus possessionem adeptus fuerit.
9. Post mandatum factum per Episcopum ad resignandum suum Episcopatum, ius habet beneficia conferendi ante admissam resignationem: & que sit hac in re differentia inter resignationem puram, & conditionalem.
10. Episcopus non potest canonicatus in sua Ecclesia onus perpetuum Organista adicere.
11. Episcopus non potest mutare naturam beneficij.
12. In Gallia appellatur tanquam ab abusu, si Episcopus deroget foundationi & prima institutioni beneficij.
13. Collatio facta cum onere pecunia estimabili, simoniaca est.
14. Constitutio Episcopi, uel Capituli tendens ad exonerationem pecuniariam ipsorum; nulla est, & suspecta.

1. **E**piscopus, secundum iuris communis dispositionem, fundatam habet intentionem suam in collatione omnium beneficiorum existentium in sua Diocesi. Et è contra, qui Ordinarius non est alicuius diocesis, si prætendat sibi in ea competere ius conferendi beneficia, tenetur suam intentionem probare: quia habet contra se iuris præsumptionem: *can. omnes Basilica. 16. quæst. 7.* quæ præsumptio non solum fundatur in Episcopi autoritate; sed etiam in beneficij libertate. *Cod. Fabrian. lib. 1. tit. 3. definit.*

2. **I**t. † Sed hoc intelligendum est de collatore non ordinario concurrente cum ipso Ordinario; uel de prouiso ab ipso qui non est Ordinarius, contendente cum prouiso ab Episcopo loci Ordinario; ut tunc plene ius conferendi probandum sit: non item si concurrant prouisus ab alio quàm ab Ordinario ex una parte, & prouisus Apostolicus ex alia; hoc enim secundo casu leuioribus & minus plenæ sufficiunt probationes: non quòd Episcopi autoritas maior sit, aut fauorabilior autoritate summi Pontificis; sed quia Pontificia potestas alterius cuiuslibet collatoris ordi-

narij concursum admittit, Ordinarij uero potestas nullum alium admittere solet nisi summum Pontificem, qui est Ordinarius Ordinariorum: ita *Cod. Fabrian. lib. 1. tit. 3. definit. 12.* post *Callador. decis. 1. de probationib.* Adeo ut primo casu non sufficiat probatio iuris conferendi per famam, sufficiat tamen in secundo.

Secundò notandum est, Episcopum non posse beneficia coram ipso resignata suis nepotibus, uel consanguineis, aut familiaribus, aut consanguineis resignantis conferre, exceptis tamen beneficiis quæ sunt de iure patronatus: ut fusiùs per nos fuit explicatum *lib. 1. cap. 33.* Quod tamen de iure patronatus laicali intelligit *Ricc. in decis. cur. Neapol. lib. 3. decis. 81.* Licet *Quaranta ibid.* per nos citatus *in uersic. ad maiorem. fol. mihi 115. sub uerb. beneficiorum resignationes.* loquatur in genere de beneficiis iure patronatus.

Et iis quæ per nos dicta sunt *præfato cap. 33.* addendum est illam constitutionem prohibentem collationem faciendam Episcopi familiaribus, intelligendam esse de illis familiaribus qui actu deseruiùt Episcopo, & continuam exercent commensalitatem in domo. *Parif. de resignat. lib. 5. quæst. 6. num. 91.* Plura ultra citatos *dict. cap. 33. num. 9. fol. 43.* tradit *Parif. in loco mox citato.* *Marius Antonin. lib. 1. resolutione ultima, casu 34.* *Fulch. de uisitat. lib. 2. cap. 28. n. 23.*

Quibus etiam addo ad limitationem *dicti cap. 33. 4.* quòd Bulla *Pij V.* prohibens admissionem huiusmodi resignationum, ad effectum beneficia conferendi præfatis personis, nec pœna in ea contenta locum habent si quis clericalem statum dimittens, beneficij per consequens incapacem se reddiderit, cum hæc non sit uacatio per resignationem; de qua loquitur Bulla: ut tenet *Ricc. in decis. cur. Neapolit. part. 3. allegat. 307.*

Sicuti nec locum habet ex eodem authore *eadem 5. parte decis. 308.* quando beneficium uacat per adeptionem alterius beneficij incompatibilis, tunc enim Episcopus liberè suo consanguineo beneficia resignata conferre potest.

Sed ego non uideo quomodo decisio ista procedere possit, cum beneficia per adeptionem incompatibilis uacantia non possint resignari; sed debeant simpliciter dimitti: ut per *Garf. de benefic. part. 11. cap. 5. num. 58.* Et talis dimissio ex constitutione *Clementis VIII.* non possit fieri coram Ordinario; sed illa beneficia sint reseruata sedi Apostolicæ ut *ibid. num. 60.* quam constitutionem ampliauit *Paul. V.* ut *ibid. num. 64.* Ergo impossibile est huic casui applicari decisionem prædictam: cum resignatio non possit fieri ad effectum, ut ab Episcopo collatore ordinario prouideatur.

Tertiò, quòd dictum est beneficiorum collationem spectare ad Episcopum, intelligendum est ut procedat in Episcopo qui est in possessione, & exercitio suæ dignitatis; alioquin promotus ab eo qui Episcopatus possessionem non acceperat, uel ab eodem prouisus, non est capax beneficij: & prouisio est ipso iure nulla. *Bald. in l. si tutor. Cod. in quib. caus. restit. non est necess. num. 3.* dicens quòd paria sunt non esse, uel esse & non habere administrationem. *Boer. decis. 171. num. 26.* *Tournet, in sua recollect. Arrest. litt. B. num. 46.*

Post adeptam uero possessionem, beneficia suæ Dioceseos quamuis, extra illam reperiatur conferre potest; cum sit actus uoluntariæ iurisdictionis. *Ioan. de Selu. in tract. de benefic. part. 3. quæst. 40. & 63.* *Couarr. lib. 3. variar. resolut. cap. 20.* Et presentatio fieri potest Episcopo extra Diocesim existenti per

patronum. Gonzal. ad regul. 8. gloss. 62. num. 6.

8. Quartò, post adeptam Episcopatus possessionem, licet Episcopus beneficia suæ Diœceseos conferre possit; non tamen potest propria beneficia resignare: quia vacant per promotionem ad Episcopatum, à die videlicet adeptæ possessionis ipsius Episcopatus. Gratian. *discept. forens. cap. 296. num. 5. & 223. num. 32.* quemadmodum etiam pensiones eo modo extinguuntur: vt diximus supra, *cap. 1. §. 4. num. 102. & 103.*

Imò si promotus ad Episcopatum non faciat se consecrari intra tempus trium mensium, vel non doceat de impedimèto propter quod possessionem Episcopatus non fuerit consequutus; perinde est ac si possessionem adeptus fuisset: adèd vt eius beneficia, & pensiones ex tunc vacare censeantur; cum per eum steterit quominus possessionem caperet. Verall. *decif. 401. part. 2. Gratian. dicto cap. 223. num. 33.*

9. Quintò, post mandatum factum ad resignandum Episcopatum, non impeditur Episcopus beneficia conferre ante admissam resignationem, & notitiam ipsius; nisi resignatio esset pura & simplex: siquidem in resignatione conditionali, donec admissa fuerit, Episcopus non perdit titulum, neque possessionem sui Episcopatus: quare vsque ad diem notificationis admittæ resignationis, interim fructus percipit, inter quos annumeratur beneficiorum collatio: quos tamen percipere non potest post factam puram resignationem: quia censetur ex tunc mortuus ciuilitè in illo Episcopatu. Imò si fructus perceperit, tenetur ad illorum restitutionem. Gratian. *discept. forens. cap. 127. num. 34. & cap. 159. num. 24. & 25.* Anton. de Marin. *quotid. resolut. cap. 103. num. 7.* Quod tamen intelligit locum habere, etiam in resignatione simplici, quando ante illius admissionem, & ante consensum præstitum coram summo Pontifice, & sic re integra, Episcopus pœnitentiã ductus resignationem reuocauit: ex Put. *decif. 105. lib. 3.*

10. Sed hîc opportunè tractari potest de quæstione quam aliàs quidam Episcopus proposuit; videlicet vtrum ipse posset saltem per viam statuti perpetui, & cum consensu Capituli imponere onus Organistæ canonicatui, vel beneficio in Ecclesia Collegiata erecto; ita vt quicumque canonicatum illum obtineret, seu beneficium; teneretur exercere dictum onus organistæ? Cui dubio Ego Respondi anno 1631. Episcopum id facere non posse: † Tum in vim Concilij Tridentin. *sess. 25. cap. 5. de reformat.* vbi habetur Episcopum non posse derogare qualitatibus beneficij: Tum etiã ex dispositione iuris communis. *Clementin. quia contingit. de religiof. domib. & cap. significatum.*
11. *in fin. de prebend.* † & in Gallia appellatur tanquam ab abusu ab omnibus clausulis derogatoriis in præiudicium foundationis appositis. Theueneau ad *Ordinat. Reg. lib. 1. tit. 12. artic. 1.* & cauetur ordinatione Aurelianensi Caroli IX. *artic. 21.* † Imò collatio sub illo onere facta, videtur simoniaca; cum imponatur per eam beneficio onus, quod est pecuniã æstimabile: vt de collatione facta cum onere legendi Theologiam tradit Moneta *de commut. ultim. volunt. cap. 11. num. 320. 345. & 346.* & probatur ex *decif. crimin. 137. post consil. Farinac.* vbi optimè explicatur text. *in dicto cap. significatum. de prebend.*
14. Quod maximè procedit, quia illud onus impostum canonicatui tendit ad exonerationem capitularium, qui tenebantur ad solutionem mercedis vnius Organistæ: vnde magis suspecta est, & nulla dicta Episcopalis constitutio: ex notatis per Garl. *de benefic. part. 8. cap. 1. num. 87.*

## §. 8.

## De Mensibus Episcopalibus, &amp; de Alternatiua.

1. *Episcopis assignantur quatuor menses per regulas Cancellaria ad conferendum beneficia, nempe Martius, Iunius, September, & December.*
2. *Beneficia vacantia in aliis octo mensibus sunt sedi Apostolica reservata.*
3. *Beneficia vacantia in Curia, ne quidem in dictis quatuor mensibus per Ordinarios conferri possunt.*
4. *Vacantia per resignationem Episcopus singulis anni mensibus conferre potest: quia regula mensium illo casu locum non habet.*
5. *Beneficia comprehensa in Concordatis non subiacent regula mensium.*
6. *Reservatio beneficiorum vacantium in Curia non censetur sublata per generalem reservationum sublationem.*
7. *Beneficia qua sunt de collatione Cardinalium non supponuntur regula mensium.*
8. *Cardinales absentes à Curia non habent ius collationis beneficiorum dependentium à titulis sui Cardinalatus, & qua illa sint.*
9. *Si Cardinalis Episcopus fuerit negligens in conferendo intra sex menses, Papa non confert iure deuoluto.*
10. *Mensis quo vacatio contingit simpliciter & affirmatiuè exprimi debet pro validitate collationum, & impetrationum coram summo Pontifice factarum.*
11. *Fallit in beneficiis vacantibus per resignationem.*
12. *Fallit secundo in beneficiis qua alio modo sunt reservata, quam per reservationem regula Mensium; tunc enim mensis vacationis exprimi non debet.*
13. *Tertio non debet etiam exprimi mensis in beneficiis iurispatronatus laicalis.*
14. *Quartò non debet exprimi in gratia perinde valere, si in prima gratia fuit expressus.*
15. *Quintò non debet exprimi in concessione subrogationis; debet tamen exprimi in gratia si Neutri.*
16. *Fallit sexto in collationibus Ordinariorum, in quibus mensis exprimi non debet.*
17. *Mensis expressio necessaria est in prouisionibus factis per Legatum, vel Nuncium.*
18. *Septimò fallit in prouisionibus factis per Papam iure deuoluto, in quibus mensis expressio non est necessaria.*
19. *Fallit octauò in institutionibus factis ad presentationem; sed hac limitatio coincidit cum tertia.*
20. *Mensis à quo tempore incipiat, nempe à media nocte, computando à prima hora ex duodecim ictibus horologij.*
21. *Quid iuris in locis vbi nullum est horologium; vel non fuit auditum.*
22. *Est in arbitrio Episcopi vtrum malit frui quatuor mensibus, an verò sex alternatis sub conditionibus ad alternatiuam requisitis.*
23. *Pendet à voluntate Episcoporum aut aliorum Prælatorum acceptare, vel non acceptare alternatiuam.*
24. *Acceptatio Alternatiue quomodo fieri debeat, & qua ad illam requirantur vt sit valida.*